








REVEREND.mus AC CELSISmus
FRANCISCUS CAROLUS É
Episcopus Æmonensis, Cano=
nec non Collegiatæ Ecclia
Dignis=
S.R.I. PRINCEPS DNUS DNUS
COMITIBUS DE KAUNIZ
nicus Salisburg. et Passav.
Vetero Öettingæ Præpositus
simus.

A: Ehman. Sc:

PRAXIS
CONFESSIONALIS
ET EXPLICATIO
PROPOSITIONUM DAMNATARUM à SANCTITATE D. N. PAPÆ
ALEXANDRI VII. ET INNOCENTII XI.

AUTHORE

P. F. IACOBO DE CORRELLA

Capucino SS. Theologiæ Lectore, ac Missionario Apostolico Provinciæ Purissimæ CONCEPTIONIS Regni Navarrensis

SUPREMÆ COELORUM IMPERATRICI

MARIÆ SANCTISSIMÆ DOMINÆ NOSTRÆ

Ab Eodem Dicata,

Traducta ex Hispanico idiomate ad Italicum

A. P. F. PETRO FRANCISCO DE COMO

Capucino Provinciæ Genuensis;

Ac demum Latino idiomati tradita

A. P. F. FRANCISCO MARIA GRADISCANO

Capucino SS. Theologiæ Lectore, & Guardiano.

PARS PRIMA.

Cum Permissu Superiorum, & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

Augustæ Vindelicorum, Sumptibus Matthiæ Wolff, p. m. Viduæ, & Filii, Anno MDCCXLV.

Privilegium Sacræ Cæsareæ Majestatis.

CAROLUS SEXTUS Divina favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis: quòd cùm Nobis Noster Sacrique Romani Imperii fidelis dilectus *Matthias Wolff* Civis & Bibliopola Augustæ Vindelicorum humillimè exponi fecerit, se *Jacobi de Corella* Capucini SS. Theologiæ Lectoris ac Missionarii Apostolici Provinciæ Navarrensis *Praxim Confessionalem, Explicationémque Propositionum damnatarum* &c. olim jam cum approbatione Officii Episcopalis Labacensis Veronæ in latino idiomate editam, in publicam præsertim Confessariorum utilitatem meliori & correctiori typo sub eodem titulo *Praxis Confessionalis & Explicatio Propositionum damnatarum* &c. in quarto denuò editurum esse: vereri autem, ne alii eundem Librum in hac aut alia forma in magnum sui præjudicum ac damnum imitari conentur; Ac propterea Nobis supplicaverit, ut sibi contra ejusmodi circumventionem Privilegio Nostro Cæsareo consulere dignaremur: Nos submissis ac justis ejus supplicantis precibus clementer annuendum censuerimus, quemadmodum vigore præsentium annuimus; *Ac proinde* omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, & aliis quibuscunque Librarium negotium exercentibus inhibemus, vetamus & interdicimus, nè quis prædictam Praxin Confessionalem &c. *Per decem annorum* decursum ab hodierna die computandum, in Sacro Romano Imperio, Regnísque, Dominiis, & Provinciis Nostris hæreditariis in simili vel alio typo, modo, aut forma, atque idiomate, neque per extractum, neque per compendium, sive in toto, sive in parte, mutatísve titulis, recudere, vel aliò recudendam dare, alibíve impressam apportare, vendere, vel distrahere, clàm vel palàm, citra voluntatem & expressum à præfato *Mathia Wolff*, aut ejus hæredibus in scriptis obtentum consensum præsumat; Siquis verò Interdictum hoc Nostrum Cæsareum violare, aut transgredi ausus fuerit, eum non modò ejusmodi Libris perperam quippe recussis & adductis à sæpefato Impetrante, aut ejus hæredibus ubicunque Locorum, sive propria authoritate, sive Magist. Loci auxiliô vendicandis, de facto privandum, sed & mulctâ insuper *decem marcarum auri puri* Fisco seu Ærario Nostro Cæsareo, & Parti Læsæ ex æquo pendenda irremissibiliter decernimus puniendum: Dummodo tamen hujus Privilegii Nostri Cæsarei, ritéque factæ Censuræ tenor pro publica notitia in fronte Librorum impressus exhibeatur, & consueta quinque Exemplaria ad arcanam Nostram Cancellariam Imperialem Aulicam sumptibus Impetrantis quamprimùm transmittantur. Mandamus igitur omnibus & singulis Nostris, Sacríque Romani Imperii, ac Regnorum, Dominiorum, & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum subditis, & fidelibus dilectis, cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ existant, & Ecclesiasticis & Sæcularibus, præsertim verò in Magistratu constitutis, ac aliis Jus & justitiam suo aut superiorum suorum Nomine administrantibus, ne quemquam Privilegium hoc nostrum temerè & impunè violare, aut transgredi patiantur; quin potiùs transgressores præscripta pœna plecti alíisque modis idoneis coërceri currint, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint; Harum testimoniô literarum manu Nostra subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ die septima Martii Anno millesimo septingentesimo trigesimo tertio, Regnorum Nostrorum Romani vigesimo secundo, Hispanicorum trigesimo, Hungarici & Bohemici verò pariter vigesimo secundo.

CAROLUS mppr.

ut J. A. Comes de Metsch. mppr.

Ad Mandatum Sac. Cæs.
Majestatis proprium.
J. Jos. à Schnappauff. mppr.

CELSISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPI
DOMINO, DOMINO
FRANCISCO CAROLO
EX
COMITIBUS DE KAUNITZ,
EPISCOPO ÆMONENSI,
Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis, & Passaviensis Canonico, necnon Collegiatæ Ecclesiæ Vetero-Oettingæ Præposito dignissimo.

Principi, Mæcenati, ac Domino, Domino
Suo Gratiosissimo.

CELSISSIME
ET
REVERENDISSIME
S.R.I. PRINCEPS

Domine, Domine Gratiosissime.

PRaxis *hac* Confessariorum P. Jacobi de Corrella Capucini Missionarii Apostolici, & Concionatoris Regii, *qua* TUO CELSISSIME PRINCEPS *favore prælum meum ingressa est, eadem ab eadem sub primo latiæ versionis schemate tandem egressa est Sacratissimis* TUIS *pedibus advolvitur patrocinium* TANTI ANTISTITIS *invocatura. Nec in dubium spes concepta revocanda, quin id ibidem sit repertura, quæ enim aliorum*

Re-

Reverendissimorum Præsulum in exteris Regnis , & Provinciis ad trigesies fermè iterato typo benignissimo sinu collecta est , à TUO *non abigent fata sinistra.*

Inscribit igitur suo primo folio TUUM *Nobilissimæ Prosapiæ Nomen , ut hoc unico tanquam vivâ virtutis ideâ irradiata in suis dogmatibus magìs magisque inclarescat. Fronti Suæ* ROSAM *gentilitiam* TUAM *inarat , ut tot clypeos nanciscatur , quot in illa folia , quibus protegatur , & ne livore Momico venata unguis quid inde in ludibria carpat spinas , quæ se se in vindictam exerant , timeat , ut inscisso vulnere discat , quid lacessere sit insidentem flori* MAJESTATEM. *Ne novercantis fortunæ volubili* rotâ *feratur in devia , sapientissimum* AUDITOREM ROTÆ ROMANÆ , *nunc verò* GLORIOSISSIMUM ÆMONENSIS PEDI GUBERNATOREM , & S.R.I. PRINCIPEM (*quem Clementissimum Numen , ut meritorum ponderi sublimitas graduum copuletur , ad majora serâ , & incolumi ætate conservet*) *sibi delegit in* MÆCENATEM , *ut hujus unicâ authoritate censurarum teneat probatissimam. Vellem , & possem multa plura hìc in* TUI *commendationem copiosâ suada conglobare , sed qui omnium oculis ,* parcus verborum , factorum dives , *ut quondam Ennodius de suo Epiphanio ajebat :* Scripturientem de te çalamum præproperè detines , Abrumpo.

Patere tantùm CELSISSIME PRINCEPS , *ut hìc litterarius* de praxi Confessariorum *labor* TUÆ *clementiæ ulnis excipiatur , & concede huic meæ observantiæ testimonio , ac demississimo obsequii argumento ad* TUI *sacratissimi vestimenti fimbrias accessum , nam quantùm memor meæ angustiæ , tantùm non im-*

me-

memor nobilissimæ, & antiquissimæ TUÆ *familiæ adrepo, & dedico innisus Ausonio dicenti :* Illustris esse sanguinis etiam minima gratitudinis obsequia non repellere. *Aspice igitur sereno oculo* CELSISSIME PRINCEPS *opus hoc, & operis divulgatorem, qui cùm in hoc veluti debito tributo semetipsum* TIBI *consecret, utrique tuam propitiam dexteram protende.*

Reverendissimæ Celsitudinis
Vestræ

Clientum infimus

Joannes Georgius Mayr.

P.P. Eremitar. Camaldulensium Vigrensis Eremi emptus hic liber Ao 1756.



PERORATIO DEPRECATORIA,

In qua Author humili affectu hortatur Venerabiles Patres Sacerdotes ad zelum Christianum salutis Animarum.

Et nunc Fratres, quoniam vos estis Presbyteri in Populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda illorum erigite. Judith. cap. 8. v. 21.

1.



Umma qua vestram dignitatem prosequor reverentia (Ven. Ministri altissimi) humi ad terram prostratus, linguâ pulveribus asperâ alloquor vos officio Vices Dei gerentes super terram Progenies ad Cœlum electa, Augustum Sacerdotium, Gens Sancta, Populus acquisitionis omnipotens. *Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*: Fas sit meo obsequio vestrum excitare zelum, & meo zelo vestram implorare attentionem liceat. *1. Petri c. 2. v. 9.*

2. Ascendamus cum Moyse: *ascende in montem istum*: non quidem in montem Nebo unde terræ promissionis amœnitas lactis candoribus, ac mellis dulcedine redundantis detegebatur: *quæ lacte & melle manabat*; quandoquidem si ex altitudine Ecclesiæ spatiosam Christianitatis vallem prospicimus campos nec candidorum morum *Deut. 32.*

lacte dealbatos, nec dulci virtutis melle madefactos videbimus. Ascendamus inquam, sed in montem Sinai, & exinde populum Dei prævaricantem, inter mundanas voluptates perditum, veri Dei sui oblitum, & in profanis delitiis adulterantem cum Moyse intuebimur: *vidit vitulum, & choros*: ad mundi anotomiam procedamus, si, quàm infecta sint ejus membra agnoscere peroptamus.

Exodi. 32.

3. Vicos, & Plateas perlustremus, & hominem æternitatis immemorem, tempori verò totaliter addictum, in eo discordiam, æmulationem, adhæsionem, tumultum, maledictionem, blasphemiam, juramentum contemplabimur. Ædes & penetralia ingrediamur, ubi conjuges ad invicem crudeles, Filios Parentibus rebelles, hos in Filiorum educatione desides; famulos heris infideles, hos cum famulis asperos cernemus. Ad Justitiæ Tribunalia transeamus, ibique dolum, affectionem, deceptionem, justitiam venundatam, emptam gratiam, delicta impunita, iniquitatem protectam, latrocinia dissimulata, vota subornata inveniemus. Negotia & Mercaturas examinemus, & mendacium, supplantationes, cupiditatem, avaritiam, fraudem in mercibus, fictionem, & malitiam conspiciemus. Aulam ingrediamur, à qua longè est sinceritas, cui familiaris est adulatio, inimica veritas, intolerabilis hujus revelatio; in ea præmiantur recommendationes, & merita non æstimantur, perversus triumphat, & justus derelictus ingemiscit: Sacra templa visitemus, & hoc, bone Deus! Cœli Sanctuarium profanatum, Sacrum in profanum conversum, oculos ibi incautos, ne dicam impudicos, verba obscœna, ceremonias mundanas, aliásque abominationes comperiemus, quas silentio, ne verecundia offendatur, præterire expedit. Sacerdotes, si hujus Sanctuarii examen licet, adeamus: & quid videbimus? Angelos puritate? in amore Seraphin? in scientia cœlesti Cherubin? in virtutum splendore soles? Elias in zelo? in spiritu Apostolico Paulos? in solitudine Anachoretas? Antonios & Hilariones in pœnitentia? ita esse deberet; & ita pietas præsumere debet; attamen Heu! Heu! lacrymatur D. Bernardus: *Domine Deus, quia ipsi sunt in percussione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum, arcem Sion occupaverunt; Non est jam dicere, ut populus, sic Sacerdos; quia nec sic populus, ut Sacerdos.* Oh! utinam non verificetur de aliquo

D. Bern.

asser-

assertum Helmessii :"Et quid estSacerdos sine scientiaDivinæLegis? *Helm. in*
"Sepulchrum patens, plenum immunditiis: puteus abyssi, laqueus *cap. 12.*
"mortis, rete diaboli, janua inferni, speculator cæcus, eques sine *Lucæ.*
"equo, miles sine gladio, negotiator sine pecunia, agricola sine se-
"mine, avis sine alis, corpus sine anima, lucerna sine igne; munus
"est, opprobrium hominum, & abjectio plebis.

4. Si de aliquo Sacerdote affirmari possit, quòd sit ignorans Legis Divinæ, ac obligationis sui statûs inscius, in Sacro munere & Divino ministerio adimplendo negligens, immorigeratam vitam ducens; hic verè erit sepulchrum patens, abominationis intrinsecùs occlusæ fœtorem exhalans, erit puteus abyssi profundus in suarum pravarum passionum voragine submersus: Erit laqueus mortis, & satanæ rete animam suam culpis, eásque proximorum suorum malo exemplo illaqueans: erit porta inferni qui ad portas cæli animas conducere debuisset: erit sicut vigilia cæca, quæ hostiles aggressus noscere, aut campum sibi commissum defendere haud valet: erit velut miles sine armis, qui facilè ab Adversario vincitur: vel mercator sine capitali pro nihilo reputatus; velut agricola sine grano seminando, & consequenter sine spe colligendi: erit volucris sine alis, quæ cœlum versus volare non poterit: erit corpus sine anima, fœtidum in vitiis, cadaver mortuum gratiæ, & virtuti: erit veluti candelabrum extinctum in domo Dei non illuminans, sed molestans, erit demum ad suadendum bonum suo exemplo ineptus, & ad retrahendum à malo per doctrinam mutus, vilipendio populi ac gentium contemptui expositus: *Opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

5. Pro tantæ morum stragis remedio mundum relaxatum divexantis Deus ter optimus Maximus pretiosi sui sanguinis in Sanctorum Sacramentorum fontibus depositi elixir vitæ dispensavit: hæc sunt refugium malefactorum, salus infirmorum, medicina dolentium, succursus indigentium, thesaurus pauperum, subsidium mendicorum, in his denique Deus pro omnibus mundi malis medelam, vigilantiæ Sacerdotum demandatâ curâ sanandi collocavit. Proh dolor! quòd hæc Divina Sanctuaria turpiter profanentur! quot sunt qui indignè ad sanctum Confessionis Tribunal accedunt? quia in permultis nulla aut modica dispositio, examen conscientiæ perfunctoriè instituitur, peccata sæpissimè velo excusationis abscon-

duntur, necessariæ circumstantiæ non manifestantur, dolor de Dei offensa est valdè exiguus: proposita nimiùm debilia. Hæc veritas patet ex plurimis per integros annos in vitiis jacentibus. Res aliena, fama & honor non restituitur, odium non deponitur, illicitæ correspondentiæ perseverant. Quot & quot altissime Deus! Sacro Altari corde immundo appropinquant! quot & quot oh Longanimitas Divina! sacrilegè velut Judas panem Angelorum sumunt! Ah ne hoc contingat ex Confessariorum culpa, qui aut nesciant, aut nolint, aut obligationi suæ in Confessionalis Tribunali satisfacere non studeant, & utinam hic tam modicæ dispositionis ad tremendum hoc Sacramentum reatus in ejus Ministros non redundet: *ex inordinata & indisciplinata multitudine Sacerdotum* (ajebat S. Ambrosius) *hodie datur contemptui Redemptoris nostri Venerabile Sacramentum, nam qui debuerant esse Vicarii Apostolorum, & filii Petri, facti sunt socii Judæ.*

S. Amb.

6. Nónne miseranda tragœdia hæc est, quòd in populo Christiano, tanta malitia, tanta abominatio, tot vitia videantur? quòd peccatum tot habeat sectatores, virtus verò sit deserta? viæ inferni frequentatæ, & Cœli semitæ adeò derelictæ ut ipsæmet conquerantur? *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem*: Angeli pars afflicti lamentantur: *Angeli pacis amare flebunt. Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam*: adeóque tartarei Ministri in solitudine semitarum cœlestium, & infernalium frequentia exultant: *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: Sibilaverunt, & moverunt caput suum super filiam Ierusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ?* Hiccine ajunt inimici Crucifixi! hiccine est populus ille Christianus tanto decore à Christo erectus? Hæccine est illa Ecclesia, quam Deus ita speciosam & immaculatam plantavit? quomodo nunc ejus membra adeò à culpa fœdata sunt? Hiccine est populus electus? Urbs desiderabilis, à suo primordio cœlis jucunda, terræ admirabilis? Quonam pax à Filio Dei ante suum in Cœlum ascensum mundo demandata perrexit? Ubinam paupertas spiritus, & humilitas, quas suo exemplo Christus Dominus suis fidelibus commendavit, dum tanta cupido, & ambitio in Catholicis cernitur? Ubinam puritas vitæ, Divinarum legum observantia, & obedientia præstita à Redemptore, qui factus est obediens usque ad mortem Crucis? quid-

Threnor. c. 1. v. 4.
Isai. 33. v. 7.
Threnor. c. 2. v. 15.

quidquid conſpicitur, non niſi relaxationes, transgreſſiones, & inobedientias redolet? Ubinam eſt reverentia rebus ſacris, honor Divinis?

7. Verè & cordicitus eſt nobis lugendum propter omnium viarum corruptionem. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram*; Et quòd tanta & talis fuerit verſutia, invidia, & ars inimici ut omnem ſtatum etiam ſacrum coinquinare, & fœdare tentaverit: *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* Quare & unde adeò lacrymabilis ſtrages? *quia vidit Gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum, de quibus præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam*: quia ingreſſi ſunt Eccleſiam illi, quia à foris ſtare debuiſſent, Sacerdotium ſuſceperunt qui in Laicorum ſtatu magis quadraſſent, ſuper cathedram Confeſſionalis Confeſſarii abſolventes indignos ſederunt: animarum cura concredita eſt iis, quibus nec cura corporis demandari potuiſſet: Eccleſiæ regimen comiſſum eſt illis, qui nec pro domus gubernio idonei erant: Bonâ Venerabilium Superiorum veniâ dicam; *Si fortè permittunt ingredi gentes in Eccleſiâ Dei, de quibus præceperat, ne intrarent in eam. Oh quàm diſtrictum judicium minatur Epiſcopis, aliisque Prælatis, ſi negligentiù curam ſuam agant, & non opportunè provideant ſaluti animarum, probando accuratè, an idonei ſint, quibus Dominicum gregem paſcendum tradunt. Penſata trutina æſtiment merita, aptitudinem, ſcientiam, pietatem Sacerdotum, an Confeſſariorum partes adimplere valeant? An Sanguinis Chriſti participatio eorum manibus congruè dari poſſit.*

Gen. 6. v. 12.

Threnor. c. 1. v. 10.

8. Exiſtimo multoties curam animarum demandari Miniſterio tam ſublimi ineptis, quia magis idonei ab hoc ſe onere ſubtrahunt, miror tamen quòd hi non expaveſcant, & contremiſcant, ſiquidem cùm plures fructus pro Cœlo in confeſſionali aut pulpitu colligere poſſent, muneribus adeò excellentibus ex mera negligentia & incuria non vacant, frivolis prætextibus, & cauſis adductis pro tepiditate propria coloranda. Omnibus nota eſt parabola in qua Chriſtus Dominus ficum infructuoſam abſcindi ac flammis tradi præcepit: *Succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?* Hæc arbor, ait Gloſſa Moralis, perſonas Eccleſiaſticas à Deo in ſua Eccleſia ad fructificandum plantatas indicat: *Per arborum fici ſignificatur quælibet Perſona in Eccleſia Dei plantata ut fructificet ibi.* Si hæ plantæ poſt ſtudiorum & gratiæ Dei culturam fructus ſuos in animarum lucro

Lucæ c. 13. v. 7.

 non

non faciunt, sciant ipsis imminere prolatum Evangelicum: *succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?* ac peccatorum ex eorum omissione & negligentia commissorum rationem Domino Deo ab iis reddendam: *Sacerdoses*, ait Magnus Chrysostomus, *pro populorum iniquitate damnantur si eos, aut ignorantes, non erudiunt, aut peccantes non arguunt.*

De Joan. Chrys. in Matth.

9. Ad vigilantiam hanc, solùm animarum curæ, ex officio vacantes obligari dicent, cæteri verò se ab hoc onere fuisse immunes ante Christi Tribunal respondebunt. At justus Judex nunquid replicare non poterit. Dic ò homo, pro salute animæ tuæ obligabárne de cœlo ad terram descendere? inter angustias præsepii nasci, Mundum summo labore peragrare, dolores, injurias, contumelias, supplicia, tormenta sufferre, ac demùm inter tot cruciatus affixus mori? Verè non: Igitur si ego infinitus Deus absque ulla obligatione tot, & tanta pro animæ tuæ cura perpessus fui, tuæque saluti tam seriò applicui; quomodo de tua omissione excusationem afferre potes, quòd animarum saluti incumbere non obligabaris?

Matth. c. 7.

Sententia tamen Christi innotescit: *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis:* nec sapiens & prudens ignorat humanæ inconstantiæ fragilitatem eò usque devenisse, ut nemo à lapsu securus esse possit: teste S. Paulo: *qui se existimat stare, videat ne cadat*, si ergo cadet (quod absit) Sacerdos curam animarum negligens, quidni & alios animæ suæ curam neglecturos ipsi formidandum erit? & quòd Deus eadem mensura, quà in proximi sui salute quærenda mensus est, remetiatur ei permittendo ob sua inscrutabilia judicia, ut in profunda peccati fovea pereat, qui peccatorem in eandem lapsum sublevare noluit? *Quomodo habere poteris aliquos, qui te juvent*, dicit S. Joannes Chrysostomus, *& liberent à manibus Diaboli, si quando (quod absit) cecideris? Audi Paulum (considera te ipsum, ne & tu tenteris) quasi diceret, si absque compassione, & misericordia fratrem præteris, fortè & te, si cecideris, alius similiter præteribit.*

1. ad Corinth. 10.

10. De propria fragilitate dubito, dicent alii: me ipsum pro salvando proximo perdam? sub culparum pondere, à quo alios liberare tentavero, ipsemet fortè decidam? Modica est mea habilitas, spiritus meus tepitus, fortitudo mea debilis, magna mea fragilitas, summa mea imbecillitas: si vix meæ, quomodo aliorum saluti vacare

re potero? Consultiùs est pro me animam meam salvare, quàm pro aliis, & fortè non salvandis, eamdem perdere? His omnibus prætextibus coloratis dæmon Sacerdotes, ne animarum saluti incumbant, decipere solet; vel proprius amor tepiditatem suam tegere studet. Etenim licèt tanta sit nostra fragilitas, & debilitas, valde tamen potens est Dei gratia, qua omnes pro ejus amore in animarum salute, ac peccatorum extirpatione intentos munit, & fulcit: Magna est quidem insufficientia humana ad opera tam divina, major tamen est Dei potentia pro inhabilitate, & defectibus nostris supplendis: "Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum: non "quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: "sed sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit mini-"stros &c.„ Prætereà ipsamet sancta exercitia concionandi, instruendi, & administrandi Sacramenta adeò efficacia sunt, ut non tantùm ea suscipientibus, verùm etiam ea administrantibus prosint; uti benè ponderat S. Damascenus: "Quemadmodum qui ægrotan-"tem unguento, vel alio pretioso oleo vult inungere, & prior ipse "ungendo particeps est unctionis, ita qui pro salute proximi adhibi-"to studio aliquid facit, primùm sibi, deinde proximo prodest:„ Qui balsamo ungit infirmum, fragrantiam patienti applicatam in se recipit, qui manibus pannum abluit, eâdem aqua manus suas lavat, & qui igne comburit lignum, de calore ignis manui propinqui participat; Igitur Sacerdos, qui confessionis balsamo pœnitentes peccatores ungit, Sacramentorum aquis eorum maculas abluit, ac verborum suorum igne sui proximi lignum incendit, absque dubio ungenti hujus pretiosi fragrantiam in se recipiet, animam suam salubribus his aquis mundabit, ac animabus ignem sacrum applicando cœlestem calorem in corde suo sentiet.

2. ad Corinth. c. 3.

Damasc.

Non ergo de propria perditione est formidandum quando ex charitate aliorum lucro opera datur, nec de damnis animæ suæ obventuris cogitandum quando proximorum salus quæritur; quandoquidem hoc idem esset ac cogitare quòd cum remedio perdi, cum salute infirmari, cum aquis mundis maculari, cum igne frigefieri, cum nive accendi, ac in planitie præcipitari possit. Qui in prælio pro tuenda vita à facie inimici fugiunt, & propriam & commilitonum vitam perdunt, sed si commilites reciprocè se adjuvant, quili-

bet

bet vitam ſuam per alienæ cuſtodiam tuetur, ut S. Joannes Chryſo-
Chryſoſt. tom. 6. in Matth. ſtomus affatur: "in prælio, ac expedita acie, qui ſibi ſoli conſulit "miles, nec aliud reſpicit, quàm quando poſſit fugendo animam "ſuam ſervare, is cæteros quoque milites ſecum ad perniciem tra-"hit: quemadmodum, è contra, generoſus miles, cum alios tutari "conatur, ſe ipſum defendit."

11. Inæſtimabilem animarum theſaurum in cujus lineamentis ſupremus Artifex Imaginem ſuam Divinam impreſſit magni faciamus; pulcherrimæ hujus figuræ à labe peccati denigratæ cõſideratio cor noſtrum affligat. Margaritæ hujus ingens eſt pretium, cùm pro ea redimenda ſui pretioſi ſanguinis coralla Mercator Divinus effuderit. Plurimi æſtimanda eſt hæc vinea, quam cœleſtis Agricola tanto labore plantavit, ſaluberrima ſuæ doctrinæ aqua eam irrigando, ac ſublimis ſui exempli labore eam colendo, magni pendenda eſt hæc arx ſpiritualis ad cujus cuſtodiam Angelorum exercitus aſſignavit; cœlum ipſum æſtimat ejus valoris conſcium, infernus eam perſequitur ejus pulchritudinis invidus, Deus maximo pretio eam redemit, quia ejus excellentiam noſcit: *D. Chryſ.* "& ſi propter illum "Chriſtus ſanguinem fudit, quid magnum tu facis, ſi per exhorta-"tionem tuorum verborum jacentem erigas?" exclamat D. Chryſoſtomus. Et nos Sacerdotes Confeſſionis Miniſtri pretioſam, & adeò admirabilem Margaritam nihil pendemus? Humiliter rogo, ſubmiſsiſſimè obſecro, genuflexus deprecor, & per viſcera Miſericordiæ Dei noſtri quantum mihi poſſibile eſt, hortor PP. Sacerdotes, ut huic glorioſo muneri ſolicitè incumbant, labori Confeſſionalis, in quo ſervitium tam gratum Deo, ac perutile peccatoribus præſtare poſſunt, non ſe ſubtrahant: Miniſterium hoc Chriſtiano zelo non reſpectu humano aut terreno fine ducti exerceant; in hoc ſacro Tribunali non celeriter, & perfunctoriè, ſed ſenſim, pedetentim, & quietè aſſideant, patienter peccata exaudiendo, propensè pauperculos, ruſticos, idiotas, ac ignorantes examinando, impertinentias aliquorum toleranter ſufferendo, omnéſque ad vitiorum emendationem hortando, ac iiſdem deformitatem offenſi ſummi boni, pulchritudinem gratiæ, quæ per peccatum amittitur, pretium animæ, gloriam ac pœnam æternam, & ſuper omnia immenſam Omnipotentis bonitatem, ac qua propter vilem miſeram, ac contemptibilem culpæ voluptatem recedunt objiciendo. Pecca-

torum

torum ſtatum tranquillè perpendant, ejusdem infirmitatem conſiderent, propter proximi ſui peccata non terreſiant, lapſis compatiantur, benignè egenos excipiant, medicamina opportuna præſcribant, remedia curativa, præſervativa, ac ſatisfactoria imponant, non aſperè ac vultu ſevero cum iisdem agant, ſed peramanter puſillanimes animent, obſtinatos arguant, vitium reprehendant, Divinam Juſtitiam repræſentent. Perpendant ſalutem, aut damnationem animæ à bona vel mala Confeſſione, & utramque ut plurimùm à Confeſſario dependere, innumerabiles quoque ſacrilegè factas Confeſſionalis Miniſtris eſſe imputandas. Quando unius Confeſſionem exaudiunt, pro tunc eidem ſoli vacent, nec cogitent plures alios eſſe exaudiendos, quia Dominus Deus ex eo, quòd paucos in die exaudiverint, rationem non petet, benè verò ſtrictiſſimam exquiret, ſi officio ſuo non benè functi fuerint.

12. Si hoc modo in Confeſſionali Sacerdos ſe geret, multa bona fratribus ſuis præſtabit, & dum proximum ſuum à culpis liberare conabitur, proprias ſibi à Deo remittendas jure meritò ſperare poterit; juxta dictum S. Jacobi: *Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum*: animarũ ſalus Confeſſarii opera obtenta gaudiũ ipſi in hac vita & præmium in altera aquiret. D. Paulo affirmante: *Fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea.* Animæ indigentes exclamant, peccatorum ſanguis ſuis clamoribus cœlum penetrat, Fidelium miſeria, ac mundi ſtrages compaſſionem parit: morum corruptela eſt magna malorum libertas, & licentia exceſſiva. Modicus non ſit fervor Sacerdotum, fortis ſit occupatio Miniſtrorum Dei in quærenda tot malis medela; Hoc cœlum ſolicitat, deſiderant Angeli, æſtimant Sancti, & hoc denique Omnipotens præcepit, qui ex cathedra Crucis cœleſtem hanc doctrinam docet, ac Sacerdotibus dicit: Miniſtri mei dolorum, ac pœnarum mearum miſeremini, nam ex apprehenſione, quòd ſanguis meus Divinus nihil multis peccatoribus profuturus eſſet, tantam ſenſi afflictionem, ut ſanguineos in horto ſudores effuderim; & de facto cor meum hoc clavo transfigatur. Veſtræ pietati ac zelo mearum anguſtiarum levamen remitto: ſi in animabus curandis ſoliciti eritis, has à multis peccatis & me à multis pœnis liberabitis. Si me diligere profitemini, veſtrum erga me affectum operibus exhibete:

Epiſt. Jacobi c. 5. v. 20.

Ad Phil. cap. 4.

te : En me pro animabus meis mortuum , quas tamen inimicus rapere tentat , hujus tentamentis fortes in fide resistite , meos Catholicos ob ejus carceribus solvite , & ad me adducite. Pro hoc tam mihi grato servitio præstito gratiam meam , ac præmium parata vobis esse scitote , supposita dispositione ex parte vestra obsequia in hac vita mortali pro animarum salute exhibita æternæ gloriæ coronâ remunerabor.





INDEX

TRACTATUUM, ET CAPITUM

Primæ Partis hujus Libri.

Numerus, qui citatur, denotat paginam.

Cap.

TRACTATUS VIII.

De Octavo Præcepto.

TRACTATUS IX.

De consequentibus Confessionem.

TRACTATUS X.

Explicatio 65. Propositionum ab Innocentio XI. damnatarum.

TRACTATUS XI.

Appendix de Casibus reservatis.



TRA-

TRADUCTOR
AD LECTOREM.

INter ornamenta, quæ Legislator Supremus Sacris vestibus sui Sacerdotis Aaronis inserta voluit, non infimum meo judicio Mysterii locum obtinet instita seu limbus ille panni pretiosi, qui auro & purpurâ intextus ad humeros alligatus super pectus ejusdem pendebat, dictúsque fuit rationale Judicii: "Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta texturam superhumeralis, ex auro, hyacintho, & púrpurâ." Quis autem non videt in hac aurea tela Sacerdotem sedentem in Tribunali Confessionarii delineari cum potestate judiciaria ligandi, & solvendi à duris culpæ vinculis peccatores? Purpura, & aurum hanc vestem Aaron componentia rubricantem sanguinem, & ardentem Christi charitatem denotant; tanquam hujus sublimis potestatis in terra fundamenta: super humeros Sacerdotis Aaronis eam collocari, non verò Moysis, aut alterius sæcularis personæ, solis Sacerdotibus, non Laicis concedi, ac competere indicat: appellari rationale, & rationale Judicii: *Rationale judicii facies*, ex se ipso patet nihil aliud intelligi quàm prædictam potestatem maturitate, discretione, & prudentiâ exerceri debere ita ut verè rationalis potestas vocari queat. *Rationale judicii.* *Exod. c. 28.*

In hoc autem rationali Judicii præcepit Deus, ut inter gemmas, & carbunculos inibi in copia lucentes hæc duo verba insculperentur: Doctrina, & Veritas: "Pones autem in rationali judicii Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino." Ubi ostenditur quemlibet Sacerdotem hoc sacrum rationale Judicii ferentem doctrinâ, & Christo, qui est summa, & suprema Veritas, imbutum esse debere sub comminatione æternæ damnationis, si secùs acciderit. In doctrina verò, & veritate undequaque gemmis, & pyropis circumdatis admonetur, illibatæ vitæ exemplo omnibus, & in omnibus, prælucere teneri; Sacerdotes enim sunt luminaria in Summitate Sacerdotii posita, *Exod. c. 28.*

posita, ad hoc ut in hujus mundi ventoso pelago fluctuantes ad Cœlestis Patriæ portum salvos, & incolumnes perducant. "Vos estis "lux mundi:„ ipsis ergo splendere, illuminare, omnèsque Sanctitatis fulgoribus replere incumbit. Ast quid quæso, significat illud tam absolutum Dei Præceptum, ut hæ doctrina, & veritas à foris ab Aarone portentur, nempe in parte exteriori pectoris correspondente; "quæ erunt in pectore Aaron,„ fortè similes characteres in veste talari, quæ nostros cooperit Aarones, insculptos prætendet? Fateor, quòd sine glossæ interlinealis directione non tam facilè à Mysterio recondito me extricare valerem. Audiant ergo, & simul timeant omnes Sacri rationalis Portatores mysticum sensum; doctrina, & veritas jussu Dei à foris ab Aarone gesta est cœleste tremendum proclama, quo omnes rationalis Sacerdotes non tantùm esse docti obligantur; sed Doctores, qui instruant, non tantùm Sancti, sed Pauli, qui animas sanctificent: "Pones in rationali Judicii "Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron,„ id est, ait Glossa, "ut studeat Sacerdos doctrinam, & veritatem inquirere, & "docere„ Non sat est Deo, quòd Confessarii scientia pleni inveniantur, sed insuper requirit, ut eam super alios affundant, & infundant, nec eorum doctrina satisfacit, si arida, sicca, otiosa, & infructuosa in ipsorum cordibus lateat, sed ad extra appareat: Divinæ Majestatis voluntas est, ut eam communicent, hortentur, admoneant, ac indefessi super humana campestria spargant, usque dum ejus fœcunditas velut roris cœlestis peccatorum animas irriget: "ut "studeat Sacerdos doctrinam, & veritatem inquirere, & docere.„

Matth. 5.

Exod. 28.

Hinc Paulus igneo zelo iræ divinæ fulmina jaculatur contra eos, qui tanquam mutæ statuæ in Confessionalibus sedent, & dum doctrinam, & veritatem, quâ pollent, ostendere operæ pretium est, sub Venerabilis Stolæ rationali prævaricatores Aarones utramque abscondunt, nec verbum quidem proferentes ad pœnitentes, vel hortando ad virtutem ostensione ejus pulchritudinis, vel retrahendo à vitio ejus deformitate detectâ. Ex quo peccatorum non evulsorum rei constituuntur, ac in unica culpa eorum tepiditatis omnes culpas de die in diem semper magis propter eorum taciturnitatem per orbem grassantes incurrunt. Expectent, dicit Paulus, hi canes muti super se terribilissimum Dei Judicium, qui aliquando notum

faciet

ſaciet, quàm accenſa ſit ejus ira contra ipſos. "Revelatur enim," dicit Doctor Gentium, "ira Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia "detinent:" & meritò, cùm ejus voluntati reſiſtant, nihil curantes horrendam poteſtatem, quam per Hieremiam indicat præcipiendo ut loquantur: "Propheta, qui habet ſomnium, narret "ſomnium: & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem "meum verè." *Ad Rom. cap. 1.* *Jerem. cap. 23.*

Quia verò aliqui excuſationem adducent, cum illo Jeremiæ, "A, a, a, Domine neſcio loqui," quaſi ad extra doctrinam, & veritatem communicare neſciant; ut ſimilis excuſatio tollatur, utpote quemlibet Sacerdotem dedecet, & maximè Aarones, qui in cœleſti foro judiciariam habent poteſtatem; ideò præſentis libri prælo ſubminiſtrantur ipſis verba, modus, & tempus loquendi, & hoc rationale Judicii doctrinâ, ac veritate eorum Miniſterio neceſſaria porrigitur. Utinam eodem induantur, & eâ attentione legant, quam requirit ſumma neceſſitas mundi per tenebras ignorantiæ ad perditionem labentis, ſanguiniſque vocibus exclamantis, *Adjutorium*; Proh dolor! non fert mundus hoc perpendere, adeò miſerandus eſt ipſius ſtatus, quocumque nos vertamus, non niſi libertates, diſſolutiones, profanationes videmus, non niſi vitiorum, odiorum, rapinarum, ſimulationum fœtores ſentimus, qui bonum odorem à virtutibus juſtorum manantem ſupprimendo, grave præbent fundamentum timendi, ne infectus, ac quaſi totaliter corruptus exiſtat, & ut teſtatur D. Joannes. "Totus in maligno poſitus," ex tanta igitur corruptela quid expectandum? *Jerem. cap. 1.* *1. Joan. c. 5.*

Zelus ergo animarum benigne Lector, ſicut primæ traductionis ex Hiſpanico Idiomate ad Italicum, præſentis praxis Confeſſionarii præcipuus fuit ſcopus, ita hujus ſecundæ ex Italico ad Latinum unicum eſt motivum ad imitationem Authoris ejuſdem, qui Dei Gloriam, & animarum ſalutem in omnibus Hiſpaniarum Regnis ſuæ doctrinæ profunditate, & fæcunditate mirabiliter promovit, ampliavit, & evexit, ut videre eſt in reiteratis tam collationum ſuarum moralium, quàm utriusque hujus Tomi impreſſionibus; ex quo apparet, quàm gratum, & æſtimabile ſit hoc opus; gratum quidem propter dulcem, & propriam methodum, quâ

Confessarii doctrinam, & pœnitentibus veritatem porrigit: Confessarios exaudiendo Confessiones exaudire docet, & pœnitentes deformitatem peccati apperiendo docet conteri; æstimabile verò; quia quod ab aliis speculativè, & in abstracto traditur, ab hoc practicè, & in concreto ostenditur, ita ut etiam rudiores non possint illud non percipere, ac ejusdem directione in egregios Confessarios peritos animarum Piscatores, & vineæ Domini optimos Cultores evadere; quapropter perpensâ magnâ utilitate eventurâ, quandocumque Latino Idiomate in lucem ederetur, intentum executioni mandare obedientiæ merito fretus operæ pretium duxi, ad hoc, ut, quod ante duodecim annos Hispania, & deinde Italia possidebat, nostræ etiam Germaniæ fieret commune.

Vita S. Hilarii. Accipe igitur benigne Lector librum ea inscriptione, quâ usus fuit D. Hieronymus, in elogium operum S. Hilarii dum scripsit Letæ, "Hilarii libros inoffenso decurras pede.„ Hoc idem tibi annuntio, tantùm lege, & quemlibet ad eundem legendum invita, nihil enim reperies, à quo offendaris: "inoffenso decurras pede;„ Stylus fortè nimis familiaris displicebit, sed memento, morales materias lepore discursûs difficulter tractari, & explicari, quippe, qui ut plurimùm obscurum reddit proprium subjectum, à quo moralis Theologus, utpote ex sua natura aliunde obstrusus abhorret; in omni simili eventu placeat reflectere ad dictum D. Augustini teste Senensi Bibliotheca 4. Malo, me reprehendant Grammatici, quàm non intelligant Populi. Vale.



PRO-

PROLOGUS
AD LECTOREM.

VAlde diversa res est charissime Lector speculativa à practica, non semper quod speculatur ingenium executione approbatur, de multis Idæas universales formando intellectus discurrit, quæ non semper ad actum secundum ipsis conformem reduci possunt. In principiis speculativis medicinæ nulla datur incurabilis infirmitas, & tamen in praxi quàm plurimi inter manus Medicorum moriuntur; hujus origo est, non solùm adagium illud irrefragabile "Contra vim mortis non est medicamen in hortis:" verùm etiam summa difficultas, quæ reperitur in regulando cum speculativa praxim: nec minus inter casus conscientiæ aliquis adeò arduus est, cujus resolutio à generalibus Theologiæ moralis principiis non habeatur, & hoc non obstante in exercitio Confessionarii insuperabiles quotidie difficultates occurrunt: nec non immodici errores committruntur, adeò difficile est, *ad hic & nunc* generales applicare. Hâc consideratione positâ Theologiæ Moralis speculationes in hoc Dialogo ad praxim (Utinam feliciter) redigere conatus fui, præmissa non ordinariâ diligentiâ in ponderando res, & casus, quos mihi prolixa experientia, & longa Confessionarii praxis subministrarunt; non tantùm tempore Missionum à me in variis Regnis, Provinciis, & oppidis peractarum cujuscumque generis Statuum, & personarum conscientias tractando, & extricando, sed etiam extra hoc exercitium in aliis casibus, quos præ manibus habui. In hoc Dialogo non solùm casus frequentiores, sed plures sat singulares Majorum Doctorum doctrinâ resolutos invenies, quos ut fundamentaliter citarem, propriis locis vidi; resolutiones etiam, quæ à Sacris Canonibus pendent, ut sincerè allegarem, in eorum fonte examinavi, novitatem devitavi, quæ est temeritatis Mater, & levitatis Filia, prout S. Bernardus ait: *novitas Mater temeritatis, Soror superstitionis, Filia levitatis.* In viis familiaribus, &

& ſemitis antiquis, dicit Jeremias, veritas, & rectitudo investiganda eſt. Jeremiæ cap. 6. *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* In opinionum electione nec laxiores, nec ſtrictiores ſequor, ſed inter utraſque medium teneo, quod ſecundùm Philoſophum certum eſt punctum: Opiniones aliquas favorabiles referre non prætermitto, ad hoc ut Confeſſarii diſcretio juxta caſuum exigentiam, & urgentiam iis uti non recuſet.

Difficillimum ſemper fuit, velle omnibus eſſe acceptum, ita ut ejus effectus totaliter apparuerit: genia enim hominum tam in ſentiendo ſunt diverſa, quàm in vultu differentia, nec omnes in uno dictamine conveniunt, nec idem velle habent, ex quo diverſa etiam judicia, & rerum conceptus proveniunt.


Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus;
Velle ſuum cuique eſt; nec voto vivitur uno.

Dubia mente feror, hoc opus omnibus gratum fuiſſe, ſuadere tamen mihi potero, non omnibus diſplicuiſſe, quinimò pluribus placuiſſe affirmare licebit; ſiquidem de hoc me certum reddunt tot replicatæ impreſſiones paucos inter annos in diverſis Regnis habitæ, cùm hæc, quæ in lucem prodit, decima nona ſit. Bibliopolis, Impreſſoribus, aliíſque pluribus divinctus maneo pro cura, & ſolicitudine exiguos meos labores notificandi, & dilatandi, perpensâ enim eorum intentione de communi Confeſſariorum, & Pœnitentium utilitate, tanquam cooperantes non niſi laude, & æſtimatione digni ſunt; hæc tamen cura gratior mihi fuiſſet, ſi de prædicta intentione certior factus, aliquos errores evitaſſem, quos præli feſtinatione, vel correctoris deficientiâ commiſſos in hac Decima nona impreſſione, licèt non totaliter. emendavi. In Impreſſionibus Barcinonæ, & Valentiæ anno præterito 1689. factis ab initio Definitionum moralium ſeries appoſita fuit, quas licèt non reprobem, meas tamen eſſe non declaro, ſed has ordine Alphabetico in fine hujus operis tractatu 18. pono. In relatis pariter impreſſionibus videtur Catalogus 68. Propoſitionum Michaëlis de Molinos à Sacra Romana Inquiſitione, & à Sanctitate Innocentii Papæ XI. damnatarum, prodierunt etiam in lucem aliquarum præcedentium impreſſionum Indices Alphabetici non exactè citati, omnibus his mendis hæc decima nona impreſſio caret, in qua valdè copioſus pro commoditate Lectorum Index habetur.

Copia,

Copia, varietas, replicatio, & continuatio curarum adeò mihi tempus abripiunt, ut opera aliàs promissa prælo dare non queam, huic tamen jam data est prima, & secunda pars Collationum Moralium, & quamprimùm tertiam, in qua de Sacramentis in genere, & in specie agitur, typis mandare canabor.

Defectibilis conditionis humanæ proprium est aberrare: *Negare non possum, nec debeo*, ajebat Augustinus, *sicut in ipsis Majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio, & nulla temeritate reprehendi*: Et si Augustini ingenium de se ita humiliter sentit, superbè saperes, qui non est Augustinus, aliter de se sentire. Hac reflectione perlectus liber, haud dubiè defectus ex inadvertentia, vel imperitiâ commissi oblivioni tradentur, si aliquid laudabile in hoc opere reperietur, omnium bonorum Auctori aut tribuatur, qui pro communi animarum emolumento ex sua benignitate hanc miseram creaturam id edocere dignatus est. Vale.



LAMENTATIO
Adversus Omissionem, & modicum Zelum
ALIQUORUM CONFESSARIORUM.

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Ex Threnis Jerem. cap. 2. v. 13.

1. CAlamitatum, & miseriarum diluviem fervidus, & ardens Jeremiæ zelus Jerusalem vaticinatus est, ita tristes ejus lacrymæ in threnis expressæ testantur. Horridam ejus solitudinem simul & semel flevit, ac miratus est: *Quomodo sedet sola civitas*, *Thren. c. 1. v. 1.* non habitatoribus materialibus destitutam, sed virtutibus viduatam perspexisse ingemuit, prout Hugo Cardinalis interpretatur: *Sola virtutibus, & operibus bonis*, *Hugo Card. ibid.* quinimò tam detestabili vitiorum inundatione affluentem, ut objectum adeò miserandum perpendere non valens suspiria excitavit, & in lamentationes æquissimas prorupit:

Ex Ante. Thren. Hierem. rupit: *Sed Hieremias Propheta flens, & planxit lamentatione hac in Jerusalem*: O Jerusalem, Jerusalem! nónne tu populus ille electus eras, quem Divina Pietas intensè dilexit, nónne illa delitiosa Respublica, quæ habitatoribus abundare gloriabaris? *plena populo*: nónne in te quasi in amœno viridiario virtutum jucundissimi flores exuberabant? quomodo jam in sylvam incultam conversa non nisi spinas sylvestres producis? inter mille Divina Clementia te unicam Sponsam elegit? *Sponsabo te mihi in sempiternum.* In viduitate constituta Sacrum Sponsum amisisti. Eheu quàm funestum divortium! *facta est quasi vidua domina Gentium*: ad thronum Principatus super alias Provincias exaltata, *Princeps Provinciarum*, quomodo nunc alienis subjecta ad miseram captivitatem redacta es?

Thren. 1.

Oseas c. 2. v. 19.

Thr. 1.

2. Jerusalem juxta communem litteralium Expositorum sensum nostræ sanctæ militantis Ecclesiæ figura est, de qua in mystico sensu timeo, ne Prophetæ luctûs præteriti super Jerusalem modernis lacrymabilibus temporibus verificentur: magna virtutum desolatio in animabus Christianis cernitur; ut jure merito Oseæ Prophetæ verba nobis appropriari valeant: *Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* Non est imprimis veritas, sed deceptiones, simulationes, duplicitates, mendacia: examinentur Tribunalia, Ministri, negotia, conversationes, commercia, & virtutis exilium, mendacii introductio, ignominiosè patebunt: observentur visitationes, congratulationes, commiserationes, cæremoniæ, totum hoc meram fictionem redolet: perlustrentur Confessiones, & Confessionaria, nec hæc à tam pernicioso contagio libera erunt: Non est misericordia, pietas, compassio: *& non est misericordia*; qua pauperum miseria eleemosynis sublevatur, & quod sensibiliùs est, hæc Christiana Charitas in multis Dei Ministris decrescit, qui reprehensibiliter sacro pulpiti, aut Confessionarii exercitio non vacant, vel si oppositum contingit, debitus zelus Evangelicus deest: Non est scientia Dei: *Non est scientia Dei in terra*; Scientia vana, & mundana intellectus Catholicos absorbet, qui in fabularum, novaliorum, comediarum, inutilium librorum curiosis, & exitiosis lectionibus delectantur, à studio autem spiritualium voluminum abhorrent: Schola orationis non frequentatur, ac Christi Domini Crucifixi pretiosus vitæ liber non pervolvitur: scientia Dei est, & vocatur Sacra Theologia, divinam hanc facultatem

Vide Lyran. hic.

Oseas c. 1. v. 4.

tatem plerique culpabiliter ignorant: ô utinam illi, saltem, quibus incumbit, eandem apprehenderent.

3. Cùm igitur in hac mysteriosa Jerusalem tanta virtutum inopia habeatur, pergrandis tamen regnat vitiorum excessus: *Maledictum*, sequitur Oseas (*id est*, addit Lyranus, *detractio proximi*, *& vituperium*, *& mendacium*,) *& homicidium*, *& furtum*, *& adulterium inundaverunt*, *& sanguis sanguinem tetigit*: Maledictiones, & execrationes, detractiones, contumeliæ, fraudes, odia, homicidia, furta, injustitiæ, impuritates, adulteria, aliáve peccata in hoc campo hactenus felici adeò pedem fixerunt, ut adinstar horribilis diluvii universam terram impietatis aquis inundantibus occupaverint: *inundaverunt*: taliter, ut sanguis, qui bonos corroborabat mores, abundantes componat rivos reciprocè se tangentes: "& sanguis "sanguinem tetigit, cum peccatum peccato additur;" explicat D. Cyprianus: adeò miserandum est hoc infortunium, ut terra ipsa hujus sanguinis rubedine tincta, si ad exigendam vindictam os non aperit, prout aliis temporibus accidit, aperiat tamen oculos pro extrema hac fatalitate deflenda: *Propter hoc lugebit terra*: terræ lugenti præ peccatorum pondere viæ Cœli planctum associant, tanquam derelictæ, eò quòd recto virtutum incessu nemo eas perambulet: "Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem:" (interlin. ibi) Patriæ cœlestis. Quinimò turbæ sub Luciferi vexillo anuumeratæ viam perditionis sequuntur: "Lata porta, & spa"tiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant "per eam," dulces interim semitæ gloriæ ad flebilem solitudinem redactæ sunt propter paucitatem perseverantium in eis: "Arcta via "est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam.

Oseas ibid. Lyran. super eum locum. *D. Cypr. apud Glossam ibid.* *Oseas c. 4. v. 3.* *Thren. c. 4. v. 4.* *Matth. 7. v. 13.* *ibid. v. 14.*

4. Prædictum luctum comitatur ejusdem Jerusalem miserabilis status. "Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Jerusa"lem? magna est enim velut mare contritio tua:" angustias tuas ò Jerusalem mens exprimere non valet; contritio tua summa est, sicut summa est turbatio, alteratio, motus, & amaritudo maris: *Magna est velut mare contritio tua*: Ast proh dolor! non enim hæc tua major est ærumna: jucunditatem pareret tua afflictio, si jacturæ tuæ medela foret: magis deplorabile est, quòd tua contritio sicut infructuosa, & tuus dolor inutilis, ita plaga tua sit incurabilis: *Quis medebitur tui*? pauci aut nemo te curare potest, respondet Glossa inter-

Thren. 2. v. 13. *ibidem.*

terlinealis: *aut nullus, aut rarus*: in nemine aut in paucis Hieremias opportunum remedium pro materiali Jerusalem aperit, & pro mystica Jerusalem, quæ est anima peccatrix, nec minùs Hugo

Hugo Card. ineum locum Thren. Cardinalis in Sacerdotibus remedium invenit: *nullus Sacerdotum medebitur tui, ô homo peccator*: Quomodo nec minùs? Sacramenta esse pharmacum pro quolibet malo culpæ, & in Sacerdotibus potestatem vigere sanandi ab omni peccatorum infirmitate, veritas Catholica est: "Numquid resina non est in Galaad? aut Medicus

Jerem. c. 8. v. 22. "non est ibi?" Glossa interlin. hìc: "Nunquid resina Pœnitentiæ

Interlin. hic. "non est in Galaad? aut Medicus, id est Sacerdos, cujus medi-"camine curari debuit, non est ibi?" Ita profectò remedia dantur, & medicinæ, & Medici, & Sacramenta, & Sacerdotes: *Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* quare ergo tot sunt infirmi sine cura? quæ tam periculosæ contagionis origo? dantur medicamina ita efficacia, & tamen infirmi ad statum adeò fatalem pervenerunt, ut meritò de iis plangi possit: *Quis medebitur tui? Nullus,*

Thren. 2. v. 13. *aut rarus.*

5. Causæ, propter quas remedia potentissima SS. Sacramentorum suo carent effectu, plures sunt, & inter has aliquæ summa sui cordis amaritudine ab Jeremia numeratæ, & aliæ summa eruditione Cardinalis à S. Charo signatæ: *Prophetæ tui*, inquit Jere-

Jerem. Thren. c. 2. v. 14. mias, "viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem "tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent:" Sacerdotes, Confessarii, Concionatores, Doctores, & Prælati sua munia adimplentes, veros Prophetas à Deo antiquo Populo assignatos repræsentant, secùs autem facientes sunt velut Prophetæ, de quibus Jeremias hìc conqueritur: Ab his doloroso Jerusalem excidio non providebatur: quia ejus dementias, & illusiones non revelabant, nec ad pœnitentiam gentes invitabant: Confessarii pariter pœnitentium damna non restaurant; aut quia ex inadvertentia (ne dicam ex ignorantia) ea non penetrant, aut quia infideles non patefa-

Rupert. supra Jer. l. 1. c. 19. ciunt; prout dicit Venerabilis Rupertus Abbas: "Quia viderunt "tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam Medici tam "imperiti, quàm infideles, ut te ad pœnitentiam provocarent.

Insaniæ, & illusiones dantur in peccatoribus, iidémque de-

Hugo de S. Victore, fectus, ait Hugo de S. Victore, in Ministris reperiuntur: videli-

cet,

cet, quòd juxta proprium genium, inclinationem (& fortè passionum) pœnitentibus prospera annuntient, horribilibus minis terrorem incutiant: "Quando, & quibus volebant, promittebant pro-"spera, quando, & quibus volebant minabantur adversa,„ favorabiles sententias inquirunt, & sequuntur pro uno pœnitente, & tamen easdem in simili aliorum casu sequi recusant; mel & lac sub lingua eorum, erga personas sibi geniales; fel autem contra dissimiles: diviti licèt perverso adulantur, pauperem quamvis justum increpant; sic protestatur D. Hieronymus: "& ut loquar, quod sentio, "difficile hoc maledicto quis carere potest, cùm & malis frequen-"ter adulemur propter potentiam, & bonos despiciamus propter "inopiam.„

tom. 1. Annot. elucid. in Thren. Jer. super hunc versum.

D. Hieron. tom. 5. l. 1. in lam. Jerem. c. 2. in hunc versum fine.

6. Peccatorum insaniæ, & deceptiones multæ sunt, quæ tamen ipsis à Confessariis non revelantur: "viderunt tibi falsa, & stulta, "nec aperiebant iniquitatem tuam;„ & cùm plaga non aperiatur, & consequenter nulla est cura, & sine remedio jacet infirmus. Pœnitens dicit se suam conscientiam examinasse, & Confessarius advertet hoc multoties esse falsum: *viderunt tibi falsa*: quia nec de numero seu quantitate, nec de qualitate seu specie peccatorum, nec de necessariis circumstantiis se accusat; quod facilè in plurimis personis cernitur; & si Spiritualis Medicus hunc errorem non detegit; dum per interrogationes defectum necessarii examinis in pœnitente supplere non valet, quomodo curabit eum? *quis medebitur tui?* suorum reatuum processum Confessario tanquàm Judici pœnitens referre desinit: dicendo, de aliis non esse sibi conscium; Si autem aliqua adhibeatur diligentia in interrogando, & ipsum examinando, multa peccata tacuisse deprehendet; imò plurimi de his non se accusant, eò quòd Confessarius, ut ipsi dicunt, non interrogaverit: exquirat igitur, utrùm in Confessionibus præteritis post usum rationis cum remorsu conscientiæ aliquod occultaverit peccatum in tali, aut tali materia &c. Nisi enim cum zelo exerceatur ministerium, solicita applicatio deest; & hæc deficiente non aperitur peccatum: *nec aperiebant iniquitatem tuam*; quare plagâ in corde occultâ remanente ipsum sine remedio mori necesse est, infirmitate non detectâ infirmus perire debet: *quis medebitur tui?*

7. Culpa non est mea, respondebit Confessarius, si ex mali-

tia aut verecundia pœnitens suum non referat peccatum; ego non dico ipsi, ut taceat; ipse reus est, & testis, ego Judex juxta allegata sententiam ferens: si ergo exactè non fuit confessus, ipsi, & non mihi imputandum est: Non nego Confessarium esse Judicem, qui juxta allegata à pœnitente debeat sententiam ferre, sed nec Confessarius negare poterit, quin sit Medicus animæ infirmæ ad suos pedes procumbentis: tanquam Judex sola pœnitentis informatione indiget, sed tanquam Medicus pulsum tangere debet, ac omni possibili modo ad eam curandam ejusdem infirmitatem penetrare. Verum quidem est, quòd subinde etiam zelantibus, & huic exercitio magis intentis soleant pœnitentes ex propria malitia, aut verecundia occultare peccatum; sed pariter verum est, hoc crebrò contingere, aut quia Confessarius, sicut tenetur, pœnitentem non interrogat, aut quia modica humanitate, & nimio rigore cum eodem agit. Cùm Dei mandatum Achan transgressus fuisset, accessit ad Josue, qui ut ipsum induceret ad confitendum peccatum, dixit ei: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris*: Non severè, aut vultu exasperato excepit, nec duris sermonibus eum allocutus est, ut nos iste magnus Bellidux, ait Abulensis, instrueret, quòd suavitas valde potens sit remedium pro animando peccatore ad suum aperiendum peccatum: "Vocavit Josue "Achan filium suum, est enim modus dulcis ad suadendum conve- "niens; & hoc ut induceret eum ad confitendum, quid fecisset:„ Qui Confessionem accedit, ut plurimùm reverentiâ & verecundiâ præoccupatur; reverentia hujus Venerabilis Tribunalis timorem incutit, & verecundia proprias miserias detegendi liberum linguæ usum impedit: Ideóque necesse est, ut Confessarius velut Pater ipsum incitet, & velut Pastor absolvat: quia si pœnitentis timori, & verecundiæ Confessarius verborum asperitatem, in modo duritiam, in agendo inhumanitatem superaddit, & contra Spiritus sancti dictamen pauperculi pœnitentis cor affligit, *Cor inopis ne afflixeris*, clarum est à sua culpa manifestanda retrahi: Non sic, non sic agendum est, S. P. Augustinus: "Sacerdos adsit benevolus, para- "tus erigere; & secum oves portare: Adjuvet confitentem --- juvet "leniendo, consolando, spem promittendo, & cùm opus fuerit, "etiam increpando: Sit particeps laboris, qui particeps vult fieri "gaudii.„ Benevolentiam, affabilitatem, ac promptitudinem in sub-

Josue c. 7. v. 19.

Abulen. in eum locum. Q. 47.

Eccli. c. 4. v. 3. D. Augus. lib. de vera & falsa pœnit. c. 2.

ſublevando à miſeria lapſum oſtendat; ad imitationem Paſtoris Divini cum ovicula aberrante, proprios humeros animarum pondere onerare ſit paratus: Interrogationibus pœnitentem adjuvet, ut ſuos meliùs exprimat defectus; benignæ exhortationis dulce lenimentum applicet; animam ejus perhumaniter excipiendo conſoletur: & quamvis enormium culparum multitudine, quaſi innumerabili, gravatum cernat, nec terrefiat, nec terrefaciat, quinimò firma ſpe de infinita Dei miſericordia ſuffulciat: & cùm poſt totius veneni vomitum aliqua reprehenſione opus fuerit, hæc cum ſumma diſcretione fiat: demùm ſi ſalutem ejus æternam quærit, hanc conſequetur, ſi ſocius, & particeps ejus afflictionis erit.

Lucæ c. 15. v. 5.

8 Aliæ quoque fraudes, & falſitates inveniuntur in pœnitentibus: *viderunt tibi falſa*: qui de offenſa Dei oretenus dolere proteſtantur, cor autem eorum longè eſt à requiſito dolore: Hi ſunt velut Cygnus in veteri lege à Deo rejectus, quia externo ejus candori internus non correſpondet, ait Cardinalis Cajetanus. "Prohibetur "Iſraeli Cygnus inter alia animalia, quia cùm albus ſit foris, intus "nigerrima carne cooperitur:" hujus avis cantus eſt valde ſonorus, nivis candorem præſefert in plumis, at carnem exceſſivè nigram habet: Verba multorum pœnitentium ſat candida apparent, internum tamen valde diverſum eſt ab externo; anima verè contrita plumis candidis ornatur; aſt intrinſecus non eſt ſemper anima verè pura, quæ extrinſecus pœnitens videtur; quia non raro inter os, & cor evidens datur oppoſitio, hæcque in conſtantia, quâ propria tuentur crimina, dignoſcitur: hinc Confeſſarius hujus rei conſcius eorum vulnera prodere debet, ne de illo verificetur, *nec aperiebant iniquitatem tuam*, repræſentet peccatori ſordidam culpæ maculam, Dei offenſæ abominationem deteſtabilem, damna, quæ exinde in animam reſultant, ad verum cordis dolorem validis rationibus ipſum concitando: ſi hoc modo non procedit, quomodo infirmitas ſanabitur? lethalis pœnitentis morbus ſæpè manifeſtari negligitur, ideò nec mirandum, ſi ejus ſtatus inde immedicabilis remaneat: *quis medebitur tui?*

Levit. c. 11. v. 18. Deut. c. 14. v. 16. Cajet. Cardinal.

9. Non minoris ponderis eſt alia lacrymabilis deceptio multarum animarum: *viderunt tibi falſa*, quæ vitæ emendationem coram Confeſſario firmiter promittunt, & tamen verum emendationis propoſitum non habent, quod optimè Confeſſarius advertet ex

 modo,

modo, quo pœnitens confitetur sine verecundia; sine pudore & rubore, aridus, frigidus, languidus, ac mille aliis defectibus non modicè vulgaribus, & communibus; inter quos principalis est, quòd continuò cum eodem peccatorum fasciculo, & semper recidivus compareat, nulla ex plurimis præcedentibus Confessionibus emendatione deprehensâ: quare spiritualis Judex juxta verbalem pœnitentis relationem non se dirigat, nec sufficit, quòd ore proferat, se propositum habere non offendendi Deum; sed ad opera sua respiciat, quæ fideles sunt cordis testes: & quando opera contraria sunt verbis, his minimè est credendum. Horologia à foris lanceolam quamdam habent, quæ horam indicat, éstque velut lingua, eandem dicens, & ostendens, & fidem ipsi præstamus nobis suadendo illam esse horam, quam sphæra indicat; sed hoc credimus, quando horologium benè incedere solet; malè enim incedendo, quod index à foris monstrat, falsum esse putamus. Lingua est mysteriosum cordis ostensorium secundùm Venerabile Christi Dei nostri dictum: *ex abundantia cordis os loquitur*: quod profert, tunc fide dignum censetur, quando morum horologium benè incedit; si verò hoc est inordinatum, linguæ voces fidem non merentur; quia turpem fraudulentæ notam à Michæa Propheta relatam incurrit: *Lingua eorum fraudulenta in ore eorum.* Verum est, quòd pœnitentis cor cernere non possimus; & ut discretè Spiritus sanctus asseruit, cordis intima penetrare difficile est: *Vestigium cordis boni difficilè invenies, & cum labore*: non dicit esse impossibile, sed difficile, arduum, *& cum labore*: Laboret Confessarius interrogando pœnitentem, utrùm sit recidivus, in lapsu frequens, in occasione proxima constitutus, à quo tempore, & cor pœnitentis ei aperietur: sicque formare poterit judicium, ejusdem proposita non esse vera, cùm unâ, binis, & repetitis vicibus post propositam emendationem, verbis suis non steterit.

Simil. Matth. c. 12. v. 34. Mich. c. 6. v. 12. Eccli. c. 13. v. 32.

10. Hujus veritatis, & pro Confessariis necessariæ doctrinæ probatio in persona Regii Prophetæ David patebit, qui postquam amicabile cum Saul habuisset colloquium, & ab eodem de non offendendo securitas oblata fuisset, in tutiorem tamen locum, ut Sacræ testantur Paginæ, David cum sociis se recepit: *David, & viri ejus ascenderunt ad tutiora loca.* Nunquid David perspexit aliquid in Saul, à quo posset terrefieri, aut fortè Saul metuenda comminatus

1. Reg. 24. v. 23.

tus est? non, & tamen timet, ac locum securiorem quærit, qua de causa? *quia ei, qui semel decepit eum*, dicit eruditus Vega, *non amplius fidit.* Experientia Magistra in David de inconstantia promissorum Saul, verbis hujus non fidit, quia operibus contraria adinvenit. Hoc idem in multis animabus experitur Confessarius: dum emendationem promittunt, at promissa non servant, à vitio abstinere proponunt, & tamen non abstinent, meliorem ducere vitam pollicentur, verùm in executione datam fidem violant, & hoc non semel, bis, aut ter, sed frequenter contingit; hac ergo positâ experientiâ pœnitentis verbis non est fidendum. Fragilis quidem est humana conscientia, hæc tamen fragilitas aliquo modo curari debet; si suavitas non prodest, ad rigorem transeat: si absolutio est frustranea, negatio absolutionis sit remedium: si suavitas olei sanitati non conducit, acre vinum adhibeatur: medicina amara vitiosos expellet humores, quos dulcis potus expellere nequivit: si hoc modo non agitur, in cura aberratur, & infirmus insanabilis remanebit. *Quis medebitur tui?* *Vega in lib. Judic. tom. 3. n. 2400.*

11. Ex neglecta mendarum pœnitentium manifestatione plurimi infirmi spirituales non curantur, ut ex Jeremia jam probavimus: nunc alias causas ab Eminentissimo Hugone adductas examinare superest: "Nullus Sacerdotum medebitur tui, ò homo pec- "cator: quia vel idiotæ sunt, vel si sciunt, nolunt;" Aspera est prima vox, quam hic eximius Doctor profert: *Quia vel idiotæ sunt*; mea reverentia affirmare non audet, verbum hoc in aliquibus Dei vices gerentibus verificari, dum in Sacra Confessionarii Sede assident: possibile tamen est, nec repugnat, aliquem æquo minus scire, ad cujus pedes si pœnitens aggravatus ac morbo periculoso tactus procumbat, quomodo curabit eum? corporalis Medicus noscere debet infirmitatem, quæ personam affligit, pharmacorum virtutem, aláve, quæ præsenti morbo noxia aut utilia esse possint: si horum unum ignoretur, occidet, non sanabit. Idem dicendum de Spirituali Medico; currit enim eadem paritas. Damna evidentia, quæ ex imperitia Confessarii sequuntur, commemorare non est opus; quando æterna Veritas Christi Domini nostri Salvatoris Sapientia exclamat, quòd si cæcus cæcum ducat certum sit amborum præcipitium: *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*: Si cæcitas in pœnitente à peccatis causata defectum vi- *Hugo Card. in Thren. c. 2. v. 23.* *Matth. c. 15. v. 14.*

visionis in Confessario indocto ipsum ducente comitem habeat, ambo in perditionis foveam profundam cadent. Si Nauta, cujus vigilantiæ navis gubernium committitur, in arte nautica imperitus est, ignorat vortices, lineas nescit, scopulos non advertit, procul dubio navim ad portum desideratum reducere non poterit; quinimo ipse & eum sequentes inter feri elementi undas spumantes miserè peribunt. Ah Confessarii! Deus vos Nautas constituit, ut in Sacramentorum navi ad speciosissimam Gloriæ Civitatem per turbidum hujus sæculi mare animas deferatis; peccatorum procellæ sunt frequentes, culparum tempestates valdè familiares; quia passionum effrænatarum turbines nimium sunt impetuosi, ac appetituum indomitorum venti supra modum furibundi: si has regendi naves modus ignoratur, nec vestra spiritualis vita est secura; quia in vestra imperitia & aliena, & propria periclitatur conscientia. Theologia Moralis vastissimus est campus, plurima sunt scienda; necessarium est studium continuum, ut apprehendatur, quod nescitur, & ne oblivioni tradatur, quod apprehensum est: si nullum, aut exiguum est studium; quomodo scientia necessaria comparabitur, aut acquisita custodietur? Ars artium, & difficillima est regimen animarum: ô quàm deplorabile est videre tot ex imperitia Medici jacere infirmas: *Quis medebitur tui? Nullus; quia vel idiotæ sunt.*

12. Alia ratio à Purpurato adducta, cur animæ non curentur, est; quia, quamvis Confessarii docti sint, eas curare nolunt: *Vel si sciunt, nolunt*; animas infirmas curare nolunt illi, qui, cùm eorum curæ incumbere possint, propria quærentes commoda, & utilitates, odiositate, & pusillanimitate ducti fructuoso Confessionarii Ministerio non invigilant: inutiles erunt meæ rationes ad convincendos aliquos in hoc culpabiles, qui proprio amore capti ad honestandam suam excusationem mille motiva excogitabunt: at si coram hominibus, nescio an coram Deo similis excusatio sufficiens sit dijudicanda, Sapientissimi Magistri & Severi Judicis Christi perpendant parabolam, in qua servus acceptum talentum post petitam rationem restituit, ideóque ad perpetuas tenebras condemnatus: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*: Dissipavit fortè talentum sibi traditum? Non: integrum restituit: *Ecce habes quod tuum est*; & tamen condemnatur? & quid de illis erit, qui

Matth. c. 25. v. 30.
ibid. v. 25.

accep-

accepta talenta malè insumunt, ac potentias, sensus, vires, substantiam pessimè, quia in Dei offensam, impendunt? hunc servum tanquam inutilem condemnat *inutilem servum*, quia unicum talentum otiosum tenuit, licèt suæ amissionis excusationem oculis hominum non levem proposuerit, scilicet, quòd cognito rigore, quo Supremus Judex sui talenti rationem petiturus: *Scio quia homo durus es*, ejusdem amissionem timuit, & ne dum alia superlucrari negotio prætenderet, etiam capitale cum prætenso lucro perderet; adeóque meliùs judicavit, accepti talenti rationem reddere, quàm id impendendo se ejusdem jacturæ periculo exponere: *timens abii, & abscondi talentum*; Verè excusatio frivola non videtur, sed quod inter homines excusabile apparet, ante Deum gravior fuit accusatio, quia realiter, quod pallio timoris operiebatur, simulata pigritia erat: *Serve male, & piger*; fuit piger declaratus, & tanquam inutilis condemnatus: *Vide*, inquit Magnus Chrysostomus, "quomodo "non solùm rapaces, & qui aliena invadunt, nec soli malefactores, "verùm etiam & qui bona facere negligit, extremo cruciatur supplicio." Interim hìc deflendum animas infirmas non sanari, eò quòd cùm eis curæ periti Medici negentur, in manus minùs peritorum cadant, adeóque sine remedio remaneant: *Quis medebitur tui? Nullus, quia si sciunt, nolunt.*

Ibid. v. 24.

Ibidem. v. 25.

Ibidem v. 26.

13. Alii infirmis conscientiis sanitatem conferre nolunt, quamvis modum ipsas curandi calleant: *vel si sciunt, nolunt*: quia ad Confessionarium absque efficaci desiderio sanandi, sed sola intentione ipsas exaudiendi, ac breviter expediendi accedunt: necessarium est tempus, & tempus quietum pro examine pœnitentis circa principalia Fidei Mysteria, pro ipsius conscientiæ tortuosorum sinuum scrutinio, & pro formando judicio gravitatis, ponderis, speciei, numeri, ac circumstantiarum suorum peccatorum, nec non obligationis famæ, & rei restitutionis: mora aliqua opus est pro notitia, an peccatum sit reincidentiæ, habitûs, & occasionis proximæ, pro incutiendo horrore ad malitiam peccati, repræsentandâ gravitate, ac deformitate Dei offensæ, pro commovendo ad verum dolorem, & efficax propositum, pro consiliis salutaribus dandis, pro instructione modi, quo vitam suam instituere debeat, & pro multis aliis,

aliis, quæ in illo venerabili loco occurrere solent; quòd si Confessarius cum festinatione procedat, quomodo tot obligationibus satisfacere poterit? cùm frequenter pœnitentes tales sint, ut omnia ista, & multò majora requirantur. Christus dulcis noster Dominus, qui tanquam Divinus Magister ad nos erudiendum venit, optimam in hoc doctrinam impertietur. Attentè consideremus ipsum ad puteum Samariæ miseram illius peccatricis animam curantem, & omissâ consideratione laborum, itinerum, famis, sitis, quæ perpessus est, ad nostræ tepiditatis confusionem in animarum salute quærenda: ut meum intentum sequar, objicio solùm oculis PP. Confessariorum pacem, moram, & quietem, qua se cum anima illa detinuit eandem interrogando, audiendo, examinando, replicando, proponendo, cum cæteris, quæ patenter in illo devoto, pio, & prolixo colloquio peregit: Poterat quidem breviter curare, convertere, & expedire ipsam; sed ad nostram doctrinam patienter secum gerere se voluit: prætermissâ festinatione, qua mulier pro servitio domûs aquam attingere conatur, præcipuum negotium, quod est salus animæ, diligenter quærit, nec à fame, siti, aliisque ærumnis se restaurare Benignus Dominus cogitat sed solius alimenti pretiosi ipsius cordis esurientem se ostẽdit; discamus hinc vanos abjicere respectus, quibus ad pœnitentem citò expediendum allicimur. Pro negotio enim tam arduo longi mora temporis opus est.

Joan. c. 4. v. 5. &c.

14. Interdum contingit, quòd pro tunc pœnitentis conscientia extricari non possit; quia vel ipsemet se detinere nequit, vel in ipsius cura moras trahere necesse est; quid in simili casu agendum sit, Cœlestis Magister in facto alterius peccatoris nempe Zachæi docuit: Ascendit hic arborem, ut videret Christum, qui pios oculos ad eundem convertens, licèt immediatè potuisset, distulit tamen ejus animam sanare, dicens ei, ut descenderet, domum pergeret, ubi maturè suæ conscientiæ negotium tractaret, *Zachæe festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.* Perpendamus omnia verba: jubet eum solicitè descendere, *festinans*, quia æternæ salutis opera non pigrè, sed fervidè agitanda sunt: ait *hodie*, hodie, non cras, ô mirum notandum! de die crastino ô Christiane non es securus, hodie animæ tuæ remedium sollicitare debes; si crastinum expectas, fortè ad crastinum non pervenies, & in

Lucæ c. 19. v. 5.

æter-

æternum te perdes; *hodie*, si, dum has lineas legis, culpa (quod Deus non permittat) gravaris mortali, te per Christi Crucifixi Sanguinem obsecro, ut de hoc abominabili statu egrediaris, *hodie*, considera, quòd, si hac nocte pravâ conscientiâ morieris, æternitatis nox horribilis perpetuis tenebris te cinget, ac formidanda abyssi vorago te obruet: addit Christus, se in domo Zachæi moraturum: *Oportet me manere*, hujus inæstimabilis visitationis Zachæus ipse anxius esse debuisset, verùm immensus Dulcissimi Jesu amor proprium quæstum reputat animarum suarum salutem: in illo *manere*: stat mea principalis reflexio: pro curando Zachæo necessarium erat manere, qui, cùm fuisset vir in negotiis, & contractibus immersus, oneratam habuit conscientiam, multísque restitutionibus obnoxiam: quapropter non festinanter Christus Dominus eundem dimittit, nec coram illa hominum multitudine ipsius curæ incumbit, sed hoc ad tempus magis opportunum, & quietum differt: Suadeamus ergo nobis, quòd ad perniciosa conscientiæ vulnera sananda non sit properandum; singulariter illorum pœnitentium, qui cum interno valdè intricato accedunt.

15. Non inficior tamen, quin aliquando abbreviari possit confessio, quando nimirum persona est bene disposita, capax, & distinctè conscientiam suam explicans: prout Redemptor noster in lapsu Petri ostendit, solo aspectu, quasi cœlesti manu eum erigendo: *Conversus Dominus respexit Petrum*: Ast signentur circumstantiæ: Petrus sagax, discretus, & bene instructus Pœnitens erat: peccata ipsius pauca, & opere completa: Si hujusmodi pœnitens accedat, non est dubium, quin citò expediri possit: dentur mihi pœnitentes similes Petro, illaqueatam, aut in culpis inveteratam non habentes conscientiam, tunc sine difficultate concedam, ut breviter expediantur; verùm si dissimiles dentur conscientiæ, ac dispositiones diversæ, quomodo tam brevi tempore omnia requisita peragenda erunt? possibile non est, ut morbi interni hoc modo curentur: adeóque ex defectu curæ necessariæ in statu perditionis animæ perseverabunt, sicque motivum erit audiendi, *Quis medebitur tui?* Nullus, quia seriò huic muneri nolunt incumbere, *nolunt*.

16. Hæ sunt universales, & ordinariæ causæ, propter quas plurimæ animæ infirmæ in sacra Confessionis Piscina salutem non consequūntur, unde jure merito illam derelicti Paralytici querelam in-

 gem-

Joan. c. 5. v. 7. geminare possunt: *Hominem non habeo*, hominem non habent, qui earū conscientiæ plagis Zelo Evangelico ipsis aperiat: hominem non habent, qui cum maturitate patratorum criminū turpitudinem iisdem monstret: hominem non habent, qui discretè absolutionem suspendat, quādo propter malam dispositionē eam demerentur: hominem non habent, qui sapienti prudentia, & prudenti sapientia earum curæ vacet: hominem non habent, qui pacificè ipsos in Confessionali exaudiat, culpas examinando, gravitatem perpendendo, solidísque rationibus ad scelerum detestationem hortādo: Et ô utinam non eveniat, quod nec cogitare, nec sine rubore exarare fas est! nempe, quòd, qui pii Pastoris munus exercere tenetur, cruenti lupi officium gerat!

17. Lacrymabiles sunt calamitates, quas patiuntur animæ dupliciter miseræ sub incurabili statu gementes; innumerabiles sunt lacrymæ, quas super tam infaustum casum Jeremias effundit, & plangentes suos oculos extendens, à malo incurabili ad deflendam mortem post hunc secuturam transit, suásque lacrymas exiguas censens, suspiria ignita ad Cœlum transmittit ut ardentora impetret: *Jerem. c. 9. v. 1.* *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei:* Cor Prophetæ adeò perfringitur, ut, juxta Lyranum, totum se ipsum in lacrymas resolvere *Lyran. hic.* cupiat: *Vellem totus resolvi in lacrymis*; Cruciatur ipsius Zelus in figuris ænigmaticis contemplans populum à Deo electum, Sanctæ Ecclesiæ filios insanatos, extinctos ex carentia applicationis Medicorum Spiritualium: commoti sunt Cœli, terra tremuit, obscuratus est Sol, Luna conversa est in Sanguinem, Stellæ obnubilatæ sunt & insensibiles creaturæ in morte naturalis Filii Dei sensibilia signa dederunt: Gratiæ divinæ mortui cernuntur modò plures ejusdem Dei Filii adoptivi, ex quo nostri Prophetæ cruciatus justificantur, & tamen dura aliquorum Christianorum pectora insensibilia jacent, nec tot calamitatibus commoventur, nec damnis ita evidentibus remedia parant.

18. Reprehensibilis hæc inordinatio ex inæstimabilis pretii unius animæ inconsideratione provenit, quæ majoris est valoris, quàm Cœlum, & terra, nec totus Mundus, ut dixit Elias Cretensis, *Elias Creten. in or. 1. Nazian.* tantidem æstimari potest. *Universus Mundus unius animæ pretium non adæquat*, summa aviditate bonorum temporalium consecutio exquiritur, eorumque amissio timetur, & proh dolor! quàm modi-

ca

ca ſolicitudo in pretioſiſsima unius animæ margarita lucrifacienda adhibetur. Hujus valorem noverat D. Bernardus, ut manifeſtant ejus lacrymæ in perditione illius effuſæ, pro cujus converſione, quantum potuit, licèt inutiliter, laboravit: "Manet utique mihi "ploratus, & ululatus multus,,, ait mellifluus Doctor, "quamvis "nihil mihi conſcius ſim, quo minùs annuntiaverim ei:,, Adeò turbatus eſt devotus ejus ſpiritus; licèt ſuâ culpâ anima illa deperdita non fuerit; & quales fuiſſent ipſius gemitus, ſi ſuâ negligentiâ periiſſet? quantus autem eſſe deberet Confeſſarii dolor, cujus culpâ una, & plures animæ pereunt? juſtum quidem erit, exclamat Jeremias, ut exceſſivi ſigna doloris oſtendat: *Ululate Paſtores, ululate,* explicat Lyranus, *eſt vox confuſa, & eſt ſignum magni doloris*: Si animæ pretium non nunquam penetrare cupimus, ad Sanctiſſimæ Crucis arborem eleventur oculi, ubi pretioſiſſimos ſui ſanguinis Carbunculos mundi Redemptor in animæ pretium depoſuit: inæſtimabilis theſaurus, & infiniti valoris eſt capitale, quo ſpiritus hic nobilis redemptus eſt: incomparabilis ergo erit ipſius valor: pro quo proinde recuperando tot & tam ingentia tormenta, labores, dolores, ac pœnas amantiſſimus noſter Dominus ſuſtinuit; ab aliis non tanti æſtimatur; & hæc eſt ratio, cur tepidi ab ejus quærenda ſalute ſe retrahunt, aut pigri ejusdem perditionis participes ſe reddunt. *S. Bernardus.*

19. Noſtri Prophetæ planctus Sancta Mater Eccleſia approbat, & comitatur, iisdem verbis ſuum exprimendo dolorem: *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas*; Interlinealis: *Vox Eccleſiæ facti ſunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.,,* Dolet, & lacrymatur hæc pia Mater ſuper filiorum ſuorum perditionem, *facti ſunt filii mei perditi*. Filii, quos ſalutaribus Baptiſmi aquis regeneravit: doctrinæ Chriſtianæ lacte abluit, & pane cœleſti Evangelicorum Præceptorum nutrivit, miſerè perditi ab ipſa conſiderantur, quia communis hoſtis vis, & fraus contra ejus arma ineptè à propriis Miniſtris geſta prævaluit. Deplorabile eſſet, ſi infideles noſtræ Sanctæ Religionis inimici arma Catholica vincerunt, ac negligentiâ, pigritiâ, & occaſione Capitum, Doctorumque exercitus Chriſtianas Civitates occuparent: Contra noſtræ S. Eccleſiæ filios perpetuum infernus ſuſtinet prælium, ejúsque furibunda prævalet ſuperbia: *invaluit inimicus*: in multis animarum electarum conquiſitis dominatur fortalitiis, plurimósque Chriſtianos milites in tyrannica *Thren. c. 1. v. 16. Interlin.*

captivitate detinet; & quæ tot infelicium stragum origo? Eh ne sint hujus Sacræ militiæ capita? lacrymabilis fatalitas esset, quòd hoc summum infortunium ex difformi Ministrorum Ecclesiæ somnolentiam derivaret. Miserandus casus, si hostibus civitatem aggredientibus vigilia dormitaret ejúsque sopore Urbs per adversariorum ingressum deperderetur: juxta Evangelici Prophetæ vaticinium Confessarii super muros Ecclesiæ sunt constituti Custodes: *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes.* *Sacerdotes*, addit Cornelius à Lapite, *sunt custodes populi*, hæ custodiæ à Jeremiæ calamo speculatores dicuntur: *Constitui super vos speculatores*; ut significaret vigilantiam qua mysticas Civitates tueri debent: Si hæ custodiæ dormitant, procul dubio inimicus animas arripiet, ac Mater Ecclesia prospectâ astuti inimici tyrannicâ victoriâ plorabit: *invaluit inimicus*, propter gravem Ministrorum negligentiam, quorum vigilantiæ filiorum suorum tutelam commisit; *facti sunt filii mei perditi.*

Isaiæ c. 62. v. 6. *Cornel. in Num. c. 3. v. 7.* *Jerem. c. 6. v. 17.*

20. Non admirabor ampliùs propter tot Sanctorum lacrymas, & Ecclesiæ planctus, dum Dei & Domini nostri gemitus mihi objiciuntur; hunc plangentem cerno super illam Jerusalem, super quam transactis sæculis Jeremias flevit: *Videns civitatem flevit super illam*: Ejusdem lacrymas in morte Lazari spiritualem animarum mortem repræsentantis video: *Lacrymatus est Jesus*: flevit quoque vehementius, inquit D. Paulus: *cum clamore valido, & lacrymis*: Et hæc resonantia suspiria emisit, ait D. Thomas, & alii, dum oravit in horto, ubi non communes, sed sanguineas effudit lacrymas: quinimò quasi oculi ad suum manifestandum dolorem non sufficerent, voluit, refert S. Bernardus, ut omnes sui sanctissimi Corporis pori oculi essent pro fletu, & ora, pro summa sua protestanda amaritudine: *Christus non contentus fuit lacrymis oculorum, sed totius corporis sanguinis lacrymis peccata nostra flere voluit.* Plangit Christus ita excessivè considerando sanctissimam suam Passionem fore: plangit, quia tam immensi beneficii plures perversi Christiani se immemores, & ingratos ostendent: plangit, eò quòd Judas Sacerdotali charactere insignitus cum potestate animas curandi miserabiliter harum, & propriæ detrimentum faciat: plangit, quia Apostoli, quibus sui gregis custodiam, oviúmque suarum vitam commiserat, somnolenti, & reprehensibiliter negli-

Lucæ c. 19. v. 41. *Joan. c. 11. v. 35.* *Ad Hebr. c. 5. v. 7.* *Apud Cornel. in ejum locum.* *S. Bernard. ser. 3. in Dom. Palmar.*

gen-

gentes ſunt : *invenit eos dormientes* : plangit, quia inimicum in aggreſſu animarum ſolicitum prævidet : *Ecce ſatanas expetivit vos* : & vigiliæ ſomno deditæ jacent : plangit denique, quia, quod pro tunc contigerat, impoſterum frequenter renovabitur, & modò in praxi videtur : cuſtodes dormiunt : Sacerdotes non vigilant : negligentes ſunt Confeſſarii, & dœmon animas tam pretioſo munere à Chriſto redemptas abripit. O meæ vitæ Jeſu, quod ego non ſentio, plangis, & quod ego non plango, ſentis! Sanguineas tuus amor effundit lacrymas de mea tepiditate afflictus; quæ utinam ejus igne accenderetur: O dulciſſime JESU, ſi quis amaras tuas lacrymas abſtergere valeret! magna ex parte tuæ allevarentur pœnæ, ſi mea ſuum attingerent finem vota, & ego in hujus libri Lectoribus conſequi potero intentum, propter quod ſcribo. Homo, qui has legis lineas, ſive Confeſſarius ſis, ſive non, Ter Sanctum Deum tuum JESUM dulciſſimum diligere ne gloriaris? non dubito: ſolatium aliquod amantibus ejus paſſionibus præbere ne cupis? affirmitatem teneo: ſiquidem faciliter potes: Si Sacerdos es, animarum ſaluti ſeriò imcumbe, per quod ablato in Chriſto ſui doloris objecto cordis ejus quoque pœnas temperabis: Si Sacerdos non es, Dei tui anguſtias etiam lenire vales; non ignoras, propter tuas angi culpas, deſine peccare, & ejusdem planctus ceſſabunt: non te latet, ipſius lacrymas exinde oriri: revertere ad Deum tuum, & tanti doloris motivum in eo ceſſabit: Clarum, & notum eſt, quòd tua tepiditas, durities, ac modica contritio tantæ tui Domini amaritudinis ſit origo: impietatem tuam deteſtare, ingratitudinem abominare, inconſideratæ tuæ vitæ fervidè te pœniteat, tuíque Redemptoris animum gaudio replebis. Amantiſſime JESU! perſuaſiva mea modica eſt, mea efficacia debilis, rationes meæ inſufficientes, quia Spiritûs mei tepidi ſunt effectus; divina tua gratia characteres hos bono animo formatos corroboret; virtus tua mei fervoris debilitatem ſuppleat, ut hæ litteræ oculorum portam animatæ ingrediantur; Sicque cordis intima adeò ſalutaris doctrina penetret; indue Domine tui amoris igne hos characteres, ut ad oculos ardorem ferant, quo cor transfixum tuo amore ardeat, tuæque infinitæ bonitatis dulcedine animam capiendo ad vivum deſiderium piiſſimas tuas lacrymas abſtergendi deferat.

Matth. c. 26. v. 40. Lucæ c. 22. v. 31.

21. Hæc omnia motiva relata noſtram tepiditatem convincere deberent eandem obligando ad diligens ſtudium ſalutis animarum, quæ tam doloroſis eventibus ſubjectæ ſine opportunis remediis cernuntur; & ſi ſupradictæ rationes deſidiam noſtram non excitant, ſtimuletur hæc à timore gravi, cui eſt obnoxius, quicunque
Jerem. c. 17. v. 18. perditionis animarum eſt cauſa: *Duplici contritione contere eos*, ait noſter Propheta; & Gloſſa interlinealis addit: *Duplici contritione*, *id eſt*, *gladio*, *& fame*, *animæ*, *& corporis*. Et quis hic erit, ad quem hæc duplex pœna dirigitur? Confeſſarius dicit S. Laurentius Juſti-
D. Laurent. Juſt. lib. de Inſtit. & reg. Præl. c. 5. nianus, cujus culpâ animæ naufragantur: "Duplici contritione atteritur Paſtor, duplicisque judicii efficitur reus: ſui videlicet, & "ovium perditiõe, præſertim earum, quæ ex ipſius cõvincuntur periiſſe incuriâ:" geminatum erit ejus ſupplicium, quia duarum cauſarum reatus ipſi imputabitur, nempe perditionis animæ ex ipſius incuriâ perditæ, & peccati reprehenſibilis ſuæ omiſſionis, eodem enim tempore reum, & complicem utriusque ſe conſtituit,
1. ad Th. c. 5. v. 22. Corn. ibid. uti ponderat eruditus Cornelius illa verba Apoſtoli: *Neque communicaveris peccatis alienis*; quæ vir doctiſsimus ſic exponit: *Confeſſarii enim*, *qui peccatoribus*, *v. g. concubinariis*, *uſurariis*, *ſimoniacis*, *conſitentibus non ſatis contritis*, *aut non habentibus propoſitum efficax emendandi ſe*, *aut nolentibus reſtituere per ſimoniam*, *uſuram*, *& alia injuſtè acquiſita*, *eos abſolvunt*; *omnibus eorum peccatis communicant*, *eaque in ſe tranſcribunt*, *omniumque rei fiunt*, *ac pro eis pœnas dabunt*. Eadem pœna, quam pœnitens promeretur, refunditur in Confeſſarium, qui opportuno remedio eum non adjuvat ſolvando à peccatis; ac horum peccatorum non reparatorum, necnon omiſsionis, & commiſsionis tanquam cauſarum, quòd non fuerint reparata, ſtriſſimam rationem reddere tenebitur Confeſſarius, qui pœnâ quoque condigna mulctabitur. In hoc caſu ponderanda eſt pariter ſententia, à Rege David fulminata in illius raptæ oviculæ parabola, à Nathan Propheta ipſi propoſita: vivit Deus, dixit David, dignus eſt morte, quicumque hoc fecit: jubeo, & decerno, ut quadru-
2. Reg. c. 12. v. 5. & 6. Elias Cret. orat. 1. pliciter ſolvat: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum*: Ovis hæc eſt anima; qui unam perdit, in quadruplum ſolvere tenetur; & qui plures perdit, ait Elias Cretenſis, quam pœnam promeretur? *Cui tandem ſupplicio obnoxius eſt*,

qui

qui multis fortaſſe animabus ob culpam ſuam, & ſegnitiem exitii cauſam præbuit: adæquatum ſupplicium videtur non inveniri pro impio delicto, quale eſt, eſſe cauſam perditionis unius aut plurium animarum, pro quibus redemptor noſter tanta perpeſſus eſt. Certiſſimum eſt, quòd Deus ſtrictiſſimam petet rationem, non tantùm peccatorum commiſſionis, ſed etiam omiſſionis, & quòd in hoc genere culpæ ante divinos ejus oculos magni ponderis erunt negligentiæ in cura ſpiritualis animarum ſalutis; prout ſententiosè docuit Magnus Eccleſiæ Pater Hieronymus. *Neque* (inquit eximius Doctor) "ſolùm pro noſtris delictis reddemus rationem, ſed pro omnium, "quorum abutimur donis, & nequaquam ſumus de eorum ſalute "ſoliciti:" notanda, & digna reflexione ſunt poſtrema hæc verba: *nequaquam ſumus de eorum ſalute ſoliciti*: perpendantur ſeriò dum tranſeo ad confirmandam doctrinam ſequenti caſu à Cæſareo, & Patre Alphonſo de Herera ralato.

D. Hier. adc 44. Ezech. v. 10.

Cæſareus. Herera.

22. Fuit, inquiunt, vir uſurarius, qui avaritiâ fervens, non in Cœleſtibus & Spiritualibus, ſed in terrenis, & mundanis congregandis theſauris omnem ſuam curam & ſolicitudinem poſuit, haud cogitans, & hujus mundi bona tranſitoria eſſe, & ſola cœleſtia permanentia: multò minùs, an licita eſſent media ad ſuorum theſaurorum augmentum adhibita; cùm enim cupiditas ſit radix productiva ramorum omnium malorum juxta ſacram Apoſtoli pharſim: *Radix omnium malorū eſt cupiditas*; neceſſariò ſequitur, quòd hac peſſima arbore in terra cordis plantata plurimi exinde oriantur rami, qui animæ facultatibus dominentur: Viri hujus contractus iniqui erant, hominem ſe eſſe non meminerat; pro ipſo excitando ab hac ſui ipſius oblivione gravis percuſſit infirmitas, annuntians mortem adeſſe, ſuorum corruptibilium theſaurorum eum exſpoliare paratam. Veriſſimū eſt illud experientia comprobatum adagium: *Qualis vita finis ita*: atque hæc antiqua ſententia novum pro ſua authentica teſtimonium habuit perverſi hujus Chriſtiani infauſtâ ſorte. Ingraveſcēte infirmitate cum mortalibus accidentibus appropinquavit tempus ultimam ſuā declarandi voluntatem; & vocato Notario ipſemet ægrotus eandem hoc terribili, & formidabili ſtylo ennutiavit. Inprimis animam meam dæmonibus commendo, quatenus eam ad infernales carceres

1. Tim. 6. v. 10.

ceres deferant, ubi æternis tormentis patrata delicta luat; Scandalizatus, ac perteritus Notarius replicavit: quidnam dicis? ésne stultus? forsitan te Deus à sua misericordia rejecit? anima commendari debet Domino, qui eam creavit, subjunxit infirmus, nec verbum proferas, sed quod de ore meo prodibit *ad litteram* scribe, cùm hæc sint justa judicia severitatis, & æquitatis Supremi Judicis. Item præcipio, ut mea uxor mecum ad infernum portetur, siquidem me de meis pessimis contractibus nec admonuit, nec reprehendit, quin imò gaudebat de conquisitis lucris, quia suis vanitatibus ac profanis ornatibus commodè inserviebant. Item præcipio, ut filii mei mecum veniant, cùm iniquis mercaturis, mihi socii fuerint, ad hoc ut capitale augeretur, ac pinguiori fruerentur hæreditate. Item præcipio, ut meus Confessarius (audiant, & perpendant negligentes) sepultus sit in inferno & iisdem, ac ego, puniatur pœnis, cùm me non debitè dispositum à peccatis absolverit, ne à mea amicitia excideret, & munera à me oblata amitteret: hac ipsamet forma inscriptum, & conclusum est testamentum, quo facto justo Dei judicio comparuerunt dæmones, qui rapientes usurarium, uxorem, filios, & Confessarium omnes simul colligatos ad infernum duxerunt. O utinam iste confessarius unicus esset, qui propter incuriam in suo Ministerio damnaretur! Tu, qui hunc funestum casum legisti, expavesce, ne quid simile tibi contingat.

23. Hæc supplicia, quæ debent culpabiles terrefacere, eodem pariter tempore spem diligentium animare valent. Clementissimus noster Deus magis ad præmiandum, quàm puniendum pronus est; si ejus severitas contra tepidos minas jactat, ejus bonitas sedulos confortat, & invitat. Maximum ejus amor reservavit præmium pro illis Sacerdotibus, qui bonum proximorum zèlantes eorundem animarum saluti strenuò invigilant. Fulgebunt, inquit Daniel Propheta, tanquam lucidissimæ stellæ in Empyreo per totam æternitatem, omnes qui viam justitiæ, & virtutis docent. "Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui "ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates: „Floridam, & pretiosam coronam nec tempori, nec gelu subjectam Remunerator supremus præparavit ad cingenda illorum

Daniel cap. 12. v. 3.

tempora, qui fervidi pascunt ovile Christi Summi Pastoris: Id affirmat Caput Collegii Apostolici Petrus: "Pascite qui in vobis est "gregem Dei --- Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipie-"tis immarcescibilem gloriæ coronam.„ Ingens est Dei amor erga animas suas, ut has erudiret, de Cœlis in terram descendit, rudo naturæ nostræ sacco se induens; ne perderentur, laboravit, sustinuit, sudavit, mortuus est. Ex quo arguitur valdè sibi complacere in iis, qui suis votis cooperantur, in animas perditas, vel perdendas lucrifaciendo. Quàm magna esset obligatio unius Parentis summoperè proprio filio affecti erga eum, qui inter Barbaros captivum eundem redimeret, & insuper suâ operâ, & applicatione Regnum, aut Principatum ipsi obtineret. Pater cœlestis intensè diligit animas, quarum plurimæ captivæ inveniuntur inter tyrannicas peccati catenas, si Confessarius à jugo tam miserando eas liberat, ac in statum gloriæ coronam, & Regnum consequendi constituit, adeò utile exercitium, ac pia occupatio non nisi accepta ipsi esse potest. 1. Petri c. 5. v. 2. & 4.

24. Valde notandum est, quòd in die Judicii à Christo Domino nostro in suo Evangelio proposita aliorum bonorum operum pro justis præmiandis non fiat mentio, quàm operum pietatis: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere &c.* Et ratio est; quia cùm noster Clementissimus Deus principaliter suam infinitam misericordiam exercere intendat, consequenter de similibus operibus tanquam suo fini conformibus præcipuè est solicitus: eleemosyna, quæ ad subveniendum temporalibus necessitatibus proximi ordinatur, est Divinæ Majestati valdè grata; sed absque comparatione gratior est illa, quæ ad Spiritualium indigentiarum remedium tendit; tantaque est unius ab altera distantia, quanta est demissio rerum temporalium ad altitudinem rerum Spiritualium, & quanta est differentia inter corruptibile corpus & animam rationalem, tantò æstimabilior est eleemosyna, quâ panis doctrinæ spiritui esurienti subministratur, quàm illa, quæ ad alendam carnem, quæ est cibus vermium, dirigitur. Sequens casus erit pro doctrina hac testis exceptione major. *Matth. c. 25. v. 35.*

25. Narrat P. Fr. Joannes de Saxonia, egregium fuisse Confessarium, qui licèt aliquibus defectibus implicatus esset (noxa hu- *Saxon. in Erem. Relig.*


manæ conditionis propria , quòd in hoc periculoſo ſtadio nec ſtrenuus quidem miles ab aliquo vulnere ſit immunis) talis tamen erat ipſi zelus in animabus curandis , ut ſumma delectatione laborioſum, & fructuoſum Confeſſionarii Miniſterium perageret , in quo omni vigili attentione degeneres à tyrannica dœmonis captivitate fideles liberare conabatur ; & ut hoc ſuum exercitium ab humanis reſpectibus magis deputatum eſſet,néve bonus ejus zelus adhærentiæ pulvere coinquinaretur , pauperum confeſſiones diligenter excipiebat, à quibus majus præmium in terra, quàm multiplicationem laboris ſperare nequibat. E vita migravit hic pius Confeſſarius, & Deus ad noſtram doctrinam ſalvum factum oſtendit mediante promptitudine, & fervore in exaudiendis Confeſſionibus, aliàs damnandum, ſi pro tam ſibi grato ſervitio miſericordiâ motus non fuiſſet. Caſus iſte, aliique ſimiles debent , ô devote Confeſſarie, tua extendere deſideria, ne te à ſuccurrendis tuis proximis ſubtrahas ; quando enim ad lapſus ſublevandos manum porrigis, ut tu ſtes, Deus ad te ſuam extendit : Fidelis eſt Dominus , inimicis ſuis gratias & favores largiatur ; quando magis benedictionibus replebit illum, qui ſibi per peccatum inimicos , reddet amicos.

26. Alias excuſationes non invenio ſe eximendi ab hoc Sancto exercitio, ad quod nos incitare debet tot animarum cura deſtitutarum commiſeratio , Sanctæ Matris Eccleſiæ planctus propter tot filios perditos ; & potiſſimùm lacrymæ , Sanguiníſque rivi dulciſſimi noſtri Salvatoris. Per has ergo pretioſiſſimas , & per hunc inæſtimabilem ſui Sanguinis theſaurum demiſiſſimè rogo : genuflexus obſecro : quantum ſcio : quantum poſſum : hortor, & ſuadeo : ac omnibus poſſibilibus mediis conſequi deſidero, ut Venerabiles Patres Sacerdotes , Miniſtri altiſſimi , ſervi ejus domeſtici , ejúſque militiæ Capitanei ſe excitent , conſecrent , incumbant tot animarum remedio , tot infirmitatum curæ : neceſſitas animarum clamat : eſurientes fideles panem petunt : ſiti exhauſti Chriſtiani aquam ſalutis efflagitant ; non negetur eis. In ſancto Pœnitentiæ Sacramento pro tanta infirmitate Chriſtus medicinam depoſuit , pro tanto morbo ſalutem ,

tem , pro tanta fame alimentum , pro tanta ſiti aquam , zelus noſter hanc diſtribuat , ſolicitudo noſtra hanc exponat , charitas noſtra hanc impertiatur ; his indigentium clamores ceſſabunt : plurima damna evitabuntur , & eradicatis ſpinis militantem noſtram Jeruſalem occupantibus , hortulus iſte virtutum floribus triumphantem Jeruſalem ornantibus replebitur , qui in terra multiplicati æternæ gloriæ fructus in Cœlo promittunt ,

Amen.





PRÆAMBULUM

Pro intelligentia modi practicandi HUNC DIALOGUM.

TRia principalia ſunt Confeſſarii munera : Primum eſt Judicis ; Secundum Magiſtri ; Tertium Medici : quoad primum Judicis, quod exercere tenetur circa quodcunque peccatum à Pœnitente depoſitum.

Primò ferre debet judicium, an peccatum ſit mortale, vel veniale, & lepram à lepra diſtinguere : advertendo ad materiam, an ſit levis, vel gravis, interrogando utrùm actio cum plena advertentia, ac deliberatione facta fuerit, quod neceſſariò requiritur, ad hoc ut culpa ſit mortalis, juxta illud commune Theologorum prolatum : *Non eſt peccatum, niſi voluntarium*, & per extenſum docet Thom. Sanchez in Sum. lib. 1. in documentis, & generalibus Principiis *cap. 1. & 2. & ſeq.*

Secundò debet à Pœnitente exquirere circumſtantias ſpeciem mutantes : v. g. Si peccatum eſt furti : an fuerit factum in loco ſacro, vel rei ſacræ ; Si contra ſextum præceptum : an peccaverit cum perſona libera, conjugata &c. de quo DD. in materia de Pœnitentia tractant, & eruditiſſimè de Lugo *de Pœnit. diſp. 16. ſect. 4. 5. & 6.*

Tertiò in quacunque peccatorum ſpecie interrogare debet Pœnitentem de eorum numero ; & quando is præcisè non recordatur, ut inſinuet tempus continuationis in peccato, idémque committendi frequentiam ; juxta dicenda *in tract. 2. cap. 1. n. 10.*

Quartò interrogare debet Pœnitentem, utrùm actio, vel cogitatio, de qua ſe accuſat, fuerit in ſua opinione mortaliter peccaminoſa, vel non ; quia, ut omnes Theologi docent, in materia conſcientiæ actiones humanæ in tantum ſunt peccaminoſæ, in quantum procedunt à conſcientia tales judicante ; hæc interrogatio tamen non eſt neceſſaria, quando materia per

ſe

ſe ipſam eſt nota : v. g. in fornicatione, furto, homicidio &c. benè verò, quando materia eſt obſcura, & Confeſſarius ſufficiens habet fundamentum dubitandi, quòd ignorantia, aut inadvertentia poſſit excuſare, aut aggravare malitiam actionis: v. g. maledictionum materialium , juramentorum cum veritate, & juſtitia, murmurationum de rebus levibus, vel publicis, deſiderii rei alienæ ſine intentione damnificandi proximum , furtorum rerum minimarum, & ſimilium materiarum, quæ cùm ſint venialia peccata ſæpiùs erroneo judicio ſolent judicari mortalia; è contra alia, quæ ex ſua natura ſunt mortalia, aliqui erroneè exiſtimant eſſe ſolùm venialia: v. g. cogitationes inhoneſtæ voluntariè admiſſæ, delectationes moroſæ, amplexus, oſcula , tactus impudici; & ſubinde ipſasmet mollities voluntarias plures ignorantes putant non eſſe peccata mortalia, adeóque pro his in ſimilibus materiis hæc interrogatio quadrat: Verum tamen eſt, differentiam eſſe faciendam inter Pœnitentem, & Pœnitentem; aliqui enim ſunt bene inſtructi, & optimè noſcunt, quodnam ſit, vel non ſit peccatum ; cum his ſuperflua eſt ſimilis interrogatio, niſi in aliqua materia obſtruſa; & extraordinaria ; quando probabiliter de eorum incapacitate dubitari poteſt. Alii autem ſunt rudes, ſtupidi, & tradi ingenii , hi in prædictis materiis ſunt interrogandi, quo conſcientiæ dictamine operati fuerint, & an ſe peccaturos putaverint, vel non.

Quintò , quando actiones aliquis motus iraſcibilis prævenit: v. g. maledictiones, contumelias, diſſenſiones, averſiones , rancores, interrogandum eſt, utrùm has elicuerint cum plena advertentia malitiæ, quam ſecum ferunt; quia deficienre hac advertentia nequit eſſe culpa mortalis , prout docent Theologi in Tractatu *de actibus humanis* , *ubi de voluntario.* Cum Tho. Sanchez , *ubi ſuprà*; & ad ferendum judicium , an in illis actionibus intervenerit gravis culpa, vel non, poterit Confeſſarius ſe dirigere juxra modum dicendum *in Tract. 2. cap. 3. num. 32. & ſeq.* Nec debet angi Confeſſarius ex eo, quòd circa aliquod peccatum non poſſit determinatum formare judicium, an ſit mortale, vel veniale; in hoc caſu, ſi poſt factas debitas, ac neceſſàrias interrogationes nequeat ſe ad alterutrùm reſolvere, tanquam de peccato dubio ferat judicium. Hæc eadem difficultas occurret , quando aliquis ſe accuſabit de cogitationibus , cum dubio , an conſenſerit, vel non , in hoc teneat modum adductum *in Tract. 6. cap. 9. num. 153. & ſeq.* Genericè loquendo, ad pœnitentem lethalis culpæ condemnandum in materia gravi ſufficit illa deformitas, & turpitudo, quæ ipſi objecta fuit in actu peccandi, quamvis expreſsè non ſciret, an eſſet peccatum mortale, ita

docet Vaſquez 1. 2. *Q. 19. art. 6. diſp. 56. cap. 3. num. 10.* Sanchez *l. 1. in Decalog. cap. 11. num. 7.* Idem dicendum de circumſtantiis ſpeciem mutantibus; v. g in adulterio, ut Pœnitens pro adultero condemnetur, ſufficit, quòd hic gravius quid putaverit eſſe, peccare cum conjugata, quàm cum libera: quamvis expreſsè neſciret illud peccatum nomen adulterii præſeferre, & ſic de aliis circumſtantiis ſpeciem mutantibus diſcurrendum.

Sextò ad munus pariter Confeſſarii tanquam Judicis pertinet, obligare pœnitentem ad reſtitutionem famæ, honoris, & rei alienæ, quotiescunque in hoc genere damnum proximo intulit, & quidem immediatè audito furto, ad finem confeſſionis non differendo, facillimum eſt enim obliviſci, & propter hoc periculum oblivionis, ſi neceſſaria eſt alicujus voti diſpenſatio, vel commutatio, aut opportuna aliqua admonitio, quamprimùm res audita hoc requirit, debet exequi.

7. Velut Magiſter tenetur Confeſſarius Pœnitentem ignorantem edocere, quodnam ſit peccatum mortale, vel veniale, quomodo debeat conſcientiam ſuam examinare, aliáve omnia ad bonam Confeſſionem requiſita: ad Magiſtri pariter officium ſpectat interrogare Pœnitentem, ac interrogationibus eidem peccata, in quæ potuit labi, ſuggerere, quod multùm juvat Pœnitentem ad ſua aperienda peccata. Chriſtus Dominus noſter quando in templo Doctorem, ſeu Magiſtrum egit, Sanctus Lucas 2. teſtatur fuiſſe audientem, & interrogantem, *audientem illos, & interrogantem eos*, ita pariter ſe gerat Confeſſarius, audiat, & interroget, nec obſervet Socraticum ſilentium, quo ut plurimùm timidi Pœnitentes terrefiunt.

8. Velut Medicus debet Confeſſarius medicinas ſalutares, ac morbo Pœnitentis proportionatas applicare; & hæ aſſignantur *in Tract. 9. cap. 3. num. 26. & ſeq.* Debet pariter eidem dulciter, ſuaviter, non aſperè ſuorum peccatorum turpitudinem repræſentare, ſolidiſque rationibus ad eorum deteſtationem commovere, quæ pro majori commoditate in fine Præceptorum patebunt *cap. 1. tract. 9. num. 2. & ſeq.* Sic etiam in fine cujuslibet Præcepti brevis aliqua exhortatio fieri poterit cum narratione alicujus caſus, ut melius cujuscunque culpæ turpitudinem noſcere queat.

9. Cautè tamen in hoc procedere debet Confeſſarius, nec ad has ſe extendere, antequam Pœnitens ſuam perſolverit confeſſionem, etenim, ſi poſt quamlibet accuſationem multiplicet reprehenſiones, contingere poteſt, quòd Pœnitens obliviſcatur, vel terreatur, vel ipſius libertas omnia enarrandi minuatur. Deus nomine canum ſuos Miniſtros appellavit: *Pſ. 67.*

lin-

lingua canum tuorum; ubi advertit S. Augustinus, non dentes, sed linguam laudare: *nec eorum dentes, sed lingua laudata est*: lingua canis suavis, & efficax est pro sanandis plagis; lingua Confessarii consimilis esse debet: Non dentes imediatè ostendat Pœnitenti, sed patienter integram ejus confessionem priùs exaudiat, & postmodùm auditâ seriè hortetur, & quasi manuducat ad suarum culparum contritionem, quæ si sunt juramenta, imprecationes, cum dicendis in fine secundi Præcepti: Si odia, ut in fine quinti, & sic respectivè de omnibus aliis; universaliter loquendo ad cujuscunque speciei peccati gravis abominationem excitandam utatur doctrinâ positâ in fine omnium Præceptorum. *Tract. 9. cap.* 1. *num. 1.* Velut Medicus debet quoque interrogare, an peccatum sit reincidentiæ, & habitûs, quando materia fundamentum præbebit; & *cap.* 3. *tract. 9.* erit sermo de materiis, in quibus hæ species peccatorum occurrere solent: debet etiam in sexto Præcepto interrogare Pœnitentem, utrùm fortè in occasione proxima sit constitutus, & pro tunc differre, aut negare absolutionem in casibus assignandis in Explicatione Propositionum. 60. 61. & 63.

10. Quando Confessarius Pœnitentem absolutionis esse incapacem judicat, nec posse eum absolvere, quamprimùm advertit, debet ipsum de hoc admonere, nec confessionem prosequi permittat; cùm ad cætera ejus peccata audienda jus non habeat: frequenter tamen accidit, quòd Confessarius admonere teneatur Pœnitentem de perverso habitu, & quòd deinceps sine emendatione deneganda ipsi erit, tanquam incapaci, absolutio: In hoc casu; si probabiliter opinatur, quòd possit absolvi, tantùm permittat, ut prosequatur suam confessionem, & in fine de pessimo suo statu certiorem reddat, juxta modum *in Tract. 9. cap.* 1. in decursu autem confessionis absolutè non proferat aliquid, per quod significetur, esse incapacem absolutionis; aliàs eveniet, quòd timens ejusdem negationem subticeat aliquod peccatum: finita ergo confessione prædictam solùm exhortationem adjiciat, admonendo ipsum, quòd absolutio non propter commissa peccata differatur, aut negetur, sed tantùm propter habitum contractum, quia evidenter indicat defectum doloris, aut propter occasionem proximam, quæ nisi deseratur, absolutionis incapacem reddit Pœnitentem.

11. Modus autem, quo Confessarius debet à Pœnitente exquirere suorum peccatorum numerum, patebit *in tract. 6. cap. 1. num. 3. & seq.* ubi per extensum poterit videri praxis examinandi peccatorum pessimæ vitæ diu addictum; & licèt hic modus in uno tantum genere peccati practicetur, sufficienter tamen, dummodò benè percipiatur, pro omni vitiorum genere in-

inſervit, cùm ſit idem modus interrogandi, & ſolùm materiæ, de quibus ſit interrogatio, differant.

12. Quo ad peccata conſuetudinis, ſeu habitûs neceſſe eſt ſummam ſignare ignorantiam (ne dicere velimus potiùs errorem, aut inadvertentiam) & hæc eſt, quòd in attentis circumſtantiis, propter quas ſolùm abſolvi poſſet conſuetudinarius, aut malè habituatus , non obſtante Decreto Innocentii XI. poſito in tractatu 10. ubi explicatur Propoſitio 60. damnata, aliqui plures ex ſimilibus abſolvunt, dicendo, quòd prima vice ad eorum pedes compareant, & conſequenter neſciant, an peccata confeſſa procedant ex habitu, vel non : his dico, quòd, hoc conceſſo, & poſito aliunde probabili dubio, debeat interrogare Pœnitentem , an nonnunquam antecedenter ſe accuſaverit de hac ſpecie peccatorum; & ſic ſe gerat in omnibus materiis, in quibus ordinariè intercedit habitus, ut videre eſt *in tract. 9. cap. 3. num. 27.* poſtmodùm habitâ verâ notitiâ peccatorum ex habitu, ſeu conſuetudine negare ipſi abſolutionem, illicò enim cùm noſco Pœnitentem eſſe habituatum, nequeo ipſum abſolvere, quamvis prima vice ad me accedat , cùm per hanc circumſtantiam non deſinat eſſe, qui eſt ; aliàs ſequeretur , quòd hic malitiosè mutando Confeſſarium poſſet à quolibet abſolvi, qui prima vice exauditur, quod eſt falsum, unde, ſi non abſolvuntur conſuetudinarii, ratio eſt, quia modica eorum emendatio veri doloris, ac propoſiti carentiam arguit: atqui hoc idem verificatur in noſtro caſu ; ergo non ex hoc, quòd prima vice confiteatur, poteſt habituatus abſolvi ; niſi aliqua ex illis circumſtantiis loco citato poſitis concurrat.

13. Confeſſarius pariter advertere debet, quòd ex triplici capite res excuſari poſſit à peccato mortali : primo ex parte intellectus, quando non committitur cum plena advertentia : ſecundo ex parte voluntatis, quando non habetur perfectus conſenſus: tertio ex parte materiæ, quando hæc eſt levis; ita ut ad peccatum mortale neceſſarium ſit omnia hæc tria concurrere, plenam advertentiam , plenum conſenſum , & gravem materiam ut ex profeſſo habetur in prima parte mearum Conferentiarum moralium *tract. 2. ſect. 4. Conf. 1. §. 2. num. 9. & ſeq.* Subinde etiam peccatum ex ſua natura veniale poteſt fieri mortale ex quinque capitibus : primo ratione ultimi finis : ſecundo ratione finis adjuncti: tertio ratione ſcandali : quarto ratione contemptus: quinto ratione periculi: quod etiam explicatur loco citato *Conf. 3. §. 1. num. 4. & ſeq.* Mortale quoque poteſt fieri veniale, & è contra ex conſcientia erronea, qua operans putat mortale, veniale, & è contra: ut fusè declaratur in Confeſſariis *tract. 1. Conf. 1. n. 9. & ſeq.*

14. So-

14. Solicitus sit Confessarius in examinando, ut jam dixi, Pœnitentem de aliquibus speciebus peccatorum, & an hæc sint reincidentiæ, vel habitus, ad formandum deinde judicium, utrùm sit incapax absolutionis, juxta Proposit. 60. damnatam ab Innocentio XI. cujus explicatio habetur in prima hac parte *tr. 10. num. 230. & seq.* & advertendum est in quodnam vitium soleat frequenter labi: hæc inquisitio poterit fieri circa recitationem Divini Officii, de quo agitur in hoc libro *tract. 12. cap. 5.* Et *tract. 13. cap. 2.* circa omissionem prædicationis Evangelicæ, & doctrinæ Christianæ, ad quod tenentur Parochi. *Tract. 14. cap. 4. 5. 6.* circa transgressionem Religiosorum quo ad eorum vota. *Tract. 15.* circa omissionem Judicum, & circa peccata, quæ alii Officiales committunt in suo ministerio *tract. 16.* pariter si peccata dependeant ab aliqua proxima occasione, interrogandum est modo assignato *tract. 12.* hujus libri *cap. 1. num. 11. & seq.* Pro notitia an debeat negari absolutio, & regula in prima parte *tract. 10. num. 231. & seqq. & in 2. part. tract. 17. num. 273.*

15. In secunda parte hujus libri tracto de obligationibus, tam generalibus, quàm particularibus, quas habent respectu suorum Officiorum, Sacerdos, Parochus, Religiosus, Monialis, Judex, Advocatus, Secretarius, Testis, omnésque alii Ministri; ut Confessarius his imbutus prædictorum defectus, & omissiones noscere valeat. Dantur aliqui Pœnitentes, qui confitentur tantùm peccata patrata contra Dei, & Ecclesiæ Præcepta, nullam facientes mentionem de omissionibus, & commissionibus habitis in propriis ministeriis, vel ad summum genericè se accusant dicendo, me accuso de defectibus commissis in meo statu, officio, absque specificatione alicujus rei in particulari; cùm tamen certissimum sit, eos aliquando gravissimis omissionibus, & turpissimis commissionibus in ipsorum ministerio gravari: Et hoc fuit motivum editionis secundæ partis hujus praxis, in qua subjicio oculis PP. Confessariorum obligationes personarum publicarum, quo ad particularem earum statum ad hoc ut his benè instructi de specialibus earum culpis interrogare eas possint. In eadem secunda parte omitto obligationes Mariti erga uxorem, sic etiam Filiorum, & Parentum, Tutorum, Dominorum, & Servorum, cùm de his omnibus in prima parte agendo de 10. Præceptis disseruerim.

16. In fine cujuslibet tractatus, tam in prima, quàm in secunda parte, apponetur exhortatio congrua pro suadendo Pœnitenti adimpletionem obligationum sui statûs, ac vitæ emendationem; & quamvis pluribus non desint verba, & rationes pro dictis exhortationibus, pro aliis tamen, qui hac

facilitate non pollent, superfluæ non erunt: videbitur fortè aliquibus per sonas Ecclesiasticas, & Religiosas non indigere similibus exhortationibus, cùm propriæ obligationis consciæ supponantur; nihilominus prudens Confessarius cum omnibus, & quolibet in particulari ita se gerat, licèt enim eandem sciant, si non adimplent, corrigi debent, & quia tanquam rei ad Tribunal accedunt, velut rei corripiendi sunt; insuper cùm Confessarius gerat vices, & tanquam Christi substitutus loquatur, hocque Pœnitenti doctiori sit notum, libentiùs audiet verbum Domini, quàm ignorantes, & indocti, qui eminentiam personæ à Confessario repræsentatæ non concipiunt: Lector etiam per dictas exhortationes, velut per digressiones, & novas doctrinas à tædio alleviabitur.

17. Ne Pœnitens obliviscatur culparum contra particularis sui status obligationes, vel Confessarius de eisdem interrogare, adverto, quòd Sacerdotes in tertio præcepto possint se accusare, de defectibus commissis in recitando Divino Officio, & Missa celebranda; Parochi in quarto, de omissionibus in eorum Ministerio, in administrando Sacramenta, concionando &c. Ministri Tribunalium in quarto, & octavo; Testes agentes in secundo; & alii Ministri in quarto; sícque decem Præcepta percurrendo confessionis processus concludetur absque periculo, quòd obligationes propriæ generales, aut particulares sine examine transmittantur.

18. Modum, quo Confessarius debet se gerere in confessionali, per extensum Theologi Morales tradunt; breviter dicam omnium primò, peti debere à Deo per intercessionem suæ purissimæ Matris MARIÆ Dominæ nostræ sanctissimæ lumen pro sua obligatione adimplenda, & animabus ad veram viam salutis dirigendis. Angulos, & loca remota, quæ suspecta habentur, fugiat, sed in loco decenti, & aperto confessiones excipiat, nunquam verò in domibus, aut cubiculis privatis absque urgenti necessitate: oculis ad terram fixis, à vultis Pœnitentis prospiciendo, ejúsque qualitate, patria, nomine indagando caveat; imò positâ ejusdem notitiâ gerat se, ac si non nosceret: non sine causa unum præ alio exaudiat: pro suo posse nimium circumstantium ad confessionale accessum impediat propter periculum revelationis, & ne Pœnitens de hoc dubius aliquod peccatum occultet: non ducatur passione exaudiendi potiùs divites personas, quàm pauperes, fœminas, quàm viros, neque festinè procedendo suggerendo Pœnitenti, ut se expediat; quia hic nec sua confessione contentus, nec Confessarius cum hac festinatione solidum judicium status, & peccatorum ejusdem formare poterit: solicitus sit in inquirendo circumstantias necessarias, numerum, & species peccatorum:

rum: caveat tamen à quibusdam interrogationibus nimiùm curiosis, & impertinentibus, præcipuè in materia obscœna: torvum aspectū nunquam ostendat Pœnitenti, nec asperè cum eo agat, reprehendendo ipsum ante persolutam confessionem, qua tamen completâ suaviter, & affectuosè ad emendationem hortetur, validisque rationibus corrigat; nec audiendo, quòd Pœnitens per integrum annum confessus non fuerit, ad reprehensionem immediatè procedat, aut aliquid proferat, sed peracta confessione eidem objiciat, quàm difforme sit in uno Christiano, integrum sine confessione transigere annum; verum est quidem, ut dixi, dulciter, & suaviter debere se gerere cum pauperculis Pœnitentibus; cum mulieribus tamen, sicut à nimia severitate, & asperitate, ita ab excessiva benignitate, ac quasi blanditie, in verbis Confessario cavendum est; hoc enim, & ipsas, & Confessarium in aliquo metuendo periculo constituere posset: cum his denique gravitas, sed suavis: suavitas, sed modesta practicanda est, ita ut gravitas sit accepta, & suavitas cauta: in pœnitentia imponenda non sit personarum acceptator: sit Judex justus, ejúsque justitia fundetur in processu delictorum, non in qualitate personæ, divitis, aut pauperis, nobilis, aut ignobilis. Cætera cujuscunque prudentiæ, ac experientiæ meliori Doctori quolibet Magistræ remitto.

19. Unum ex præcipuis à PP. Confessariis observandis est vivere vitâ illibatâ in Sanctis moribus, & conversatione ædificativa; quandoquidem contrarium agentes, nec Deum lumine singulari veritatis ipsis assistentem experientur, nec penes proximum efficaciam aliquam eorum exhortationes obtinebunt, vitam relaxatam ducendo. Confessarius, qui bonam vitam non gerit, Dei inimicus erit, & Deum, qui fons est veritatis, inimicum habendo, eandem tanquam potentia indignus non promerebitur. Lumen culparum qualitates penetrandi, prudentia conscientias dirigendi, discretio Pœnitentibus salutaria consilia applicandi, & aliæ prærogativæ pro sublimi, ac laborioso Patris Spiritualis ministerio subeundo, dona sunt, quæ aliquo modo promereri debemus, & quia plurimi demerentur, ideò timendum, ne Deus ea deneget, vel suspendat. Proximus etiam, qui Confessarii actiones incorrectas cernit, quomodo ipsius documenta, doctrinam, consilia magni pendet? quo animo, ac genio ad ejus pedes procumbet? Si Ministro gratia deest, consequenter etiam charitas deerit, quæ ab eadem gratia aut non distinguitur, ut docet subtilis Doctor, aut sit juxta D. Thomam distinguitur, indivisibilis tamen ejus socia est; deficiente autem charitate in Confessario certum est, quòd zelo opportuno confessionali non incumbet, ipsius consilia parùm proderunt, inefficacia erunt ejus verba, modicum

 fru-

fructum ex animabus colliget, quinimò suo malo exemplo causam habebit ruinarum.

20. Multùm quoque interest, quòd Confessarius vitam ducat solitariam à mundo semotam, quia cum sæcularibus, præsertim Pœnitentibus, conversatio domestica, & frequens venerationem, æstimationémque minuit, & hac diminutâ facilè est deinde ipsius consilia parvi pendi; experientiâ enim mihi Magistra, propter Confessarii familiaritatem Pœnitentes integrè non confitentur, detenti pudore referandi suos defectus coram semper exposito propriis oculis; & hac de causa plurimæ confessiones Sacrilegæ fiunt. Multò minùs Confessarius à Pœnitentibus munera recipere debet; tum quia per hoc vilescit ejus conceptus, tum quia non ita liberè operari poterit, quasi muneribus alligatus: non rarò asperè cum Pœnitente absolutionis indigno agendum est, arduus est hic saltus, & cum Pœnitente etiam ignoto difficulter exhibitus, quomodo ergo cum offerente munera exhibebitur, tum denique, quia si Confessarius à Pœnitente pro suis laboribus mercedem accepit, dicet illi Deus: *Recepisti mercedem tuam.*

21. Postremò PP. Confessariis materiarum moralium, & casuum conscientiæ studium injungo, adeò ut (si possibile est) nulla dies transeat, in qua his aliqualiter non vacent: Theologiæ moralis cursus valdè prolixus est, & pro totaliter transmeando temporis jactura vitanda est, quin potiùs ejus momenta sollicitè lucrifacienda: in prima parte mearum Conferentiarum moralium, & in Antiloquio partis secundæ §. 1. fusè probavi, quàm necessaria sit scientia, & studium in Confessario; ubi etiam expono damna ignorantiæ, & modum legendi, ac pervolvendi libros; ibíque patebit, quantùm intersit, PP. Confessarios, in oratione, & lectione librorum spiritualium esse exercitos: cùm enim plurimæ personæ virtuti, ac perfectioni addictæ ad eorum pedes compareant, pro secura earum directione rerum Spiritualium notitiam, & peritiam Confessarius necessariò habere debet.



DIA-

DIALOGUS INTER CONFESSARIUM, ET POENITENTEM.

Qui per decursum Confessionis comprehendit praxim selectiorem Theologiæ moralis, in qua Confessarius secundùm Officium Judicis judicium fert de gravitate, specie, & numero peccatorum; Pœnitentique pœnitentiam satisfactoriam imponit; velut magister pænitentem instruit, ac ignorantiæ ejus tenebras tergit; & velut Medicus medicinas, & remedia opportuna juxta qualitates infirmitatis applicat; divisus per Præcepta Decalogi eâdem formâ, & methodo, quæ in Confessionali prædicatur.

PARS PRIMA.

Nec scribam vanum, duc Pia Virgo manum.

Littera C. denotat Confessarium, Littera P. Pœnitentem.

EXORDIUM, SEU PRINCIPIUM CONFESSIONIS.

QUamvis ordinariè, & absolutè non requiratur, quòd Pœnitens suæ ultimæ confessionis tempus Confessario aperiat (excepto, si confessionem obligatoriam de præcepto intermisisset) nec Confessarius teneatur eum de hoc interrogare; nihilominus, cùm Pœnitens sæpè determinatum numerum peccatorum ignoret, & solùm se accuset de vitio, & frequentia in labendo, idcirco pro tunc ad ferendum judicium saltem generale necessarium est scire tempus, & distantiam unius confessionis ab altera; quare consultum est, ut Confessarius in principio imminentis exquirat tempus ultimæ confessionis modo, & forma sequenti.

1. C. Quantum temporis est, à quo V. D. ad confessionem non accessit?

P. P. R. sunt duo anni elapsi.

C. Dicat Fili, potuítne intra hoc tempus confiteri?

P. P. R. primo anno ante quadragesimam ob certum negotium iter aggredi per mare debui, & postmodum nunquam opportunam confitendi occasionem habui.

C. Poterátne ante aggressum iter confiteri?

P. Ita P. R.

C. Licèt Joannes à Cruce, quem citat & sequitur Diana part. 3. tract. 4. resol. 69. doceat, quòd occurrente ante tempus obligationis præcepti impedimento impediente executionem illius suo tempore, non teneatur quis antecedenter eidem satisfacere; sententia tamen contraria vera est, eamque confirmant Sylvester, Hurtadus, Sotus, & alii citati à Facundez super Præcepta Ecclesiæ lib. 1. cap. 4. n. 16. & sic vi opinionis horum Doctorum debuisset V. D. ante aggressum iter confiteri, si præviderat hoc non posse peragere tempore debito, & annuæ confessioni satisfacere. Alia de causa etiam peccavit V. D. in hac omissione, nempe, quia quilibet tenetur sub præcepto confiteri in periculo mortis: sed iter facere per mare reputatur pro periculo mortis: ergo debuisset vi hujus præcepti confiteri.

C. Finita quadragesima, & tempore præfinito pro confessione habuítne V. D. opportunum confitendi tempus?

P. Ita P. R.

2. C. Ergo secundùm communem Doctorũ opinionem tenebatur V. D. statim habita opportunitate confiteri. Ratio est; quia præceptum confessionis non terminatur in Paschate, ita nec communio, sed obligat semel in anno; & licèt Filiucius contrarium sentiat, dicendo, quòd, qui non potuit in quadragesima, sive in Paschate confiteri, postmodum non obligetur, quantumvis habeat copiam Confessarii; hujus opinionis pariter sunt S. Antoninus part. 2. tit. 9. §. 3. Sylvester verb. Eucharistia 3. q. 15. Tabiena, Megala, Valentia & alii, quos aliis omissis citat Diana p. 3. tract. 4. resol. 130. Attamen sententia contraria est vera.

3. P. P. R. anno elapso commisi incestum cum unica, quam habui, consanguinea, & hæc in eodem loco mei domicilii habitabat; ut autem Confessarius in hujus cognitionem non veniret omisi confessionem.

C. Poterátne V. D. adire alium locum, ibique confiteri, ubi complex non cognoscebatur?

P. Ita P. R.

C. Est opinio probabilis, & communis contra comunem, quòd quando aliquis confiteri nequit peccatum, vel circumstantias necessarias absque manifestatione complicis, licitum sit reticere peccatum, vel circumstantias ejus. Ita docet Cajetanus in Sum. verb. confessio. Can tus Navarrus, & alii, quos citat Caspensis tract. 24. disp. 4. sect. 17. num. 153. verum tamen est, quòd, quando confessarius inscius complicis inveniri potest, confiteri teneatur, ut præceptum confessionis adimpleatur; ita Caspensis loco cit. n. 156. Choninch disp. 7. dub. 9 n. 88. Lugo de pœnit. disp. 16. sect. 7. n. 392. Et licèt V. D. copiam Confessarii non potuerit habere, alia tamen peccata

mor-

mortalia eidem confiteri tenebatur, circumstantiam incestûs omittendo. Ita Caspensis ibid. Quapropter V. D. non satisfecit his duobus annis præcepto annuæ confessionis; adeóque per hoc graviter peccavit; malitia verò horum duorum peccatorum, licèt sit contra virtutem Religionis, non est tamen sacrilegium; quia non fuit violatio rei sacræ. Accusátne pariter se non satisfecisse præcepto his duobus annis annuæ communionis, cùm sit distinctum peccatum etiam virtuti Religionis oppositum?

4. P. P. R. de omnibus me accuso, & non solùm de his, sed etiam, quòd in ultima confessione duorum peccatorum oblitus fuerim.

C. Venítne in cognitionem horum peccatorũ ante vel post comunionem?

P. P. R. unius fui recordatus ante, alterius post communionem.

C. Habuítne V. D. tempus confitendi ante comunionem hoc peccatum?

P. P. R. audiendo Sacrum fui recordatus, & licèt tempus confitendi habuerim, ob multitudinem tamen populi in templo existentis non tentavi regredi ad confessionem.

C. Si V. D. recordata fuisset hujus peccati, quando jam in gradibus communionis flexit ad sumendam Eucharistiam, potuisset eam sumere ad evitandam notam, & postmodum illud confiteri; cùm autem tempus habuerit, peccavit mortaliter non confitendo, & hoc modo communicare sine prævia confessione est sacrilegium. Videatur Leander à SS. Sacramento part. 2. tract. 7. disp. 7. q. 18. & 21.

Aliud peccatum, cujus V. D. post communionem recordabatur, in sequenti confessione confiteri tenebatur, secundùm comunem Theologorum docentium: quòd peccata indirectè remissa oblivionis causâ, in proxima confessione confiteri teneamur; & colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 8. Verumtamen est, quòd peccatum ex oblivione omissum confiteri illico non tenebatur, imò poterat usque ad tempus obligationis præcepti confessionis differre. Ita affirmant Villalobos, Laymã, Filiucius, & alii citati à Diana, quósque ipsemet sequitur part. 3. tract. 4. resol. 124. videatur 2. pars hujus praxis tract. 17. n. 70. & seq.

5. P. P. R. me accuso, quòd in die Portiunculæ Confessarius me absolvere non potuerit, & ego absque ulteriori confessione Eucharistiam sumpserim.

C. Judicavítne V. D. hoc sibi licere?

P. P. R. scivi, quòd non sit licitum, imò vero cognovi me per hoc graviter peccare.

C. Cogitavítne committere unum tantum peccatum communicando in peccato mortali, an verò duo, ex eo, quòd sine confessione & absolutione Eucharistiam sumpserit?

P. P. R. non multùm cogitavi me peccaturũ comunicando in tali statu.

C. Non sunt duo peccata, sed tantùm unum sacrilegium communicando

do sine prævia confessione. Diana part. 3. tract. 4. resol. 35. Idem sentiendum est de communicante non absoluto à peccatis. Ratio est; quia quando aliquod præceptum imponitur ratione alterius, violatio amborum præceptorum est tantùm unum peccatum: sed sic est, quòd confessio propter communionem imponatur: ergò communio sine confessione, vel absolutione unicum tantùm erit peccatum. Oppositum contingit in eo, qui malè confitetur, & communicat, hic enim committit duo peccata violando duo præcepta, quorum unum ad alterum non ordinatur; unum enim præceptum est, ut confessio benè peragatur, & alterum est, ut sine peccato Panis Eucharisticus sumatur, & hæc duo præcepta sunt de Jure Divino, & sic duo peccata sacrilega committit.

6. C. Dicat mihi V. D. satisfecítne Pœnitentiæ in ultima confessione ei impositæ?

P. P. R. Confessarius mihi imposuit quatuor jejunia, quæ nec dum perfeci.

C. Potuítne ea perficere?

P. Ita P. R.

C. Fuit ne ipsi à Confessario determinatum tempus, intra quod hæc jejunia perficere debuisset?

P. P. R. Confessarius ad nihil aliud me obligavit, nisi ad quatuor jejunia sine determinatione temporis.

C. Quando Confessarius tempus pro pœnitentia persolvenda assignat, tenetur intra illud tempus eã adimplere, si potest; si autem tale tempus non assignat, tenetur satisfacere quamprimum potest cum sua commoditate, & si per aliquod tempus illam adimplere differat, non peccat mortaliter, dummodò non sit per longum tempus. Ita docet Caspensis tract. 24. disp. 8. sect. 5. n. 24. & sic V. D. mortaliter peccavit, tanto tempore jejunia à Confessario imposita differendo, & hoc peccatum est contra virtutem Religionis; cum satisfactio sit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ.

7. C. Fecítne V. D. examen suæ conscientiæ?

P. Ita P. R.

C. Quantum temporis in hoc examine consumpsit?

P. P. R. sunt jam duo, vel tres dies, quibus semper per aliquod tempus me ad hoc examen applicui.

C. Communiter loquendo necessarium est longius temporis spatium pro examinanda conscientia, quando confessio fit à longo tempore, & in hoc tenenda est regula secundùm capacitatem Pœnitentis, negotia, officia, ministeria, quibus est intricatus, & secundùm distantiam temporis elapsi ab una confessione ad alteram: Pro personis omni Mense bis confessionem frequentantibus ad examinandam conscientiam duæ horæ sufficiunt; confessiones ab uno anno ad alterum indigent octo diebus, & plus secundùm personam magis, vel minus vitiosam. Modus autem examinandi conscien-

tiam

tiam est, se reflectere supra 10. Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, & quoties in hoc, vel alio Præcepto deliquit.

8. P. Ulteriùs P. R. me accuso, quòd in juventute mea sine examine conscientiæ confiteri solebam.

C. Opinabatur ne V. D. eam tunc temporis benè confessam fuisse non obstante examinis omissione?

P. Ita P. R.

C. Ergo non obligatur V. D. ad reiterandas illas confessiones; colligitur hoc ex doctrina Navarri, Sylvestri, Vasquez & aliorũ apud Dianam part. 3. tract. 4. resol. 107. docentium, quòd, quando Pœnitens cũ errore vincibili, vel culpabili judicat aliquid non esse peccatum mortale, quod reverà est, & cum hoc errore illud confiteri prætermitit, non obligetur ad reiterandam confessionem; sed sufficiat, quòd se accuset de peccato, & culpa suæ ignorantiæ: ergo neque necessarium erit reiterare confessiones sine debito examine factas, quando putabat confessionem per hoc non invalidam, licèt talis omissio sit venialiter culpabilis: solùm necessarium erit, ut V. D. se accuset de omissione in examinanda sua conscientia: videatur 1. pars hujus praxis tract 10. de sent. damnat. Propos. 1. n. 14. ubi de hoc fusiùs tractatur.

P. P. R. me accuso igitur de hac omissione.

C. In quot confessionibus hanc negligentiam habuit, omisitque examen?

P. P. R. in viginti, parùm plus, vel minùs.

9. C. Reticuitne aliquando ob verecundiam aliquod peccatum in confessione?

P. P. R. quando perveniam ad sextum Præceptum dicam de hoc in particulari.

C. Non V. D. nunc est necessarium, ut dicat; quia, si aliquod peccatum malitiosè reticuit, fecit confessiones sacrilegas, adeóque tenetur nunc facere confessionem generalem ab illo tempore, quò tale peccatum omisit confiteri; & consequenter requiritur, ut nunc dicat, an aliquod peccatum ex malitia in confessione reticuerit; nec contristetur, aut timeat, recordetur, me esse hominem, sicut V. D. & quidquid mihi dixerit, non admirationem, sed miserationem pariet, imò ter capax ero de omnibus; sciat mi Fili, quòd, licèt peccata ipsius gravissima forent, ab iis omnibus absolvendi authoritatem habeam, (supposito, quòd Confessarius defacto ordinariam, vel delegatam potestatem habeat) absque obligatione petendi Romam, aut denuntiatione ad Sacram Inquisitionem: de omnibus mihi revelandis nullus mortalium quidquam sciet, quia confessario nihil prorsus ex auditis in confessione revelare licet, etiam cum vitæ periculo: animæquior sit, & dicat hilariter sine timore, quidquid ipsi occurrit; cùm nemo audiat, & simus soli: ex suorum peccatorum confessione eorumdem etiam remissionem à Deo impetrabit; secùs verò, con-

demnabitur ad infernum, quò Diabolus animam ipsius deferet, prout detulit plurimas alias peccata sua ex verecundia in confessione omittentes.

His, & similibus exhortationibus opus est, ut Confessarius in similibus casibus animet Pœnitentem ad sua peccata sincerè manifestanda.

10. P. P. R. me accuso, quòd in juventute mea cum puellis conversari solebam exercendo aliquas actiones indecentes.

C. Cujus ætatis erat V. D. illo tempore?

P. P. R. pro certo dicere non possum.

C. Fortassis 7. vel 8. annorum parùm plus, vel minùs?

P. Ita probabiliter erit.

C. Quoties V. D. hoc patravit?

P. P. R. quatuor, vel quinque vicibus parùm plus vel minùs.

C. Videbantúrne ipsi pro tunc eæ actiones malæ, & deformes?

P. P. A. cùm essem teneræ ætatis, non multum cogitavi de malitia harum rerum, aliquam tamen turpitudinem in iisdem deprehendi.

C. Quandocumque pervenitur ad usum rationis, raro contingit non adesse malitiam; quia etiam parvuli, dum similes actiones exercent, loca occulta quærunt, ne videantur, ex quo colligitur, quòd hæ actiones illis videntur rationi contrariæ, & hoc ad peccarum sufficit.

C. Recordabatúrne aliquando confiteri ista peccata?

P. P. R. nunquam mihi in mentem venit, nisi modò.

C. Cùm ergo V. D. nunquam horum peccatorum recordata fuerit, neque eorum omissio confessiones invalidas reddidit; adeóque sufficit, quòd nunc accuset se quatuor, vel quinque vicibus parùm plus, vel minùs actiones indecentes exercuisse.

11. C. Habétne V. D. adhuc alia peccata, quæ nunquam confitebatur?

P. Ita P. R. cùm essem 13. annorum circiter ætatis meæ, dormivi cum mea sorore ejusdem quasi ætatis, & semel habui cum ea tactus inhonestos.

C. Hujus tactus recordabatúrne, dum ad confessionem accessit?

P. Ita P. R.

C. Et quare illud in confessione omisit? forsan ob verecundiam, vel quia putabat, non esse peccatum.

P. P. R. illa ætate, qua hoc commisi, dixi intra me, forsan non erit peccarum.

C. Nónne remansit in corde aliquis remorsus, & continuus conscientiæ stimulus se confessionem non benè peregisse?

P. Ita P. R. quia postmodum nunquam tanquillam habui conscientiam.

C. Si sic est, hoc sufficit, ut confessiones factæ pro sacrilegis condemnentur; quia V. D. operabatur cum conscientia dubia, & quando Pœnitens scit, se comisisse peccatum, reticuit verò illud, & dubitat, an ob verecundiam, vel ob justam causam reti-

cuerit,

cuerit, tenetur confeſſiones repetere; ut affirmat Moga in ſelect. 71. tract. 3. diſp. 1. q. 8. §. 3. n. 17. & Diana p. 10. tract. 14. reſol. 17. Et Ratio eſt; quia, qui certus eſt de præcepto, dubitat verò, an ſatisfecerit, tenetur ſatisfacere. In hoc caſu V. D. certò ſcit adeſſe præceptum confitendi peccatum commiſſum, dubitat verò, an ſatisfecerit: Ergo tenetur ſatisfacere.

12. C. Dicat mihi, remorſus hic remanens in corde ob omiſſum hoc peccatum, vel fuit ex eo, quia putabat ſe malè agere reticendo illud, vel ex eo, quòd malitia peccati minor eidem videretur quàm in ſe fuerit, vel quia dubitavit, quòd per hoc peccatum confeſſio facta mala fuerit?

P. P. R. meus remorſus ex dubio malæ confeſſionis proveniebat; & licèt intra me dicerem, quòd cùm commiſerim hoc peccatum in pueritia, fortè non obliget ad ejuſdem confeſſionem; nihilominus maximas ſenſi anguſtias.

C. Quando Pœnitens ſcit, quòd reticendo peccatum in confeſſione malè operetur, & peccet, ſed non putat eſſe mortale, nec confeſſionem eſſe invalidam, non tenetur confeſſionem repetere. Ita affirmat Poſſevinus citatus à Moga loco paulo ante citato §. 1. n. 1.

Pater Ludovicus à S. Joan. addit in Sum. ubi de pœnit. n. 52. quòd is, qui peccatū in confeſſione reticuit ſciens per hoc ſe mortaliter peccare, non autem ſcit ex hinc confeſſionem fore invalidam, non obligetur ad reiterandam confeſſionem.

Neutra ex his opinionibus communiter probabilis eſt in praxi, & maximè ſecunda; quia etiam inter ignorantes magis idiotæ ſciunt, in confeſſione omnia peccata eſſe manifeſtanda; & ſi hoc non adimplent, inquietam conſcientiam reportant; ex quo arguitur, quòd practicè credant, non ſolùm ſe malè agere reticendo peccata, verùm & confeſſionem per hoc eſſe malam.

Nihilominus hæ duæ ſententiæ pro ſcrupuloſis ſunt bonæ, in quibus ex auditu alicujus ſeveræ concionis excitantur ſcrupuli, an hoc, vel illud peccatum fuerint confeſſi, nec ne; tales, licèt in aliquibus confeſſionibus omiſerint id cum aliquo remorſu, non debent obligari ad repetendas confeſſiones.

13. C. Dicat mihi V. D. in quot confeſſionibus inter tot factas poſt hoc commiſſum peccatum fuit oblita, & confeſſa ſine remorſu?

P. P. R. in octo confeſſionibus circiter non fui recordatus, eáſque absque ullo remorſu peregi.

C. Sicut hæ octo confeſsiones fuerunt bonæ, ita non eſt neceſſarium eas reiterare, neque peccata in iis revelata, cùm confeſſiones ſemel validæ ſemper ſint validæ, ſed tantùm remanet obligatio V. D. ut cæteras confeſsiones repetat, & nunc confiteatur

earum

earum peccata, quasi nunquam confessa fuissent, cùm nullum eorum sit remissum.

14. P. P. R. haud potero distinguere, vel discernere, quænam peccata sim confessus in bonis confessionibus, & quæ in malis, ob longum tempus, quo hoc modo confiteri soleo.

C. Nihil refert, cùm sit opinio Bonacinæ apud Dianam part. 3. tract. 4. resol. 62. Busenb. Long. Pasqual & aliorum, quos citat, & sequitur ipse Diana part. 11. tract 6. Miscell. resol. 22. de Lugo disp. 16. sect. 2. n. 47. Leander à SS. tract. 5. de pœnit. disp. 5. q. 23. Tamburin Dicast. & alii quos citat, sed non sequitur Moga in select. tom. 1. tract. 3. disp. 1. q. 3. §. 1. n. 2. qui docent, Pœnitentem non obligagari ad confitendum peccatum taliter, ut Confessarius cognoscat, & judicet patratum esse post ultimam confessionem, imò posse confiteri in tali forma, ut Confessarius censeat esse peccatũ vitæ præteritæ: v. g. is qui generaliter confiteri intendit, & post ultimam confessionem nova peccata commisit, potest hæc cum aliis indistinctè confiteri non specificando, qualia jam fuerit confessus, & qualia non.

Et licèt hæc opinio non videatur mihi nimis secura, cùm per hanc aperiretur via relinquendi peccata impunita, & sine debita satisfactione, nec non decipiendi Confessarium; nihilominus in præsenti casu potest practicari, & sic licèt V. D. habeat aliqua peccata remissa ex confessionibus intermediis benè factis, & alia ex malè factis, potest omnia peccata, quorum recordatur, indistinctè confiteri, cùm moraliter loquendo sit difficillimum, majori claritate, & distinctione procedere in simili casu.

15. C. Modò mihi V. D. dicat quantum temporis est, à quo cum sorore tactus inhonestos habuit?

P. P. R. quomodo possum scire tempus determinatum?

C. Non turbetur V. D. facile res accomodabitur: cujus ætatis est modò?

P. P. R. 42. annorum circiter.

C. Benè, cùm ergo V. D. 12. annos habuerit, quando in hoc peccatum cecidit, & nunc habeat 42. sunt 30. anni, à quo commisit hoc peccatum.

C. Quoties in anno solet V. D. confiteri?

P. In principio bis vel ter in anno confiteri solebam, postmodum quater & aliquando quinquies.

C. Recordatúrne V. D. temporis, quo binis, vel ternis vicibus confitebatur, & quo quater, vel quinquies?

P. P. R. mihi videtur, me primis viginti annis bis vel ter fuisse confessum, ultimis verò annis quater, vel quinquies.

C. Recordatúrne V. D. an in primis viginti annis sit major numerus confessionũ, quando bis, quàm quando ter confiteri solebat; & an in ultimis annis sit major numerus confessionũ, quan-

quando quater, quàm quando quinquies confitebatur?

P. P. R. difficile est scitu.

C. Nihil refert; quia factâ aliquâ prudenti computatione, positis 50. confessionibus in primis viginti annis, & in ultimis decem annis etiam 50. parùm plus, vel minus, quæ omnes simul sumptæ faciunt 100. confessiones circiter, sublatis nunc illis octo, quæ bonæ fuerunt; quia ex mera oblivione hoc peccatum omisit, confessiones malæ & sacrilegæ sunt 92. Accusàtne se de 92. sacrilegiis commissis in illis confessionibus, & 92. aliis sacrilegiis factis in communionibus, sumendo indignè Corpus Domini ob confessiones non ritè factas?

P. P. R. de omnibus his me accuso.

C. Illæ octo confessiones bonæ fuerúntne factæ tempore Paschali.

P. P. R. intra duorum annorum spatium omnes 8. confessiones bonas peregi, nec fui recordatus illius peccati tempore Paschali.

C. Ergo cæteris annis non satisfecit V. D. mandato Ecclesiæ præcipientis confessionem, & communionem annuam, & consequenter quolibet ex his anno tempore Paschali commisit quatuor peccata mortalia, duo Sacrilegia ob confessionem, & communionem illicitam, duo alia peccata contra virtutem Religionis non adimplendo præceptum confessionis, & communionis; & sic se accusat, quòd per 28. annos non adimpleverit præceptum confessionis & communionis?

P. R. P. de omnibus his me accuso.

17. C. Fuítne V. D. aliquando hoc tempore infirma graviter, ita, ut ipsi imposita fuerit susceptio SS. Sacramentorum, vel fortè incidit in simile periculum mortis? quia in his eventibus est etiam præceptum confitendi, & communicandi, quod si non adimpleatur, duo peccata mortalia comituntur contra hoc præceptũ; quamvis mihi suadeam, quòd gens vulgaris excusetur ab his peccatis, cùm cogitet, & credat se satisfacere confitendo, & cõmunicando, licèt malè, & indebitè.

P. P. R. per totum tempus, quo SS. Sacramenta suscepi, nunquam fui aggravatus infirmitate, aut in periculo aliquo mortis constitutus.

C. Percepítne hoc tempore aliquod Sacramentum vivorum, ut Confirmationem, Ordinem, Matrimonium, &c. cùm hæc in peccato mortali recipere sit sacrilegium?

P. P. R. nullum horum percepi.

C. Si V. D. non habuisset occasionem mihi confitendi, nec ego eam interrogassem, fuissétne confessa, vel occultasset hoc peccatum?

P. Valde de hoc dubito; quia licèt habuerim semper animum adeundi aliquod Monasterium ad liberandam conscientiam meam ab hoc peccato, credo tamen, quòd etiam in aliis confessionibus idem reticuissem.

C. Accusat se etiam de hac prava vo-

voluntate ulteriùs malè confitendi, & indignè communicandi?

℟. Ita P. R. de omnibus me accuso.

18. C. Hic modus tenendus est à confessariis in examinando pœnitentes qui ob verecundiam reticuerunt aliqua peccata; hocque examen extendant per Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, interrogando de iis, in quæ frequenter incidere solent ejusmodi qualitatis, & conditionis personæ; nec debent turbari, quando aliquis ad eorum pedes procumbit, qui per multum tempus sacrilegè confessus fuit, multò minus eundem dimittere ad examinandam melius suam conscientiam, ut solent aliqui parum phlegmatici; primò, quia pauci sunt, qui semel dimissi de novo redeant; secundò, quia reticentes peccata, ut plurimum, sunt personæ hebetis ingenii; adeóque non sunt dimittendi, quamvis comparent absque prævio sufficienti examine. Ita sentiunt P. Vasquez, & P. Granata citati à Diana p. 10. tract. resol. 31. Hurtadus disp. 10. de pænit. cap. 6. fol. 362. Imò debet Confessarius explere defectum examinis, interrogando eos de singulis, in quibus putat eos deliquisse, ante absolutionem autem imponat eis, ut noviter omni cum diligentia suam conscientiam examinent; & si quid repererint, cujus non recordabantur, redeant alia die ad confessionem. Idem dicit citando Rodriquez, Remigium, & alios noster R. P. Torrecilla in 2. impressione de conf. tract. 2. consult. 11.

Id ipsum expertus sum in Missionibus, in quibus, postquam per interrogationes similes personas ad notitiam suorum peccatorum manuduxi, imponendo, ut, si posteà alicujus peccati recordati fuerint, redire ad confesionẽ teneantur; licèt diligenter se examinaverint, nihil habuerint ad manifestandum, nec quod mediantibus meis interrogationibus manifestarunt, unquã ex se etiam omni possibili adhibita diligentia manifestassent; cùm lues magis contagiosa innumerabiles animas inficiens, & condemnans sit verecundia in confitendo peccata; prout Apostolicus Spiritus S. Vincentii Ferrerii deflet. O quàm multi propter verecundiam in confesione ficta damnantur! multum importat, quòd Confessarii cum sagacitate, dexteritate, amore, & dulcedine ab initio confesionis semper interrogent, utrùm fortè reticuerint aliquod peccatum ob verecundiam, & si persona sit talis, de qua possit haberi suspicio, quòd illaqueata maneat hoc diabolico ligamine, poterit ei fieri narratio sequentis casus, ut ad bonam confesionem faciendam moveatur; & licèt sit valdè tritus, vulgaris; & sæpius repetitus; nihilominus cùm infinitas causaverit conversiones, justum est, ut frequenter repetatur.

In antiquis Cronicis meæ Seraphicæ Religionis refertur, quòd itinerantibus duobus Religiosis mei Seraphici P. S. Francisci, & intrantibus ad orandum quan-

quandam Ecclesiam, obviaverit quædam devota, ut eis videbatur, & Principalis Matrona, quæ unum eorũ supplex deprecata est, quatenus suam cõfessionem excipere non dedignaretur: cujus votis Religiosus annuens, se libentissimè id præstaturum respondit, quod dum exequitur, socius ad quamdam capellam, ut orationi incumbere posset, se contulit, unde vidit ex ore Matronæ confitentis multos horridissimósque bufones egredi, ultimus eorum incredibilis horroris erat, qui ad labia Matronæ veniens, multoties exire tentavit, sed vix ad limen oris perveniens, illico caput retrahebat; finita cõfessione, & vix percepta absolutione omnes illi bufones, qui exierant de novo per os ad cor Matronæ regressi sunt.

Discesserunt Religiosi ab Ecclesia ad prosequendum iter, in quo Socius visionem habitam de bufonibus Confessario distinctè recensuit, qui suspicione sumpta de eventu retrogreditur ad Matronam invisendam; sed vix ad locum advenerunt, de ejus subitanea morte certiores facti sunt.

Hac audita instarunt orationi commendantes animam ejus Deo, & dum fervidas preces effunderent; viderunt intrantem per portam Ecclesiæ super Draconem infernalem insidentem infelicem Matronam, quæ undequaque scintillas ignitas evomebat; pro cinctorio horribilem viperam inhonestatem ejus castigantem habebat; duos feroces scorpiones auribus affixos portabat in pœnam cantillenarum obscœnarum auditarum; mamillæ in duo ostia ardentis fornacis flammas fœtentes eructantia conversæ erant in pœnã flammarum impudicarum, quas adhuc vivens in sinu nutriebat; in capillis ejus horridæ flammæ ignis erant in pænam vani ornamenti ex serico & auro ad alliciendas incautas animas ad illicitum amorem: appropinquavit hæc infelix duobus Religiosis, dixítque eis: sciatis, me esse illam Matronam, quæ paulò ante uni vestrûm confessa est, quámque Justitia divina ad pœnarum infernalium æternitatem condemnavit ob magna inhonestatis delicta; unica autem causa meæ condemnationis fuit occultatio ex verecundia patratarum turpitudinum, quas heri data tam bona occasione vestri adventûs confiteri decrevi; incepi meam confessionem, in qua ad revelationem cujuslibet peccati unus bufo ex corde meo exibat, inter cætera revelanda fuit unum multò gravius aliis, quod binis, aut ternis vicibus tentaveram confiteri, & tunc bufo major, & horribilior aliis super ostium oris mei comparebat; demum victa à verecundia illud subticui, & sicut unum peccatum non dimittitur sine altero, occultato hoc peccato, omnes bufones, qui jam exierant, regressi sunt in corpus meum; atque adeò justissimus Deus, cùm noluerim uti bona occasione ab eodem mihi exhibitâ, repentinâ morte me vita privavit, & ad inferni tormenta, prout videtis, me cõdem-

demnavit. Maledicta sit hora, in qua natus sum, maledicta vestimenta, maledicta amicitia, maledicta sim ego; his horrendis vocibus prolatis infelix evanuit edocendo omnes peccata in confessione occultantes, & quæ sint tormenta iisdem præparata.

19. Ut omnes cum peccatis retentis & confessionibus sacrilegis venientes super decem Præcepta examinari possint, & ad confesionem generalem faciendam adjuvari queant; extendo sequens interrogatorium, in quo magis necessariæ interrogationes habentur, quæ, vel omnes, vel aliquæ juxta dictamen prudentiæ Confessarii, & qualitatē Pœnitentis adhiberi possunt.

Præceptum I.

1. An Præcepto confessionis, & communionis annuæ, vel in periculo mortis constitutus, satisfacere intermiserit?

2. An sine sufficienti examine dolore, & vero proposito confessionem aliquam indignè peregerit? vel ex verecundia, aut malitia aliquod peccatum verum, vel dubium reticuerit?

3. An Pœnitentiæ, & aliis obligationibus à Confessario impositis, in restituendis rebus furto ablatis, redintegranda fama, dum commoditatem habuit, satisfecerit?

4. An sciat scitu necessaria, ut sunt principalis Fidei Mysteria; an symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, septem Sacramenta, Orationem Dominicam, & actum contritionis elicere, sciat?

5. An aliquid contra Fidem crediderit, vel de aliquo ejusdem mysterio dubitaverit?

6. An de Misericordia Divina desperaverit, vel de ea nimiùm confidens peccaverit?

7. An deliquerit quoad præceptum amoris Dei, vel proximi, non succurrendo ei in suis necessitatibus, dum potuit?

8. An somniis, divinationibus, vel aliis superstitionibus fidem præstiterit. An psalmis, & orationibus suspectis ad morbos curandos tum hominum, tum animalium, vel aliqua oratione, qua promittitur mors bona, vel sine confessione non subeunda, vel apparitio Virginis Sanctissimæ in illa hora, vel alterius Sancti, usus fuerit?

Præceptum II.

1. An Sanctissimum Dei Nomen, vel suorum Sanctorum blasphemaverit?

2. An perjuraverit, vel juraverit quidem in veritate, sed absque necessitate?

3. An ipsius juramentum tertiæ personæ damnum causaverit?

4. An animo vindicativo, vel minando juraverit?

5. An juramenta promissoria, ut sunt vota, vel promissiones Deo factæ, adimpleverit? Advertendum tamen est, quòd, si juramentum sit de re mala, nulla obligatio illud adimplendi urgeat; imò multiplicaretur peccatum illud adimplendo.

6.

6. An ſine rationabili cauſa vota, vel promiſsiones adimplere diſtulerit?

7. An contra Filios, vel Parentes, & ſi contra hos, an in eorum præſentia, vel ſolùm in occulto maledictiones, imprecationes ex corde, vel ore tantùm protulerit?

Præceptum III.

1. An audire Sacrum in die Feſti omiſerit, vel periculo non audiendi ſe expoſuerit?

2. An per notabilem partem Miſſæ garriverit, dormiverit, vel intrantes, aut exeuntes aſpexerit, vel an fuerit cauſa, quòd alii Sacrum non audiverint?

3. An in audienda Miſſa per ſigna externa alicui perſonæ fuerit addictus, vel nimia curioſitate, & curâ eam aſpexerit, vel in rebus, aut cogitationibus loco ſacro alienis ſe detinuerit?

4: An in die Feſti ultra duas horas, vel minori tempore cum ſcrupulo peccati mortalis laboraverit?

5. An, dum licentiam metendi habuit, alia opera non contenta in licentia exercuerit?

6. An Præceptum jejunii absque legitima diſpenſatione, vel gravi labore, aut infirmitate fregerit?

7. An dubitando ſe non poſſe jejunare, inconſulto Medico vel corporali, vel ſpirituali, non jejunaverit?

8. An diebus prohibitis carnes comederit absque ſufficienti cauſa, vel de hac dubitaverit, & quoties in die comederit; ſiquidem toties mortaliter peccavit?

9. An ova, lacticinia in quadrageſima (ubi prohibita ſunt) absque obtenta licentia, & quoties per ſingulos dies comederit?

10. An in collatione veſpertina vel in quantitate, vel in qualitate exceſſum fecerit?

11. An decimas Eccleſiæ, & primitias ſolverit, vel de deteriori dederit?

Præceptum IV.

1. An ſuis Genitoribus aliquod audax reſponſum dederit, vel fuerit cauſa, quòd juraverint, maledixerint, vel quòd contriſtati fuerint?

2. An illis fuerit inobediens, aut mandatis eorum non ſe ſubjecerit, vel non libenter, vel tardè, vel de nocte contra eorum voluntatem de domo exiverit?

3. An eorum neceſſitatibus ſuccurrere intermiſerit, vel contra eos malam voluntatem habuerit?

4. An negligens fuerit in educandis prolibus, eas non inſtruendo in bonis moribus, & doctrinâ Chriſtianâ, vel jurando, maledicendo, aut alia noxia exercendo in earum præſentia malum exemplum eis præbuerit?

5. An punire, & corrigere filios intermiſerit, quando erat neceſſarium?

6. An tempore opportuno in ſtatu eorum vocationis conſtituerit, vel eorum voluntati contradixerit; ne vocationem Divinam ſequerentur?

7. An facultates (quibus eos acco-

modare poterat) in voluptatibus, lusibus profanis, vel superfluis dissipaverit?

8. An fuerit causa contentionum, & discordiarum cum uxore, eámque verbis injuriosis affecerit, vel in eam manus injecerit?

9. An sine rationabili causa ei debitum matrimoniale negaverit, vel hoc usus fuerit tempore, vel loco, ubi Filii, aut famuli videre, vel audire poterant?

10. An ut Officialis Justitiæ hanc non administraverit, vel propter interesse gratiam, & æquitatem vendiderit?

11. An eandem tam pauperi quàm diviti, tam consanguineo, quàm alienigenæ in delictis æqualibus æqualiter administraverit?

12. An in solutione suorum Jurium ultra justum, & taxatum pretium acceperit?

13. An non procuraverit impedire scandala, concubinatus, furta, ludos, ebrietates, &c.

14. An, ut Parochus, Populum Christianam doctrinam edocere, ac Evangelium juxta Præceptum Concil. Trident. Sess. 22. cap. 8. explicare neglexerit?

15. An fuerit solicitus in administrandis SS. Sacramentis, quando necessitas exigebat?

16. An ex sua negligentia aliquis Parochianus sine Sacramentis obierit?

17. An scientiam suo statui necessariam comparare studuerit, quomodo suæ obligationi possit satisfacere?

18. *A*n sit causa scandali, & absque Zelo, ut animæ ipsi recommendatæ in sancto DEI timore vivant?

19. An obligationibus Missarum per longum tempus satisfacere distulerit?

Procuret Confessarius ita proportionaliter examinare singulos de negligentiis, quas committere potuerunt in proprio officio, vel statu individualiter.

Præceptum V.

1. An odio habuerit proximum, vel ei mortem desideraverit, vel aliud grave damnum; vel an aliquando ei loqui recusaverit, & hoc cum nota, & scandalo, vel desideraverit vindictam?

2. An vulneraverit, interfecerit, vel interficere, aut vulnerare aliquem optaverit, & an usus fuerit, vel uti studuerit aliis ad faciendum malum?

3. An violentas manus in Ecclesiastica dignitate fungentem injecerit?

4. An procuraverit; vel Consilium dederit; vel media subministraverit ad fœminæ abortum?

5. An fuerit causa alicujus duelli, vel in id consenserit, & acceptaverit; vel induxerit alios quærendo Patrinos ad duello assistendum?

6. An fuerit causa contentionum, rixarum, vel discordiarum narrando, quæ cogitavit, aut ea, quæ audivit?

7. An excesserit in comestione taliter, quòd ipsi nocuerit, vel ita biberit, quòd sui ipsius compos non fuerit; vel an comederit sal, terram, calcem, cine-

cineres, carbones, & similia?

8. An sibimet ipsi mortem desideraverit, vel in gravem impatientiam lapsus fuerit?

Praeceptum VI.

1. An cogitationibus indecentibus consenserit, & in iis se detinuerit; an solùm habuerit complacentiam, vel etiam executioni mandare desideraverit, explicando statum personæ, cum nupta, aut soluta, vel voto castitatis ligata, quod idem de se explicare debet?

2. An fæminam nuptam, nubilem, aut consanguineam ad turpia solicitaverit; vel de iis colloquia habuerit?

3. An de aliquo patrato peccato gloriatus fuerit, & cujus statûs, & conditionis personæ audientes fuerint?

4. An in pueritia turpe aliquid patraverit cum puella, vel sorore, vel consanguinea &c.

5. An denudatam fœminam videre concupierit, vel audire, vel videre aliquid obscœnum?

6. An peccatum cum persona sui sexûs, vel aliud peccatum nefandum sodomiticum, commiserit?

7. An in propria persona tactus illicitos habuerit, an ex hoc fuerit secuta aliqua fragilitas, vel an huic causam dederit mente revolvendo aliquod objectum, & quale illud fuerit, vel persona soluta, vel ligata, vel consanguinea; & an insuper in illo actu cum eadem peccare desideraverit?

8. An desideraverit, vel peccaverit coëundo cum aliqua bestia?

9. An rem cum persona diversi sexûs habuerit, & cujus statûs; & an per vim eam cognoverit?

10. An fuerit causa, ne talis persona conciperet, aut si concepit, an refecerit damna per hoc marito, & filiis legitimis illata?

11. An habuerit oscula, tactus, & amplexus cum aliqua fœmina, & cujus statûs, & an illam solicitando aliqua fragilitas successerit?

12. An aliquam domum suspectam cum scandalo adstantium frequentaverit. vel cum periculo offendendi Deum, vel an quæsierit aliquem ad turpia cooperantem, ferentem litteras amatorias, cibos, & alia munera, vel an ipsemet in aliorum ruinam hoc functus fuerit?

13. An Matrimonio absque observatione ordinis naturæ usus fuerit; vel generationem impediverit seminando extra vas naturale?

14. An alios ad peccandum actionibus adultatoriis, affectibus singularibus provocaverit; vel cantando res profanas, aut verba æquivoca malum indicantia proferendo, aut instituendo saltus indecentes, & ipsemet in iisdem saltaverit?

15. An alios ad peccandum induxerit; vel ægrè tulerit data occasione ad peccandum id in opus redigere non potuisse?

16. An ſomnia inhoneſta habuerit, & an evigilandó habuerit in iis complacentiam; vel antecedenter eorum cauſa culpabilis fuerit?

17. An ſit voluntariè in aliqua occaſione proxima peccandi conſtitutus per detentionem periculi in ſua propria domo; vel etiam extra cum libertate adeundi locum illum ſecundùm ſuum placitum?

Præceptum VII.

1. An quantitatem gravem furto abſtulerit, vel aliis idem ſuaſerit?

2. An Filiorum, famulorum furta non impediverit, eadem diſſimulando?

3. An de re furto ablata participarit, vel eam occultaverit?

4. An diſtulerit reſtitutionem, dum poterat, vel in toto, vel in parte adimplere; & an ſolvere debita neglexerit, conſumendo, diſſipando in res ſuperfluas bona, quibus poterat creditoribus ſatisfacere?

5. An legata, pia opera, funeralia, Sacra, ad quæ fortè obligatur ut hæres, vel teſtamenti executor, adimpleverit?

6. An in emptionibus, venditionibus, contractibus, ponderibus, menſuris, vel monetis fraudulenter egerit?

7. An ex ſua negligentia, vel propter patrata furta perſona aliqua damnum aliquod perpeſſa fuerit?

8. An in ludis ſubſtantiam uxoris, filiorum, vel propriam exceſſivè conſumpſerit, vel dolo uſus fuerit, vel eos ad luſum coëgerit?

9. An ſalarium ſervis, & ſtipendium laborantibus ſolverit; an eos ſine cauſa ſufficienti ante tempus completum contractûs domo extruſerit?

10. An fideliter Domino ſuo ſervierit, vel ejus bona furatus fuerit, vel in aliorum furta conſenſerit, diſceſſerit ab eo ante præfinitum tempus ſine cauſa cum illius damno?

11. An litem aliquam injuſtam excitaverit, vel foverit?

12. An fructus, volatilia, vinum &c. furatus, vel exhortatus fuerit alios ad id faciendum?

13. An fuerit furatus, vel deſideraverit furari quidquam de Eccleſia.

Præceptum VIII.

1. An aliquam ſuſpicionem, vel judicium temerarium habuerit?

2. An contra honorem, vel famam murmuraverit, & an de rebus notis, vel non, aut manifeſtaverit perſonis priùs id neſcientibus?

3. An aliorum defectus libenter audiverit, & dum potuiſſet, non diſceſſerit ab illa converſatione; vel auditis nimia facilitate fidem præſtiterit; vel dubia pro certis aliis narraverit, vel plura addendo?

4. An id, ad quod ſub ſigillo naturali, & in re gravi tenebatur, revelaverit?

5. An famam ablatam proximo retractando ſe coram perſonis audientibus reſtituerit?

6. An proximum ſuum aliqua contumelia, vel verbo injurioſo affecerit,

an veniā, ad quā obligabatur petierit?

7. An aliquod mendacium in grave proximi damnum dixerit?

8. An veritatem occultaverit, dum necessarium erat, ut manifestetur?

Nonum Præceptum reducitur ad sextum; & Decimum ad Septimum.

Nam hæc duo Præcepta ponuntur, ut exemplaria aliorum, & per ea prohibentur desideria mala vel uxoris, vel rei alienæ; ut intelligatur, quòd non solùm operibus, & verbis peccari possit, verùm & desideriis; non solùm in sexto, & septimo Præcepto, sed & in omnibus aliis; licèt de his duobus hìc expresè fiat mentio, cùm eorum materia seu objectum sit id, in quod homines frequentius tendere, & incidere solent.

Ad hoc examen reducitur totum id, quod regulariter necessarium est cuivis personæ ad instituendam bonam confesionem generalem, vel particularem absque ulteriori discursu super peccata capitalia, opera misericordiæ, Præcepta Ecclesiæ, vel sensus corporis, ut multi audaces ad hæc nimis se extendentes cum molestia confessarii faciunt.

Si Pœnitens inveniat se deliquisse in aliqua, vel pluribus interrogationibus suprà positis, debet se reflectere, an peccatum sit certum, vel dubium, & confiteri certum pro certo, dubium pro dubio.

Insuper si Pœnitens in aliqua ex supradictis speciebus peccatorum deliquerit, interrogandus erit de eorum numero; & si certum numerum scire, & manifestare nequeat, nec se explicare, dicendo plus, vel minus; sufficiet, si se accusaverit de habitu illius peccati, ut fusiùs dicetur in Præcepto secundo tract. 2. c. 1. num. 10.

TRACTATUS I.

DE I. PRÆCEPTO.

Amare Deum super omnia.

CAPUT I.

De Fide.

1. PRimum, quod occurrit circa Fidem, est Doctrinæ Christianæ notitia, de qua Confessarius interrogare tenetur illas personas, de quibus prudenter judicat, hanc ignorare; ut sunt rustici, & milites; sed illi, qui scholas frequentant, & Filii Parentum nobilium, piorúmque, qui eorum bonæ educationi invigilant, his interrogationibus non indigent.

Mysteria, & alia, quæ ordinariè omnes scire tenentur, sunt Articuli fidei in Symbolo Apostolorum contenti, Præcepta Legis Divinæ, & Ecclesiæ, Sacramenta, & Oratio Dominica: sed rudibus, & idiotis, qui vix apprehendere possunt ipsis proposita, sufficit, ut sciant Mysterium SS. Trinitatis Incarnationis, & Sanctissimi Eucharistiæ Sa-

Sacramenti, quòd Deus ſit bonorum Remunerator, malorum autem vindex, & cætera, quæ Eccleſia implicitè credenda docet, & hoc probabile eſſe putat P. Leander à Murcia tom. 2. diſq. moral. lib. 4. diſp. 1. & 25. n. 3. citátque pro hac ſententia Vasquez, Sanchez, Gabrielem & alios.

Si Confeſſarius ſuum Pœnitentem Doctrinam Chriſtianam ignorare inveniret, eundem inſtruere debet Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis, aliàs eſt incapax abſolutionis, ut conſtat ex Decreto Innocentii XI. in Propoſitione 64.

Imponat quoque ei, ut ſe accuſet de omiſſione in addiſcendo Doctrinam Chriſtianam, & ut in futurum eam addiſcere ſtudeat; quòd ſi deprehenderit alios Confeſſarios ipſi hoc idem impoſuiſſe, & neglexerit, debet differre abſolutionem, donec hujus fiat capax. Videatur ſuper hoc punctum fuſiùs Marcant. tom. 1. reſol. 3. num. 9.

2. Suppono, quòd Fides ſit ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium; vel ut alii definiunt: eſt virtus ſupernaturalis, qua credimus veritates à Deo revelatas. Fides eſt (ut communiter dicitur) credere id, quod non videmus; & credere id, quod noſtra Mater Eccleſia docet; quia Deus revelavit: Fidei opponitur Hæreſis & Apoſtaſia. Hæreſis eſt error pertinax hominis baptizati ex parte contrarius. Dicitur error pertinax; quia debet eſſe cognitus, & deliberatus error, ad hoc, ut ſit hæreſis formalis. Dicitur hòminis baptizati; quia errores, in quibus ſunt Gentiles & Judæi, non dicuntur propriè hæreſis, ſed Paganiſmus, & Judaiſmus; dicitur tandem ex parte contrarius; ad differentiam Apoſtaſiæ, quæ eſt error ex toto contrarius Fidei.

Hæreſis una eſt interna, altera externa; una occulta, altera publica; occulta poteſt eſſe occulta per ſe, vel per accidens, ut in 2. part. hujus praxis tract. 17. n. 25. & ſeq. explicabo; ubi fuſiùs demonſtro, quisnam abſolvere poſsit ab una, & quis ab altera; alia verò ad hoc punctum ſpectantia in ſequentibus reſolutionibus patebunt.

3. P. P. R. me accuſo, quòd frequenter aliquæ cogitationes contra Fidem me moleſtent.

C. Senſit ne V. D. aliquam diſplicentiam propter ſimiles cogitationes?

P. Ita P. R. imò maximam.

C. Plures perſonæ timentes Deum ſolent moleſtari à ſimilibus cogitationibus, & tam vehementer, ut interdum iis videatur, ſe dubitare, & conſentire, & tamen non ita ſe res habet, cùm ipsa diſplicentia, & afflictio, quam ſentiunt, ſit indicium, eos non conſentire; obſcuritas autem, qua proponuntur res Fidei, apparet, quaſi dubitarent, in re autem non eſt ſic; quare melius remedium ad ſuperandas tales ſuggeſtiones diabolicas eſt, eas contemnere, & nihil curare.

4. P. P. R. accuſo me ſemel hoſpitio recepiſſe unum hæreticum, cum

quo

quò diſcurrẽdo de variis rebus noſtræ Fidei & Religionis, credidi unam propoſitionem hæreticam mihi propoſitã.

C. Duo ſunt hìc notanda, primum eſt, quòd hoſpitio hæreticum receperit; ſecundum, quòd propoſitionem hæreticam crediderit. Quo ad primũ ſcire debet, quòd in primo Canone Bullæ in Cœna Domini omnes fautores, & receptores hæreticorum excõmunicentur; eſt igitur neceſſariò ſciendum, an V. D. hunc hæreticum, receperit ut hæreticum, vel ſolùm titulo affinitatis, & amicitiæ?

P. P. R. recepi ipſum ut amicum.

C. Opinio eſt probabilis, quam docet P. Leander à SS. & P. Baſſæus cum aliis citatis Authoribus verb. Hæreſis num. 8. non incurri excommunicationem, dum recipitur, aut fovetur hæreticus ut amicus, aut titulo affinitatis, & non ut hæreticus eſt; & ſic vi hujus opinionis V. D. non incurrit excommunicationem.

Quo ad ſecundum, quòd hæreticam propoſitionem crediderit, ad ferendũ judicium, utrùm V. D. inciderit in excommunicationem ibidem contra hæreticos promulgatam, nec ne, neceſſariò ſciendum eſt, an hunc aſſenſum hæreticum doctrinæ ejus præſtitum V. D. manifeſtaverit externè verbis vel operibus?

5. P. P. R. ego dixi, quòd credam mihi propoſita.

C. Si V. D. non manifeſtaſſet externè, licèt internè tenuiſſet hunc errorem, non incidiſſet in excommunicationem juxta cõmunem Theologorum ſententiam; quia eſſet hæreſis tantùm interna: & Eccleſia in nulla materia ſibi reſervat, aut promulgat excommunicationem contra actus merè internos; cùm autem V. D. externè, nempe iis verbis manifeſtaverit ſe fidem præſtare propoſitioni hæreticæ, incurrit excommunicationem.

6. Eſtne factum notorium, quòd V. D. hoc errore interno infecta fuerit?

P. P. R. præter me, & hæreticum nullus ſcivit.

C. Abſolutio ab hæreſi, & aliis caſibus Bullæ Cœnæ Domini eſt reſervata Papæ.

Eſt quidem verum, quòd, quando ſunt occulti, ſint reſervati Epiſcopo juxta opinionem Henriq. Navar. Banez, Ledesmæ, Facundez, & aliorum plurimorum, quos citat P. Murcia tom. 2. diſq. moral. lib. 4. diſp. 1. reſol. 5. n. 6. & 10. Hancque probabilem cenſet Suarez de Cenſuris diſp. 21. ſect. 4. n. 5. Leander à SS. tom. 4. de Cenſuris tract. 2. de Excommunic. diſp. 17. q. 45. & 49. & in favorem hujus opinionis citat plures docentes, non revocari per promulgationem Bullæ in Cœna Domini facultatem, quam Conc. Trid. ſeſſ. 24 cap. 6. concedit Epiſcopis abſolvendi ab hæreſi externa, & aliis Caſibus Bullæ Cœnæ, quando ſunt occulti.

7. Nec obſtat huic doctrinæ Decretum Alexandri 7. in Propoſit. 3. in qua vide-

videtur damnasse hanc opinionem; quia sua Sanctitas solùm damnavit, quòd dicta opinio fuerit visa, & tolerata in Consistorio Sacræ Congreg. sed non reprobat doctrinam docentem, Episcopos posse absolvere à prædictis casibus, quando sunt occulti. Hoc idem tuetur, & docet R. P. Fr. Martinus de Torrecilla in suo exam. Episcop. tract. 1. q. 1. sect. 2. disp. 2. n. 21. hujúsque opinionis ait, esse P. Mogam in select. tom. 1. tract. 3. disp. 8. q. 5. §. 2. n. 5. Idem sentiunt alii viri docti, quos innominatos citat R. P. M. Lumbier in Appendice Summæ Aranæ pag. 479. num. 547.

8. Casus autem supradicti dicuntur occulti; quando non sunt deducti ad forum contentiosum, vel major pars vicinitatis, vel populi eos ignorat; ita affirmant Sanchez, Navar. Lessi. Suar. & alii, quos citat & sequitur Diana part. 7. tract. 2. resol. 15.

Non obstante hac opinione dicendum est Episcopos non posse absolvere ab hæresi, quamvis occulta singulariter in Hispania, ubi hæc facultas est reservata S. Tribunali Inquisitionis. Ita Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 2. cap. 11. n. 17. Molina tom. 4. de Just. disp. 64. n. 8. & alii multi citati à Diana part. 1. tract. 5. resol. 2. Qua propter occurrente aliquo casu hæresis externæ occultæ recurrendum est pro facultate ab ea absolvendi ad supradictum Tribunal, à quo tanquam piissimo facilè impetrari potest.

9. P. P. R. me accuso, quòd navigando per mare suo Sanctitatis multa latrocinia patraverim, & aliquas naves Christianorum fuerim aggressus, quas & expoliaverim; insuper, dum quædam Christianorum navis passa est naufragium, multas merces surripuerim.

C. Tam in uno, quam in altero casu V. D. incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, à quibus excommunicationibus absolvi potest semel in vita, & altera vice in articulo mortis vi Bullæ Cruciatæ.

Dicat mihi, futíne jam semel absoluta V. D. hoc anno vi hujus Bullæ ab excomunicatione aliqua reservata?

P. Ita P. R. semel fui absolutus.

C. A quali censura fuit absoluta?

P. P. R. à censura, quàm incurrebam velut pirata.

10. C. Non obstante hac absolutione probabile censet Quintana. Duena tom. 2. sing. tract. 4. de casib. reservat. singul. 2. n. 2. Leander à SS. tom. 4. de censuris tract. 2. disp. 17. §. 3. q. 8. & alii. quos citat Crux in Bulla Cruciatæ disp. 1. cap. 3. dub. 13. qui docent, quòd in distinctis confessionibus possit absolvi à diversis casibus Bullæ Cœnæ sæpius in anno, non tamen bis ab uno peccato reservato ejusdẽ speciei: v. g. Si aliquis semel fuit pirata in mari suæ Sanctitatis, altera vice bona navium naufragantium exspoliavit, & tertia vice fuit fautor, & protector hæreticorum; ab omnibus his peccatis potest

poteſt abſolvi in diverſis confeſſionibus intra annum; ſed ſi binis vicibus fuiſſet pirata, binis vicibus naves naufragantes Chriſtianornm expoliaſſet, non poteſt abſolvi intra annum ab iſtis peccatis etiam in diverſis confeſſionibus. Ratio prioris eſt; quia, ſi pœnitens omnes hos caſus una vice fuiſſet confeſſus, vi Bullæ abſolvi potuiſſet ab omnibus: ergo etiam poterit abſolvi in diſtinctis confeſsionibus. Probatur conſequentia; quia pœnitens ob frequentationem Sacramenti pœnitentiæ non debet demereri id, quod non demeretur, qui non frequentat.

Nihilominus magis probabilis, ſecura, & communis eſt opinio contraria dicens, quòd una ſola vice in anno, & in unica confeſsione poſsit pœnitens abſolvi ab his caſibus, ſive ſint diverſæ, ſive ejuſdem ſpeciei. Ita Villalobos, Ledeſma, Rodriquez, Trullench, & alii apud Murciam tom. 2. diſp. 1. lib. 4. reſol. 10. num. 6.

11. Ut in hoc caſu ſecuriùs procedamus, mihi dicat V. D. fuitne notum, quòd fuerit pirata, & uſurpaverit bona naufragantium Chriſtianorum?

P. P. R. Deo ſoli, & mihi notum eſt.

C. Ergo fuerunt merè occulta hæc peccata, ut, ſi V. D. non fuiſſet confeſſa, non potuiſſent in foro externo probari.

Ergo ſi talis eſt ipſius caſus, & ſua peccata ita occulta, ut ſibi ſoli ſint nota, nec, præſcindendo à ſua confeſſione externa, poſſint probari in foro externo; docent multi Theologi, per hunc non incurri excommunicationem; vel ſi incurritur, poſſe ab eodem abſolvere Epiſcopos (non obſtante Decreto Alexandri VII. ſuprà relato) ita Henriquez, Angelus, & alii apud Leandrum à Murcia loco cit. reſol. 32. n. 5. & ſeq.

12. Ex quo infero, quòd vi Bullæ poſſim abſolvere ab omnibus iſtis excommunicationibus, in quas incidit tanquam Pirata, & uſurpator bonorum Chriſtianorum; quia Bulla Epiſcopis facultatem concedit abſolvendi ab omnibus caſibus reſervatis, toties, quoties: atqui caſus occulti Bullæ Cœnæ Domini ſunt reſervati Epiſcopis: ergo omnis Confeſſarius approbatus abſolvere poteſt toties, quoties. Eſt doctrina P. Leandri à SS. tom. 4. de Cenſuris tract. 2. diſp. 17. §. 3. q. 84. Thomæ Sanchez in ſum. lib. 4. cap. 54. n. 27. Dianæ part. 1. tract. 11. reſol. 28. Mendi apud Dianam part. 11. tract. 2. reſol. 45. & in additionibus part. 3. reſol. 17. Ipſemet Diana dicit, hanc opinionem eſſe probabiliſſimam; quam ſequuntur plures alii apud Murciam loco cit. reſol. 12. n. 6. & noviſſimè hoc tradit ut probabile P. Emanuel de Conceptione in ſuo tract. de pænit. diſp. 6. q. 7. n. 819. & 820.

CAPUT II.

De Spe.

13. SPes eſt virtus, qua ſpiritualia, & æterna bona ſperantur; Alii

ſic definiunt: eſt virtus Theologica,& ſupernaturalis, qua ſperamus Beatitudinem Divino auxilio obtinendam: Dicitur virtus Theologica (prout eſt Fides, & Charitas) quia hæ tres virtutes habent immediatè Deum pro ſuo objecto; Dicitur ſupernaturalis; quia eſt ſupra vires naturales naturæ humanæ: Dicitur tandem qua ſperamus Beatitudinem Divino auxilio obtinendã, ad ſignificandum, quòd ſperare bona tranſitoria hujus mundi non pertineat ad virtutem ſpei Theologicæ. Præceptum Spei unum eſt negativum, alterum affirmativum: Negativum prohibet deſperare, & nimium præſumere, obligátque ſemper, & pro ſemper. Affirmativum obligat determinatis temporibus per ſe, & per accidens, prout capite ſequenti, & fuſiùs in 2. part. hujus praxis tract. 17. n. 6. & ſeq.

14. P. P. R. me accuſo, quòd ſemel reflectendo ad pergrandem numerum meorum peccatorum impoſſibile mihi viſum fuerit, me poſſe Beatitudinem æternam conſequi.

C. Credidítne V. D. Gratiam Dei non ſufficere ad ſalvandum?

P. Credidi, Deum poſſe me ſalvum facere, ſi vellet; ſed cùm peccata mea tot, & tanta fuerint, credidi, Deum non fore mecum Miſericordem.

C. Sciat, hoc fuiſſe peccatum deſperationis oppoſitum virtuti Spei: Si autem V. D. crediidiſſet, Deum non poſſe eum per ſuam gratiam ſalvare, iſte actus habuiſſet diſtinctam malitiam hæreſis, ita communiter DD. cum S. Thoma 2. 2. art 1. & 2.

15. P. P. R. me accuſo, quòd alia vice de miſericordia Divina ita confiderim, ut putarem, me etiam abſque Pœnitentia peccatorum meorum non fore condemnandum.

C. Hoc pariter eſt peccatum oppoſitum virtuti Spei, quod à Theologis vocatur præſumptio; & crediidiſſe ſe poſſe ſalvari abſque pœnitentia tam gravium peccatorum, fuit actus hæreſis formalis.

CAPUT III. *De Charitate.*

16. CHaritas eſt virtus Supernaturalis, & Theologica, qua Deus diligitur propter ſe, & proximus propter Deum. Amor, quo Deus ſuper omnia diligi debet, duplex eſt, unus intenſivus, alter appretiativus; intenſivus eſt, quando Deus amatur majori vehementia, fervore, & ardore, quàm omnia alia: appretiativus eſt, quando plus æſtimatur Deus, quàm omnia alia, ita, ut homo ſit diſpoſitus, & promptus ad perdendum omnia, ne Deum perdat. Amare Deum ſuper omnia tenemur, licèt non amore intenſivo, ſed appretiativo. Præceptum negativum prohibens odiſſe Deum, obligat ſemper, & pro ſemper: affirmativum ad eum amandum obligat determinato tempore per ſe, & per accidens, ut mox dicam, & in tr. 10. n. 23. & part. 2. hujus praxis tr. 17. n. 6. & ſeq.

Circa amorem proximi duæ propoſitio-

ſitiones ab Innocentio XI. condemnatæ fuerunt, quæ videri poſſunt cum ſua explicatione in tract.10.n.31. præceptum charitatis proximi obligat ad eum adjuvandum eleemoſyna & fraterna correctione; de eleemoſyna trado in tract.10 n.26.& de fraterna correctione in tr. 8. cap.3. in fine, & part. 2. hujus praxis tract. 5. cap. 5. num. 5. Amori proximi opponitur odiũ, duellum, ſcandalum, de quo ex profeſſo loquar in tract. 5. ſuper quintum Præceptum, & modò demonſtrabo, quando Præceptum charitatis obliget, & omiſſis variis DD. opinionibus

17. Id, quod circa hoc punctum mihi probabilius videtur, eſt, quòd ad minimum ſemel in anno Chriſtianus obligetur ad eliciendum aliquem actum amoris erga Deum; ſic affirmant multi DD. cum Leandro à SS. Tapia tom. 2. lib. 3. q. 2. art. 2. n. 3. Hoc idem dico de actibus Fidei, & Spei.

18. C. Dicat mihi V. D. elicuitne aliquando hos actus Fidei, Spei, & Charitatis?

P. P.R. nec percipio, quidnam ſint hi actus.

C. Actus Fidei eſt credere in unum Deum Remuneratorem, myſterium SS. Trinitatis, Incarnationis, & totum, quod in Symbolo Apoſtolorum continetur, & implicitè id, quod docet Eccleſia: Actus Spei eſt confidere in Miſericordia Dei, per quam, ſi pœnitentiam de noſtris peccatis egerimus, ſalutem æternam conſequemur. Actus charitatis eſt amare Deum ſuper omnia; hoc autem nihil aliud eſt, quàm pluris æſtimare Deum, quàm cætera omnia, cum animo perdendi omnia, ne Deus perdatur.

19. His tribus actibus virtutũ Theologicarum ordinariè ſatisfit per confeſſionem; quia in hac præcisè requiritur actus attritionis, vel contritionis, hæc reſpicit Deum ut Summum Bonum, & ut Remuneratorem bonorũ: illa ut Judicem punientem mala: ergo includit cognitionem, & aſſenſum Dei Remuneratoris.

Attritio etiam deteſtatur culpam; quia eſt contraria Beatitudini, quam ſperamus: ergo includit actum Spei; eſt doctrina P. Lumbier in explicat. Propoſit. 64. & 65. ab Innocentio XI. damnatarum in obſerv. 15. §. 1. n. 653. & 655.

Satisfit etiam Præcepto charitatis; quia ſi conſiſtit in æſtimatione, & appretiatione Dei ſuper omnia, eò ipsò, quòd pœnitens habeat dolorem de ſuis peccatis, appretiat Deum magis, quàm cætera omnia; etenim hæc æſtimatio, & appretiatio, quam homo tenetur habere de Deo, in qua conſiſtit ejusdem amor ſuper omnia, nihil eſt aliud, quàm, velle potiùs omnia perdere, quàm perdere Deum; nec dolor eſt quid aliud, quàm diſplicentia, quòd per peccatum Dei amicitiam amicitiæ creaturæ poſtpoſuerimus cum propoſito deinceps non ampliùs id agendi, ſed oppoſitum: ergo iſte dolor includit

dit appretiationem, & æstimationem *D*ei super cætera omnia.

20. *A*d impediendos omnes scrupulos optimè censeo, quòd Confessarius à principio confessionis hos actus Fidei, Spei, & Charitatis eliciendos à Pœnitente postulet, singulariter ab illis, qui rarò confitentur; & pro majori facilitate eorum hìc pono formam.

C. Creditne V. D. in Deum, & Mysterium SS. Trinitatis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tres personas distinctas, & unum solum, verum *D*eum? creditne, quòd *D*eus præmiet bonos, & malos puniat, & quòd Filius *D*ei pro nobis sit factus Homo in ventre purissimo Beatissimæ semper Virginis Mariæ *D*ominæ nostræ per virtutem Spiritûs Sancti, & totum id, quod nostra Sancta Mater Ecclesia ad credendnm proposuit?

P. Ita P. R. credo.

C. V. *D*. sperat etiam in infinita Misericordia *D*ei, qui dolendo de suis peccatis ea ipsi remittet; & perseverando in emendatione suarum culparum ipsi vitam æternam retribuet?

P. Ita P. R. spero.

C. Pariter amat Deum super omnia, ut suum Deum, & Creatorem, ita dignum amore propter suam immensam Bonitatem; dolétque ex toto corde, quòd eum offenderit cum proposito non ampliùs offendendi?

P. Ita P. R.

CAPUT IV.

De virtute Religionis, & vitiis huic oppositis.

21. VIrtus Religionis inter omnes virtutes morales principem locum obtinet, & definitur, quòd sit virtus debitum cultum Deo exhibens. Ad hanc virtutem pertinent actiones sacræ celebrandi, vel audiendi Missam, orandi, SS. Sacramenta suspiciendi, & aliæ actiones similes, quibus Deus honoratur. Duo vitia opponuntur virtuti Religionis, unum per excessum, alterum per defectum; per excessum opponitur superstitio cum suis speciebus, quales sunt divinatio, idololatria, vana observantia, & maleficiũ: per defectum opponitur irregularitas cum suis speciebus, quales sunt, tentare Deũ, perjurium, sacrilegium, & Simonia.

22. Superstitio est vana, seu falsa Religio indebitum cultum exhibens. Ita D. Thomas 2. 2. q. 90. art. 1. Cultus indebitus, vel superstitiosus potest esse vel falsus, vel superfluus: cultus falsus potest esse, vel ex parte operantis, seu subjecti, vel ex parte objecti; ex parte operantis seu subjecti esset, si ille, qui non est Sacerdos, vel si est, fuit autem degradatus, celebraret, vel administraret Sacramenta; ex parte objecti esset, si nunc Deo offerrentur arietes, vel aliud sacrificium legis antiquæ; vel si in Sacramentis forma, vel materia mutaretur, vel etiam falsis miraculis veritas nostræ S. Fidei comprobaretur; Omnia hæc sunt peccata gravissima

ſima ſuperſtitionis oppoſita virtutiReligionis. Cultus ſuperfluus dicitur, quando in Miſſa, oratione, Divino officio adduntur cæremoniæ, preces, verba: v. g. ſi loco unius antiphonæ dicerentur aliqua verba turpia, & obſcœna, quod foret peccatum grave ſuperſtitionis, & cultus ſuperfluus: ſi verò addantur aliqua, ut Alleluja, & ſimilia, non ex contemptu, eſſet veniale peccatum, ſic Caſtropalaus part. 1. tract. 17. diſp. 1. punct. 1. n. 3. & 4.

23. Divinatio eſt enuntiatio eorum quæ per naturam cognoſci non poſſunt: vel ut dicunt alii: eſt prædictio ope dæmonis facta circa res humano modo non cognoſcibiles. Divinatio poteſt eſſe cum pacto expreſſo, vel tacito cum dæmone; tunc eſt pactum expreſſum, quando expreſsè invocatur ad rem occultam cognoſcendam: v. g. occultum theſaurum, vel quando ſuppoſita notitia, quòd dæmon aſſiſtat alicui ſigno ad detegendum id, quod eſt occultum, utimur illo ſigno; hæc Divinatio eſt peccatum graviſſimum. Pactum tacitum, ſeu implicitum dicitur, quando utimur mediis frivolis,& inutilibus ad occultam, v. g. ſi ad inveniendam rem,cognoſcendam rem perditam,& habendam loci notitiam traherentur aliquæ lineæ,aut formarentur certæ litteræ &c. Sic Bonacina tom. 2. diſp. 3. de ſuperſtit. q. 4. punct. 5. n. 4. & 9. Divinatio cum pacto implicito dæmonis eſt peccatum mortale ex natura ſua: ſi autem ex ignorantia fiat,quæ non ſit craſſa, & affectata non eſt peccatum mortale. In ordine ad confeſſionem divinationes cum pacto expreſſo factæ ſpecie diſtinguuntur ab iis,quæ cum pacto implicito fiunt; non autem diſtinguuntur ſpecie illæ, quæ fiunt mediantibus ſtellis, ab illis quæ fiunt per aquam, aërem, verba, greſſus &c. ita Sanchez lib. 2. Sum. cap. 38. num. 14. 18. & 19.

Idololatria eſt, quando cultus ſoli Deo debitus exhibetur creaturæ: una eſt Idololatria formalis; altera materialis, ut dicam in hoc capite n. 39.

24. Vana obſervantia eſt, *in qua tacitè Dæmon invocatur, aſſumendo media aliqua improportionata ad talem effectum: v. g. ad divitias, ſcientiam aquirendam*; & poteſt fieri cum pacto expreſſo, vel tacito cum dæmone; ſi fiat cum pacto expreſſo eſt peccatum mortale, ſi cum tacito poteſt à mortali excuſari ex ignorantia, ut dixi de Divinatione, à qua vana obſervantia per hoc differt,quòd Divinatio fiat ad cognoſcendas res occultas, vana obſervantia verò ad habendos illos effectus,ut ſcientiam, ſanitatem, divitias: diſtinguitur etiam à maleficio, quia maleficium eſt vis nocendi aliis ope dæmonis; & unum vocatur veneficium,aliud amatorium; hoc eſt, quando adhibetur aſſiſtentia expreſſa, vel implicita dæmonis ad excitandum in aliis amorem carnalem, vel odium

contra aliquem Veneficium eſt,quando talia pacta ordinantur ad damnificandum proximum. Nomen Magiæ vel maleficii accipi ſolet pro omni genere faſcinationum,de quibus fuſiùs in hoc capite.

25. Irreligioſitas eſt vitium, quod tendit circa irreverentiam Dei. Prima ejus ſpecies eſt tentatio Dei,& definitur ſic. Tentatio Dei eſt dictum, vel factum,quo quis explorare cupit, num Deus ſit potens, ſapiens &c. Ita D. Thomas 2. 2. q. 94. art. 1. tentatio Dei dicit S. Thom. duobus modis fieri poteſt,vel expreſſè, vel interpretativè;tunc dicimur expreſsè tentare Deum,quando ex dubio alicujus perfectionis Dei aliquid facimus ad eam experiendam, & ſi dubiū talis perfectionis eſt poſitivum, in hoc caſu tentatio Dei eſſet hæreſis formalis. Duobus modis tentatur Deus interpretativè, primò,quando media naturalia ad finem aliquem conducentia prætermittimus eâ intentione, ut independenter ab iis conſecutionem talis finis nobis conferat Deus; ſi infirmus independenter à medicinis prætenderet à Deo ſanitatem. Secundò,quando aliquis ſe exponit periculo,à quo ſolus Deus eū liberare poteſt:v. g. ſi quis ex alta turri ſe præcipitem daret. Ita Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 34. n. 1. & 2. Tentare Deum expreſsè eſt peccatum adeò grave, ut non poſſit eſſe veniale ob parvitatem materiæ. Tentare Deum interpretativè eſt etiam peccatū mortale ex natura ſua; quamvis poſſit non eſſe mortale ex triplici cauſa; primò, ex ignorantia,quæ non ſit craſſa: ſecundò, ſi quis ſe exponeret alicui periculo ex ſpeciali Dei impulſu,ut legitur de S. Apollonia projiciente ſe in ignem: Tertiò, ex parvitate materiæ: v. g. Si quis in levi infirmitate nollet uti medicinis ex vana ſpe recuperandi miraculosè ſanitatem absque ejusdem petitione. Sic Leſſius de juſtit. lib. 2. c. 45. dub. 1. n. 4. in fine. Sanchez ſuper n. 5. in fine.

26. Sacrilegium, quod eſt altera ſpecies Irreligioſitatis eſt alicujus Sacri violatio; & poteſt fieri tribus modis; primò, contra locum ſacrum; ſecundò,contra perſonam ſacram; tertiò, contra rem ſacram. Primo modo fit per vulnerationem,vel homicidium in Eccleſia; ſecundo modo, quando manus violentæ injiciuntur in perſonam ſacram, id eſt Sacerdotem, vel committitur peccatum cum perſona votum caſtitatis habente: tertio modo tandem,quando Sacramenta indignè recipiuntur, vel furto accipiuntur calices, vel aliæ res ſacræ.

De perjurio, quod eſt etiam ſpecies Irreligioſitatis, agam in ſecundo Præcepto cap. 1. Et de Simonia tract. 10. num. 133. & ſeq. in explicat. Propoſit. 45. & 46. ab Innocentio XI. damnatarum,& in part. 2. hujus praxis tract. 10. n. 141.

27. P. P. R. me accuſo, quòd pro curando vulnere uſus fuerim quodam

viro

viro habente in opinione hominũ virtutem curandi similia vulnera, & prolata desuper aliqua oratione me curavit.

C. Applicuítne ille vir vulneri aliquam herbam, vel aliud remedium naturale, quod potuerit habere virtutem curandi?

P. Non P. R. sed per simplicem verborum prolationem me curavit.

C. Sciat V. D. se graviter peccasse & hoc peccatum est species superstitionis, quæ vocatur vana observantia. S. Thomas 2. 2. q. 96. art. 1. quia licèt in Ecclesia sit gratia curationum, 1. ad Corinth 12. hæc tamen gratia est annexa personis, & non verbis: & licèt videamus curationes fieri per verba cujusdam psalmi à quacumque persona licèt indigna prolata, ex hoc tamen non potest inferri, illa verba habere virtutem curandi, sed potiùs includere pactum virtuale, & implicitum cum dœmone. Suarez de Relig. lib. 2. de Superstit. c. 15. n. 25.

Aliud esset, si applicuisset aliquam herbam, vel aliud remedium pollens virtute naturali sanandi; tunc licèt interposuisset aliquam devotam orationem absque quibusdam vanis, & præcisis circumstantiis, non fuisset tamen opus illicitum. Suarez ibi n. 24. Sanchez in Decalog. tom. 1. lib. 2. c. 40. n. 39. Navarrus in Summa latina cap. 11. n. 36. & alii multi.

28. P. P. R. me accuso, quòd in alia occasione propter morsum à rabido cane receptum quemdam à similibus morsibus curantem vocaverim, qui per signum S. Crucis desuper formatum me curavit.

C Hæc persona fuítne pia, virtutibus, & bonis moribus ornata?

P. Ita P. R. erat persona talis, & pro tali ab omnibus habebatur.

C. Certum est, quòd licèt vulgus dicat, quosdam habere virtutem sanandi; hac in re tamen materia est multùm suspecta, quia Deus absque necessitate non facit miracula: nec Sancti ad libitum ea patrabant; & tamen similes personæ in quacunque data occasione ajunt, se quemlibet curaturas; cùm tamen aliis non sint sanctiores.

Opinio DD. super hoc punctum est, quòd, si persona, quæ curat, sit pia, & morigerata, nec in curando aliqua vana circumstantia uti deprehendatur, permitti possit. Suarez ibid. n. 25. Sanchez tom. 2. in Decalog. lib. 2. cap. 40. n. 19. Certiùs tamen, & securiùs est, cùm aliunde Ecclesia instituerit orationes, & exorcismos pro similibus casibus, ad eam, & suos Ministros recurrendum esse; & si fuerit necessitas, Deus conferet salutem, secùs, si quæritur salus, per alia media ad eam obtinendam; singulariter, quando media non sunt secura, & licita.

29. P. P. R. me accuso, quòd alia vice, cùm multo tempore essem infirmus, nec innumerarum medicinarum ope salutem consequi possem, judicavi, me esse fascinatum, adeóque vocavi

personam, quæ habebatur pro saga, seu venefica, & hæc me curavit.

C. Scivítne V. D. quòd illa saga, aut incantatrix habuerit modos licitos ad ipsum curandum?

P. P. R. non scivi.

C. Si illa habet modos licitos, & illicitos ad curandum; licèt V. D. supposuisset pro certò, quòd modo illicito eam curatura esset, potuisset tamen liber in genere ab ea ejus operam exposcere pro sanitate recuperanda; quia actionem indifferentem, & modo licito faciendam postulasset, licèt aliunde ex sua malitia mediis illicitis uteretur. Suarez loco cit. n. 9. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 95. n. 11. Lessius de Justit. lib. 2. cap. 44. dub. num. 35. concl. 1. & alii.

Verùm, quando dubitatur, an habeat modos licitos ad curandum, vel non, nequit talis petitio fieri, & V. D. in hoc malè egit, cùm nesciverit, an modo licito, vel illicito eam curare posset; Suarez ubi suprà cap. 8. n. 9. §. Atque hinc Delrio lib. 6. disq. Mag. cap. 2. sect. 1. q. 2. part. penult.

30. Interrogavítne V. D. de modo, quo eam curare intenderit?

P. Ita P. R. sed noluit quidquam dicere.

C. Quando adest dubium, an saga, seu incantatrix modo licito curare possit, tunc interroganda est de modo, isque examinandus, & si nollet dicere, habeatur pro suspecto. Delrio loco citato.

C. Dicta saga curabátne taliter, ut semper fuerit disposita ad curandum suis maleficiis quemlibet ejus operam postulantem?

P. Ita P. R.

C. Sciendum est, aliquos docere, non esse peccatum inducere personam semper dispositam ad curandum universaliter omnes per maleficia. Ita Angelus in Sum. verb. superstit. num. 13. ubi citat hujus opinionis esse Aureolum in 4. dist. 34. q. 2. Sicut multi dicunt, licitum esse petere mutuum ab usurario, quem, constat, non aliter mutuare, nisi exercendo usuram, quando cum omnibus ab eo mutuum petentibus ita se gerere est paratus; communiter tamen reprobant DD. hanc opinionem, adeóque opposita tenēda est.

31. C. Quando illa curabat, concurrítne V. D. ad aliquam actionem, vel se habuit merè passivè?

P. P. R. permissi eam omnia facere absque ullo meo concursu.

C. Benè fecit; quia, quando cura est malefica, licèt aliàs justificari possit petitio curæ aliquo ex supradictis titulis, non potest tamen quis positivè cooperari curæ maleficæ; quia nunquam est licitum cooperari actioni intrinsecè malæ, curare autem per actionem maleficam est intrinsecè malum: ergo nunquam est licitum cooperari.

32. P. P. R. me accuso, quòd semel desideraverim peccare carnaliter cum aliqua persona, & cùm non possem intentum assequi, hac incantatrice

usus fui, quæ me docuit incantationem aliquam ad trahendam illam personam ad mea desideria.

C. De peccato inhonesto dicam in sexto Præcepto, hìc solùm de maleficio agendum est, & licèt vel raro, vel nunquam contingat, ut maleficus Confessarium confitendi causa accedat, nihilominus, cùm possit contingere, consultum est scire modum, quo Confessarius cum his se gerere debet, & est sequens.

C. Dicat mihi V. D. confitebatúrne antecedenter hoc peccatum?

P. Nunquam P. R.

C. Hæc est consuetudo similiũ personarum; quia primum pactum initum cum diabolo est nunquam confitendi hoc peccatum, ea fraude ducti, quòd si confiterentur hoc peccatum, Confessarius eos denuntiaret S. Tribunali Inquisitionis, ut posteà igni traderentur. Quapropter Confessarius explicet iis distinctè, quid sit sigillum confessionis, ratione cujus strictissimã habent Confessarii obligationem nunquam loquendi de auditis in confessione, multò minùs eos denuntiandi S. Tribunali. Et quando habent conciones (maximè tempore missionum) repræsentanda, & discutienda est prædicta obligatio pro remedio similium personarum, pluriúmque aliarum, quæ ex dubio revelationis suorum peccatorum ea confiteri pertimescunt.

C. Habuitne V. D. alium finem in suo maleficio, quàm ad habendam cũ illa persona copulam?

P. Non P. R.

C. Hujusmodi peccatum ordinariè fit cum millenis pessimis finibus, & intentionibus sinistris; & aliquando fit renuntiando fidem catholicam cum pacto dæmonis; quapropter necessariò interrogandi sunt, qua intentione maleficium patratum fuerit, & quo tempore, quibúsque circumstantiis se permiserint decipi; quia similes personæ (præsertim fœminæ) inconstantes sunt in fatenda veritate; idcircò ad has convincendas multùm interest, sequẽtes interrogationes adhibere; ut notat Layman tom. 1. sect. 5. tract. 6. cap. 5. §. unico. num. 28.

C. Tradiditne V. D. aliquam scripturam diabolo, in qua ei animam suam dono dederit?

P. Ita P. R. & hæc est maxima mea angustia & afflictio.

C. Malitia hujus peccati solet secum ferre quamdam speciem desperationis; quia, quando tradunt diabolo similes scripturas, sibi imaginantur non esse ampliùs remedium pro salute animarum suarum; sed per hoc V. D. non contristetur, quia de fide certum est, quod bonæ, perfectæque confessioni totus infernus resistere nequaquam valeat, nec datur peccatum, seu circumstantia ita deformis, quæ per confessionem non aboleatur absque necessitate (ut vulgus ignorans putat) repetendi scripturam de manibus diaboli; quia remisso peccato nõ est timendũ de omnibus scripturis inferni.

Verum tamen eſt, quòd diabolus ſoleat inſiſtere multis pugnis, & ſuggeſtionibus internis, & aliquando viſibiliter apparendo, tentando perſuadere ſimilibus animabus, quòd pro illis remedium non ſit ampliùs, cùm voluntariè ſe in ſuas manus tradiderint. Hos diabolicos aggreſſus retundere debet Confeſſarius, proponendo illis infinitam Dei Miſericordiam, ac promiſſionem, quòd in quacunque hora ingemuerit peccator, ac peccatorum ſuorum veniam petierit, hanc obtinebit, & eorundẽ Deus obliviſcetur; Admoneat pariter Confeſſarius tales perſonas, ut aliquam devotam Imaginem, Reliquias Sanctorum ſecum ferant, ut frequenter ſe ſignent Signo S. Crucis cum aqua benedicta; & in auxiliatricem invocent Beatiſſimam ſemper Virginem Mariam Dominam noſtram ad fugandum dæmonem; ut notavit Layman loco cit. num. 18. §. ſed quia.

34. C. Credidítne V. D. quidquam contra fidem: v. g. quòd Deus non ſit omnipotens, quòd diabolus plus poſſit quàm Deus; vel quòd diabolus non ſit ad infernum condemnatus, cùm habeat poteſtatem faciendi talia maleficia?

P. P. R. totum hoc credidi.

C. Hic eſt actus formalis Hæreſis. Manifeſtavítne hoc operibus, aut verbis?

P. Non P. R.

C. Ergo iſte caſus ſolùm includit hæreſim internam, quæ, ut ſuprà dixi, non eſt reſervata, nec per ipſam in ullam cenſuram, aut excommunicationem incidit; abnegavítne V. D. Chriſtum, & Beatiſſimam Virginem Mariam Matrem ejus & Dominam noſtram, alióſque Sanctos?

P. P. R. abnegavi Chriſtum, & Sanctos ſuos, ſed abnegandi B. V. M. nunquam animum habui.

C. Hoc eſt peccatum blaſphemiæ. Deſiderátne V. D. uniri iterum S. Romanæ Eccleſiæ ut ſuum membrum; abjurátne pariter omne id, quod contra noſtram S. Fidem credidit?

P. Ita P. R. ex toto corde.

C. Peccavítne V. D. inhoneſto peccato cum diabolo in forma mulieris apparente?

P. Ita P. R. ſemel.

C. Hoc eſt peccatum contra naturam, & contra Religionem.

35. C. exhibuítne aliquando V. D. diabolo cultum ſeu adorationem?

P. Ita P. R. Semper quando convenimus in noſtris conciliabulis.

C. Credidítne V. D. quòd diabolus ſit verus Deus, vel quòd ſit adoratione dignus?

P. Non P. R.

C. Si V. D. credidiſſet diabolum eſſe verum Deum, eíque, ut tali cultum exhibuiſſet, commiſiſſet Idololatriam formalem, cùm autem adoraverit eum abſque hoc errore, eſt Idoloatria materialis, & utraque opponitur virtuti Religionis.

36. C. Docuítne V. D. quemquam alium hanc maleficii artem?

P. Ita P. R. duas personas.

C. Per hoc peccatum scandali eas ad peccatum inducendo hanc ruinam spiritualem illarum animabus intulit, quam pro certo teneat, quòd diabolus suis suggestionibus eas sit decepturus, ut non confiteantur: Quapropter cùm V.D. hujus magnæ spiritualis ruinæ causa fuerit, justum est, ut sit illis etiã causa ædificationis, & salutis procurando persuadere eis, ut renuntient omnibus diabolicis pactis, ut confessionem Sacramentalem instituant, indicando eis, quòd ob confessionẽ nullum malũ incurrere possint, vel aliquod damnum temporale sufferre cogantur; prout nec V.D. similia sustinere debuit.

37. C. Habétne V.D. aliquod vasculum unguenti magici, libros incantationum, aut chartas diabolicas?

P. Ita P. R. habeo apud me unum vasculum.

C. Frangat illud in frusta, comburat libros, & scripturas, & deinceps absolutè non communicet cum similibus personis; & si propinquum his haberet domicilium, procul hinc abeat, si commodè fieri possit.

Noscítne V. D. alias personas hujus artis, & iniquitatis, complices suorum maleficiorum?

P. Ita P. R.

C. Sciat, quòd non obligetur eas denuntiare juxta opinionem Suarez, tract. de Fide disp. 10. sect. 4. num. 18. qui citat Pegnam, Simancam. Hoc idem docent Megala, Portel. apud Dianam part. 1. tract. 4. resol. 9. qui dicunt, neminem unquam obligari denuntiare complicem sui delicti; quia nemo unquam obligatur denuntiare se ipsum: sed denuntiando complicem denuntiat se ipsum virtualiter: ergo nemo obligatur denuntiare complicem. Minor probatur; quia si Petrus obligaretur denuntiare complicem suum, complex pariter obligaretur denuntiare Petrum, ut complicem suum: ergo denuntiando complicem denuntiaret se ipsum. Hæc tamen doctrina est limitata; quia in Hæresi formali externa, & in solicitatione adest obligatio denuntiandi complicem &c.

Hoc modo examinandi, & interrogandi sunt incantatores, & malefici: & qui hanc materiam fusiùs habere desiderat, videat Martinum del Rio in disp. Magic. lib. 6. cap. 1. lect. 3.

38. Circa modum, quo Confessarius cum similibus personis se gerere debet, quando mittuntur ad deponendam confessionem coram S. Officio ad hoc ut eas puniat, videatur Layman tom. 1. sect. 5. tract. 6. cap. 5. n. 15 & seq.

Placeat Divinæ Majestati per suam misericordiam eos illuminare, & aufere ab eorum cordibus velum tenebrosum errorum, quibus diabolus eos obcœcatos tenet, ne veritatis lumen videre queant.

39. Ad hoc ut Confessarii tam hos, quàm

quàm omnes alios peccatores ad confitendum de infinita Dei misericordia animare possint, poterunt eis sequentem casum breviter suggerere.

Refert S. Hieronymus, quòd quidam juvenis in vitiis enutritus, & immersus, deperdito timore Divino proprium Parentem, & Fratrem interfecerit, ac ablata paterna hæreditate, ablatisque omnibus sibi in paterna domo obvenientibus vagabundus per mundum, ut alter Filius prodigus totam substantiam suam consumpserit vivendo luxuriosè. Tot igitur flagitiis, & sceleribus obrutus audivit quemdam sermonem de prægrandi Misericordia Dei, à quo tactus intrinsecùs confessionem multis lacrymis deposuit, & percepta salutari Pœnitentia egressus fuit Ecclesia; in via Crucifixi Imagine prospecta ad ejus pedes genibus prostratus lacrymabundus, & dolens indulgentiam, & remissionem suorum peccatorum precatus est tam vehementi cordis dolore, & amaritudine, ut ante Crucifixum è vita decesserit ob doloris magnitudinem. Quare populus illicò accurrit, vóxque hujus prodigii ad Confessarii aures pervenit, qui unacum populo genibus provolutus divinam clementiam pro defuncti anima postulavit; orantibus autem illis columba de cœlo descendit in rostro habens chartam candidissimam, quam ad pedes defuncti emisit, quámque Confessarius hæc verba scripta in se continentem publicè legit: Ob vehementem dolorem, quem habuit hic juvenis peccator, suorum peccatorum, Deus fecit cum ipso tantam misericordiam, ut in momento, quo expiravit, anima ejus fuerit ab Angelis ad cœlum portata absque ulla purgatorii pœna.

Ex hoc sumant sibi animum peccatores quomodocumque dissoluti ad confitendum, quòd si ex corde eos pœnituerit, extensis brachiis Tei Optimus Deus patrata crimina dimittet.

TRACTATUS II.

DE II. PRÆCEPTO.

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.

CAPUT I.

De Juramento.

1. Suppono, quòd Juramentum *sit invocatio Divini testimonii in confirmationem alicujus rei.* Dicitur *invocatio testimonii, vel Nominis Dei*; quia ad juramentum requiritur, ut invocetur Authoritas Divina, vel in se immediatè, v. g. dicendo: Juro Deo juro per Deum, Deus est testis, per Nomen Dei, &c. Vel ut invocetur creatura aliqua, in qua specialiter resplendet Deus, ut sunt, Beatissima Virgo Maria, Sancti, & anima rationalis, &c. Dicitur etiam in confirmatio-

mationem alicujus rei; Quia in juramento requiritur, vel ut negetur, vel ut affirmetur res aliqua : v. g. per Deum, quòd talis fuerit in Ecclesia ; per animam meam, quòd non viderim talem hominem, &c. Et quando non affirmatur, vel negatur aliqua res, & solùm dicitur, Juro Deo, per S. Petrum, &c. non est juramentum, sed vana invocatio.

2. Dividitur juramentum in assertorium, promissorium, comminatorium, & execratorium. Assertorium est invocatio Divini testimonii in confirmationem rei præteritæ, vel præsentis v. g. Juro Deo, quòd Joannem viderim: per cœlum Dei, quòd non habeam pecunias. Promissorium est invocatio Divini testimonii in confirmationem rei futuræ: v. g. per Deum, quòd sim iturus ad Ecclesiam. Comminatorium est invocatio Divini testimonii, qua promittitur aliquod malum pœnæ : v. g. Juro Deo, quòd occidam Petrum. Execratorium est, quando Deus invocatur ut Judex in confirmationem alicujus rei ; Et hoc multis modis fieri potest : primò in confirmationem alicujus rei præsentis, vel præteritæ : v. g. Diabolus me rapiat, si heri non fui in tali loco; ne possim abhinc discedere, si habeo pecunias, in hoc casu juramentum execratorium est etiam assertorium : secundò, juramentum execratorium potest fieri in confirmationem alicujus rei futuræ : v. g. ne possim unquam intrare Paradisum, si non dedero tali eleëmosynam : hoc juramentum execratorium est etiam promissorium. Tertiò, juramentum execratorium potest fieri minaciter : v. g. possim mori, si non concutiam Antonium; hoc juramentum execratorium est etiam comminatorium : & si fieret hac intentione, & animo, ut si illud non adimpleat, morte moriatur, haberet tres malitias graves specie distinctas; unam contra quintum Præceptum propter odium, & malum desiderium contra proximum conceptum: aliam contra secundum Præceptum propter invocationem Authoritatis Divinæ in confirmationem rei malæ ; & tertiam contra propriam charitatem desiderando sibi ipsi mortem.

3. In Juramento promissorio, & comminatorio interveniunt duæ veritates, una de præsenti, alia de futuro; illa de præsenti (quæ veritas principalis vocari solet) est intentio exequendi id quod promittitur, aut minatur : illa de futuro (quæ veritas minùs principalis vocari solet) est physica executio rei promissæ, vel minatæ : v. g. Juro Deo, quòd eleëmosynam dare velim, vel per Deum, quòd occidere velim Petrum, intentio, quæ habetur tempore juramenti, sive dandi eleëmosynam, sive occidendi Petrum, est veritas principalis, & de præsenti; dare autem eleëmosynam, aut occidere est veritas de futuro, & minùs principalis. Quandocunque in juramento deest veritas

de præſenti, eſt peccatum mortale: cùm in hoc non detur parvitas materiæ; quia non habere veritatem de præſenti, nihil eſt aliud, quàm jurare falſum: jurare autem falſum ſemper eſt peccatum mortale, absque eo, quòd parvitas materiæ ineſſe poſſit: ergo ſemper deficiente veritate de præſenti in juramento eſt peccatum mortale, absque eo, quòd in hoc ſit parvitas materiæ. Quando eſt veritas de præſenti, non autem illa de futuro, eſt peccatum mortale, ſi eſt materia gravis, ſi verò eſt levis, ſolùm veniale erit. Ita opinantur multi, & graves Authores, quos citat, & ſequitur Leander à S. Sacram. part. 7. tract. 1. diſp. 7. q. 33. Si verò juramentum eſt comminatorium, non eſt obligatio illud adimplendi, nec inferendi malum, quod proximo minamur.

4 Solent aliqui dividere juramentum in reale, verbale, & mixtum. Reale eſt, quando fit juramentum tangendo Crucem, vel Evangelium: Verbale eſt, quando ſimplicibus verbis profertur: v. g. Juro Deo, quòd hoc verum ſit: mixtum eſt, quando fit verbis, & tactu ſacrarum rerum: v. g. Juro Deo, & per S. Evangelium, quod tango, quòd hoc ſit verum: Hæc tamen diviſio juramentorũ non eſt diversa moraliter, nec eſt neceſſarium explicare in confeſſione, an juramentum ſit reale, verbale, vel mixtum, ut videri poteſt in Sanchez tom. 1. in Decalog. lib. 3. cap. 1. n. 9.

5. Suppono ſecundò, quòd juramẽtum factum cum debitis circumſtantiis ſit actus virtutis Religionis, quod colligitur ex illo Deuter. cap. 6. ubi dicitur: Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſervies, & per Nomen illius jurabis. Tres conditiones requiruntur, & ſufficiunt, ut juramentum ſit juſtum, ſcilicet, Veritas, Juſtitia, & Neceſſitas, ut habetur ex Proph. Jerem. cap. 4. ubi dicitur: jurabis, vivit Dominus, in veritate, & judicio, & juſtitia. Veritas conſiſtit in hoc, ut verba dicentis correſpondeant intentioni; ſecùs, eſt peccatum mortale, ſit ſive materia gravis, ſive levis; Neceſſitas, vel judicium conſiſtit in hoc, ut non fiat juramentũ ſine cauſa; & ſi hæc deſit, adſit verò veritas, & juſtitia eſt peccatum veniale. Juſtitia in hoc ſita eſt, ut res ſit licita, & id, de quo fit juramentum, ſit bonum; quia jurare ad faciendam rem malam eſt peccatum mortale, ſi eſt res gravis, ſi levis, leve. Ita Bonacina tom. 2. diſp. 4. in Decalog. q. 1. punct. 3. num. 7.

6. P. P. R. dico meam culpam, quòd habeam malum habitum, & peſſimam conſuetudinem jurandi quaſi ſemper.

C. Quibus verbis V. D. ſolet jurare?

P. P. R. aliquando juro per Chriſtum, aliquando per animam meam, per vitam meam, & per Crucem.

C. Ut cum diſtinctione procedamus, ſupponendum eſt, quòd juramentum conſiſtat in invocando Deum in teſtem illius rei, de qua fit juramentum: Et ut verbum ſit juramentum, requiritur

tur

tur intentio formalis, vel virtualis jurandi: quandocunque talia verba proferuntur; quæ in communi acceptione sunt recepta, & habita pro juramẽto, est intentio virtualis juramenti.

7. Dicere, juro Deo, Sanctis, vivit Deus, per Crucem, per vitam animæ meæ, per habitum S. Petri, S. Francisci, sic Deus me salvet, per Cælum Dei, per fidem Christi; hæc omnia & similia sunt juramenta.

Dicere autem, juro, absque alia additione; Deus hoc scit, non est juramentum; ut nec dicere in fidem meam, in bonam fidem, fide jurata; quia per hæc verba non intelligitur aliud, quàm fides humana, nec dicere, in conscientia mea, vel per vitam meam, est juramentum; quia nihil aliud intelligitur, quàm usus rationis exclusa anima: neque dicere; ita Deus me adjuvet, aut, velut faciunt Matres filiis, per hoc mihi solves, ponendo digitum ad frontem; quia in nullo horum verborum intervenit Authoritas Dei. Hæc omnia videri possunt in Thom. Sanchez tom. 2. Decalog. lib. 3. cap. 2. per tot. in Fagundez supra Decalog. l. 2. cap. 2.

8. Dicat mihi V. D. hæc consuetudo jurandi éstne cum veritate vel mendacio?

P. P. R. prout offertur occasio, aliquando cum veritate, aliquando cum mendacio.

C. Consuetudo jurandi, quando ejus actus semper est in veritate, peccatum veniale non excedit; quia consuetudo est habitus genitus ex frequentatis actibus, & est ejusdem speciei, & naturæ cum illis: sed jurare in veritate est solùm peccatum veniale: ergo & consuetudo jurandi est malitia tantùm venialis.

Sed quando talis consuetudo est causa, & occasio jurandi cum mendacio, tunc est peccatum mortale; quia exponere se periculo peccandi mortaliter, est peccatum mortale: sed consuetudo, quando est occasio, & radix, à qua emanant falsa juramenta, exponit periculo mortaliter peccandi: ergo hæc consuetudo per se erit peccatum mortale.

9. C. Mihi dicat V. D. quando juravit cum mendacio, juravítne cum advertentia, vel solùm ex habitu contracto sine reflexione, aut consideratione?

P. P. R. non adverti, nisi post juramentum.

C. Advertentia, quæ est posterior actu, non facit illum peccaminosum; quia si in illius productione non habuit advertentiam, non fuit voluntarius; & actus præteritus non est subjectum capax malitiæ, quam nec in principio habuit, secundùm communem regulam, quæ dicit, *quod ab initio non subsistit, tractu temporis non coalescit.*

Cùm ergo in suis falsis juramentis defuerit advertentia, non sunt peccata mortalia. Idem dicendum de consuetudine jurandi, si sit revocata per

per actum veri doloris, & propositum emendationis. Et ratio est; quia consuetudo, ut dixi, est habitus malitiam contrahens ab actibus: sed actus juramenti falsi deficiente advertentia non est peccatum mortale: ergo nec erit consuetudo inducens aliquando ad falsè jurandum sine advertentia; ita docet Suarez, & Reginaldus, Thomas Sanchez, & alii, quos citat, & sequitur Diana part. 3. tract. 5. resol. 62. Quare sufficit se accusare de omissione in eradicando hanc malam consuetudinem jurandi sine advertentia. Diana ibidem. Idem dic ob eandem rationem de consuetudine maledicendi & blasphemandi.

10. C. Potestne V. D. recordari de numero juramentorum cum veritate, & eorundem cum mendacio?

P. P. R. mea juramenta numerum non habent; vix verbum protuli; quod non fuerit juramentum.

C. saltem recordabitur quoties in septimana, aut in die accipiendo unam diem, post aliam?

P. Non est possibile; quia aliquando vigesies in die juravi, aliquando plus, aliquando minus.

C. Ergo sufficit, quòd se accuset de habitu jurandi aliquando cum veritate, aliquando cum mendacio per integrum cursum horum triginta annorum; est enim principium generale, quòd, quando pœnitens in quacunque materia non possit scire numerum suorum peccatorum, accuset se de habitu, & consuetudine; ita Navarrus, Henriquez, Toletus, quos citat, & sequitur Fagundez super Præcepta Ecclesiæ lib. 2. cap. 4. num. 11. & alii.

11. C. Solebátne V. D. jurare cum mendacio taliter, ut per suum juramentum proximus fuisset damnum passus, vel in bonis, vel in honore?

P. P. R. de hoc non recordor.

C. Habuítne V. D. consuetudinem jurandi dicendo, juro Christo?

P. Ita P. R. multoties.

C. Solebátne V. D. jurare hoc modo minanter: v. g. juro Christo, quòd ipsum occidere velim?

P. Ita P. R. quando quis injuriam aliquam mihi intulit, juravi hoc modo.

C. Dicere, juro Christo sine alia additione, non est juramentum; quia ad juramentum requiritur affirmatio, vel negatio, at hìc neutra ex his invenitur: ergo non est juramentum, sed est solùm invocatio quædam Divini Nominis sine necessitate, & est peccatum veniale.

Sed quando fit juramentum minaciter in re gravi, est peccatum mortale, & vocatur juramentum comminatorium; quia, vel fit juramentum animo adimplendi comminationem, vel non; si est absque animo adimplendi, deest veritas de præsenti, & est juramentum falsum, sed juramentum falsum semper est mortale: ergo juramentum comminatorium, si desit intentio id adimplendi, semper est mortale. Si fit juramentum animo adimplen-

plendi comminationem, sunt duæ malitiæ specie distinctæ; una contra justitiam, cùm desideret proximo malum facere, altera contra Religionem; quia utitur authoritate Dei ad confirmandam rem adeò malam, ut est desiderium vindictæ; ita communiter DD. Sotus lib. 8. q. 1. art. 3. Cajetanus art. 7. quos citat, & sequitur Lessius lib. 2. de Just. cap. 42. dub. 4. num. 18.

12. Si tamen comminatio, quæ fit cum juramento, sit levis, non est mortale juramentum animo adimplendi factum, sed erit solùm veniale; ita DD. suprà cit. & alii, quos citat, & sequitur Murcia tom. 2. disq. lib. 4. disp. 4. resol. 1. n. 18. in fine.

Et licèt juramentum comminatorium fiat de minima re, si deest intentio eam adimplendi, semper est peccatum mortale; quia deest veritas de præsenti, juramentum autem carens veritate de præsenti semper est peccatum mortale, nec in hoc casu excusat parvitas materiæ.

Idcirco admoneant Confessarii illos, qui similia juramenta comminatoria eliciunt, non teneri ea adimplere; imò magis peccare ea exequendo; quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Hoc idem dicitur, quando juramentum fit de re indifferente, quam exequi nullus obligatur.

13. Juravitne aliquando dicendo, diabolus me rapiat potiùs, quàm hoc facere?

P. Ita. P. R. multoties.

C. Hoc est juramentum execratorium (licèt ab ignorante vulgo confundatur cum maledictione) In his juramẽtis execratoriis sunt duæ malitiæ, una gravis, altera levis. Levis, est imprecatio, per quam dæmon invocatur; & est levis; quia nunquam ordinariè desideratur, ut diabolus nos rapiat. Gravem illo dilemmate declaro, quo declaravi juramentum comminatorium: vel desideratur exequi id, quod affirmatur cum hac execratione v. g. ut fiat hæc, vel alia res, vel non desideratur; Si non desideratur, nec habetur intentio exequendi, deest veritas de præsenti, & est juramentum falsum, consequenter peccatum mortale, si verò desideratur; cùm hoc desiderium tendat ad malum proximi, deest justitia, consequenter erit injustitia gravis, vel levis secundùm gravitatem mali desiderati, ut de juramento comminatorio dictum est.

14. Iddem proportionaliter dicendum est de juramento Promissorio quo ad veritatem de Præsenti: quia quo ad veritatem de futuro idem respectivè dicendum est, ac de voto, de quo inferiùs agetur. Advertendum præterea est, quòd omnia juramenta assertoria, promissoria, comminatoria, & execratoria non distinguantur specie in ratione juramenti ex eo, quòd modò fiant per Deum modò per Sanctos, modò per aliam creaturam, vel quocunque alio modo; ita

Cajetanus, Sotus, Leſſius, Azorius, & alii, quos citat, & ſequitur P. Murcia tom. 2. diſq. lib. 4. diſp. 4. reſol. 1. n. 6. Et ratio eſt; quia ratio formalis juramenti conſiſtit in invocatione Dei in teſtem rei juratæ: ſed in hac ratione conveniunt ſpecificè omnia juramenta: ergo in ratione juramenti ſunt omnia ejusdem ſpeciei.

Dico, in ratione juramenti; quia per alias circumſtantias diſtinguuntur ſpecie: v. g. ſi juramentum fiat cum blasphemia; vel ſi in comminatorio deſideretur vindicta; vel ſi aſſertorium fiat in manu Judicis; tunc enim habet annexam injuſtitiam, ſi ſit falsũ; cùm ſit juramentum juridicum: ita Fagundez ſuper Decalog. lib. 2. cap. 4. num. 6.

15. P. P. R. me accuſo, quòd, multoties videndo filios meos non exequi id quod illis impoſui, juraverim dicendo, juro Chriſto, quòd hoc mihi ſolvetis, & poſtmodùm ſæpiſſimè nihil ſui executus.

C. Cùm moderata filiorũ caſtigatio, ut in timore Dei educentur, ſit res bona & laudabilis, ſequitur, quòd hujusmodi juramentum obliget ad executionem, multæ tamen cauſæ ſunt, quæ ab hac obligatione excuſant: v. g. quando aliquis amicus, vel vicinus se interponit, ut caſtigatio ſuſpendatur: quando ob caſtigationem timentur rixæ, & diſcordiæ in domo; quando filius in ſe reverſus reſipiſcit, & veniam petit; & univerſaliter loquendo, quando prævidetur major fructus ſecuturus ex condonatione, quàm ex caſtigatione; ita Cajetanus, Toletus, Leſſius, Sanchez, Navarrus cum aliis, quos citat, & ſequitur Fagundez lib. 2. Decalog. cap. 4. num. 14. & 15.

16. P. P. R. me accuſo, quòd quadam vice, dum meus proximus pecunias à me mutuò peteret, & ad id non inclinarem, licèt eas habuerim, ipſi negaverim dicendo, pecuniæ, quas habeo, ſint maledictæ.

C. Hoc non eſt juramentum, nec execratio; quia maledictio non cadit ſupra perſonam, ſed ſupra pecunias; ſicut nec ex hac ratione eſt juramentum, quando dicitur, ſit maledictus bolus, quem comedi; ita Sanchez ſuper Decalog. tom. 2. lib. 3. cap. 2. num. 42.

17. P. P. R. me accuſo, quòd Petrum debitorem, & id negantem ad juramentum coram Judice præſtandum obligaverim; cùm hoc fuerit falſum, me accuſo, quòd fuerim cauſa hujus falſi juramenti.

C. Scivítne V. D. pro certo, quòd ſit falsè juraturus?

P. P. R. pro certo non ſcivi, licèt dubitaverim ipſum eodem modo ſe geſturum coram Judice, ſicut mecum ſe geſſit.

C. Si V. D. pro certo ſciviſſet illum falsè juraturum, graviter peccaſſet eum obligando ad juramentum; quia obligaſſet ad actionem intrinſecè malam, cùm verò ſolùm dubitaverit, non pec-

peccavit cogendo eum ad juramentum; quia in dubio nemo præsumitur malus, nisi probetur, ita Suarez, Sanchez, & alii apud Fagundez super Decalog. lib. 2. cap. 7. n. 4.

18. P.P.R. me accuso, quòd pro informatione facienda de quodam idem domicilium habente cum Hebræo, duas personas examinandas vocaverim, quas, verè scivi, ignorare defectum, de quo erant examinandæ, ac proinde cùm virum illum justum reputarent, de ejusdem innocentia juramentum emiserunt.

C. V. D. in hoc non peccavit juxta Hurtadi opinionem, quam citat, & sequitur pro probabili Diana part. 5. tract. 7. resol. 15. Quintana Duena apud P. Murciam tom. 1. disq lib. 2. disp. 5. resol. 2. num. 8. ejúsque opinionem approbat ipsemet Murcia num. 20. qui docet, licitum esse inducere alium ad jurandam rem, quæ realiter falsa est; sed ille, qui jurat, putat esse veram; quia licitum est inducere alium ad faciendam rem, quæ mala non est: sed jurare falsum materialiter (quod fit, quando deponitur juramentum, quòd res sit, uti creditur esse) non est peccatum: Ergo talem inducere ad juramentum non erit peccatum. Sententia tamen contraria videtur mihi verior, & probabilior; quia stolidus, & mente corruptus non peccat actionem inhonestam patrando, & tamen hoc non obstante non est licitum, eum inducere ad inhonestatem: ergo licèt ille, qui jurat falsum materialiter, excusetur à peccato ob ignorantiam, tamen non erit licitum inducere talem ad juramentum. Hanc Sententiam tuetur Azorius tom. 1. lib. 10. cap. 11. q. 2. §. Quæres. Suarez tom. 3. lib. 3. de Justit. cap. 14. num. Et licèt sententia prima Hurtadi sit probabilis, debet tamen limitari in hoc, ut juramentum non cedat in damnum tertiæ personæ; ita limitat Lugo tom. 2. de Justit. disp. 39. sect. 3. Joannes Martinez à Prato Præcept. qq. tom. 2. cap. 24. q. 6. §. 5.

19. P. P. R. me accuso, quòd, cùm in eadem informatione hi duo testes existimaverint illam personam esse illegitimam, cùm tamen aliàs legitima fuerit, ego de veritate certiores reddiderim, & ex hoc emiserunt juramentum, quòd sit legitima.

C. Proposuítne V. D. illis rationes tales, & testes fide dignos, ac sufficientes ad auferendum ab illis errorem?

P. Ita P. R. vocavi duas personas bonæ conscientiæ, & omni fide dignas, quæ attestatæ sunt legitimam esse.

C. Hi duo testes præstiterúntne fidem absque ullo dubio, aut difficultate his duabus personis, quòd talis persona fuerit legitima?

P. Ita P. R.

C. Licitè ergo, & prudenter egit V. D. ut ait Hurtadus cum Diana loco cit. resol. 10. licitum est enim inducere alium ad jurandam veritatem, quam ignorat, erudiendo eum priùs vel per se immediatè, vel per personas fide dignas.

dignas. Et ratio est; quia si illi testes veritatem scivissent, potuissent induci ad jurandum: atqui sciverunt eam ex testimonio illarum duarum personarum: ergo ad juramentũ obligari poterant.

20. P. P. R. dico meam culpam, quòd, postquam vidi Joannem occidentem Petrum, fuerim ad examen vocatus, & occultaverim veritatem amphibologicè respondendo.

C. De modo, quo uti possumus amphibologiâ, agam posteà in tract. 10. super Propositiones 28. & 27. ubi explicatur, in quo sensu sint damnatæ amphibologiæ, nunc solùm discutiam, quando in hoc casu adsit titulus, aut causa occultandi veritatem.

C. Dicat mihi V. D. habuítne Judex semiplenam scientiam, vel probationem?

P. P. R. jam scivi, quòd Joannes fuerit legitimè accusatus, & denuntiatus.

C. Quando non habetur semiplena probatio delicti, potest veritas occultari, licèt reus sit legitimè denuntiatus, & jam probata sit infamia sine tamen semiplena probatione, hoc est teste, qui deposuerit, aut contra reum talia indicia adduxerit, quæ semiplenæ probationi æquivaleant; ita communiter DD. apud Murciam tom. 2. disq. lib. 4. disp. 4. resol. 4. num. 12. in fine. Layman tom. 1. lib. 3. sect. 5. tract. 6. cap. 4. num. 3. & 9.

21. P. P. R. non scivi, an Judex habuerit semiplenam probationẽ, nec ne.

C. Cùm V. D. in dubio fuerit, non tenebatur fateri veritatem. Et pro hujus intelligentia supponendum est, Judicem duas actiones, seu Jura habere; unum, procedendi ad examen, & interrogationes testium, alterum, quòd testis juxta mentem Judicis sine veritatis occultatione respondeat. Ut Judex procedere possit ad inquisitionẽ, & examen, sufficit, quòd reus sit legitimè accusatus, & ejus infamia sit probata; sed ad hoc, ut Judex habeat Jus exigendi, ut testis, vel reus juxta suam mentem sine veritatis occultatione respondeat, necessarium est, ut Judex semiplenam probationem habeat; quia licèt tunc Judex legitimè interroget, non habet tamen legitimum Jus obligandi ad non occultam veritatem. Ex quo colligitur quòd, quando reus, vel testis dubitat, an Judex semiplenam probationem habeat, possit veritatem occultare. Et ratio est; quia in dubio melior est conditio possidentis: sed reus est in possessione suæ indemnitatis, dum ipsi non constat, quòd Judex habeat contra se semiplenam probationem: ergo in dubio favendum est reo, quòd veritas occultari possit. Videatur P. Leander à Murcia tom. 2. disq. lib. 4. disp. 4. resol. 4. n. 12. & 13. & pariter id, quod circa hoc fusiùs dicam in 2. part. hujus praxis tract. 15. cap. 1. num. 2. & cap. 16. num. 69. & cap. 7. num. 77. & seq.

22. P. P. R. dico meam culpam, quòd in quadam occasione, postquam perdidi

didi multum de pecunia per lusum, juraverim, me non ampliùs lusurum, post hoc tamen lusi vigesies.

C. His vicibus lusitne V. D. distractionis, & recreationis gratiâ, vel pecuniis expositis?

P. P. R. quatuor vicibus lusi distractionis gratiâ; cæteris verò exponendo pecunias.

C. Hoc fuit juramentum promissorium, quod obligat adimplere id, quod promissum est, cùm sit de meliori bono. Attamen cùm tota vis promissionis consistat in intentione promittentis, & motivum V. D. in emittendo hoc juramentum fuerit perditio pecuniarum, finis verò imposterum non ampliùs perdendi, ideò quotiescunque lusit exponẽdo pecunias post factum juramentum, violavit illud peccãdo mortaliter; sed illis quatuor vicibus, quibus distractionis gratiâ lusit, non peccavit; quia distractio cum duobus amicis prædicto fini non opponitur.

23. P. P. R. dico meam culpam, quòd alia vice, cùm lusissem cum Petro, & perdidissem aliquos regales, hic discessit renuendo prosequi lusum, & ego iratus, juraverim, me non ampliùs cum eodem lusurum.

C. Hic lusus cum Petro fuitne V. D. occasio inquietudinis, rixarum, quia fortè vir litigiosus est?

P. Non P. R. sed solùm juravi ex indignatione, quòd noluerit continuare lusum.

C. Quando similia juramenta fiunt in finem non ludendi cum personis, quæ occasionem dant ad rixas, juramentum est validum, & obligat. Hoc idem dicendum est, quando fit juramentum non ludendi in tali domo, vel tali lusu, quæ sunt occasio alicujus damni. Ratio est; quia juramentum promissorium de meliori bono obligat; sed melius bonum est non ludere cum similibus personis, in tali domo, tali lusu, ubi est occasio mali, quàm ludere: ergo juramentum obligat. Sanchez tom. 1. Decalog. lib. 3. cap. 18. n. 9. Quando verò ludere cum tali persona, in tali domo, tali lusu non est occasio mali, sed solùm fit juramentum ob aliquam indignationem, tale juramentum non obligat. Sanchez ibid. num. 10. Et ratio est; quia juramentum promissorium, ad hoc ut obliget, debet esse de meliori bono: sed non est melius bonũ non ludere cum tali persona, in tali domo, tali lusu, quando motivum est tale, quale superius: ergo non obligat. Verum tamen est, quòd facere similia juramenta sit peccatum grave, vel leve juxta gravius, vel levius motivum, ob quod fit juramentum.

24. P. P. R. dico meam culpam, quòd, quotiescunque ludo, prorumpam in juramenta, & maledictiones; quia sum ita infortunatus, ut rarò ex lusu lucrum aliquod percipiam.

C. Hoc contingit ordinariè in lusu, & licèt V. D. non jurasset se non ampliùs lusuram, peccat tamen, quandocumque ludit pro re alicujus momenti

ti ob causam horum juramentorum; quia non solùm est peccatum malè facere, sed etiam exponere se periculo malè faciendi: sed V. D. lusus est periculum malè faciendi per juramenta, & maledictiones: ergo quandocumque ludet, peccabit; & cùm in V. D. hoc peccatum sit consuetudinis, & occasionis proximæ ad tot juramenta, blasphemias, V. D. est incapax absolutionis, nisi emendationem procuret.

Quomodo, & quando negari debeat absolutio propter consuetudinem, aut occasionem, dicetur posteà in tract. 10. Propositione 60.

P. Poteritne P. R. me liberare ab obligatione juramenti emissi non ampliùs ludendi?

C. Ita Fili, multa dantur media, scilicet per dispensationem, commutationem, relaxationem, de quibus agam in materia de voto.

25. P. P. R. dico meam culpam, quòd Joanni centum regales obtulerim, ut Petrum baculizet, sed secuto effectu promissis meis stare noluerim.

C. Primò V. D. commisit duo peccata mortalia; unum injustitiæ, cùm fuerit causa damni à Joanne Petro illati, alterum scandali, cùm Joanni occasionem peccandi dederit.

Quo ad solutionem centum regalium V. D. non obligatur in opinione probabili; quia promissio facta ob rem peccaminosam, & prohibitam non obligat etiam secuto effectu: v. g. Petrus promittit Bertæ, si permittat habere copulam cum ea se daturum tantum: ille non obligatur servare promissum, licèt Berta consenserit eique complacuerit; ita Lessius tom. 1. lib. 2. de Justit. cap. 18. dub. 3. num. 2. Navarrus & alii, quos citat, sed non sequitur Fagundez super Decalog. lib. 2. cap. 28. n. 26. Et ratio est; quia sicut dicit Jus de regul. Jur. in 6. non est obligatorium juramentũ contra bonos mores, sed hæ promissiones sunt contra bonos mores: ergo non obligant.

Hoc non obstante probabilius est, quòd obligent secuto opere promisso; quia promissio non fuit gratuita, sed onerosa, in contractibus autem onerosis ambo contrahentes tenentur stare pacto inito: ergo impleto opere juramenta promissoria obligant. S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. Cajetanus, Covarruvias, & alii, quos citat, & sequitur Fagundez loco citato num. 45.

Dixi, quòd promissa obligent secuto effectu; quia ante executionem v. g. ante verberationem Petri nulla fuit obligatio; cùm nemo possit obligari ad executionem rei malæ.

CAPUT II.

De Blasphemia.

26. P. P. R. confiteor, quòd in quadam occasione ex impetu iræ dixerim, denego Deum, & Confirmationem, quam habeo; per caput S. Pauli &c.

C. Hæc omnia fuerunt verba blasphemiæ, cujus malitia consistit in convitio,

vitio, sive contumelia contra Deum, vel Sanctos, quod fieri potest tum verbis, tum opere.

Per hoc, quòd verba sint contra Deum, vel Sanctos, blasphemiæ non distinguuntur specie. Azorius, Valentia, & alii, quos citat, & sequitur Diana part. 1. tract. 7. resol. 50. & part. 5. tract. 13. resol. 21. Hoc idem dicunt meo judicio illi, qui tenent, quòd contumeliæ inter se non distinguantur specie. Lugo de pœnit. disp. 16. sect. 5. §. 3. n. 26. & citat pro hac opinione Cajetanum, Sa, Azorium, & alios.

27. Eò minùs distinguuntur numero, quando multæ blasphemiæ dicuntur ex unico impetu continuato iræ; quia interruptio physica non multiplicat numerum peccatorum, sed solùm interruptio moralis; quando ex unico impetu continuato multæ blasphemiæ dicuntur, non est interruptio moralis, sed tantùm physica: ergo non multiplicantur numero; ita Navarrus apud Caspensem tom. 1. tract. de peccatis disp. 2. sect. 8. n. 70. & colligitur ex Lugo loc. cit. sect. 14. §. 2. n. 59. ubi docet, quòd is, qui ex unico impetu continuato dicit multas detractiones, unum numero peccatum committat.

28. P. P. R. confiteor, me aliis vicibus dixisse, per vitam Dei.

C. Quamvis multi teneant prædicta verba continere blasphemiam; Caspēsis tamen est opinionis contrariæ, tom. 2. tract. 15. de Fide. disp, 6. sect. 3. n. 15.

29. P. P. R. pariter confiteor, me semel dixisse, laudetur diabolus.

C. Dixítne hoc credendo, quòd diabolus sit laude dignus?

P. Non P. R. sed solùm ex ira hoc protuli.

C. Si hæc prolatio fuisset cū errore, & credidisset, diabolum esse laude dignum, talis consensus fuisset hæresis; cùm autem fuerit absque hoc errore, hoc verbum reducitur ad Idololatriam materialem; cùm Idololatria consistat in exhibitione cultûs Deo debiti diabolo: sed V. D. per illa verba exhibuit diabolo cultū Deo debitum; ergo fuit peccatum Idololatriæ; non quidem formalis, quia error non concurrit intrinsecùs, sed materialis: per hæc verba commisit etiam blasphemiam; quia laudare diabolum, est inhonorare, & rejicere Deum.

30. Advertendum est hìc, quòd dicere abnego Deum, sit blasphemia hæreticalis, & potest esse tantùm materialiter hæreticalis, vel formaliter: materialiter erit, quando hæc verba dicuntur absque interno errore contra fidem: formaliter verò hæreticalis erit, quando est cum hoc errore: absolutio blasphemiæ formaliter hæreticalis spectat ad Tribunal S. officii.

Quando vero est materialiter hæreticalis, & publica vel consuetudinaria, licèt sit S. Officio reservata; vi Bullæ Cruciatæ potest absolvi toties, quoties; Hoc idem dicendum est de aliis casibus huic Tribunali reservatis: v. g.

 Sor-

Sortilegia, maleficia &c. Omnia hæc absolvi possunt vi privilegii Bullæ toties quoties, excepta Hæresi externa; ita docet Suarez, Filiucius, Alcherius apud Dianam part. 1. tract. 5. resol. 7. & Murcia tom. 2. disq. lib. 4. disp. 1. resol. 14. n. 12. Quando dicatur publica blasphemia, vel ex consuetudine, & quando per hoc sit S. Officio reservata, videri potest in Diana part. 10. tract. 14 resol. 68. & 69.

31. P.P.R. me accuso, quòd subinde dixerim, per Passionem Christi, quòd hoc ita se habeat, vel quòd habeam ad faciendum hoc, vel illud.

C. Hoc verbum rigorosè sumptum est blasphemia; quia in toto rigore est exponere Passionem Christi contemptui, si id, quod affirmatur, non est verum.

In communi verò sensu hoc verbũ non accipitur in tali rigore, in quo, si non accipiatur, non est blasphemia; prout nec dicere, hoc tam verum est, quàm verum est, Christum pro nobis fuisse passum. Hoc idem, ait Caspensis, dicendum est, quando dicitur per Caput, per vultum Christi tom. 2. tr. de Fide disp. 6. sect. 3. num. 15.

CAPUT III.

De Maledictione.

32. P.P.R. confiteor, me habere diabolicum habitum maledicendi frequentissimè, dicendo, diabolus te rapiat.

C. Solétne V.D. proferre hanc maledictionem seriò, & ex animo, ut diabolus illas personas rapiat, contra quas eamdem profert? quia datur maledictio materialis, & formalis: materialis est, quando non seriò, & ex animo perverso malum illud proximo exoptamus: Formalis verò, quando seriò ex tali animo malum intendimus; maledictio formalis est peccatum mortale; materialis verò veniale.

P.P. R. in iracundia maledicere solebam.

33. C. Solebátne proferre has maledictiones contra Filios, vel domesticos, vel inimicos?

P.P.R. contra quemlibet, causam inquietudinis mihi præbentem.

Non est facilè Confessariis discernere, quando Pœnitentes maledicant ex mala intentione, & quando non; cùm aliud respondere nesciant, nisi, quòd maledicant, quando irascuntur; & ad formandum judicium in hac materia opus erit illos interrogare contra quã Personam jecerint has maledictiones; si contra Filios, uxorem, amicos, ordinariè sunt maledictiones materiales; cùm parentes nunquam soleant desiderare propriis prolibus similia mala.

Si verò maledictiones proferantur contra extraneos, respicienda est occasio maledicendi, & natura maledicentis; si occasio fuit gravis, quæ potuerit esse motivum alicujus odii formalis, maledictio tenenda est pro formali; pariter quando persona est valde iracunda: licèt occasio non fuerit adeò gravis.

34. Non eſt tamen neceſſarium explicare qualitatem maledictionum, an fuerint prolatæ contra perſonas, vel honorem, vel vitam, vel bona; quia hæc differentia eſt phyſica, & non moralis, ut ait Fagundez ſuper Decal. lib. 8. cap. 12. n. 27. Licèt Baſſæus contrarium teneat verb. Maledict. num. 5.

35. C. Solebátne V. D. proferre has maledictiones cum advertentia? licèt enim ex pravo fine prolatæ fuerint, ſi defuit advertentia, non fuerunt peccata gravia; quia non adfuit libertas.

P. R. R. ego eas protuli in illa iracundia, quæ tamen non fuit permanens, ſed immediatè tranſiens.

C. Ceſſatio repentina iræ non eſt argumentum inadvertentiæ, ut optimè notat P. Baſſæus loco ſuprà cit. in ſupplemento n. 3. quia, quando paſſio iræ ſtatim tranſit, ſignum eſt, quòd non fuerit adeò vehemens, ut potuerit obcæcare usque ad privationem advertentiæ, imò oppoſitum infertur ex repentino tranſitu iræ, nempe, quòd non fuerit talis turbatio animi, ut advertentiam tollere potuiſſet.

36. Ad dignoſcendum, quando nam ſit motus primò primus, ſignum eſt, quando perſona taliter obcæcatur paſſione, ut non advertat id, quod profert, & quando in ſe revertitur, vix recordatur, quidnam dixerit, dolétque ſummopere de præterito dicto. Pariter advertendum eſt, an perſona ſit valdè iracunda, & an occaſio fuerit vehemens; ſignum certum eſt, quòd maledictiones ſint cum advertentia, quando pluries repetuntur per ſpatium temporis continuatum; & ſi poſteà in corde aliquod odium, vel rancor remaneat, ſignum eſt, quòd ſine dubio fuerint maledictiones formales, & cum mala intentione prolatæ.

CAPUT IV.

De Voto.

CUm hæc materia voti multa puncta contineat, ad procedendum cum diſtinctione in partes eam dividam.

Pars Prima.

De Subſtantia & valore Voti.

37. VOtum eſt promiſſio deliberata Deo facta de meliori bono, & poſſibili. Dicitur promiſſio ad differentiam propoſiti, quod non inducit obligationem, ſicut promiſſio. Dicitur deliberata; quia, ut votum obliget, debet deliberatè fieri, id eſt cum cognitione, & advertentia rei, ad quam agens ſe obligat, & cum intentione, & voluntate ſe obligandi. Dicitur Deo facta; quia quamvis fieri poſſint vota in honorem Sanctorum, nihilominus dicitur, quòd Deo fiant; quia obligatio implendi vota facta Sanctis contrahitur cum ſua divina Majeſtate. Dicitur etiam de meliori bono: quia ad hoc, ut votum ſit validum, non ſufficit, ut res, quæ vovetur, ſit bona, ſed ultrà requiritur, ut ſit me-

melior alterâ: v. g. ſtatus Matrimonialis eſt bonus, tamen melius eſt obſervare caſtitatem; ideò univerſaliter loquendo, non eſt validum votum ducendi uxorem, quamvis in aliquo caſu particulari validum eſſe poſſit. Additur in definitione, & poſſibili; quia non eſt validum votum de rebus impoſſibilibus v. g. ſi quis faceret votum nunquam comedendi, nunquam dormiendi, hoc votum nullum eſſet; quia eſſet de re impoſſibili.

38. Votum poteſt eſſe reale, perſonale, & mixtum. Reale eſt, cùm pecunia vel alia res externa pretio æſtimabilis promittitur, ut calix, eleemoſyna. Perſonale, cùm aliqua hominis actio, vel ceſſatio ab actione vovetur, ut votum jejunii, peregrinationis, abſtinentiæ à luſu. Mixtum eſt, ut ſi voveatur peregrinatio cum oblatione alicujus rei, ut votum viſitandi quamdam Eccleſiam, & ſimul offerendi aliquod ornamentum in ejus ſervitium. Dividitur ulteriùs in votum ſolemne, & ſimplex: ſolemne eſt illud, quod fit coram aliquo Dei Miniſtro, qui nomine Eccleſiæ votum recipit, ut ſunt vota, quæ fiunt in Profeſſione Religioſa. Votum ſimplex eſt illud, quod fit privatè abſque ullo, qui illud nomine Eccleſiæ ſolemniter recipiat. Ulteriùs dividitur votum in totale, & partiale: totale eſt illud, quod integram aliquam materiam comprehendit: v. g. ſi quis facit votum recitandi totum Officium Divinum, vel perfectè, & in toto obſervandi caſtitatem. Partiale eſt, quod comprehendit tantùm partem alicujus materiæ: v. g. ſi quis vovit recitare unam, duas, aut tres horas Officii Divini, vel non ducere uxorem, aut non cognoſcere fæminam. Dividitur etiam in abſolutum, & conditionatum: abſolutum eſt, quod fit independenter ab aliqua actione: v. g. voveo dare eleemoſynam, vel voveo jejunare. Conditionatum eſt, quod fit mediante aliqua conditione: v. g. voveo peregrinationem Lauretanam, ſi à meo Parente licentiam habuero. Conditionatum ſubdividitur in pœnale, & non pœnale: pœnale eſt, quando fit cum conditione ſubjiciendi ſe alicui pœnæ, ſi votum non adimpleatur: v. g. voveo, ſi non recitavero meas devotiones, jejunare in pœnam una die: non pœnale eſt, quando fit independenter ab aliqua pœna.

Tandem votum poteſt eſſe perpetuum, vel temporale. Perpetuum eſt illud, quod fit pro ſemper, id eſt pro toto tempore vitæ: v. g. facio votum quotidie recitandi Roſarium toto tempore vitæ meæ. Temporale eſt, quod fit pro aliquo tempore determinato: v. g. voveo jejunare diebus Veneris per unum annum.

39. P. P. R. dico meam culpã, quòd deſideraverim ducere in uxorem quandam puellam, cùm autem intentum obtinere nequiverim, emiſi votum caſtitatis; & poſtmodùm ingraveſcen-

vescente displicentia, & amaritudine voverim insuper Religionem ingredi.

C. Fecítne hæc vota cum plena deliberatione?

P. Ita P. R.

C. Si hæc vota fuissent facta cum semiplena deliberatione, non obligassent etiam sub peccato veniali; ut docent communiter DD. Sotus lib. 7. de Justit. q. 1. art. 2. col. 4. Toletus lib. 4. Sum. cap. 17. num. 4. Manuel Rodriquez tom. 2. cap. 92. n. 2. & alii multi, quos citat, & sequitur P. Leander à Murcia disq. tom. 2. lib. 4. disp. 7. resol. 1. n. 4.

40. Et licèt fuerint facta cum plena deliberatione, defendi tamen potest, quòd non obligent; ex sententia Glossæ in caput dudum verb. calore, & Hostien. super eodem verb. Panormitani, Tiraquelli; Richardi apud Murciam loc. cit. resol. 2. num. 2. qui affirmant, quòd, ut votum sit validum, præter plenam advertentiam, & deliberationem requiratur, ut talis deliberatio sit natura, hoc est, ut votum non fiat ex motivo, vel causa alicujus vehementis passionis: vota, quæ V. D. fecit, prodierunt ex vehementi passione, quatenus puellam in matrimonium sibi copulare non poterat: ergò juxta opinionem horum DD. hæc vota non obligant; nihilominus, licèt P. Leander à Murcia hanc opinionem probabilem censeat, & dicat, quòd saltem faveri possit; ut votum, quod aliàs suæ Sanctitati reservatum est, cesset esse reservatum, & possit ab Episcopis dispensari; contraria tamen sententia est communis, & vera.

41. P. P. R. dico meam culpam, quòd, dum infans eram, fecerim votum servandi virginitatem.

C. Putabátne votum virginitatis esse distinctum à voto castitatis, vel utrumque esse?

P. P. R. non recordor intentionis habitæ.

C. Absolutè loquendo votum castitatis est diversum à voto virginitatis; quia votum castitatis naturâ suâ est perpetuum, & prohibet omnem copulam veneream, & actum inhonestum: tam licitum, prout est actus Matrimonii: quàm illicitum, nempe omnem actum extra matrimonium: votum virginitatis solùm prohibet actiones impuras, quibus flos virginitatis violatur, & violata semel virginitate cessat obligatio voti; & cùm obligatio voti fundetur in intentione agentis: Si V. D. putavit virginitatem, & castitatem esse unam eandémque rem, votum factum esset absolutæ, & perfectæ castitatis Papæ reservatum. Si verò virginitatem à castitate absoluta, & perpetua distinxisset cum intentione se obligandi ad servandam solam virginitatem, non esset reservatum, & semel virginitate violata cessasset obligatio voti.

Attamen in casu dubio, an habuerit intentum se se obligandi ad servandam castitatem perfectam, vel solam vir-

virginitatem ; judicium ferendum est in favorem V. D. & concludendum , quòd non se obligaverit ad servandam perfectam castitatem. Et ratio est ; quia in dubiis melior est conditio possidentis : in hoc casu stat possessio ex parte liberæ voluntatis: ergo judicium ferendum est in favorem libertatis. Integra hæc doctrina est P. Moyæ in select. tom. 1. tract. disp. q. 2. §. 2. n. 7.

42. P. P. R. me accuso, quòd emiserim votum ingrediendi Religionem S. Francisci credendo, quòd hujusmodi Religiosi possint equitare, & indusia portare, & postquam rescivi, quòd nō possint, pœnituit me de voto emisso.

C. Si pro priori has circumstantias scivisset, emisítne hoc votum ?

P. Non P. R.

C. Hoc votum non obligat in sententia Soti lib. 7. de Justit. q. 88. art. 1. Lopez 1. part. cap. 50. & aliorū quos citat, & sequitur P. Murcia in disq. tom. 2. lib. 4. disp. 7. resol. 5. n. 10. qui dicunt, quòd, si vovens aliquam circumstantiam notabiliter aggravantem ignoravit, licèt aliàs esset bene informatus de substantia, non obligetur ad votum , quod nunquam emisisset, si eandem scivisset, sed equitare, & indusium portare sunt circumstantiæ notabiles : ergo hoc votum non obligat.

43. P. P. R. teneórne ingredi aliam Religionem, in qua equitatus, & indusia licent ?

C. Respondeo probabiliter quòd non, & hoc infero ex doctrina Villalobos tom. 2. tract. 34. diffic. 8. n. 2. ubi dicit, quòd is, qui emittit votum ingrediendi Religionem determinatam, à qua tamen non suscipitur, non teneatur ingredi aliam ; & rationem dat ; quia talis se non obligavit ingredi aliam Religionem : sed nec V. D. se obligavit ingredi aliam, quàm S. Francisci : ergo cessante obligatione hanc ingrediendi, aliam ingredi non tenetur.

44. P. P. R. me accuso, quòd voverim peregrinationem ad Ecclesiam quandam B. V. MARIÆ.

C. Quando emisit hoc votum, habuítne intentionem se obligandi sub peccato mortali ?

P. P. R. non recordor intentionis tunc habitæ.

C. Putabátne se peccaturum mortaliter, si voto non satisfaceret ?

P. Ita P. R. dubitábam me peccare non satisfaciendo.

C. In casu dubio, an habuerit, vel non, intentionem se obligandi per votum ad culpam gravem, obligat votū ; sed quando dubium cadit super votum, hoc est, si dubitat, an emiserit votum, vel non, tunc non obligat. Et ratio utriusque est, quia in dubiis melior est conditio possidentis ; quando constat, quòd votum sit emissum, dubitatur verò de intentione , possessio stat pro voto, de quo constat fuisse emissum ; quando verò dubitatur, an votū sit emissum, vel non, possessio stat pro libertate : ergo quando constat, quòd votum sit emissum , & de intentione du-

dubitatur, votum obligat: quando autem dubitatur, an votum sit emissum, vel non, votum non obligat. Est communis DD. vide Dianam p. 4. tract. 3. resol. 10. quamvis Alphonsus à Lione citatus hic à Diana dicat, in nullo horum duorum casuum votum obligare.

45. Advertendum tamen est, quòd promissiones, quæ communiter fiunt visitandi Ecclesias, & similia, sub peccato mortali obligent, licèt dicant, se nescire, an habuerint intentionem se obligandi, vel non; quia in personis indoctis non facilè invenitur hæc capacitas distinguendi intentiones: & à posteriori clarè cognoscitur, quòd earum intentio fuerit se obligandi; quia si votum non exequuntur, se peccare existimant: ergo videtur, quòd animum habuerint se obligandi per similes promissiones.

Advertendum est pariter, plures dari personas ad multos annos executionem votorum procrastinantes: quare necesse est, ut Confessarii in hoc Præcepto eas interrogent, an teneantur alicui voto satisfacere, iisque ostendant magnam adimplendi obligationem; & quòd absque necessitate differre sit peccatum mortale per regulam, & principium illud irrefragabile, quòd in contractibus, & promissionibus, in quibus tempus particulare non determinatur, vigeat obligatio eas adimplendi, quamprimum opportunè fieri potest.

Pars Secunda.

De Cessatione Voti.

46. Sex modis obligatio voti cessare potest, scilicet, irritatione, dispensatione, commutatione, mutatione materiæ, cessatione materiæ, & impossibilitate. Ex irritatione cessat votum, quando superior habens dominium supra inferiorem illud relaxat: & hæc irritatio definitur, quòd sit voti annullatio, seu relaxatio facta à Superiore super subditum. Una est irritatio directa, altera indirecta; directa est illa, quam facit Superior ex dominio, quod habet supra voluntatē inferioris, ut habet Pater ad Filium; indirecta est illa, quam facit superior ob præjudiciū quod ei votum affert, ut Dominus irritat votum peregrinandi factum à famulo ob damnum ex hac peregrinatione Domino resultans.

47. Dispensatio est absoluta voti condonatio, seu absolutio nomine Dei facta à legitimo Superiore. Superiores, qui possunt in votis dispensare, non intelliguntur Superiores sæculares, sed Ecclesiastici: v. g. Papa, Archiepiscopus &c. Pontifex potest absolutè dispensare in omnibus votis simplicibus; Episcopus verò in illis, quæ Papæ non sunt reservata; qui facultatem à Papa, vel Episc. obtinuerunt dispensandi in votis, possunt dispensare in illis votis, super quæ facultatem obtinuerunt.

Commutatio est, materiam voti in aliam mutare: v. g. qui emisit votum

peregrinandi, hæc peregrinatio in jejunium commutari poteſt. Qui habet poteſtatem ordinariam diſpensandi in votis, ea etiam commutare poteſt; quia cui licet, quod plus eſt, licet utique, quod eſt minus, ex capite Cui licet de Reg. Jur. in 6. Regul. 53. ſed diſpensare in voto eſt plus, quàm comutare illud: ergo qui habet poteſtatem ordinariam diſpensādi in votis, habet etiā poteſtatē illa comutandi. Id de quo dubitant DD. eſt, an is, qui habet poteſtatē delegatam diſpensandi, poſſit etiam commutare; & licèt plerique negent, affirmativa tamen eſt probabilis; ut videri poteſt apud Thomam Sanchez de Matrimonio lib. 8. diſp. 2. num. 14. & num. 15. verum tamen eſt, quòd, qui habet poteſtatem delegatam ſolùm commutandi, non poſſit diſpenſare; quia commutare minus eſt, quàm diſpensare, & cui conceditur minus, majus concedi negatur.

48. Per mutationem materiæ ceſſat votum, quando materia illius in malam mutatur, vel in indifferentem, aut minùs bonam: ut v. g. ſi quis vovit jejunare die veneris in pane, & aqua, & tale jejunium ſit notabiliter ejus ſaluti nocivum, ceſſat obligatio voti; quia ipſius materia mutatur de bona in malam: in indifferentē verò mutatur tūc, quando quis emittit votum non commedendi de aliquo cibo ob qualitatem ejus damnificam; ceſſante hac qualitate, & cibo illo nullum damnum ei ampliùs afferente, ceſſat voti obligatio; quia materia ejus mutata eſt de bona in indifferentem: tandem mutari poteſt in minùs bonam, ut v. g. ſi quis in periculo incontinentiæ non conſtitutus voveat non ducere uxorem ſuperveniente verò poſtmodùm periculo incontinentiæ voti obligatio ceſſat; quia materia eſt mutata de meliori in minùs bonam.

C. ſi vera eſt opinio Cajetani 2. 2. q. 88. art. 2. Sanchez lib. 1. de Matrim. diſp. 3. Melius eſt enim nubere, quàm uri: dicit S. Paulus 1. Corinth. 7.

49. Ceſſante materia voti ceſſat quoque ejus obligatio, quod duobus modis contingere poteſt; primò, quando eſt aliqua conditio, à qua votum dependet: v. g. ſi quis feciſſet votum dandi eleëmoſynam uſque ad durationem alicujus proventûs: durante hoc proventu votum ſemper durat, & ceſſante conditione proventûs ceſſat & obligatio voti. Secundò, quando ceſſat tempus, vel ipsa ſubſtantia voti: v. g. ſi quis emiſit votum recitandi Roſariū per integrum annū, elapso anno votū ceſſat; qui ceſſat tempus, ad quod ſe obligavit: & ſi quis emiſit votum dandi quotidie eleëmoſynam de pecunia, quam in arcula habet, finita illa pecunia ceſſat votum; quia ceſſat materia.

50. Ceſſat tandem obligatio voti, quando ejus materia fit impoſſibilis: ut v. g. ſi quis emittit votum eundi Romam, ſuperveniente infirmitate, per quam reddatur ei impoſſibilis itineratio

tio cessat obligatio voti, quia ejus materia impossibilis facta est.

Advertendum tamen est, quòd, si nequeat satisfieri toti materiæ voti, sed tantùm parti, satisfaciendum sit parti illi; cùm materia voti sit divisibilis: v. g. aliquis emisit votum jejunandi quatuor diebus, non potest autem jejunare, nisi duobus, tenetur jejunare illis duobus diebus; sed si materia est indivisibilis, & impossibilis facta est, cessat obligatio voti: v. g. ille, qui vovet jejunium unius diei, nequit autem per integram hanc diem abstinentiam ad jejunium requisitam observare, non obligatur ad jejunium partis diei; quia jejunium unius diei est materia indivisibilis, & individua.

Pars tertia.

De Irritatione Voti.

51. P. P. R. confiteor, quòd in mea juventute emiserim votum peregrinandi ad S. Jacobum in Galitiam.

C. Recordatúrne, cujus ætatis fuerit, quando hoc votum emisit?

P. P. R. sum in dubio an ætatis 14. vel 15. annorum fuerim.

C. Omnia vota, tam realia, quàm personalia, & mixta, quæ filius ante pubertatem emittit (nempè ante decimum quartum annum completum) potest Parens irritare; & hæc irritatio voti facti ante pubertatem potest etiã fieri post pubertatem; dummodo filius non pervenerit ad vigesimum quintum ætatis suæ annum. Ita communiter DD.

Hoc idem dico de Tutore respectu pupilli, qui pariter potest post pubertatem irritare vota ante pubertatem facta. Ita docent Sa verb. votum. Trülench super Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 1. dub. 35. n. 2. Lessius lib. 2. de Justit. cap. 40. dub. 14. n. 82. & 83.

Hoc idem dicendum est in dubio, an votum fuerit emissum ante, vel post pubertatem nempè, quòd Parens possit illud irritare post pubertatem, sicut docet P. Thomas Sanchez apud Joannem Sanchez in select. disp. 43. n. 9. In hoc casu tamen contrarium verius mihi videtur juxta principium superiùs allatum, quòd melior sit conditio possidentis: sed in hoc casu votum possidet; cùm constet, fuisse emissum: ergo non erit irritabile.

52. Unica difficultas potest esse in hoc casu, qui est sequens à me propositus.

C. Transactis quatuordecim annis ætatis suæ ratúmne habuit hoc votum?

P. Ita P. R. multoties.

C. Promisítne V. D. unà cum voto dare etiam aliquam eleemosynam Ecclesiæ S. Jacobi?

P. Ita P. R.

C. Confirmavítne hanc promissionem eleemosynæ post completos 25. annos ætatis suæ?

P. Non P. R.

C. Hoc votum à V. D. emissum est mixtum partim personale ex promissione peregrinationis; partim reale, ex promissione eleemosynæ. Ut est reale, nempe, quo ad promissionem eleemosynæ potest Parens id irritare, licèt eandē ratam habuerit elapsis viginti quinque annis: docent enim Villalobos part. 2. tract. 34. disp. 19. num. 5. Sanchez, & alii apud Remigium in Sum. tract. 2. cap. 2. § 15. n. 5. quòd vota à Filio emissa ante 25. annum possit Parens irritare: ergo idem dicendum est de votis; quæ filius confirmat in hac ætate: & ulteriùs addunt Tabiena, & Vibaldus apud Villalobos ibid. num. 6. quòd etiam elapsis 25. annis possit Parens irritare vota realia suorum filiorum, quod tanquam probabile approbat Villalobos; quia filius ratione ætatis præcisè non eximitur à paterna potestate, licèt sit senex; ut dicunt Antonius Gomez, Natieng, & alii, quos ibi citat Villalobos. Hæ tamen opiniones limitantur; quando filius habet bona castrensia, vel quasi castrensia; tunc enim obligatur vota realia exequi, quæ emisit, vel rata habuit post pubertatem.

53. Hoc votum verò ut est personale, & post pubertatem confirmatum nequit Parens irritare; quia ex communi Theologorum sententia Filius, cùm ad pubertatem pervenerit, plenum sui dominium, & dispositionem habet; ita Sotus lib. 7. de just. q. 1. art. 2. Azorius tom. 1. Instit. moral. lib. 11. cap. 17. q. 7. Sylvester verb. Votum 4. §. 2. & alii: quamvis ex doctrina Azorii loco citato inferri possit, quòd hoc votum peregrinationis etiā sub respectu persōalis à Parente irritari possit; quia secundùm Azorium Parens irritare potest votum abstinentiæ, & jejunii emissum à Filio, licèt sit personale, quando ob jejunium filius ad labores inhabiles redditur; & rationem dat; quia illa vota, quæ filium ad laborandum inhabilem reddunt, præjudicant paternæ potestati: sed magis præjudicat paternæ potestati absentia Filii peregrinantis, & toto hoc tempore non laborantis: ergo parens hoc votum irritare potest.

Post finitam primam impressionem vidi in D. Navarro lib. 3. suorum consil. conf. 4. de convers. infidel. fol. mihi 322. n. 30. (in impressione Coloniensi) qui dicit, quòd in Regno Navarensi non admittatur potestas paterna; & si hoc est, non poterit Parens in hoc Regno irritare vota filiorum elapsa pubertate vi paternæ potestatis.

54. Ut cum omni securitate procedamus, dico, quòd uxor possit irritare hoc V. D. votū vi opinionis Suarez tom. 2. de Relig. tract. de Voto lib. 6. cap. 4. n. 8. Sanchez lib. 1. de matr. disp. 42. n. 2. & lib. 4. Decalog. cap. 39. n. 20. pluriúmque aliorum, quos citat, & sequitur Fagundez in Decal. lib. 2. cap. 38. n. 20. docentium, quòd omnia vota mariti mutuæ cohabitationi præjudicialia etiam ante Matrimonium

monium emissa possit uxor indirectè irritare: sed hæc longa peregrinario præjudicat mutuæ cohabitationi, ut dicunt DD. suprà cit. qui videri possunt in Fagundez n. 23. in eod. cap. ergo uxor potest indirectè irritare votum peregrinationis V. D. licèt emissum ante contractum Matrimonium.

Dico indirectè; quia quamvis possit uxor directè irritare vota à Marito durante Matrimonio emissa, & mutuæ cohabitationi, usuique Matrimonii præjudicialia; non tamen potest directè irritare emissa ante contractum Matrimonium, sed solùm indirectè, vide infrà part. 5. n. 66.

55. Differentia inter irritationem directam, & indirectam est hæc, quòd directa totaliter obligationem voti annihilet, ita ut nunquam ampliùs reviviscat, indirecta verò solùm suspendit durante Matrimonio, quapropter mortua uxore obligatio voti reviviscit, videantur DD. suprà citati.

56. P. P. R. mea uxor dicit se emisisse votum induendi figuram aliquam, seu Imaginem B. V. M. possúmne hoc votum irritare?

C. Ita Fili, hoc & omnia alia vota tam realia, quàm personalia, quæ uxor durante Matrimonio emisit, potest V. D. directè irritare, licèt V. D. ex his nullum præjudicium sentiat; & hæc est differentia inter uxorem, & Maritum; quòd Maritus tanquam Superior uxoris non sit subjectus ejus voluntati; adeóque uxor solùm potest irritare vota mutuæ cohabitationi præjudicialia: Maritus verò ut Superior uxoris habet dominium in ejus voluntatem; quare omnia ejus vota irritare potest, licèt ex iis nullum præjudicium sentiat.

Dixi durante Matrimonio; quia vota ab uxore emissa ante contractum Matrimonium potest Maritus solùm indirectè irritare, & non omnia, sed solùm ea, quæ mutuæ cohabitationi præjudicant, aut rectam familiæ administrationem impediunt. Sanchez lib. 4. Decalog. cap. 31. n. 9. Navarrus in sum. lat. c. 12. num. 65. Rodriquez tom. 2. Sum. cap. 9. num. 10.

57. P. P. R. etiam hoc habeo ad proponendum, quòd mea uxor emiserit votum non nubendi post mortem meam, possúmne hoc votum irritare?

C. Emisítne illa hoc votum cum consensu, & licentia V. D.

P. Ita P. R.

C. Si hoc fecisset absque licentia V. D. posset irritare, ut dictum est de aliis votis; quia maritus ea irritare potest, licèt sint vota Castitatis, & Religionis complenda post suam mortem: v. g. si uxor emittit votum tempore matrimonii ingrediendi Religionem, vel non nubendi post mortem Mariti; ita Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 4. cap. 34. n. 2. Villalobos, Sotus, Sanchez, & alii, quos citat, & sequitur Diana p. 3. tract. resol. 220, & p. 4. tract. 4. resol. 100.

58. Difficultas consistit in hoc, quòd emi-

emiſerit votum cum licentia V. D. nunc mihi dicat habétne aliquam cauſam, ob quam hoc votum irritare poſſet?

P. P. R. quando illi licentiam dedi emittendi votum, benè ſubſtitimus; nunc verò ad miſerum ſtatum redacti ſumus, & vitam in laboribus ducimus, & ſi morerer, & illa non nuberet, miſerè ſubſiſteret.

C. Licèt uxor cum conſenſu Mariti emiſerit votum, nec adſit cauſa illud irritandi, poteſt tamen Maritus validè illud irritare; peccabit tamen, ſi abſque causa hoc fecerit, vel mortaliter, ut dicit Fagundez lib. 2. in Decalog. cap. 37. n. 12. cum aliis; vel venialiter, ut tenet Diana ſupr. cit. part. 4. §. Nota etiam.

Quando verò adeſt juſta causa, prout eſt ea, quam habet ipſius uxor, V.D. validè, & licitè irritare poteſt, & eximere eam ab obligatione voti, in quo omnes DD. citati conveniunt.

Hic modus annihilandi votum eſt facilior, ſecurior, & minùs ſcrupulis expoſitus: Quapropter quando Confeſſarius aliquem voti alicujus vinculo adſtrictum adinveniet, cujus relaxatio, ſeu irritatio ipſi expediens videatur, interroget eum, an habeat Patrem, vel Maritum &c. & ſi ſecundùm principia ſuperiùs relata locum habuerit irritatio, mittendus erit ad eos pro irritatione.

Pars Quarta.

De Diſpenſatione Voti.

59. Vota ſuæ Sanctitati reſervata ſunt quinque: votum perfectæ caſtitatis; votum Religionis: votum Hieroſolymitanum, quod appellatur ultramarinum ad viſitandũ Chriſti Domini Sepulchrum in Hieruſalem: votum eundi Romam ad Limina Apoſtolorum Petri, & Pauli viſitanda in Vaticano: & votum Compoſtellanum ad viſitandum corpus D. Jacobi Apoſtoli in Galitia.

60. Circa votum caſtitatis notandum eſt, quòd emiſſio voti non ducendi uxorem; vel aſſumendi Statum Sacerdotalem, vel obſervandi caſtitatem per aliquod tempus: v. g. per menſem, vel aliquos annos, vel non committendi fornicationem, aut pollutionem, vel non petendi debitum, nulla horum votorum emiſſio ſit ſuæ Sanctitati reſervata; quia non ſunt perpetuæ totalis, & abſolutæ caſtitatis. Eſt communis DD. Idem dicendum eſt de votis Religionis, peregrinationis Hieroſolymam, Romam, & ad S. Jacobum; quæ vota ut ſint reſervata, debent eſſe abſoluta, ſi enim ſunt conditionata, non ſunt Summo Pontifici reſervata: neque in dubio, an ſint emiſſa, nec ne, vel an cum plena deliberatione, & intentione ſe obligandi ſint facta; ita Diana part. 4. tract. 3. reſol. 11. quia reſervatio eſt odioſa, & ſtricti Juris, ad eóque reſtringenda eſt.

61. Neque reservatum est, juxta opinionem aliquorum, suæ Sanctitati juramentum Castitatis, Religionis, vel peregrinationis ad dicta loca; quia votum tantùm, non juramenta sunt reservata; ut tenent Machadus, Trullench, Quintana, Leander à SS. tom. 1. tract. 5. disp. 14. q. 106. Diana part. 4. tract. 4. resol. 10. & part. 10. tract. resol. 17. & alii. Ego verò teneo contrariam pro vera cum P. Maya in suis select. tom 1. tract 2. disp. 2. q. 2. §. 1. Quia hæc juramenta sunt promissoria: ergo includunt rationem formalem voti. Consequentia probatur: quia votum est promissio Deo facta: sed hæc juramenta sunt promissiones Deo factæ: ergo includunt rationem formalem voti: consequenter, si reservatum est votum, etiam reservatum erit juramentum.

62. P. P. R. confiteor, quòd ante contractum Matrimonium emiserim votum perpetuæ, & perfectæ castitatis, elapso tamen aliquo tempore gravibus stimulis carnis agitatus, hoc cuidam Religioso manifestavi; qui mecum in hoc voto dispensavit.

C. Fueruntne hi stimuli venerei ita vehementes, ut V. D. incidere potuisset in periculum incontinentiæ tempore recursus ad suam Sanctitatem pro dispensatione?

P. P. R. infallibiliter multoties offendissem Deum, si hic Religiosus mecum non dispensasset, nec statim uxorem duxissem.

63. Dico, quòd secundùm aliquos hic Religiosus operatus fuerit cum aliqua probabilitate, ut colligitur ex hoc argumento; quia in hoc casu docent Thomas Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 10. n. 22. Lessius lib. 2. de justit. cap. 40. dub. 18. n. 125. & alii, apud P. Moyam loco paulò ante cit. q. 2. §. 3. n. 9. quòd tale votum in his circumstantiis sit reservatum jure Ordinario Episcopis, & desinat esse reservatum Papæ: atqui Regulares vi suorum privilegiorum possunt dispensare in omnibus votis per Jus commune Episcopis reservatis, ut docent Sorbus, Henriquez, Miranda, & alii, quos citat, & sequitur R. & Doctissimus P. Leander à Murcia in explicat. Regulæ S. P. N. Francisci super cap. 3. q. 8. §. 2. num. 40. Rodriquez tom. 1. q. 63. art. 3. Sanchez lib. 4. Decalog. cap. 43. n. 4. Ergo hic Religiosus, & alii probabiliter virtute suorum privilegiorum possunt in hoc casu dispensare. Ego verò censeo hanc probabilitatem modicum habere fundamentum, contrariúmque amplector, ac dico, quòd ille Religiosus non dispensare, sed pro dispensatione Romam recurrere debuisset.

64. Ex opinione supradictorum Authorum infertur, quòd etiam vi Bullæ Cruciatæ quivis Confessarius ab Ordinario approbatus possit hoc votum in dicto casu commutare; quia dicta Bulla concedit facultatem comutandi vota Episcopis reservata: sed hoc vo-

tum

tum in hoc casu est Episcopis reservatum: ergo &c.

65. P. P. R. confiteor, quòd emiserim votum dandi duos lectos pauperi, & indigenti Hospitali.

C. Gubernator hujus Hospitalis scivítne, & acceptavit nomine illius bonum ex voto eidem promissum?

P. Ita P. R.

C. Ergo hoc votum non est ampliùs dispensabile, aut commutabile; quia vota in favorem tertiæ personæ facta post acceptionem ejus nequeunt ampliùs dispensari, aut commutari. Sanchez in Sum. tom. 2. lib. 4. cap. 41. num. 13. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 15. n. 11. Sanchez ibid. num. 9. Filiucius, Joannes à Cruce cum Diana part. 1. tract. 11. resol. 47. Et ratio est; quia postquam promissio fuit acceptata, persona, in cujus favorem facta est, acquirit actionem, nec absq; injustitia Jure acquisito privari potest. Verum tamen est, quòd, si tale Hospitale, vel persona, in cujus favorem factum est votum, rem promissam remittat, cesset quoque obligatio. Sanchez in Decalog lib. 3. cap. 20. n. 4. Azorius, Lessius, quos citat, & sequitur ipse Diana lib. 1. de Matrim. disp. 53. n. 6.

Pars quinta.

De Commutatione Voti.

66. P. P. R. dico meam culpam, quòd votum emiserim visitandi aliquam Ecclesiam.

C. Distátne procul hæc Ecclesia?

P. P. R. ejus distantia abhinc erit 8. vel novem milliarium.

C. Quamvis superiùs dictum est, quòd vota peregrinationis à Marito facta uxor irritare possit, hoc tamen intelligendum est, quando peregrinatio est longa; v. g. viginti dierum parùm plus, vel minus, quia tunc mutuæ cohabitationi, & usui Matrimonii præjudicat, non verò quando peregrinatio est brevis: ut dicit Fagundez in Præcept. Decal. lib. 2. c. 38. num. 23. cùm autem hæc peregrinatio sit brevis, uxor V. D. nullatenus hoc votum irritare potest.

67. Habétne causam legitimam ob quam in hoc voto dispensari possit?

P. Non habeo P. R.

C. Si haberet causam legitimam, posset aliquis Religiosus ab Ordinario approbatus ad exaudiendas confessiones virtute suorum privilegiorum dispensare secundùm relata n. 63. quòd possint Regulares vi suorum privilegiorum dispēsare in votis, exceptis illis quinque Papæ reservatis. Cùm autem causam non habeat, dispensare non possunt; quia principium est admissum, & receptum, ut inferiori sine causa non possit dispensare in lege Superioris.

Quapropter solùm per commutationem potest V. D. liberari ab obligatione hujus voti, cùm commutatio absque ulla causa fieri possit per privilegium Bullæ in omnibus votis, præter illa castitatis, Religionis, & Hierosolymi-

lymitanæ peregrinationis (quia peregrinatio Romana, & Compostellana sunt etiam commutabiles virtute Bullæ, in opinione Rodriquez, & Villalobos tom. 1. tract. 25. clauf. 9. num. 43. Licèt in rem aliquantum inferiorem) modo sequenti.

68. Octo milliaria possétne V. D. perficere intra duos dies?

P. Ita P. R.

C. Fecítne votum eundi pedester, vel equester?

P. P. R. pedester.

C. Pro quovis die peregrinationis jejunabit per unum diem, ut dicit Azorius tom. 1. lib. 11. cap. 18. q. 13. si autem iter equester, quatuor dies itineris commutantur in unum diem jejunii, ut dicit Sairus in Clavi Regia lib. 6. cap. 2.

69. Quantum deberet expendere eundo ad hanc Ecclesiam?

P. P. R. expenderem sex regales.

C. Istos sex regales V. D. dare debet in eleemosynam. Cùm autem nulla commutatio votorum fieri possit virtute Cruciatæ absque aliquo subsidio ejusdẽ Cruciatæ, necesse est, ut V. D. aliquid ad capsulam ponat, ubi recolliguntur eleemosynæ in subsidium Cruciatæ: & sufficiet, si ponat duos regales; cùm hæc quantitas sufficiens videatur remigio, etiam respectu locupletis personæ tract. 2. cap. 2. q. 20. n. 8.

Istos duos regales, quos in subsidium Cruciatæ dare debet, potest ex se dandis in eleemosynam excipere, ut dicitur in additione Medullæ Busembaum in explicat. Bullæ vivorum dub. 16. art. 1. num. 6.

70. Non absque mysterio interrogavi quantum expendisset eundo ad hanc Ecclesiam, absque eo, quòd interrogaverim, quantum redeundo expendisset; cùm juxta aliquos DD. apud Villalobos part. 2. tract. 34. disp. 33. n. 10. solùm expensæ in eundo, & non in redeundo commutari debent, quia non fit votum redeundi, cùm ibi mora fieri possit.

Hæc tamen sententia non videtur mihi vera; quia quamvis non fiat votum redeundi, regressus tamen ordinariè est necessarius; cùm nunquam ibi fiat mora, ubi votum completur: & qui se ad rem aliquam obligat, obligat se pariter ad totum id, quod est annexum illi rei. Sic teneo cum Sanchez in Sum. lib. 4. cap. 56. num. 14. Sairo in clavi Regiá lib. 6. cap. 12. n. 20. & cum Villalobos loc. cit.

Concludo igitur; pro commutatione hujus voti V. D. jejunabit duobus diebus, pro illis, quos pedester perficere debuisset, dabítque in eleemosynam 12. regales; duos ex istis dabit in subsidium Cruciatæ, cùm duodecim regales in eundo, & redeundo expendisset: pro merito autem, quod lucrata fuisset visitando illam Ecclesiam, visitabit V. D. Ecclesiam sui domicilii; & si ibi preces fudisset, & fuisset confessa, & communicasset, id ipsum faciat in hac Ecclesia.

Hoc modo Confessarius procedere potest in commutatione votorum absque excessivo scrupulo super materiam an sit æqualis, vel non; cùm materia non sit hìc mensuranda methaphysicè, sed moraliter, & juxta regulam prudentiæ.

71. Si Confessarius est Regularis, potest virtute suorum privilegiorum commutare hoc, & omnia alia vota (præter illa quinque Papæ reservata) Rodriquez tom. 1. qq. reg. q. 63. art. 4. Sanchez lib. 4. Decal. cap. 54. n. 3. Sairus, Miranda, & alii, quos citat, & sequitur R. P. Leander à Murcia in explicat. cap. 7. Regulæ P. N. S. Francisci q. 8. select. §. 2. n. 44. & tunc non est opus applicare ullam eleëmosynam in subsidium Bullæ Cruciatæ; quia tunc solùm hæc requiritur, quando virtute ejusdem Bullæ fit commutatio, non autem virtute aliorum privilegiorum. Et si adesset aliqua causa, tunc partim dispensare, partim commutare potest ad magis vitandos scrupulos.

72. P. P. R. confiteor, quòd propria authoritate votum à me emissum unius rei in aliam commutaverim.

C. Commutavitne V. D. hoc votum in melius? quia quivis propria authoritate suum votum commutare potest in rem evidenter meliorem.

P. P. R. non fuit melior.

C. Fuítne æqualis; quia quamvis multi Authores negent, quòd aliquis propria authoritate possit votum in rem æqualem commutare; Medina tamen, Henriquez, Tamburinus, & alii apud Leandrum à SS. part. 7. super Decal. l. 2. tract. 1. disq. 18. §. 1. q. 9. affirmant fieri posse propria authoritate.

P. P. R. Ignoro, an res, in quam commutavi, sit melior, nec ne.

C. Quæ fuit materia hujus voti?

P. P. R. Jejunium dierum veneris.

C. In quam rem commutavit hoc votum?

P. In elargiendam aliquam eleëmosynam his diebus.

C. Quo motivo emisit hoc votum jejunandi diebus veneris?

P. P. R. ut liberari possem à stimulis concupiscentiæ, quibus laborabam.

C. Nulli voventi licitum est, nec permissum, commutare vota propria authoritate in aliam rem minùs bonam, quamvis possit commutare in rem meliorem, vel æqualiter bonam; & ad cognoscendum, quænam res melior sit, non solùm natura & bonitas intrinseca rei spectanda est, sed major bonitas, quam habet respectu voventis: v. g. Oratio in se ipsa præstantior est jejunio, respectu voventis tamen potest jejunium esse melius oratione; & dato, quòd eleëmosyna sit virtus nobilior, & excellentior jejunio, pro V. D. tamen stimulis concupiscentiæ laborante minùs bonum fuit eleëmosyna, quàm jejunium; cùm ergo sit minùs bonum, V. D. non potuit propria authoritate votum jejunii in eleëmosynam commutare. Ita Villalob. in Sum. tom. 2.

tract. 34. dis. 31. num. 4. & 6.

73. P. Nunc incidenter occurrit mihi aliquis scrupulus; quia, cùm emiserim votum portandi cilicium ob hoc motivum omnibus diebus sabbatinis, Confessarius commutavit in Rosarium iisdem diebus recitandum flexis ad terram genibus.

C. Sensítne V.D. majus sublevamen in suis tentationibus portando ciliciũ, vel recitando flexis genibus Rosarium?

P. P. R. ex utroque medio expertus sum aliquod sublevamen in meis tentationibus; parùm tamen plus ex cilicio.

C. Commutavítne hoc votum Confessarius virtute privilegii Bullæ, vel Jubilæi?

P. P. R. virtute Bullæ.

C. Habuítne causam hoc votum commutandi?

P. P. R. magnam difficultatem sensi in portando cilicio, & multoties transgrediebar votum, solámque hanc rationem allegavi Confessario pro commutatione obtinenda.

C. Ex sententia Aragonii, Toleti, Sanchez, & aliorum, quam citat, & sequitur ut probabilem Leander à Sacram. part. 2. tract. 5. disp. 14. q. 156. & part. 7. tract. 1. disp. 18. §. 1. q. 12. potest authoritate Confessarii virtute Bullæ, & Jubilæi commutari votum in aliam rem quamvis minùs bonam. Hoc quidem verum est, sed, cùm illa minor bonitas, quam habet res, in quam commutatur votum, habeatur per modum dispensationis, hæc verò requirat causam, ut fieri possit; ideò ad commutandum votum in rem minùs bonam causa justa requiritur, ut dicit Villalobos suprà cit. num. 8. ex quo patet, Confessarium optimè commutare potuisse votum cilicii in recitationem Rosarii flexis genibus; quia quamvis sit aliquantum minùs bonum pro V.D. hoc tamen fecit cum privilegio Bullæ, & pro illo modico excessu bonitatis, qui respectu V.D. reperiebatur in portando cilicio, fuit causa sufficiens notabilis difficultas, quam experiebatur in hujusmodi opere; & quòd hæc difficultas fuerit causa sæpiùs transgrediendi votum.

Plures regulas adstruunt Authores servandas in commutatione vototum; sed, cùm hæc materia regulariter requirat tempus, nec Confessarius possit diu, & sufficienter se detinere, sic non est laudabile, hujusmodi materias citò expedire in confessionali, sed sumendum est tempus, quò benè perpendat, ponderétque casum legendo libros de his tractantes, & videri potest Villalobos loc. cit. Leander à Sacram. part. 7. tract. 1. disp. 18. §. 2. q. 32. & seq. §. 3. q. 52. Thomas Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 4. cap. 36. per totum. Et qui hujusmodi libros non habet, aliquem virum doctum consulere poterit.

✠ (†) ✠

CAPUT V.

Exhortationes faciendæ Pœnitenti consuetudinem jurandi, vel blasphemandi habenti.

74. C. Advertat V. D. quòd hoc vitium jurandi, & blasphemandi sit vitium diabolicum, quod multùm displicet Deo; est enim vilipendere, & spernere Sanctissimum Nomen suum, proferre ad omne verbum sine reverentia tantum, & tale Nomen, quo prolato tremunt columnæ Cœlorum, & contremiscit infernus. Nihil plus laboris affert V. D. dum dicit, sit benedictus, quàm si dicat, sit maledictus: vel dicere, Deus adjuvet te, ac dicere diabolus adjuvet te; cùm alterutrum sit æquè facilè, bona, ac Christiana verba proferre assuescat, abstineátque ab iis, quæ verum Catholicum dedecent.

Quænam erit distinctio inter nos Fideles, & Gentiles, si nostris linguis spernimus Venerabile Nomen Amantissimi nostri Dei? quomodo Catholici appellari poterimus, si verba nostra non correspondent Professioni tam Divinæ? an non considerat V. D. quòd sit signum filii perditionis jurare sine respectu erga Deum nostrum? nos discernimus homines ex idiomate, quo quisque loquitur, loquentem Græcè, dicimus, esse Græcum: loquentem Gallicè, Gallum: Hispanicè, Hispanum: Germanicè dicimus, esse Germanum: Idioma Cœleste est verbum bonum, quo laudatur Nomen Dei; verbum malum, ut blasphemia, & maledictio, idioma inferni est: ergo proferentem verba mala quibus spernit Nomen Dei, dicemúsne esse filium Cœli? nequaquam; quia idiomate cœlesti non loquitur; benè verò filium inferni, cùm idiomate damnatorum loquatur.

Quomodo V. D. subsistet ante tremendum Tribunal Christi, quando morietur? quid respondebit DEO, quando tremenda ejus Majestas hujus abominabilis peccati rationem exquiret, & ipsi dicet: accede Christiane pessime, quodnam malum ego tibi feci? quas injurias tibi intulit meum Sanctissimum Nomen, quale sprevisti, & injuriis affecisti habendo semper super linguam sine timore, respectu, aut reverentiâ aliquâ? quomodo ausus fuisti spernere tuâ dissoluta lingua Nomen, quod debuisses ex toto corde venerari? quid dicet tunc V. D. quomodo optaret tunc, ut dentibus linguam abscidisset potiùs, quàm talia dissoluta verba unquam protulisset? emendet ergo se, ut tantam confusionem, & dolorem effugere valeat.

Ad superandam hanc malam consuetudinem, dum manè surgit, formet firmum propositum, tota die non jurandi, nec blasphemandi; dicat in honorem B. V. Mariæ unum Salve Regina, ut à suo dilectissimo Filio ei gratiam impetret exequendi id, quod proponit, & si aliquando ex impetu iræ incideret in aliquod juramentum, vel

maledictionem, illicò recitet devotè unum Ave Maria, vel osculetur terram, vel signet se Signo S. Crucis, ut his pœnitentiis recordetur se malè fecisse, & sic sensim hunc malum habitum jurandi, & maledicendi deponet, & ut videre possit, quomodo Deus talia ægrè ferat, & quomodo severè illos puniat, qui jurant, & maledicunt, notet hunc sequentem casum.

Refert Alexander Faya part. 2. verb. juramentum. de quodam Religioso Societatis Jesu itinerante per Hispaniam, qui nocte superveniente hospitiū ingressus, ibidem mulionem quemdam magnum blasphemum invenit, qui ad omne verbum juramenta proferre solebat: Hunc Religiosus rogavit, quatenus à tot juramentis abstinere vellet; At ille admonitionem adeò Religiosam flocci faciens, tota nocte in hac pessima consuetudine perseveravit; eadem nocte dormientibus omnibus rugitus tam horrendi intra, & extra hospitium auditi fuerunt, ut omnes in eo existentes pertimescerent, ac lecto surgentes accensa candela, unde nam rumor ille horrendus proveniat, inquisierunt, & mulionem perjurum in stabulo ad pedes mulorum exanimem deprehenderunt. Justum igitur fuit, ut ille, qui animal in loquela erat, moreretur ut animal in stercore inter bestias: cujus corpus super sede positum fuit, ut sequenti die sepulturæ traderetur: venerunt summo manè ad locum, ubi positum erat corpus, nec illud ampliùs invenerunt. Mirum igitur non est, quòd diabolus rapuerit animam, & corpus hujus viri perditi, & Deum adeò contemnentis, ac si de eo nunquam aliquid audivisset.

Exhortationes pro maledicentibus.

NOn perpendit V. D. quàm abominabilis res sit maledictio? sciat, quòd hæc sit verbum indicativum cordis damnati, animi relaxati, Spiritus immoderati, & incompositi; & quòd maledicere absque metu pœnæ sit evidens argumentum, quòd animam ejus possideat sathan infernalis.

Lingua, inquit Christus, loquitur id, quod in corde gerit; ex corde bono procedunt verba bona, & ex corde malo, verba mala, & verba maledictionis à corde maledicto. Quando fumus per caminum ascendit, infertur, in culina esse ignem; quia fumus est signum naturale ignis: Caminus cordis est lingua, quando ergo per hanc verba maledictionis ascendunt, signum est, quòd in corde ardeat ignis infernalis, inflammata à Gehenna Jacob. 3.

Non considerat V. D. quòd verbis suis pessimis integræ familiæ, tam prolibus, quàm famulis malum exemplum tribuat? quid, quæso, filii, & servi talia sine timore Dei proferre audientes addiscent, nisi & similia proferre? & si quis eos interrogaret, à quo similia addidicerint, quid poterunt respondere, nisi à meo Patre pessimo, à mea Matre iniqua, qui maledicunt velut furiæ infernales. Nec hujus tantum damni, &

& pessimæ doctrinæ causa moralis est V. D. verùm timendum est ipsi, ne DominusDeus puniat tam V.D. quàm illos in pœnam malorum verborum; de quo plurimi casus adferri possint, inter quos

Exemplum contra maledicentes.

Refert P. Andrade in suo itinerario grad. 12. §. 12. se novisse in quadam Civitate juvenem, in quem Mater de nocturno ejus è domo egressu invita maledictionem hanc jecit: rogo Deũ, cùm meis monitis parere renuas, ut pugionibus interemaris, cujus maledictio mox suum effectum habuit, nam quadam nocte gladio transfossus fuit, ac exanguis Matri allatus, de maledictionis suæ exitu ingemuit.

In Missione pariter mihi contigit, quòd dum obviarem viro contra uxorem maledictionem hanc emittenti, morte occumbas ex malo costæ, paulò pòst illa prædictâ infirmitate laborans supremum vitæ diem egerit.

Alia fœmina notificavit mihi, quòd ob merum fletum unius filioli lactentis impatiens facta in hæc verba prorupe-rit: utinam semel mortem obires; his dictis puerulum nulla infirmitate laborantem sequenti die è vita migrasse conspexit, nullúmque signum mortis præter maledictionem extitisse, obstupuit.

TRACTATUS III.

DE III. PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

IN hoc Præcepto unum præcipitur, & alterum prohibetur. Præcipitur auditio Missæ omnibus diebus Dominicis, & Festivis; & circa hoc sunt duæ Propositiones damnatæ ab Innocentio II. quas tract. 10. num. 183. & seq. explicabo. In hoc Præcepto omnis labor servilis prohibetur, de quo multa dicam part. 2. hujus praxis tract. 16. c. 8. & 9. Prohibentur etiam actus judiciales, de quo tradam part. 2. tract. 15. cap. 3. num. 38. Et licèt materia jejunii ad tertium Ecclesiæ Præceptum pertineat; ut tamen inter Præcepta Decalogi ponatur; loquar de hac in hoc Præcepto, remittendo cætera hujus assumpti ad part. 2. hujus praxis, ubi tract. 17. num. 14. & seq. & num. 181. & seq. in explicatione Propositionum 23. 29. 30. 31. & 32. quas super hanc materiam damnavit Papa Alexander 7. multas ad hoc pertinentes doctrinas dilucidabo.

1. P. P. R. me accuso, quòd duobus Festivis diebus non audiverim Sacrum.

C. Omisítne Sacrum ex sua culpa?
P. Ita P. R.
C. Dicat mihi, qua de causa?
P. P. R. semel ante aggressum iter, &

licèt

licèt potuissem, non audivi Sacrum opinando me id auditurum in loco, quò proficiscebar, sed quando illuc perveni, nullum amplius Sacrum inveni. Secunda vice autem manè ludere incepi, & postquam, quando obligationis Missæ audiendæ recordatus fui, audivi Ecclesiam, nullum ampliùs Sacrum inveni.

2. C. In his occasionibus dubitavítne V. D. quòd non poterit ampliùs Missam audire; vel putavit, se tempore opportuno ad eam audiendam perventuram?

P. P. R. semper putavi opportuno tempore me perventurum.

C. Cùm ergo V. D. semper putaverit opportuno tempore pro Missa audienda se perventuram, nec unquam de contrario dubitaverit, non peccavit in his duabus occasionibus omittendo Missam; cùm malitia omissionis non consistat in ipsa omissione; ut cum Vasquez, & communi dicit Caspensis tom. 1. tract. 11. de peccat. disp. 1. sect. 8. n. 8. Sed in positione causæ, supposità notitia, quòd à tali causa omisio sit secutura: V. D. autem non cogitavit, quòd ex suo itinere, vel ex suo lusu possit sequi omisio Missæ, nec de hoc ullum dubium habuit: ergo omisio non fuit peccaminosa.

3. Dicat mihi V. D. ex opinione, vel dubio, quòd tempore opportuno non esset deventura ad aliquem locum, omisítne auditionem Missæ in loco, à quo discesit?

P. Ita P. R. sed gratias ago Deo, quòd tempore opportuno pervenerim, & Missam audiverim.

C. Hic benè V. D. mortaliter peccavit, quia, ut dixi, malitia omisionis consistit in dando causam, & exponendo se periculo ejusdem: sed licèt V. D. audiverit Missam, exposuit se tamen periculo hujus omisionis: ergo peccavit mortaliter: & hoc peccatum omisionis Missæ die Festivo est contra virtutem Religionis, sacrilegium tamen non est.

Notet hìc Confessarius, non statim condemnandum esse peccati mortalis Pœnitentem se accusantem de omissione Missæ die Festivo ex sua culpa, sed inquirere debet, quomodo, & qua de causa eam omiserit, modo supradicto.

4. P. P. R. me accuso, quòd alia die Festi, dum uxor mea esset graviter infirma, ac solam domi relinquere non possem, nec ullus pro custodia infirmæ daretur, omiserim audire Missam.

C. Existimavítne, se committere peccatum mortale non audiendo Missam?

C. Existimavítne pariter, se graviter peccaturum uxorem solam relinquendo?

P. Ita P. R.

C. Ad quem ex his duobus casibus se magis obligari existimavit?

P. P. R. Nullam inter unum, & alterum distinctionem feci.

C. Quamvis elicere actionem aliquam

quam ex conſcientia erronea dictante per eandem peccatri, ſit peccatum: In caſu tamẽ V. D. non fuit peccatum omiſſio Miſſæ; licèt contrarium conſcientia erronea dictâſſet; ita Joannes Sanchez in Sum. part. 2. cap. 51. n. 6. Caſpenſis tract. de Conſcient. diſp. 2. ſect. 2. num. 11. quia peccatum debet eſſe voluntarium, & ut ſit voluntarium, debet eſſe liberum; ſed quando voluntas auceps hæret inter duo, quæ ſimul exercere nequit, & in ambobus putat adeſſe peccatum, non eſt libera; quia utrumque adimplere non poteſt: ergo nec ejus actio eſt voluntaria, & conſequenter nec peccamiNoſa. v. g. paſtor exiſtens in montibus cum armentis putat ſe æquè peccaturum ea deſerendo, ac Sacrum omittendo, ſi alterutrum ſequatur, non peccat; quia ei non eſt liberum utrumque adimplere, quod tamen ad vitandum peccatum ſuppoſita conſcientia erronea requireretur: ergo idem dicendum in caſu V. D.

5. Aliud eſſet, ſi conſcientia erronea V. D. dictaſſet, peccatum fore non audire Sacrum, non verò infirmam relinquere: In hoc caſſu ex conſcientia erronea peccaſſet per omiſſionem Sacri; quia pro tunc non proponit conſcientia du Præcepta ſingillatim, ſed unum tantùm, & ſic libera manet ad id exequendum.

Et ſi exiſtimaſſet, quòd unum ex his præ alio eum obligaret, teneretur ad id, quod videbatur ipſi magis obligatorium: v. g. ſi putaſſet tam relinquendo infirmam, quàm non audiendo Sacrum ſe peccaturum, putaſſet tamen ſe magis peccaturum omittendo Miſſam, & ad hoc ſtrictiùs obligari, tenebatur hoc dictamen ſequi, & audire Miſſam.

6. P. P. R. me accuſo, quòd per aliquod tempus in uno loco fuerim, à quo Eccleſia procul diſtabat, & ob hanc diſtantiam multoties omiſi audire Miſſam.

C. Quanta fuit diſtantia ab Eccleſia?

P. P. R. diſtantia fuit trium milliarium italicorum.

C. Poterátne V. D. equitare?

P. Ita P. R.

C. Tempus forſan fuit infeſtum?

P. P. R. via erat valdè ardua.

C. Quando Eccleſia diſtat uno milliari germanico, quod pedeſter quis perficere debet, non eſt obligatio ita incedendi ad audiendam Miſſam; ſic Villalobos in Sum. part. 1. tract. 8. diſ. 36. num. 5. & addit, quòd, licèt minùs diſtet, ſi tempus arduum, & via nivibus plena ſit, neque adſit talis obligatio: Si autem equeſter perficere poſſit, non excuſat diſtantia unius milliaris germanici, ita Diana part. 10. tract 15. reſol. 35. niſi forſan eſſet valde lutuoſa via, vel ſi plueret, ut ningeret; in ſimilibus enim circumſtantiis non obligatur quis adire Eccleſiam diſtantem milliari germanico ad audiendam Miſſam, quantumvis equeſter per-

perficere possit; ita Leander à Sacram. tom. 3. tract. 2. disp. 2. q. 24.

7. P. P. R. me accuso, quòd aliquando permiserim famulum domi aliis pergentibus ad audiendam Missam.

C. Quo motivo permisit ipsum domi?

P. P. R. ne mihi quidquam furto è domo surriperetur.

C. In illo loco, vel vicinitate fuerúntne plures Missæ celebrandæ, quia si fuissent tantùm duæ, potuisset famulus audire hanc secundam, & hoc tempore alii de familia custodire domum.

P. P. R. unica tantùm Missa fuit.

C. Habuítne V. D. aliquod fundamentum credendi, quòd nullo ad custodiam domus remanente fuisset aliquid furto sublatum?

P. P. R. vivimus in mundo tam perverso, quòd parùm fidendum sit.

C. Si fuisset auditum, dari latrones domos exspoliantes, potuisset rationabiliter timere; ita Leander ibid. q. 35. & in hoc casu non esset peccatum relinquere aliquem domi tempore Missæ ad eam custodiendam; cùm autem non habuerit fundamentum timendi, nisi illud generale, quòd mundus sit perversus, non potuit, nec potest licitè, & sine peccato privare famulum Missa.

8. P. P. R. me accuso pariter de modica attentione, quam ordinariè in Missa habeo.

C. Defectus attentionis provenit forsan ex garritione.

P. Ita P. R. aliquando.

C. Solétne protrahere discursum per notabilem Missæ partem?

P. Non P. R.

C. Quando defectus attentionis est solùm ad divertendas cogitationes, satisfit Præcepto in opinione probabili (quamvis communis & certa sit, quòd attentio requiratur) quia Ecclesia non imperat actus internos, licèt, si hæc distractio mentis esset voluntaria, peccatum veniale esset. Quando autem distractio proveniret ab extrinseco, ut ex garritione, somno, aspectu hinc inde per tertiam partem Missæ, non satisfit Præcepto, est communis DD. apud Remigium tract. 2. cap. 3. num. 1. quamvis aliqui DD. cum Layman. tom. 1. tract. 7. cap. 3. excusent à mortali, quando consecrationi, & partibus principalioribus Missæ attenditur.

9. P. P. R. etiam meæ uxori dixi, ne ad Ecclesiam pro audienda Missa pergat, cùm filium lactet, quem solum relinquere non potest; & si eum secum ferret ad Ecclesiam, perturbaret per planctum Sacerdotem, & alios adstantes.

C. In hoc casu V. D. benè fecit ex Bonacina de Præcept. disp. 5. q. unica. part. 3. num. 8. & aliis; quia minor inconvenientia est, uxorem die Festi non audire Missam, quam perturbare illos, qui Missæ intersunt. Vide Dianam supra resol. 36.

CAPUT II.
De labore die Festi.

10. P.P.R. confiteor, quòd per integrum annum serviverim Domino, qui communiter diebus Festivis me ad labores impellebat, & multoties nec commoditatem audiendi Missam mihi dedit.

C. Quando petistis pro commoditate, egitne vobiscum asperè?

P.P R. adeò asperè mecum egit, ut, si tantùm verbum protulissem, statim me verberasset.

C. Ergo non peccastis obediendo ei, ut dicit Sylvester verb. Missæ. Azorius, & alii, quos citat, & sequitur Remigius tract. 2. cap. 3. §. 5. n. 2. qui docent servos posse laborare, & omittere Sacrum die Festivo ex mandato Dominorum, si non laborando eorum asperitatem timeant.

11. P.P.R. confiteor, quòd præterita die Dominica iter fecerim sex milliarium cum bestia onerata.

C. Fungimini fortè opere mulionis?

P. Non P.R.

C. Iter prosequi die Festivo ante Festum inchoatum, licitum esse dicunt Sylvester, Navarrus, Rodriquez, & alii, quos citat, & sequitur Pasqualiga in decisionibus moral. decis. 262. num. 1. Iter aggredi verò die festivo non esse licitum mulionibus sentit Sanchez in opuscul. moral. lib. 5. cap. 2. dub. 7. n. 9. Pasqualiga tamen loco citato num. 5. & 10. non ponit distinctionem inter fungentem munere mulionis, & alium hoc non fungentem, omnibúsque indifferenter concedit libertatem inchoandi iter die Festivo, Diana etiam part. 1. tract. 15. resol. 36. absque ulla personarum distinctione dicit, licitum esse inchoare iter die Festivo, quamvis ego non approbarem absque urgenti necessitate; sicut nec id, quod admittit, & concedit Murcia tom. 2. disq. lib. 5. resol. 4. n. 7. in fine, quòd licitum sit præparare currus, & onerare die festivo pro itinere die sequenti aggrediendo.

12. P.P.R. confiteor, quòd subinde die Festivo mittam famulos meos adaquatum equos, & mense Augusti demessum frumentum extendendum, quod sequenti die triturari debet.

C. Utrumque licere concedit Sanchez lib. 5. consil. Moral. dub. 18. n. 11. cum quibusdam modernis apud Pasqualigam loco suprà cit. decis. 29. n. 2. quia consuetudo à Superioribus tolerata, & legitimè introducta prævalet Legi Ecclesiasticæ: sed tolerata, & permissa est consuetudo adaquandi, & extendendi granum die Festivo: ergo non erit contra Præceptum Ecclesiæ utrumque peragere.

Sic pariter piscari funiculo, & venari die Festivo permissum est ex opinione P. Murcia loco suprà cit. n. 3. non tamen piscari retibus, nisi cum debita licentia fiat.

Excusantur pariter à peccato Tonsores, qui die Festivo suam artem exercent, ut dicit Sotus, Fernandez, &

& alii apud Dianam p. 2. tract. 15. resol. 24.

Notandum tamen est, quòd, ubi non viget consuetudo legitimè introducta, & à superioribus tolerata, licitum non sit prædicta opera mercenaria, seu mechanica exercere.

13. P. P. R. confiteor, quòd tempore messis, quo labores die Festivo dispensari solent, laboraverim, & acceperim salarium diurnum.

C. Hoc illicitum non est; quia, quando per licentiam licitum est laborare, stipendium quoque recipere licitum erit, ut docent Cajetanus, Sotus, Medina, Navarrus, & alii apud Murciam ubi suprà resol. 6. n. 5. Et ratio est; quia finis Legis non cadit sub Lege: ergo quòd agens operetur ob finem stipendii, non erit contra Præceptum, quando talis labor permittitur ex dispensatione; ex quo principio infertur; cùm licitum sit scribere die Festivo, etiam stipendium recipere pro tali exercitio licitum erit.

14. Hic necesse est, ut Confessarius admoneat de parvitate materiæ in hoc præcepto contenta plurimas mulierculas opinantes, quòd consuere modico tempore die Festivo sit peccatum mortale, iisque explanet, quòd laborare una hora non sit peccatum mortale; ita Azorius part. 3. lib. 1. cap. 27. q. 5. & Busemb. tract. 3. cap. 1. dub. 2. n 1. duabus horis laborare materiam levem esse dicit; ejusdem opinionis est Filiucius, quem citat, & sequitur Diana p. 2. tract. 11. Miscel. resol. 36. §. Quænam verò, id tamen, si sine necessitate fiat, veniale erit; cum necessitate verò tanto tempore laborare nullum est peccatum.

CAPUT III.

De Jejunio.

15. P. P. R. me accuso, quòd aliquot diebus non jejunaverim.

C. Ob quam causam?

P. P. R. aliquando sine ulla causa, aliquando verò ob labores, in quibus fui occupatus.

C. Completo 21. anno omnes Christiani (excipiuntur tamen infirmi, & graviter laborantes) obligantur ad jejunium Quadragesimæ, quatuor temporum, & vigiliarum cum jejunio; & qui his temporibus non jejunat, peccat mortaliter. Sed dies veneris, & Sabbati quamvis obligent ad abstinẽtiam carnium, non tamen ad jejunium.

16. In quo labore fuit occupatus, quando non jejunavit?

P. P. R. aliquando vites putavi, aliquando verò fui profectus ad prædiorum meorum laboratores invisendos.

C. Putare vites, est labor sufficiens, ut quis à jejunio eximatur; quia principium commune Theologorum est, quòd quivis labor cum jejunio incompossibilis ab eodem excuset; talis autem est, putare, fodere, metere, & similia: ergo ea die, qua putavit vites non tenebatur ad jejunium. Quando verò ad laboratores suos invisendos fuit profectus, erántne procul prædia,

ita ut in hoc itinere non modicum se defatigaverit?

P. P. R. erant aliquantùm distantia.

C. Solebátne ire pedester, vel equester?

P. P. R. equester.

C. Papa Alexander VII. in Decreto edito Anno 1606. in Propositione 31. damnavit ut improbabilem opinionem, juxta quam omnes, qui equestres proficiscuntur, quamvis sine necessitate, & iter sit unius diei, non obligantur ad jejunium.

Ex quo infertur, quòd non fuerit excusatus à jejunio eundo equester ad laboratores, ibique morando sine ullo labore campestri; quia quamvis ipsius occupatio fuerit necessaria, defatigatio tamen non fuit magna; etenim equitando non potuit tantum temporis spatium consumere ad prædia adeundum, licèt aliquantum distantia, ut per hoc à jejunio exemptus esse debuisset.

17. Si pedester ire deberet, & ab uno prædio ad aliud haberet ad itinerandum per majorem partem diei, esset excusatus à jejunio ex sententia Sanchez in Consil. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 10. Sylvestri, Gabrielis, Paludani, & aliorum, quos citat, & sequitur R. P. Leander à Murcia Capucinus in explicat. Regulæ P. N. S. Francisci cap. 2. super 3. Regulæ §. 2. n. 22. qui docent, quòd is, qui pedester per majorem partem diei iter peragit, hócque necessarium, & utile est, regulariter ad jejunium non teneatur: sed proficisci ad laboratores est exercitium utile: ergo, si per majorem partem diei pedester incedat in hoc exercitio, regulariter ad jejunium non obligabitur.

18. P. P. R. me accuso, quòd quadam die ad venationem iverim, ex qua fui ita defatigatus sequenti die jejunii, ut jejunare non potuerim.

C. Prævidítne taliter defatigationem, ita ut sequenti die jejunare nequiret?

P. P. R. de hoc non cogitavi.

C. Ex Decreto Alexandri 7. antè cit. infertur, quòd venari, ludere pila, seu exercere aliam occupationem voluntariam, quæ vitari potest, non sufficiat, ut quis à jejunio eximatur contra Medinam, Ledesmam, Filiucium, Villalobos, quos citat Diana part. 1. tract. 9. resol. 40. docentes, eum, qui voluntariè obicem ponit jejunio v. g. defatigationem per lusum pilarum non peccare omittendo jejunium, quæ opinio est contraria Decreto Alexandri VII. cùm autem V. D. non præviderit ex hoc exercitio voluntario futuram tantam defatigationem, ut impotens redderetur ad jejunium, non peccavit omittendo jejunium, nec eundo ad venationem; quia deficiente hac prævisione omissio voluntaria non fuit; ita Rodriquez in Sum. tom. 1. cap. 23. n. 6. & alii.

19. P. P. R. me accuso, quòd in

Qua-

Quadragesimâ in Festo S. Josephi non jejunaverim.

C. Laboravítne illâ tota septimanâ, in qua fuit Festum S. Josephi?

P. Ita P. R.

C. Quo labore?

P. putando, & fodiendo terram.

C. Non tenebatur jejunare illa die ita docet cum aliis Thomas Sanchez ubi suprà n. 10. cum Medina, Angelo, Victoria, & P. Murcia ubi suprà n. 21. qui docent, eos, qui tota septimana laborant labore molesto, quamvis una, vel altera die laborare desinant ob pluviam, vel aliam causam, non obligari illa die ad jejunium; quia ex labore antecedente & subsequente vires debilitatæ remanent, & egent restauratione in die, qua laborare desinunt.

20. P. P. R. me accuso, quòd in domum receperim sartores die jejunii ad laborandum, quibus collationem, & cœnam dedi.

C. Intendebántne sartores jejunare, vel se determinabant ad non jejunandum?

P. P. R. soli petierunt cœnam, dicendo se non jejunare.

C. Si probabilis esset sententia Fagundez Præcep. 4 lib. 1. cap. 8. n. 15. & 16. in fine, & Ledesmæ, qui sartores excusant à jejunio: V. D. non haberet scrupulum ob datam illis cœnam; hæc verò sententia est damnata ab Alexandro VII. in Proposit. 30. ubi reprobat opinionem, quòd omnes Officiales Reipublicæ excusentur à jejunio; nec certificari opus sit, an illorum labor compossibilis sit cum jejunio, vel non, adeóque opinio contraria vera, & communis est, quæ docet sartores obligari ad jejunium, Layman. lib. 4. tract. 8. cap. 3. n. 3. Azorius part. 2. lib. 4 tract. 8. cap. 3. n. 3. Azorius part. 2. lib. 8. cap. 17. q. 8.

21. Quamvis improbabilis sit sententia, quæ sartores à jejunio excusat, V. D. tamen non peccavit dando illis cœnam; cùm ipsimet petierint, & ad non jejunandum se determinaverint; tum quia, ut cum Fagundez docet Diana part. 1. tract. 9. resol. 13. ille, qui conducit artifices ad laborandum die jejunii, non obligatur conducere tales, qui non obstante labore possint jejunare, tum quia absolutè determinatum ad cœnandum licitum est invitare ad cœnam urbanitatis gratiâ, ut docet Filiucius tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 5. num. 64. & Villalobos in Sum. p. 1. tract. 23. dif. 3. n. 2. ergo si sartores erant determinati ad non jejunandum, licitè potuit eis cœnam administrare.

22. illi qui, non obligantur ad jejunium, sunt agricultores, fabri, & omnes illi, qui opera laboriosa magnam defagitationem causantia exercent.

Concionatores, & Confessarii, qui multùm laborant in suo ministerio, etiam excusantur, ita Thomas Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 50. cap. 1. dub. 13. & alii.

Sutores excusat à jejunio Lessius lib.

lib. 4. cap. 2. dub. 6. n. 43. Bonacina de Leg. disp. ult. q. 1. part. ult. num. 10. Layman. ubi suprà. Ego verò censeo cum Toleto lib. 6. cap. 4. num. 5. tales ordinariè obligari ad jejunium; quia labor eorum tam gravis non est, ut eos à jejunio eximat.

23. Barbitonsores non excusantur à jejunio, ut DD. communiter docent, Layman, Lessius, Azorius, ubi suprà, & alii multi; ex quo infertur, quòd etiam Medici, & Chirurgi ad jejunium teneantur.

Mulieres gravidæ, & quæ lactant, non obligantur ad jejunium; ita Lessius ubi suprà n. 39. Valentia tom. 3. disp. 9. q. 2. punct. 2. Vega in Sum. tom. 1. cap. 14. casu. 22. & alii.

Excusantur senes 60. annorum, quamvis robusti, & vegetes sint. Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 4. cap. 11. n. 54. & l. 7. de Matrim. disp. 32. num. 17. Portel. & alii, apud P. Leandrum à Murcia in explicat. Regulæ Præcept. 3. cap. 2. §. 2. num. 18.; senectus ipsa est morbus.

24. P. P. R. me accuso, quòd, dum una die Quadragesimæ me aliquantum malè senserim, comederim carnes.

C. Consuluítne Medicum de malo suo?

P. Non P. R.

C. Fortè suum patrem spiritualem?

P. P. R. nec istum.

C. Quando infirmitas est gravis, v. g. febris tertiana, & quartana non est necessarium consultare Medicum vel alios ad vescendum carnibus; sed quando infirmitas est valdè levis, & dubitatur, an sit sufficiens, vel non, ad manducandas carnes, consultari debet Medicus & Confessarius, & cum consensu amborum potest ex privilegio Bullæ carnibus vesci, etiam in casu dubio.

Non est tamen licitum alicui in simili dubio arbitrum, seu judicem agere in propria causa, & sumere sibi licentiam comedendi carnes, & frangendi jejunium, graviterque delinquit, qui propria authoritate id facit.

25. Quoties comedit carnes illa die?

P. P. R. duabus vicibus.

C. Qui frangit jejunium sæpiùs in die edendo cibos quadragesimales, unum tantùm numero, & specie peccatum committit; quia jejunium est res indivisibilis, quod semel fractum non obligat ampliùs illa die; sed qui frangit jejunium edendo carnes, duo peccata mortalia committit; quia, sicut dicit Choninch. de Sacramentis disp. 7. dub. 5. num. 42. jejunare, & non comedere carnes sunt duo præcepta distincta habentia insuper distinctam materiam: sed peccata multiplicantur numero, quando Præcepta sunt distincta, & habent diversam materiam: ergo frangere jejunium comedendo carnes est duplex numero peccatum.

Et insuper, quotiescunque quis carnibus vescitur die jejunii, tot peccata

committit; ut docet cum Layman, Villalobos, Suarez, & aliis Diana part. 1. tract. 9. resol. 45. quia præceptum non comedendi carnes est negativũ, quod obligat semper, & pro semper.

26. P.P.R. me accuso, quòd emiserim votum jejunandi una die Mercurii, in qua postmodùm pluries sine necessitate carnes comedi.

C. V.D. peccavit sacrilegè frangendo votum jejunii sine necessitate, plura tamen numero peccata non commisit sæpiùs illa die carnes comedendo; ut docet Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 4. cap. 11. num. 41. ubi dicit, quòd is, qui fecit votum jejunandi aliqua die, non peccet toties, quoties carnes comedit.

Quia hic sibi non imposuit præceptum non comedendi carnes per se, nisi in quantũ erat medium ad servandum jejunium: ergo fracto semel jejunio cessavit jam præceptum non comedendi carnes. Contrarium tamen evenit in jejuniis Ecclesiæ, quæ in his per se prohibet esum carnium tanquã præceptum distinctum à præcepto jejunii, ut clarè videtur in laborantibus, quos Ecclesia à jejunio eximit, non tamen ab abstinentia carnium.

27. P.P.R. me accuso, quòd in quatuor temporibus lacticinia, & ova sine Bulla comederim.

C. In Quadragesima tantùm sunt prohibita lacticinia, in aliis verò jejuniis extra quadragesimam licita sunt sine Bulla, Sanchez ubi suprà num. 25.

28. P.P.R. me accuso, quòd etiam in Quadragesima fregerim jejunium unius diei comedendo tribus vicibus lacticinia.

C. Id quod dictum est de fractione jejunii Ecclesiæ comedendo carnes, etiam dico de fractione jejunii comedendo lacticinia in Quadragesima, nempe, quòd duo peccata mortalia committat, unum contra jejunium, aliud contra præceptum non comedendi lacticinia tempore Quadragesimæ; & quoties esum lacticiniorum repetit, tot numero peccata committit; ita docet cum Coninch loco suprà cit. Diana part. 3. tr. 4. resol. 157. Ratio eadem hìc militat, quæ superiùs de esu carnium.

Notet tamen Confessarius; plures dari pauperculas personas destitutas mediis ad emendos pisces, non autem ad vescendum ovis; hæ proinde, cùm non habeant duos regales pro acquirenda Bulla, scrupulis anguntur in comestione ovorum; quare illis dicat liberè, quòd sine scrupulo ea comedere possint, cùm Ecclesia sit Mater pia non obligans suos filios cum tanto rigore.

29. P.P.R. me accuso, quòd in jejunio circa collationem vespertinam habeam aliquem scrupulum.

C. Quantitas, quæ in collatione sumi potest, consistit in sex unciis; Ita Villalobos in Sum. part. 1. tr. 23. dif. 7. num. 4. plerique alii, Fagundez verò in præcept. Ecclesiæ super 4. præcept.

lib.

lib. 1. cap. 1. n. 13. concedit octo circiter uncias; iste tamen nimis relaxat; quia collatio introducta est, ut potus non noceat, adeoque ad hunc effectũ quatuor, vel sex unciæ sufficiunt. Et advertendum est, quòd in sex, vel octo unciis comprehendatur totum id, quod in collatione comeditur; quia Gens vulgaris putat solum panem comprehendi in hac quantitate determinata, non verò fructus, & alia.

Qualitas cibi, quem collatio admittit, sunt panis, fructus sicci, vel recentes, lactuca cruda, vel cocta, & alia dulcia ex saccharo.

30. Ciocolata dubitatur, an frangat jejunium, vel non: ego teneo pro certo, quòd frangat: quamvis dicant, esse aliquem potum: libenter ab ea utentibus scirem, an illam sumant per modum potus, vel per modum cibi: potus est ad extinguendam sitim, cibus verò pro alimento; sed ciocolata accipitur, & servit pro alimento, & non ad extinguendam sitim: ergo quomodo potest esse potus? potus erit pro multis, quod non negatur (ut dicit Job) bibunt quasi aquam iniquitatem. Non negatur, quòd per modum medicinæ in una, vel altera necessitate licitum sit eam sumere, sed hoc, quod reprehenditur, est usus toties, quoties. O quàm parùm Deus horum opiniones approbabit in suo Tribunali, ubi patebit, se non admittere omne id, quod hìc probabile appellant; etenim plura, quæ hìc licita esse autumant, & dicunt; verè nihil aliud sunt, quàm puræ relaxationes corruptæ naturæ humanæ.

CAPUT IV.

Exhortationes pro transgressoribus Festorum.

31. Enitatur omni possibili devotione Sacrificio Missæ diebus Festivis interesse, cùm sit Mysterium adeò supremum, cui Angeli Cœlorum cum sum̃a reverentia, & tremore assistunt, ut adstantes præsentiæ Dei Sacramentati. Attentè consideret, quòd Missa sit repræsentatio illius incomparabilis beneficii, quod Deus nobis præstitit nos redimendo suo pretiosissimo Sanguine super Crucis Altari pretio infinitorum tormentorum: perpendat, quòd is, quem in manibus Sacerdotis adorat, sit ipsemet, qui pro amore nostri indicibiles pœnas sustulit: contempletur eum tanquam mare pœnarum, imaginem dolorosam tormentorum, colaphis affectum, sputis illusum, flagellis cæsum, spinis coronatum, ac tandem in Cruce manibus, & pedibus acclavatum, innumeris opprobriis, ut malefactorem mortuum, quæ omnia summa cordis dulcedine, & amore ad nos miseros salvandos pertulit.

32. Abstineat se à laboribus diebus Festivis, impendat in nomine Domini integram hebdomadam in laboribus pro tempore, sed diem Festivum in labore pro anima. Si his diebus Festivis non studerit audire omnia Sacra, quæ

quæ poteſt, neque ſe Deo recommendare orationibus, & operibus Sanctis, certè in puncto mortis ſe exoneratum inveniet operibus bonis. Ille, qui non ſeminat, nihil metet; & qui parcè ſeminat, parcè & metet. Si V. D. non ſeminaverit in terra animæ ſuæ granum virtutis, & opera ſancta, verè non colliget fructus Gloriæ cœleſtis. Deus non ordinavit dies Feſtivos ad labores, luſus, ſaltus, & ſimiles occupationes, ſed ut laudemus eum, ac debitum cultum Suæ Divinæ Majeſtati, & Sanctis ſuis exhibeamus; & ſic procuret hoc brevi vitæ tempore, quod ei remanet, ſe abſtinere ab omnibus occupationibus minùs licitis, reflectat ſe habere animam egentem alimento ſpirituali, ut corpus materiali, ſi deeſt corpori refectio, moritur, anima, quæ ſua refectione ſpirituali caret, quomodo vivet? ex ſequenti caſu clarè patebit, quantum Deus per Feſtorum transgreſſionem offendatur.

Exemplum contra eos, qui Miſſam diebus Feſtivis negligunt.

33. Refert P. Andreas in ſuo itinerario grad. 11. §. 8. de quodam milite valdè negligente in obſervatione Feſtorum. Hic in ſolemniori quadam feſtivitate populo ad Eccleſiæ fores confluente invitatus & ipse ad eosdem greſſus à campanarum reſonante pulſu, aſcendit equum, ad campos ſolatia capeſſendi gratia dilabitur, ementienti beneficio equi camporum planitiem diabolicum obviat ſpectrum, eúmque hunc in modum alloquitur: cùm tu nolis adire Eccleſiam ad audiendum Sacrum cum muſica, & ſermone, lares inferni adibis ad audiendos cruciatus, & gemitus à damnatis ibi in æternum emittendos: His dictis horrendo ictu percuſſit militem, qui concidens in terram proprio ſanguine involutus miſerè expiravit, ejúsque animam diabolus abripiens corpus fœdiſſimum ad inſtar damnati, prout erat, reliquit, ut negligentes in audienda Miſſa, & concione reſipiſcere ſtudeant.

Exemplum contra eos, qui non ſanctificant Feſta.

34. Refert idem P. Andreas loco cit. §. 7. de uno Curato, vel Parocho, qui ante Sacrum una cum ſuis amicis ad venationem recreationis gratia ſe contulit: in qua canes perſecuti ſunt cuniculum, hic fugiens in cavernam ſe abſcondit; Parochus extendens manum ad extrahendum cuniculum ex caverna, eamdem intus detineri ſenſit, ac à potentia inviſibili ſe ad cavernam trahi. Interim evanuit Parochus, ſocii exiſtimantes eum ab inferno adſorptum, cavernam accedere auſi non fuerunt: effluxerat aliquod dierum ſpatium, & comparuit Parochus, qui omnium primò ſe contulit ad Beatiſſimam Virginem in Guadalupe inviſendam, cui ſe cordicitus commendavit, quando deorſum per illam obſcuram cavernam deferebatur: interroga-

rogatus postmodùm ab aliis, ubi nam fuerit, & ad quem locum per illam cavernam devenerit, maximis cum lachrymis respondit: non habeo verba ad explicanda acerba tormenta, quæ his diebus sufferre debui absque notitia, ubinam fuerim; quid autem dixero, nihil erit respectu eorum, quæ sui passus, nec meis verbis fides ulla præberetur: ô mea stultitia! ô recreatio infausta! amici mei discite à me, & seriò Festa sanctificate, Angelorum Reginam, qua mediante ab inferno sum libertatus, summa devotione recolite. Mutavit vitam taliter ob hoc accidens, quod optimum testimonium dedit, quantum ibi pati debuerit.

Ex quo Sacerdotes addiscere possunt, quomodo tempus ante Sacrificium Missæ celebrandum impendere debeant in præparanda anima ad tam Divinum Sacrificium, quod in Altari perficiunt, neve ante hoc inutili temporis dispendio distrahantur. Hi pariter admoniti reddantur, quòd, si Deus tanto cum rigore punit eos, qui diebus Festivis labori licito incumbunt, ut est venatio, quid faciet cum illis, qui Festa rebus profanis, saltibus, lusibus, & laboribus servilibus incumbendo transgrediuntur.

TRACTATUS IV.

DE IV. PRÆCEPTO.

Honora Patrem & Matrem.

CAPUT I.

De Obligatione Filiorum erga Parentes.

IN hoc quarto Præcepto, in quo Deus præcepit honorare Patrem & Matrem, diversæ obligationes comprehenduntur; scilicet, obligatio Filiorum erga Parentes, & istorum in educando, nutriendo, corrigendo, & instruendo filios: obligatio uxoris erga Maritum, & Mariti erga uxorem; Superiorum erga subditos, & subditorum erga Superiores: discipulorum, & pupillorum erga Magistros & Tutores: famulorum erga Dominos, & Dominorum erga famulos, & prætereà obligatio, quam quivis in suo statu, & officio habet.

Tradam hoc loco res magis practicas, & necessarias, ex quibus plures aliæ deduci poterunt. In secunda verò parte hujus praxis loquar de speciali uniuscujusque obligatione ad suum statum, & officium requisitâ.

1. P. P. R. in hoc præcepto me accuso, quòd multoties respectum erga Parentes perdiderim.

C. Tria à Filiis exhibenda esse Genitoribus docent Theologi, & sunt, amor, reverentia, & obedientia: contra amorem Parentibus debitum peccant Filii, qui Parentes suos odio habent, abhorrent, torvo oculo intuentur, & corde perverso eis loqui, ac in eorum miseriis, & necessitatibus succurrere renuunt, cùm id facere possint. Contra reverentiam peccant Filii, qui Genitores verbis arroganti-

bus, & injuriosis afficiunt, manúsque in eos injiciunt. Contra obedientiam peccant Filii, quando mandata Genitorum non exequuntur: quod totum clarè patebit ex resolutionibus interrogationum sequentium, & incipiendo ab obedientia.

Dicat mihi, fuítne executus id, quod à suis Parentibus fuit ipsi impositum?

P. P. R. ordinariè non libenter feci id, quod præceperunt, & aliquando etiam omisi.

C. Id, quod ipsi præceptum fuit, erátne res notabilis, & alicujus momenti?

P. P. R. imperârunt mihi, ne noctu domo exirem, ita ut serò redirem, ne chartifoliis luderem lusu periculoso, in quo multùm perdere possem, ut vitarem malos socios.

C. Hoc totum est materia alicujus momenti, ideóque inobedientia in quolibet ex his est peccatum mortale; ita Villalobos part. 2. tract. 4. dif. 6. n. 3. éstque communis. In rebus tamen levibus domesticis, & parvi momenti Parentibus non obedire est communiter peccatum veniale.

2. P. P. R. me accuso, quòd contra voluntatem Patris mei duxerim uxorem.

C. Persona, quam duxit, erátne inæqualis qualitatis, & conditionis?

P. P. R. In omnibus quidem fuit æqualis, Parentes tamen proponebant mihi aliam æqualem.

C. Si duxisset aliquam notabiliter inæqualis conditionis contra voluntatem suorum Parentum mortaliter peccasset, ut dicit communis Theologorum cum Toleto, & Navarro apud Fagundez in Decalog. lib. 4. num. 4. quia Filius tenetur obedire Genitoribus in rebus rationabilibus: sed rationabile est non ducere uxorem inæqualem: ergo &c.

3. Ducere tamen uxorem sibi æqualem contra voluntatem parentum non est peccatum, ut docent Toletus, Molina, Corduba, & alii apud Fagundez ubi suprà n. 4. Et ratio est; quia filius est liber in electione sui status, ergo, quando hæc est rationi conformis, Pater nequit eum impedire. Ad quod multùm parentes attendere deberent, qui filiorum suorum, & filiarum voluntati contradicunt obligando eos ad ineundum Matrimonium cum personis, ad quas nullum genium, & propensionem habet. Unde provenit, quòd totam vitam miserè, & desolatè, sine pace, & quiete protrahant.

Solùm in hoc casu obligatur Filius ducere personam æqualem à Parente propositam relicta alia æquali, ad quam inclinat; nempe, quando ducendo illam personam à parente propositam sedantur rixæ, lites, & familia à gravi miseria liberatur; ita Remigius tract. 2. cap. 4. §. 1. n. 10.

4. P. P. R. me accuso, quòd multoties arroganter responderim dictis Parentis, & cùm semel me verberâsset, aggressus sum ipsum, & in defensionem meam eum ad terram projeci.

C. Quando Filius manus in parentem injicit, imò, quando ei verberationem minatur, peccat mortaliter, ut cum Reginaldo docet Busembaum in Medulla lib. 3. tract. 3. cap. 2. dub. 1. num. 2. actus tamen defensionis non est condemnandus culpæ mortalis; quia defensio est licita, & concessa: & quod V. D. patravit, fuit solùm ob sui defensionem, & per accidens secutus est prolapsus Patris.

5. Dicat mihi nunc: solebátne parens ipsius maledicere, & jurare, quando V. D. ejus dictis respondebat?

P. Ita P. R. magnoperè, & vehementer.

C. Protulítne contra V. D. verba mordacia, & injuriosa?

P. P. R. ille est naturæ tam iracundæ, ut ad quodlibet meum responsum ita fuerit exagitatus, ut in mille maledictiones, & juramenta proruperit.

C. Ad formandum judicium de qualitate hujus peccati attendi non debet inquietudo, & molestia Patris, sed occasio data; si occasio est levis, quamvis pater multùm excandescat, & se exasperet, veniale erit; quia hæc inquietudo provenit à mala natura patris, & non à Filio, ut ait Marcantius resol. moral. circa quart. Decalog. §. Quæro 3. Remigius tract. 2. cap. 4. §. 1. n. 4. in fine.

6. P. P. R. me accuso, quòd semel exortâ aliquâ discordiâ inter me, & Parentem meum diu postmodùm eundem odio habuerim.

C. Quanto tempore duravit hoc odium?

P. P. R. per tres Menses.

C. Toto hoc tempore V. D. fuit in statu peccati mortalis, & taliter, ut odium illud ob circumstantiam talis objecti duas malitias specie distinctas habuerit; unam contra charitatem propter generalitatem proximi: aliam contra pietatem propter circumstantiam patris; quia ad pietatem requiritur, ut patri amor specialis deferatur; ergo, si odium cujuscunque ex nostris proximis habet malitiam contra charitatem, odio habere patrem duplicem malitiam continebit, scilicet contra charitatem, & pietatem.

7. P. P. R. me accuso pariter, quòd subinde parentem meum torvo oculo, & aspero supercilio aspexerim.

C. Hoc forsan erit aliqua vindicta ob aliquam levem inquietudinem?

P. Ita P. R. solemus in rebus minimis, & domesticis habere aliquam dissensionem cum aliqua exacerbatione.

C. Intueri parentem torvo, & aspero oculo absolutè loquendo est peccatum mortale; sed quando ob aliquam dissensionem domesticam habetur aliqua modica indignatio; solùm erit veniale: Ita Toletus, Sylvester, Tabiena apud Fagundez tom. 1. super Decalog. lib. 4. cap. 2. n. 1. & 2.

8. P. P. R. me accuso, quòd Fratri meo natu major, dum adhuc parvulus eram, dixerim verba mala, & aliquando ipsum percusserim.

C. Rixæ,

C. Rixæ, quæ fieri solent inter infantes, quamvis sint Fratres, venialia peccata essent censentur.

9. P. P. R. me accuso, quòd meam sororem odio habuerim, & ipsi malum exoptaverim.

C. Illud malum, quod desideravit, fuítne mors, infamia gravis, aut aliud malum notabile?

P. P. R. desideravi quidem grave malum, non tamen adeò notabile.

C. Desiderare grave malum sorori, est peccatum mortale, sicut desiderare cuicumque nostro proximo, ob circumstantiam tamen sororis non habet malitiam specialem contra pietatem, nisi fortè desideraverit malum notabile, ut mortem, gravem infamiam; sicut sentit Lugo de pœnit. disp. 16. sect. 16. n. 307. quia fratres non tenentur tantùm se invicem amare, nec est tanta obligatio inter illos, quanta est erga parentes: ergo quamvis sit peccatum speciale contra pietatem, desiderare qualecunque grave malum parentibus, non tamen erit respectu fratrum, nisi esset malum notabile. Ex quo infertur, quòd damnum notabile, etiam ipsam mortem aliis consanguineis, præter Genitores, Avos, & fratres desiderare, quamvis mortale erit contra charitatem tamen non habebit specialem malitiam contra pietatem; ut cum Bonacina docet Lugo loc. cit. num. 398. quia aliis consanguineis non debetur ille amor specialis, sicut parentibus, Avis, & fratribus: ergo non erit contra virtutem pietatis desiderare illis damnum notabile.

10. P. P. R. me accuso, quòd interdum etiam contra meam Matrem dixerim aliquam maledictionem dicendo, diabolus vos rapiat.

C. Hanc maledictionem dixítne ex corde?

P. Non P. R. sed solùm ab impatientia motus.

C. Dixítne in præsentia Matris?

P. Ita P. R.

C. Maledictione afficere Genitores cum animo, & intentione, ut eveniat id, quod eis imprecamur, sive sit in præsentia illorum, sive in absentia, semper est peccatum mortale cum duplici malitia specie distincta, nempe contra charitatem, & pietatem. Si maledicuntur parentes in absentia eorum sine animo, ut maledictio suum sortiatur effectum, veniale tantùm erit; si verò fiat in præsentia, licèt sine hoc animo, erit peccatum mortale, nisi inadvertentia excuset; ut ait Remigius in Sum. tract. 2. cap. 4. §. 1. num. 3.

11. P. P. R. me accusó, quòd ante aliquot dies cum Judice, vel Gubernatore contenderim, cúmque fui intentionatus occidere; interim obviarunt mihi aliqui amici, quibus de eo multa mala fui locutus.

C. Id, quod dixit amicis, fuítne res gravis contra bonum nomen Gubernatoris?

P. Ita P. R.

C. Fuitne res publica?

P. Non P. R.

C. Duæ actiones sunt hic distinguendæ: prima, in qua contendit cum Gubernatore, fuit contumelia; secunda fuit detractio; in prima actione sunt duæ malitiæ specie distinctæ, una contra justitiam, altera contra virtutem observantiæ, vel obsequii, quæ virtus requirit specialem respectum erga Judicem, & Superiorem: in secunda fuit tantùm una malitia, scilicet injustitiæ; quia virtus observantiæ præcipit, ut Superioribus specialis reverentia deferatur; huic reverentiæ opponitur oblocutio, vel actio contumeliosa contra Superiorem, non autem murmuratio in absentia: ergo in prima sunt duæ malitiæ, in secunda verò tantùm una. Est doctrina S. Thomæ, & ipsius scholæ, quæ videri potest in disquisit. moral. P. Murciæ tom. 2. lib. 4. disp. 8. resol. 3. n. 6. & 7.

Circa modum, quo satisfieri debet injustitiæ propter contumeliam, & damnum, ac propter detractationem, in octavo præcepto patebit.

12. P. P. R. me accuso, quòd debitum respectum erga personas me natu majores non habeam.

C. hæc circumstantia majoris ætatis in personis offensis nō mutat speciem, quamvis aggravet malitiam offensæ, ut colligitur ex doctrina de Lugo suprà cit. & specialiter n. 309. & perdere respectum erga illas erit peccatum veniale, vel mortale secundùm ea, quæ contra ipsas dicuntur, vel fiunt.

CAPUT II.

De Obligatione Parentum erga Proles.

13. P. P. R. dico meam culpam, quòd fuerim negligens in educandis meis prolibus.

C. Procuravítne, ut instruantur in doctrina Christiana, aut misit eas ad scholam, vel ad Parochum, ut eas instruat?

P. P. R. magnam negligentiam in hoc habui.

C. Graviter peccant parentes, si negligunt instruere proles in doctrina Christiana, & rudimentis Fidei, non solùm in tenera ætate, verùm etiam in ætate jam provecta; siquidem satis in confessionali experimur cum maximo nostri cordis dolore magnam ignorantiam, quæ inter Fideles de sacris Fidei Mysteriis reperitur, & hic defectus non solùm in parvulis, sed etiam in adultis videtur esse, qui, cùm facilè possint memoriæ mandare cantilenas lascivas, & res mundanas, solùm pro addiscendis necessariis ad salutem cōsequendam se ineptos esse censent, & volunt: Hoc enim provenit à parentibus, qui in eorundem pueritia non procurant eos alere hac doctrina Cœlesti; nec juvat excusatio, quòd Parochus, & Magister eos sint erudituri, sæpiùs enim contingit, quòd uterque negligat, parens hoc negligit; quia credit, quòd Parochus suo officio sit functurus; Parochus similiter idem cre-

credit, quòd Magister scholæ sua faciat, & ita evenit, quòd pauperculæ proles in fine vitæ suæ toties inveniantur absque notitia necessariorum ad salutem; de quo parentes, & Parochi strictissimam Domino Deo rationem reddent. Hoc idem dico de Dominis respectu famulorum suorum, quorum non solùm corpus, sed & singulariter anima est ipsis commendata; & si graviter peccarent parentes, & Domini, qui filiis, aut famulis congruum,& necessarium alimentum corporale non tribuerent, quantò major culpa erit non subministrare animæ alimenta spiritualia?

14. Dicat mihi, procuravítne, ut proles ipsius bonis moribus instruantur, corrigendo earum vitia, & abstrahendo eas à mala societate?

P. P. R. in hoc valde negligens fui.

C. Negligentia,& omissio in hac materia est peccatum mortale; Videatur Azorius part. 2. lib. 2. cap. 4. q. 17. & est communis. Parentibus verò in hoc negligentibus timendum est de Domini Dei vindicta, ut factum est Heli; quia non correxit errores, & defectus filiorum suorum. 1. Reg. 3. eò quòd noverit filios suos indignè agere, & non corripuerit.

15. Dedítne filiis aliquod malum exemplum?

P. Ita P. R. habui per aliquod tempus unam malam, & perversam amicitiam, de qua tota familia conscia erat.

C. Ob hanc circumstantiam mali exempli commisit novum specie peccatum, scilicet injustitiæ; quia quivis Superior ratione sui officii obligatur ex justitia præesse bono exemplo suis subditis: Sed Pater est verus Superior suæ familiæ: ergo ex justitia obligatur familiæ bono exemplo præesse; & per consequens si dat malum exemplum, peccat contra justitiam.

16. Permisítne V. D. aliquem ex suis filiis, postquam ad usum rationis pervenit, dormire in cubiculo suo, quando utebatur uxore sua: aut filios cum filiabus, famulum cum famula simul dormire indulsit?

P. P. R. famulum cum famula non; sed benè filios cum filiabus, & hos nobiscum.

In hoc pessimè egit, & agit; quia malitia moderno tempore eò devenit, ut vix appareat viriditas rationis, jam videtur germen malitiæ: & certum est, quòd expertus dicere possim, multa mala me invenisse in mundo, maximè inter fratres & sorores parvulas, quando simul, vel etiam cum parentibus dormire permittuntur, postquam ad usum rationis pervenerunt.

17. P. P. R. dico meam culpam, quòd filius meus, quem Sacerdotem futurum determinavi, velit ducere uxorem, dicendo, se non habere vocationem ad statum Ecclesiasticum, ego autem nolo, ut uxorem ducat. sed ad susceptionem Ordinum eum obligare tento.

C. V. D.

C. V. D. pessimè agit, & peccat mortaliter; quia filius est liber in electione sui statûs; ita Sotus, Corduba, Lopez, quos citat & sequitur Thomas Sanchez lib. 4. de Matrim. disp. 22. num. 6. & hoc peccatum reducitur ad speciem injustitiæ; cùm V. D. usurpet jus, quod habet filius ad electionem status secundùm vocationem suam.

In hac materia parentes magnum scrupulum habere debent, pariter & Confessarii; quia hoc tempore Ecclesia Dei habet innumeros perversos Ministros ex culpa eorum parentum, qui, ut ad aliquam capellaniam, vel beneficium promoveant filios, ad susceptionem Sacrorum Ordinum licèt invitos compellunt, nec advertunt hi, quòd continentia sit singulare Dei donum, & maxima sit temeritas eligere statum continentiæ absque vocatione Divina. Nec minus improperandum est illis parentibus, qui filias, licèt reluctantes, monasteria ingredi, & statum Religiosum eligere cogunt, quem proinde invitæ amplectentes vitam postmodùm desolatam, & interdum maximis Dei offensis obnoxiam ducunt. His enim expedientius fuisset parentes pauperculos, & mercenarios habuisse; quia saltem statum sibi consentaneum eligere potuissent, quàm Filias esse nobilium, & equitum, qui usum eas ad Monasteria cogendi habent, absque eo, quòd perpendant, Deum nullo præcepto obligasse ad servandam castitatem tanquam summè arduam, sed liberè à quocunque eligendam voluisse. Qui potest capere, capiat. Matth. 19. Hoc ipsum ait Apostolus: De Virginibus præceptum Domini non habeo, ad Corinth. 7. de eo autem, quod Deus in libertate reliquit, quomodo parentes præceptum facere prætendunt? tales sunt in malo statu, nec absolvi possunt, donec voluntates filiorum suorum cogere desistant.

18. P. P. R. dico meam culpam, quòd Filia mea contra meam voluntatem personæ inferioris conditionis nupserit, quod multùm ægrè fero, quapropter non volo conversari cum ea, totique familiæ meæ imposui, ut similiter faciat.

C. Habétne illam odio, vel desiderat ipsi malum?

P. Non P. R. sed solùm ægrè fero modicum respectum, quem erga me habuit.

C. Estne multùm temporis, quòd hoc acciderit?

P. P. R. erunt sex anni.

C. Quando proles similes errores committunt ineundo Matrimonium cum persona inferioris conditionis cōtra rationabilem suorum parentum voluntatem, licitum est his indignationem suam ostendere per aliquod tempus in pœnam parvi respectus, cum hac tamen conditione, ut in eas mala voluntate non ferantur, sed, si hoc per longum temporis spatium sit, est peccatum

catum mortale, ut etiam mortale erit, cum iisdem communicare nolle, licèt malè egerint. Est doctrina Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 4. num. 3. Et ratio est; quia errantem punire licitum est potestatem habenti, excedere autem in pœna illicitum est: sed parens habet potestatem castigandi suas proles errantes: ergo in pœnam earum hoc facere potest non tamen per longum tempus. Existimo, quòd per quatuor, vel sex menses possit parens Filio indignationem suam ostendere, qui sine causa ita cum parente se gerit; elapso autem hoc tempore pœna erit excessiva.

Quapropter V. D. peccat mortaliter monstrando se ita rigidum, & indignatum erga Filiam tanto tempore, & malitia hujus peccati est contra virtutem pietatis & charitatis; adeóque nisi mihi emendationem promiserit, non possum V. D. absolvere.

P. P. R. me exhibeo facturum omnia mihi imponenda.

19. Per hoc forsan negavit Filiæ dotem aut privavit eam hæreditate?

P. Ita P. R.

C. Quamvis Barbosa, Vega, & alii apud Fagundez in præcept. Decal. lib. 4. cap. 3. n. 4. concedant, parentem posse hæreditatem negare Filiæ, quæ personæ inferioris conditionis indignè, & contra parentis voluntatem nupsit. Et licèt Thomas Sanchez dicat, esse probabilem hanc opinionem, idemmet tamen cum pluribus aliis contrarium sentit lib. 4. de Matrim. disp. 65. num. 2. quia quamvis Lex civilis impertiatur facultatem privandi hæreditate filios ducentes, & filias nubentes contra voluntatem parentum. Attamen JusCanonicum in favorem libertatis Matrimonii videtur huic derogare; ut constat ex Conc. Trident. Sess. 24. cap. 9. ubi anathematizat impedientes libertatem Matrimonii: sed pœna, qua Filia privatur hæreditate, eíque dos negatur, impedit libertatem Matrimonii: ergo &c.

20. P. P. R. habeo aliam Filiam illegitimam, quæ dotem pro Matrimonio postulat, at animum non habeo ipsi dandi.

C. Navarrus in Manuali cap. 14. n. 17. ver. 3. Sylvester verb. alimentum, Barbosa tom. 1. p. 4. legis primæ ff. soluto Matrim. num. 131. plerique alii docent: parentem obligari ad dotandam filiam spuriam secundùm suam possibilitatem. Et ratio est; quia Jure naturali parens obligatur alere suas Filias. Sed dos datur titulo alimenti ex sententia comuni DD. vide Sanchez ubi suprà disp. 26. num. 1. Azorium tom. 1. lib. 2. cap. 5. q. 6. ergo parens Filias spurias dotare tenetur.

Quamvis Molina tom. 1. de just. disp. 124. n. 22. & alii distinguant dotem ab alimentis, & dicant, quòd, licèt parens teneatur filias spurias alere, non tamen dotare.

21. P. P. R. dico meam culpam, quòd alium Filium spurium exposuerim,

ſuerim, ut ad Hoſpitale deferretur.

C. Procuravítne, ut baptizetur?

P. Ita P. R.

C. Duo in hoc caſu notanda ſunt, unum eſt; utrùm ſit peccatum exponere Filios illegitimos; alterum, an obligetur reſtituere Hoſpitali: Ad primum reſpondet cum Azorio, & aliis Leander à Sacram. tom. 8. tract. 1. diſp. 8. §. 2. q. 21. dicendo, certum eſſe, quòd non ſit peccatum exponere tales Filios, quando infamia timetur, in quam multoties incidere poſſunt parentes, niſi occultent, & exponant dictos Filios; quia ignominia magna eſt, fœminam concipere à viro alieno, & hunc, habere Filium ex muliere aliena.

Quo ad ſecundùm; ſi parentes ſint pauperes, non tenentur ad reſtitutionem ullius rei Hoſpitali; ſi verò ſint divites, tenentur reſtituere alimenta, quæ Filius in Hoſpitali conſumpſit, eſtc ommunis opinio DD. licèt Henriquez cum aliis apud Leandrum ubi ſuprà q. 13. dicat nec parentes divites obligari ad hanc reſtitutionem; quia Hoſpitale habet ſuos proventus, & eleemoſynas pro nutriendis his Filiis: ſed ſi Filios exponentes tenerentur ad reſtitutionem conſumptorum, ſuperflui eſſent hi proventus: ergo &c.

Hæc ratio valde tenuis eſt; quia Hoſpitale habet alias expenſas faciendas, & plures Filios expoſitos à pauperculis parentibus, qui eis alimenta contribuere nequeunt, pro quibus proinde multum expendit: quare prima opinio verior eſt, maximè ſi Hoſpitale divitiis non afflueret. Vide Leandrum ibidem.

CAPUT III.

De Obligatione Mariti erga Uxorem, & è contra.

22. P. P. R. me accuſo, quòd ſubinde uxorem meam injurioſis verbis afficiam, multoties etiam verberibus.

C. Habuítne cauſam rationabilem ita ſe gerendi cum uxore, nempe, ut ſe emendet?

P. P. R. aliquando quàm plurimas habeo cauſas eam caſtigandi, quia aliàs non poſſum eamdem ad curas domeſticas perficiendas inducere, aliquando verò ſine cauſa.

C. Hæc caſtigatio fuítne moderata, vel exceſſiva?

P. P. R. non fuit exceſſiva.

C. Si adſit cauſa legitima, licitum eſt Marito caſtigare uxorem, ſed moderatè, ad ejusdem emendationem; ut cum Barboſa, Cajetano, Sylveſtro docet Valerus in diſ. utriusque fori verb. uxor diſ. 4. contra Tiraquellum dicentem, non eſſe licitum Marito verberare uxorem.

23. Omnes tamen conveniunt, ſine rationabili cauſa non eſſe licitum Marito caſtigare uxorem, & ſi caſtigatio eſſet gravis, graviter peccare; Et ratio eſt; quia Superior non poteſt absque legitima cauſa ſubditum caſtigare, ſine qua ſi caſtiget, peccat; mulier eſt ſubdita Marito, eóque inferior: ergo

ergo cum causa legitima potest eam castigare, sed sine hac peccabit eam castigando, & hoc peccatum habebit duas malitias specie distinctas, unam contra justitiam, aliam contra pietatem propter circumstantiam uxoris. ita Lugo de pœnit. disp. 16. num. 306. quia sicut ex virtute pietatis est vinculum speciale inter parentem, & filios, ita quoque inter Maritum, & uxorem; & si uxor odio habeat Maritum, eúmque inhonoret, vel è contra, peccant contra pietatem.

Advertendum tamen est hìc Confessario, quòd domesticæ differentiæ, quæ communiter inter Maritum, & uxorem accidere solent, ordinariè sint tantùm peccata venialia, licèt inter eos aliqua oblocutio contingat.

24. Advertendum est secundò, quòd uxores mortaliter peccent non obediendo Maritis in rebus alicujus momenti, & ad bonum regimen domus pertinentibus, & hoc peccatum opponitur virtuti obedientiæ, & justitiæ: Obedientiæ quidem; quia suo legitimo Superiori non obtemperat. Mulier sub viri potestate erit. Justitiæ verò, quia vi Matrimonii inter Maritum, & uxorem est virtualis contractus, quo Maritus se obligat sustentare uxorem, & uxor ei obedire in rebus justis, & rationabilibus; sed Maritus peccaret non sustentando uxorem contra justitiam: ergo etiam uxor peccabit eidem non obediendo, ita Fagundez in Decalog. lib. 4. cap. 12. num. 1. & 2.

25. Si quis interrogaret, an uxor duo peccata specie distincta comittat non obediendo Marito in rebus gravis momenti. Respondeo negativè, ut patet ex doctrina Dianæ part. 1. tract. 7. resol. 16. Cajetani, Ledesmæ, & Soti, qui docent, Religiosos non obedientes in rebus gravibus per sanctam obedientiam impositis à suis Superioribus non committere duo peccata specie distincta, unum contra obedientiam, & aliud contra Religionem propter votum obedientiæ, sed solùm unum specie, nempe contra virtutem Religionis; atqui Prælatus est Superior subditi, sicut Maritus uxoris; ergo uxor non obediens Marito solùm committet unum specie peccatum, scilicet contra justitiam.

26. P. P. R. me accuso, quòd fuerim Zelotypus seu æmulator meæ uxoris.

C. Hæc Zelotypia consistit ne in sola suspicione, vel transit in judicium determinatum, quòd uxor non sit ipsi fidelis?

P. P. R. asseveranter non affirmo, sed mea Zelotypia solùm reducitur ad malè fundatam suspicionem.

C. Suspicio non est peccatum mortale, nisi transeat in judicium firmum, & assensum determinatum, ut in octavo præcepto patebit. cap. 1.

Dicat mihi, manifestavítne uxori se habere hanc Zelotypiam, seu æmulationem?

P. P. R. binis vicibus hoc ipsi objeci.

C. Hoc eſt peccatum mortale duplicem malitiam contra charitatem, & pietatem continens: contra charitatem; quia præbuit ipſi motivum gravis contriſtationis, & afflictionis: cùm mulier honorata multùm turbetur, quòd Maritus quid ſimile de ea ſuſpicetur, & ſine ratione ſimilia ei objiciat; contra pietatem verò, quia eſt ipſius uxor, ut ſuperiùs dixi. Vide Remigium in ſum. tract. 2. cap. 4. §. 8. n. 4.

27. Quando Confeſſarius adinvenerit Pœnitentem his Zelotypiis, & æmulationibus deditum, procuret omni poſſibili modo ei ſuadere, ut tales chymeras deponat, cùm ſint evidentes ſuggeſtiones diaboli his phantaſticis illuſionibus eum divexantis in animæ ſuæ perditionem, perturbationémque pacis familiæ, & ad inducendum ipſum ad peccatum, de quo ſuſpicatur. Quòd ipſius uxor ſit honeſta, & proba, & cùm in ipſa motivum fundamentale ſuſpicionis non reperiat, ſtultè agere hominem rationis compotem ſuadendo ſibi rem aliquam ſine fundamento.

28. Huc etiam ſpectat obligatio pupillorum erga Tutores, famulorum erga Dominos; de his autem diſcurrendum eſt cum proportione id ipſum, quod dictum eſt de Filiis erga parentes. Advertendum tamen eſt, famulum inhonorantem ſuum Dominum, vel pupillum Tutorem in omni individua actione duo peccata ſpecie diſtincta committere, ſcilicet contra juſtitiam, & obſervantiam juxta ſuperiùs dicta de Judice, & aliis Superioribus cap. 1. num. 11.

CAPUT IV.

Exhortationes ad inhonorantes ſuos Genitores.

29. Procuret Filius omni ſtudio debitum honorem præſtare ſuis Genitoribus perpendendo, quòd vices gerant Domini Dei, & quòd is, qui Patrem, & Matrem ſpernit, ſpernat Deum. Qui vos ſpernit, me ſpernit. Sed præſcindendo etiam ab hoc reſpectu Divino, ſolus humanus debet eum obligare ad magnum ſtudium venerandi ſuos Genitores: Si ab his habet ſuum eſſe poſt Deum, nónne ingratitudo maxima erit tantæ obligationi ſeriò non correſpondere? Et ſi amicus ei aliquod donum offert, ſe gratum ei exhibere molitur, quantò majorem gratitudinem Genitoribus oſtendere debet.

Quamplurimas Deus inflixit pœnas in hoc mundo Filiis inobedientibus ſuis Genitoribus. Super Cham cecidit maledictio perpetua propter modicum reſpectum erga Patrem ſuum Noë. In Chronicis S. P. N. Franciſci legitur in vita S. Antonii de Padua de quodam juvene, qui in confeſſione ex eo, quòd pede percuſſerit Matrem, graviter reprehenſus à Sancto, ac ab eodem pedem calcitrantem abſciſſioni ſubjiciendum intelligens, licèt per modum exaggerationis delicti domum rediens pedem audacem, & injurium Matri ſibi abſcidit, quo audito ſanctus Antonius domum adoleſcen-

tis profectus amputatum pedem miraculosè conjunxit, ac sanavit. Linguas sibi abscindere deberent plures Filii, qui sine timore, & pudore parentes, à quibus suum esse habent, verbis injuriosis afficiunt.

CAPUT V.

Exhortatio ad Parentes negligentes in educatione Prolium.

30. Constituti sunt à Deo parentes in familiis, non solùm, ut alimentum corporale, verùm etiam spirituale verbis, & exemplo Filiis subministrent. Ad quod exequendum ad instar Tobiæ bonis moribus eos instruere, timorem Dei super omnia inculcare, ad frequentationem Sacramentorum, visitationem Ecclesiarum, alienationem à pravis societatibus, & occasionibus eosdem incitare omni cura, & studio tenentur.

Et si Parens in domo omnium primus juret, maledicat, & Præcepta Legis Divinæ spernat, quid facient Filii, nisi quod viderint Patrem facientem? Omnibus notum est horrendum exemplum illius Patris inter brachia tenentis Filium, qui ad sui imitationem, & eruditionem horribilia juramenta proferebat: quòd exinde Deus iratus ob malam consuetudinem Filii apprehensam, vel perceptam à Patre, improvisè Patrem, & Filium condemnaverit ad infernum.

Hoc idem V. D. formidandum est, nisi in educatione prolium se emendaverit: de Heli refert Sacra Scriptura, quòd Deus severè eum puniverit, eò quòd Filios suos dissolutos non corripuerit 1. Reg. 3. eò quòd noverit Filios suos indignè agere & non corripuerit.

31. Refert S. Augustinus lib. 2. de Civitate Dei cap. 8. de quodam Filio suæ obligationis immemore, quòd Matrem suam verbo injurioso affecerit, & prætereà manus violentas in eam injecerit, ex octo ipsius Fratribus nemo de tali temeritate eum redarguit; idcirco indignata Mater instigante Diabolo in omnes Filios maledictionem hanc jecit: Faxit Deus, ut omnes à terra vestra depulsi terras alienas circumeatis, toti mundo terrorem incutientes. Pessimis ejus votis annuit Deus, ac omnibus Filiis talem membrorum tremorem incussit, ut circumeuntes omnes eos videntes terrefacerent, de quo spectaculo erubescens Mater, & maledictionem suam completam cernens, se suspendit, remorsum conscientiæ, & ignominiam Filiorum sufferre haud valens; qui postmodùm dolorosam, & miserabilem vitam duxerunt.

Ex quo Proles addiscere deberent, quàm gravis sit culpa, Genitoribus occasionem maledicendi præbere: & Genitores perpendere, quomodo Deus linguas eorum maledicas plectat.

Narratur etiam de quodam Patre, & Filio damnatis, quòd innumerabiles maledictiones unus in alterum mu-

tuò jaceret; Filius maledicebat Patri, eò quòd suæ damnationis causa fuerit. Dubium non est, plurimos damnari Parentes ob malam Prolium educationem: Et si V.D. à potestate Diaboli liberari peroptat, solicitè Proles suas bonæ doctrinæ, & meliori exempli pabulo alere studeat: quod si fecerit, bonam senectutem ab iisdem recipiet, ac Deus maximum prœmium in gloria sua retribuet.

TRACTATUS V.

DE V. PRÆCEPTO.

Non occides.

CAPUT I.

De Odio Proximi.

1. P. P.R. confiteor, quòd aliquis me latronem nominaverit; qua de causa eum apud Judicem accusavi.

C. Habétne contra eum malam voluntatem?

P. Ita P.R.

C. Duo in hoc casu concurrunt; unum, quòd V.D. illatæ injuriæ satisfactionem petat; & alterum, quòd erga ipsum animum adversum habeat. Primum licitum est, ut constat ex Jure Leg. 1. & Leg. 6. Cornelius §. de Injuriis cap. Parochianus. Secundum semper est prohibitum; quia Deus proximum nostrum amare præcipit: licèt autem sit inimicus, per hoc tamen non desinit noster Proximus esse: ergo &c.

2. Desideravítne V.D., ut illi aliquod malum notabile adveniat?

P. Ita P.R.

C. Malum, quod desideravit, fuitne mors, infamia, aut damnum in bonis?

P. P.R. mortem desideravi, & ne ipsi quoddam negotium prosperè succedat.

C. Suarez, & Sylvius, quos citat, & sequitur Bassæus verb. Odium, num. 4. docent, odia distingui specie morali, quando mala, quæ desiderantur, etiam specie distinguuntur: v.g. infamia, vel mors &c.

3. Bonacina tamen, Valentia, & alii cum Diana part. 1. tract. 7. resol. 3. Leander à Sacram. tom. 1. tract. 5. de pœnit. disp. 18. q. 19. Contrarium sentiunt, & approbat pro probabili Bassæus. Et ratio est; quia differentia specifica actus non desumitur ab objecto physicè considerato, sed secundùm rationem formalem, quam idem actus respicit: & licèt mors, infamia, & alia mala specie distinguantur physicè, odium tamen omnia illa respicit sub una ratione formali, id est, in quantum sunt damnum proximi: ergo in genere moris odia non distinguuntur specie ob diversitatem malorum; quapropter Pœnitens satisfacit accusando se desiderasse Proximo grave, vel leve malum absque specificatione desiderii mortis, vel infamiæ &c.

4. Desideravítne V.D. per se immedia-

diatè inferre hoc malum illi personæ, vel ut alia via ipsi adveniret absque sua cooperatione?

P. P. R. ego ipsemet inferre optavi.

C. Quamvis paulò antè dixerimus, quòd desiderare hoc, vel illud malum proximo non sit circumstantia mutans speciem; nihilominus, quando quis cupit per se immediatè illud eidem inferre, certum est, specie distingui desiderium homicidii à desiderio infamiæ, vel ablationis bonorum &c. quare necessarium est, ut species mali proximi desiderati in confessione explicetur; ita docet communis cum Lugo, & Leandro à Sacram. tom. 1. tract. 5, disp. 8. q. 8.

5. Quantum temporis est, à quo hanc malam voluntatem contra illam personam habet?

P. P. R. erit integer annus.

C. Per totum hunc anni decursum fuit semper hujus malæ voluntatis?

P. P.R. tunc solùm deposui, quando fui confessus, & posteà illico renovavi odium antiquum.

C. Quoties V. D. fuit confessa hoc tempore odii?

P. P. R. tribus vicibus.

C. His tribus vicibus, quibus malam voluntatem interrupit, ac denuo in eamdem reincidit, tria numero peccata commisit: pro residuo autem tempore, quo non interrupit per actum contrarium, sufficit se accusare de unius peccati commissione minùs, vel magis gravis secundùm majus, vel minus tempus malæ voluntatis. Vide Palaum tom. 1. tract. 4. disp. 3. part. 2.

6. Infero ex doctrina Patris Navarri, Aragonii, & aliorum, quam ut probabilem defendit Diana part. 1. tract. 7. resol. 58. qui docent, eum, qui longo tempore sine causa distulit restitutionem rerum alienarum, committere solùm unum numero peccatum, & sufficere, se accusare in confessione de tempore, quo culpabiliter restitutionem distulit absque distinctione numerica habitæ commoditatis sæpiùs restituendi, nisi fortè primam voluntatem per aliam contrariam retractâsset: v. g. proponendo restitutionem, & statim renovando voluntatem contrariam: ergo hoc idem dici debet de odio, quòd sufficiat se accusare de tempore habitæ malæ voluntatis absque specificatione numerica mali desiderati, nisi forsan odium retractasset, & in illud relapsus fuisset; quia toties, quoties renovatur mala voluntas, semper est interruptio moralis, constituens diversum numero peccatum.

7. P. P. R. confiteor, quòd ante aliquos dies habuerim aliquam indignationem contra unam personam, & ab illo tempore usque huc ambo sumus divisi.

C. Habétne contra illam personam aliquam malam voluntatem?

P. Non P. R.

C. Quando ei obviavit, salutavítne illam?

P. Non

P. Non P. R. quinimò licèt illa me salutasset, ego eamdem non resalutavi.

C. Absolutè loquendo nullus obligatur suum inimicum salutare, nisi fortè per hanc omissionem daretur scandalum; quia tam illi, qui advertunt, quàm ipse inimicus sibi persuadent, hanc omissionem salutationis à corde infecto, & amaro provenire. Est communis DD. cum S. Thoma 2. 2. q. 25. art. 6.

Qua de causa inimicum primò salutantem non resalutare regulariter est peccatum mortale. S. Thomas ibid. Cajetanus & alii apud Castrum Palaū tom. tract. 6. disp. 1. punct. 5. num. 6. Murcia in disq. tom. 2. lib. 4. disp. 3. resol. 11. n. 2. Et ratio est; quia licèt salutare, & resalutare sit actus urbanitatis, & politicæ; nihilominus ob circumstantiam inimicitiæ non resalutare est signum evidens alicujus odii: atqui homo non tantùm tenetur non odio habere, sed etiam non ostendere ejusmodi signum: ergo inimicum primò salutantem resalutare tenemur.

8. P. P. R. confiteor, quòd ante hujusmodi casum, vel eventum magnam amicitiam cum illa persona habuerim, & sæpiùs domum ejus frequentaverim, ab illo autem tempore usque modo nec pedem in illam posui.

C. Illa persona éstne ipsi consanguinea?

P. Non P. R.

C. Si esset consanguinea, peccaret interrumpendo communicationem debitam inter consanguineos, sed cùm non sit consanguinea, nec est talis obligatio. Villalobos part. 2. tract. 3. disp. 6. n. 6. Et ratio est; quia illa communicatio cum proximo requiritur, quæ sufficit quòd non possit suspicari adesse aliquod odium in corde: atqui non communicando cum illis, qui sunt proprio sanguine conjuncti, post aliquam dissensionem præsumitur, quòd odium in corde foveatur, quod non præsumitur non communicando cum extraneis: ergo cum istis non est tanta obligatio communicationis, quanta cum consanguineis: probo minorem; quia inter personas sanguine conjunctas solet, & debet esse major familiaritas, quàm inter extraneos: ergo &c.

Quando in publicis, & communibus functionibus habetur conversatio cum extraneis, sufficit ad suadendum, & indicandum, quòd non adsit aliquis internus rancor erga illos, licèt non fiat cum aliqua intrinseca correspondentia, quod tamen non sufficit cum consanguineis.

9. P. P. R. confiteor etiam, quòd habeam modicam aversionem erga unam personam, de cujus malo non habeo tantam displicentiam, quantam habeo de malo aliorum.

C. Habétne aliquam complacentiam positivam de suo malo?

P. Non P. R.

C. Habétne displicentiam positivam de suo bono?

P. Ne-

P. Neque hoc P. R.

C. Aliud est habere positivè complacentiam de malo proximi, vel habere positivè displicentiam de suo bono, & aliud non habere displicentiam de suo malo, vel complacentiam de suo bono. Primum semper est peccatum, Secundum verò nunquam, nisi quando instet præceptum amandi proximum; tunc enim est obligatio habendi complacentiam positivam de suo bono, & displicentiam de suo malo.

Quomodo, & quando obliget præceptum amandi proximum, tradam infrà in explicatione propositionum damnatarum ab Innocentio XI. tract. 10. prop. 10. & 11. num. 32. & seq.

10. P. P. R. mihi videtur, quòd habuissem positivam complacentiam de aliquo malo illius personæ, si id ipsi contigisset.

C. Hoc malum desideravítne positivè, vel habuit actualem complacentiam de tali malo?

P. Non P. R.

C. Aliud est voluntatem ferri in futurum conditionatum & aliud in præsens: habere actualem complacentiam, vel desiderium de malo proximi, est peccatum grave, vel leve secundùm qualitatem mali desiderati; si verò voluntas feratur conditionatè, id est, si tale malum succederet, mihi videtur, quòd haberem complacentiam, non est peccatum, ut dicit Alcocer cap. 19. fol. 16. Remigius tract. 2. cap. 5. part. 7. num. 1. quia non datur persona quantumcumque composita, quæ non timeat se peccaturam, si in tali occasione esset constituta, & tamen hoc non obstante, hæc prævisio conditionata non est culpabilis: ergo quamvis ipsi conditionatè videatur, quòd, si illi personæ tale malum accideret, sibi complaceret, quando tamen non adest complacentia actualis, vel desiderium positivum non est peccatum.

11. P. P. R. confiteor pariter, quòd cum aliquibus personis soleam verba contentiosa habere, & subinde verbis pungentibus nos invicem excipimus.

C. Soléntne esse verba injuriosa?

P. P. R. de honore, & fama nihil.

C. Hæ contentiones non sunt peccata mortalia, licèt deinde in corde aliqua indignatiuncula remaneat; quia hi sũt leves, & subitanei motus irascibiles, ex quibus odiũ in corde non sequitur.

Quædam verò dissensiones, quas solent habere mulierculæ ad invicem; aut propter verbum aliquod reprehensionis ad filios, sunt dissensiones leves; & quia ex his odium in corde non relinquitur, sunt solùm peccata venialia, maximè cùm sint verba parvi momenti.

CAPUT II.

De Odio sui ipsius.

12. P. P. R. dico meam culpam, quòd superveniente aliqua afflictione multoties mihi mortẽ desideraverim.

C. Desideravítne hoc cum conformitate ad Divinã voluntatem, dicendo, si Deo placeret, si esset ejus voluntas?

P. P. R. aliquando desideravi hoc modo, aliquando ex impatientia.

C. Desideravítne ex corde, vel tantùm ex aliquo repentino animi motu?

P. Aliquando desideravi ex toto corde.

C. Si quis sibi ipsi desiderat mortem ex impatientia, tanquam proprium damnum, est peccatum mortale, sed quando quis Divinæ voluntati conformis desiderat, ut liberetur ab aliqua tribulatione, non est peccatum. Marcantius in resol. circa 5. præcept. §. Quæro 9. Remigius in Sum. tract. 2. cap. 5. §. 7. n. 5. Sed si mors desideratur non ex corde, nec voluntate totaliter deliberata, sed ex aliquo levi impatientiæ motu, solùm est peccatum veniale: Et hoc ordinariè contingit in personis, quæ confitentur, se habuisse desiderium propriæ mortis: quia pauci sunt, qui vitam tam parùm æstiment, ut deliberatè sibi mortem exoptent, siquidem eam etiam ex Dei voluntate advenientem lubenti animo non suscipiunt.

13. P. P. R. dico etiam meam culpam, quòd multoties in cibo, & potu excessum fecerim.

C. Iste excessus causavítne ipsi aliquod damnum notabile sanitatis?

P. Semel mihi causavit notabile damnum, cùm ex illo excessu fuerim infirmatus.

C. Cogitavítne tunc, quòd ille excessus hoc damnum sit ipsi allaturus?

P. Non P. R.

C. Habuítne experientiam, quòd aliis vicibus similis excessus ipsi causaverit damnum notabile?

P. P. R. nunquam fui expertus notabile damnum.

C. Ergo quamvis peccaverit venialiter excedendo regulam temperantiæ, cùm tamen non prævideri t damnum exinde secuturum, non est peccatum mortale: Et ratio est; quia omne peccatum debet esse voluntarium; ad hoc autem, ut sit voluntarium, debet esse prævisum, seu præcognitum: sed V. D. non prævidit hoc damnum, nec habuit experientiam, quæ potuisset fuisse fundamentum ad cognoscendum hoc damnum: ergo hic excessus non fuit mortaliter culpabilis.

14. P. P. R. semel evomui cibum, cùm stomachus nimis aggravatus non potuerit eum sufferre, & digerere.

C. Per istum vomitum sensítne notabile damnum in sanitate?

P. Non P. R.

C. Aliquantùm plus stomachum onerare, ita, ut vomitus tam de cibo, quàm de potu sequatur, nisi adveniat aliud damnum notabile in sanitate, non est peccatum mortale, sed veniale; constat ex Decreto Innocentii XI. in Proposit. 8. videatur ejus explicatio tract. 10. n. 34. & 35.

15. P. P. R. dico pariter meam culpam, quòd bis vino me inebriaverim.

C. Fuítne causa ebrietatis nimia quantitas vini sumpta, aut quòd se po-

ſuerit ad ignem poſt moderatum potum, vel debilitas ſtomachi?

P. P. R. ſemel fuit cauſa quantitas vini, & ſemel debilitas ſtomachi, & capitis.

C. Voluntariè ſe inebriare eſt materia peccati mortalis, non ſolùm ex eo, quòd quis agat contra virtutem temperantiæ, ſed etiam, quòd ſe voluntariè privet uſu rationis, & per hoc ad ſtatum beſtiæ ſe reducat; quando autem ebrietas oritur ex debilitate ſtomachi ſine exceſſu in potu, non eſt culpa gravis. Toletus, Leſſius, Navarrus, & alii, quos citat, & ſequitur Baſſæus verb. Gula n. 5. & 6.

16. In hac occaſione, qua ſe inebriavit per nimium potum, cognovítne, & prævidit, quòd per potum ſit uſum rationis perditurus?

P. Cognovi, quòd ex nimio potu facilè mihi nocumentum ſit ſecuturum.

C. Si ipſi in mentem non veniſſet aliquod damnum exinde ſecuturum, non commiſiſſet peccatum mortale; quia non fuiſſet voluntarium, ut dixi: quapropter ad formandum judicium, quòd V. D. mortaliter peccaverit, ſufficit, quòd præcognoverit, quia per hoc ſe expoſuit periculo ſe inebriandi: ſed exponere ſe periculo eſt peccatum mortale, & culpa gravis: ergo V. D. in hoc graviter peccavit.

17. Habétne conſuetudinem ſe inebriandi?

P. Raro mihi contingit.

C. Si haberet hanc conſuetudinem, eſſet incapax abſolutionis, ut conſtat ex Decreto Innocentii XI. in Propoſit. 60.

Hìc multùm intereſt, quòd Confeſſarius cum non paucis perſonis huic vitio ebrietatis obſtrictis utatur Zelo, negando nimirum illis abſolutionem; quia ordinariè veniunt ſine propoſito emendationis, & per hoc ſunt abſolutionis incapaces, etenim cùm hæc paſſio & habitus ſit difficilè mobilis à ſubjecto, niſi Confeſſarius hoc medium adhibeat, & imponat eis uſum moderatum vini, & ut vinum adaquent, aliàs erit quaſi impoſſibile, ut hoc vitium eradicari poſſit. Alia vitia, ſi non vincit ratio, ſaltem tollit ætas, vel minuens, vel auferens vires ad proſequendum, ſed hoc vitium ebrietatis, quantò plus ætas decreſcit, tantò magis conſolidatnr, & augetur.

Non minùs eſt reprehenſibilis illa complacentia nimis inordinata aliquorum, qui cooperantur, & poſitivè concurrunt ad aliorum ebrietatem gloriantes, ac ſi fortalitium hoſtis expugnaſſent ſine reflexione gravis offenſæ Dei, in quam incidunt ex data Proximo occaſione peccandi.

CAPUT III.

De homicidio, mutilatione, & reſtitutione damnorum exinde provenientium.

18. P. P. R. me accuſo, quòd una nocte, dum fur ad ſpoliandam meam domum venerat, contra ipſum rectè de domo egredientem exploſerim, & interfecerim eum.

C. fuitne magna quantitas rei ablatæ?

P. Abstulerat mihi crumenam cum viginti Imperialibus.

C. Propter quantitatem unius Imperialis non est licitum occidere furem, ut constat ex Decreto Innocentii XI. in Proposit. 31. sed propter quãtitatem, quam ipsi abstulerat, potuit eum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ; ut modò resolvam.

19. Potuitne V. D. suam pecuniam absque homicidio recuperare?

P. Ita P. R. paucis verberibus potuissem eum obligare ad deponendam rem ablatam.

C. Furem intrantem domum nocturno tempore occidere licitũ est, & permissum in Jure tam Civili, quàm Canonico, quando bona ablata essent alicujus momenti, & ipsa aliter recuperari non possint; quia vim vi repellere licet, non solùm ad tuendam propriam vitam, sed etiam bona temporalia à se licitè possessa: Insuper tales personæ aggrediuntur domus cum intentione interficiendi illarum Dominos; & si faciendo rumorem non fugiunt, signum est, quòd ad hoc absolutè se determinaverint. Est quidem verum, quòd tam in ingressu, quàm in egressu, si possit impediri damnum, & furtum absque occisione, debeat fieri; quia aliàs deesset moderamen inculpatæ tutelæ. Et ob hanc rationem V. D. peccavit mortaliter contra justitiam occidendo illam personam, cùm potuerit paucis verberibus suam pecuniam, ut ipsamet fatetur recuperare.

20. Non tenetur tamen ad restitutionem omnium damnorum ex patrato homicidio secutorum propter excessum moderaminis inculpatæ tutelæ, sed solùm pro rata ad proportionem excessus dicti moderaminis, juxta illud, quod cum aliis docet Diana part. 5. tract. 4. resol. 44.

Quamvis mihi veriùs videatur oppositum, quod docet Thomas Sanchez in suis consiliis tom. 1. lib. 1. cap. 4. dub. 9. n. 3. Vasquez, Navarrus, & alii, quos citat R. P. Fr. Leander de Murcia tom. 2. disq. 9. l. disp. resol. 19. n. 2. asserentes, quòd ille, qui occidit alium excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, teneatur omnia damna ex tali homicidio secuta restituere; quia talis homicida est causa moralis, culpabilis, & efficax omnium illorum damnorum: sed ille, qui est causa efficax, & totalis damni secuti, tenetur ad restitutionem in integrum: ergo V. D. tenetur omnia damna ex homicidio secuta restituere; quia non servavit moderamen inculpatæ tutelæ, quod si servasset, ad nihil teneretur.

21. Ad hoc, ut videatur, quid restituere debeat juxta hanc secundam opinionem, quæ est securior: Mihi dicat; illa persona fuitne statim mortua?

P. Ita P. R.

C. Si vixisset aliquo tempore, V. D. teneretur ad restitutionem omniũ expensarum in illius cura consumptarum.

Mihi

Mihi dicat, cujus conditionis erat defunctus?

P. P. R. erat Rusticus, & Fossor terræ.

C. Si non fuisset persona mercenaria, & in sudore vultus sui pecuniam sibi comparans: v. g. Eques, ad nullam restitutionem teneretur; quia exindè nullum damnum fuisset secutum; cùm autem fuerit Rusticus, qui suâ industriâ, & labore domum suam sustentavit, ad restitutionem tenetur, ita Navarrus in Sum. lat. cap. 25. n. 22. vers. 15. Lessius lib. 2. de Just. cap. 9. dub. 23. num. 145.

22. Quot annorum fuit illa persona, quando eamdem interfecit?

P. P. R. fuit triginta annorum.

C. Fuítne persona robusta?

P. Fuit sat bonæ valetudinis.

C. Ad formandum judicium de numero annorum, quibus naturaliter loquendo persona occisa potuisset vixisse, spectanda est ejus virium fortitudo, valetudo, & an labor illius ordinarius fuerit onerosus, defatigans, ac vires valdè debilitans: sed ad stabiliendum id, quod in his casibus justum est, mihi placet regula generalis, quam adstruunt Panormitanus, & Angelus verb. Restit. 1. §. Homicida, & alii, quòd communiter censendum sit, defunctum 60. circiter annis potuisse vivere secundùm dispositionem Legum de computatione; & Legem hæreditatem ff. ad legem falcidiam. Et hoc mihi videtur magis rationabile: primò; quia modò natura est ita debilitata, ut vix inveniatur sexagenarius, in quo vires non decrescant, quique possit diutiùs laboribus incumbere: Secundò; quia licèt aliquis ob firmam valetudinem possit attingere sexaginta annos, vel ultrà, viribus retentis, & ad laborandum aptis, attamen plures alii vix quinquagenarii vel moriuntur, vel non possunt ampliùs laborare: & sic in casu dubio, an attigisset sexaginta annos cum hac bona dispositione, vel an anno quinquagesimo suæ ætatis eam amisisset, rationabiliter videtur medium tenere, & adjudicare, quòd vixisset viribus retentis, & ad laborandum aptis circiter sexaginta annis, prout communiter contingere solet: Et aliquando judicamus futura contingentia secundùm comunem contingentiam ut dicit Surd. de aliment. tit. 8. q. 1. n. 8. & cons. 454. num. 14. Tertiò; quia, cùm sit casus dubius, videtur ad praxim reducendum illud adagium: media via est eligenda: ut habetur §. lœnit. de instit. Quartò tandem; quia hoc videtur verisimilius, verisimilitudo dicitur cognata naturæ. Bald. cons. 180. lib. 3. Et sic de hac persona, quam V. D. interfecit, cùm habuerit triginta annos, adjudicandum est, quòd adhuc aliis triginta vixisset; & de hoc tempore debet restituere id, quod modò resolvam.

23. Hæc persona defuncta quantum in die lucrari potuisset?

P. Ordinariè duos regales quotidie lucrabatur.

C. Ex his duobus regalibus necessarium est demere id, quod quotidie pro victu, & vestitu per totum annum expendisset, ut advertit Lessius ubi supra, dub. 1. n. 124. Et sic, si quotidie lucratus fuisset duos regales, dematur unus pro victu suo, & vestitu insumendus.

Est etiam doctrina communis DD. cum S. Thoma 2. 2. q. 62. art. 2. n. 1. quòd bona in spe minùs æstimentur, quàm bona in possessione. Juxta quam doctrinam, cùm lucrum, quod defuncto cessavit, fuerit solùm bonum in spe, debet etiam demi id, in quo ob hanc rationem fit deterius; & quamvis DD. non doceant, quantum sit id, in quo bonum in spe fiat deterius, mihi tamen videtur, quòd sit quarta pars: v. g. si res possessa valet octo, res in spe æstimanda est sex. Demptis duobus quartam partem constituentibus.

24. Sic etiam in lucro spectari debet labor, cui subjectus fuisset hic mercenarius, & detrahi pro rata secundùm qualitatem laborum; ita Diana cum aliis 5. part. tract. 4. resol. 53. quia si aliquis operarius in fine anni potuisset suo labore sexcentum lucrari, 500. darentur, lubenti animo susciperet.

Prætereà debent etiam eximi Festa, quæ sunt in Anno: v.g. 52. dies Dominicæ,& cætera Festa, similiter illi dies, quibus ob pluviam, vel alia impedimenta operari non potuisset, sic ergo pro quolibet año circiter centum dies eximi debent: demptis his portionibus cæterum hæredibus defuncti restituendum est. Modus autem melior, practicabilior, & securior erit, ut homicida conveniat cum dictis hæredibus, & procuret, ut aliqua tertia persona sincera, & non præoccupata componat cum prudentia, & modo magis proprio.

25. Dicat mihi, defunctus habuítne Filios, Parentes, vel uxorem?

P.P.R. non habuit, nisi unum Fratrem.

C. V. D. non obligatur ad ullius rei restitutionem ob hoc homicidium in sententia Lessii, Soti, & aliorum apud Fagundez in Decalog. lib. 5. cap. 19. num. 1. qui docent, quòd, si defunctus non relinquat Filios, Patrem, vel uxorem (qui sunt hæredes necessarii) non sit obligatio restituendi damna secuta ex tali homicidio, quod censset esse probabile ipsemet Fagundez loco cit. num. 6.

P. P. R. mihi notum est, quòd defunctus habuerit aliqua debita, quæ si esset in vivis, solvisset, teneórne satis facere?

C. V. D. non tenetur, ita Lessius, & alii apud Fagundez ubi supr. num. 9. Diana 5. part. tract. 4. resol. 29.

26. P. P. R. hæreditavi bona mei Patrui, quem scio pro certo unum occidisse, nec propter hoc homicidium ulli rei satisfecisse.

C. Habuítne illa persona à suo Patruo occisa hæredes necessarios?

P. Ita P. R. habuit unum Filium.

C. V. D. tenetur de illis bonis, quæ hæreditavit, resarcire damna, quæ Filio ob occisionem sui patris supervēerunt; quia sicut docet Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 2. cap. 22. n. 74. usque ad 84. Murcia disq. tom. 2. lib. 4. disp. 9. resol. 25. n. 6. & Diana part. 5. tract. 4. resol. 53. obligatio restitutionis damnorum secutorum ex homicidio non est solùm personalis, sed etiam realis transiens ad hæredes: sed V. D. est hæres sui Patrui: ergo tenetur ad restitutionem damnorum, quæ ex homicidio provenerunt.

P. Bona à me hæreditata sunt nimis aggravata aliis debitis.

C. Ista debita súntne assecurata in his bonis per modum hypothecæ?

P. Ita P. R.

C. Solutis his debitis remanebítne capitale ad satisfaciendum damnis homicidii?

P. P. R. nec omnia bona sufficient ad solvenda debita.

C. Hoc supposito V. D. non obligatur tanquam hæres damna per mortem secuta compensare; quia hæres non obligatur debita defuncti solvere, si hæc excedant bona relicta; ut cum Sanchez & aliis dicit Bonacina de contract. tom. 2. disp. 3. q. 17. punct. 7. n. 3. bona relicta à suo patruo non sufficiũt pro satisfactiõe hujus damni: ergo V. D. non obligatur, sed alia debita solvere tenetur; quia ratione hypothecæ habent præcedentiam.

27. P. P. R. me accuso, quòd in alia occasione vulneraverim unum, sed non est mortuus.

C. Habuítne animum ipsum occidendi?

P. P. R. non, sed tantùm ut signatus maneat.

C. Peccavit graviter contra justitiam inferendo hoc damnum proximo, satisfecítne expensis factis ob vulneris curam?

P. Ita P. R.

C. Et ob lucrum cessans ex tam diutina detentione in lecto?

P. Etiam P. R.

C. Liquidò constat, quòd V. D. obligabatur ad utriusque restitutionem, nisi fortè vulneratus fuisset nobilis, vel Eques, cùm in similibus personis vendere sanguinem habeatur pro ignominia; & ex hac ratione ille, qui occidit, vel vulnerat hujusmodi personam, non tenetur ad restitutionem, ut dicit cum Sanchez, & aliis Diana part. 5. tract. 6. resol. 51.

C. Vulneratus remansítne cum aliqua cicatrice ob illatum ictum?

P. In facie remansit una cicatrix.

C. Propter hanc deformitatem V. D. non tenetur quidquam restituere; ita Thomas Sanchez in opusculo tom. 1. lib. 1. cap. 4. dub. 1. n. 7. & alii; quia mutilatio, cicatrix, etiam vita non sunt pretio æstimabilia, & pro re pretio non æstimabili nulla facienda est

resti-

restitutio: ergo pro illa cicatrice V.D. non obligatur ad ullam restitutionem.

Limitatur hæc doctrina in casu, quo cicatrix, vel deformitas inferretur alicui fæminæ destinatæ ad Matrimonium, ad quod ineundum ratione illius deformitatis majori dote indigeret; tunc enim esset obligatio resarciendi excessum dotis necessarium propter cicatricem ad honestè nubendum; ita Gomez alii citati à Fagundez ubi suprà cap. 10. num. 7.

CAPUT IV.

De Duello.

28. P. P. R. confiteor, quòd in una provocatione aliquem occiderim.

C. Fuítne V. D. causa, & motivum provocationis, vel fuit ab altero inducta?

P. Alter me provocavit evaginando gladium, jurando, quòd, nisi certamen, & pugnam subirem, me occidere vellet.

C. Fuítne hæc persona talis, de qua V. D. prudenter dubitare potuisset, quòd, si non acceptasset provocationem, ipsam occidisset?

P. P. R. fuit homo ita crudelis, ut nihil plus æstimaverit occidere hominem, quàm muscam.

C. Non habuit V. D. aliud medium se extricandi?

P. Non P. R.

C. Ergo V. D. non peccavit in hoc homicidio, ita Azorius part. 3. lib. 2. cap. 5. q. 3. Navarrus cap. 15. num. 9. Toletus lib. 5. cap. 9. & alii, qui docent, quando provocans sit talis, de quo prudenter judicari possit, quòd, nisi provocatus provocationem acceptet, sit eum occisurus, nec aliud medium se extricandi adsit, possit provocatus provocationem acceptare; & si alio modo vitam suam defendere nequeat, licitum sit ipsum occidere; quia hoc homicidium committitur in defensionem propriæ vitæ, & ad se redimendum à vexatione: Ipsúmque Jus naturale concedit, ut quivis suam vitam defendat, & se à vexatione redimat eo modo, quo potest: ergo &c.

29. P. P. R. confiteor, quòd alium virum continuò me molestantem, ac ignavum, formidolosum, & sordidum me appellantem provocaverim ad duellum ad evitandam hanc molestiã.

C. Contigítne aliquod infortunium?

P. Non P. R.

C. Habuítne V. D. moralem certitudinem, quòd ex neutra parte damnum notabile esset secuturum;

P. Ita P. R. quia hic casus contigit in præsentia amicorum, quos pro indubitato statim nos reconciliaturos tenui, uti factum est.

C. V. D. in hoc casu peccavit mortaliter; quia, licèt ipsius finis fuerit ad se liberandum ab illa molestia, medium tamen fuit illicitum, & prohibitum, non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Verum quidem est, quòd in hoc casu excommunicationem Clementis VII. non incurrerit. Sic cum Trullench, & aliis docet Diana part. 2.

tract. 16. resol. 53. & part. 3. tract. 6. resol. 1. qui dicunt, quòd ille, qui provocationem admittit ad suum honorem tuendum, & se à vexatione liberandum cum morali certitudine de nullo damno, vel infortunio secuturo, excommunicationem non incurrat: sed hoc accidit V. D. in sua provocatione: ergo excommunicationem non incurrit.

Notetur hæc doctrina pro militibus, qui propter quamcumque controversiam frequenter ad duellum se provocant, cum morali tamen certitudine, quòd illorum Signifer, aut alii illicò ipsos sint reconciliaturi, negatis interim mediis jaculandi, & se vulnerandi: hi inquam, licèt peccent graviter se provocando ad similia duella, excommunicationem tamen non incurrunt.

30. P. P. R. alia vice occidi virum in una provocatione, quam facilè evitare potuissem.

C. Provocavítne V. D.?

P. Non P. R. sed alter me provocavit; potuissem tamen facilè me extricare.

C. In provocatione sunt duo peccata mortalia: unum contra charitatem propriam; alterum contra justitiam; quia se exponere periculo vitæ est peccatum mortale contra charitatem propriam: & contra justitiam est se exponere periculo occidendi proximum: In provocatione est manifestum periculum perdendi propriam vitam, & occidendi proximum: ergo sunt duo peccata mortalia.

Præter hæc duo peccata, ille, qui provocat, peccat etiam peccato scandali; quia dat occasionem, & inducit proximum ad peccatum: sed inducere proximum ad peccatum, est peccatum scandali: ergo &c.

Si provocans occidit provocatum tenetur resarcire omnia damna per mortem secuta; quia fuit causa totalis, & efficax, sed si provocatus occidit provocantem, ad nullam restitutionẽ tenetur; est communis. Layman, lib. 3. tract. 3. cap. 6. num. 5. Villalobos in Sum. p. 2. tract. 11. diffic. 25. n. 1. Diana part. 5. tract. 4. resol. 5. plerique alii. Et ratio est; quia scienti & volenti nulla fit injuria: ille, qui provocat ad duellum, scit, quòd se exponat periculo perdendi vitam, & hoc non obstante se exponit, quærit, & solicitat: ergo, quando provocat, si occiditur, non fit ipsi injuria.

31. Tam provocans, quàm provocatus excommunicationem reservatam Sedi Apostolicæ à Clemente VIII. incurrunt, quam etiam incurrunt Domini locum, vel situm pro complemẽto provocationis concedentes, vel non impedientes, cùm possint in suo dominio; sic pariter incurrunt provocationi cooperantes, imperando, consilium, vel auxilium præbendo, intimando, vel publicando duellum.

Etiam incurrunt assistentes, & aspi-

 cien-

cientes duellum tanquam testes; non autem ille, qui casu, & fortuitò illuc transit, vel ex loco occulto conflictum prospicit. Bassæus verb. Duellum 8. usque ad 9. inclusivè.

Ab hac autem excommunicatione possunt absolvi toties, quoties per Bullam Cruciatæ,& per privilegia Regularium; ita Rodriquez tom. 1. q. 61. art. 5. 6. & 7. & alii, de duello accuratiùs loquar part. 2. hujus praxis tract. 17. n. 12. & seq. ubi videri possunt notata ad hanc materiam spectantia.

Pro nunc sufficit scire, quòd per Decretum Clementis VIII. An. 1592. editum vetitum sit Regularibus absolvere ab hac excommunicatione. Vide Bullar. Rom.

CAPUT V.

De Abortu.

32. P. P. R. dico meam culpam, quòd cuidam puellæ fœtum in utero habenti, & per hoc multùm afflictæ ob timorem infamiæ exinde secuturæ dederim consilium, ut sumat unam potionem pro faciendo abortu.

C. In Decreto Innocentii XI. proposit. 34. & 35. damnatur opinio, quòd ante animatum fœtum licitum sit procurare abortum ad fugiendam infamiam, vel mortem, quæ fœminæ secutura timetur: hoc jam est improbabile. Mihi dicat V. D. fuitne jam fœtus animatus, quando ad abortum consilium dedit?

P. Nescio P. R.

C. Quantum temporis erat, à quo puella conceperat?

P. P. R. Secundùm dicta puellæ erat fœtus trium mensium.

C. Ergo non est difficultas, quòd jam fuerit fœtus animatus; etiam secundùm opinionem nimis latam Aristotelis lib. 7. de Anima cap. 3. & Plinii lib. 7. cap. 6. qui dicunt, quòd masculi sint animati intra 40. dies, fœminæ verò intra 80.

33. Hæc puella fuítne determinata ad se interficiendum, si per aliud medium non potuisset liberari ab infamia?

P. P. R. illa fuit desperationi, & suffocationi sui ipsius proxima.

34. C. Dicat mihi, fuitne effectus abortus in puella secutus?

P. Non P. R.

C. Sumpsítne illa potionem aliquam ex consilio V. D. in hunc finem?

P. Ita P. R.

C. Præter peccatum homicidii attentati procurando abortum hujus creaturæ jam animatæ, incurrit etiam excommunicationem Xysti V. quam deinde Gregorius XIV. moderabatur, & modò comprehendit omnes procurantes abortum, consulentes, auxiliantes, ordinantes medicinas, vel alia remedia post animationem fœtus. Non incurritur tamen dicta censura, quando fœtus non est animatus, nec quando remedia, vel consilia solùm eo fine dantur, ut fœmina deveniat sterilis, vel non concipiat. Si effectus fuisset secutus, incidisset etiam in irregularitatem.

35. Et quamvis ad censuras incurren-

rendas communiter requiratur, ut sequatur effectus, & opus consumetur, attamen, quando quidem hæc excommunicatio fulminatur contra auxiliantes, consulentes, vel procurantes abortum, dicitur effectus secutus, & dum fœmina sumit medicinam, vel utitur remediis, licèt non sequatur abortus. Ita Grass, & Bortel. apud Bassæum verb. Abortus num. 5. §. 6. Et siquidem hæc puella sumpserit potionem ex consilio V. D. quamvis non fuerit secutus abortus, V. D. tamen incurrit dictam excommunicationem, quæ modò est reservata Episcopis, & potest absolvi per privilegium Bullæ, à Regularibus habentibus facultatem à suis Superioribus. Vide Bassæum loc. cit. & Villalobos part. 2. tract. 12. diffic. 14. num. 2.

Probabile est, quòd pœnæ privationis officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum contra procurantes, consentientes, vel dantes auxilium ad abortum non incurrantur ante declaratoriam Judicis sententiam, sic docet Marchinus, & alii, quos citat Barbosa de potest. Episcop. part. 2. alleg. 44. n. 29. videatur id, quod de abortu dicam tract. 10. super Proposit. 34. & 35. damnatas, & part. 2. hujus praxis tract. 14. cap. 3. n. 28. & tract. 16. cap. 4. n. 25.

CAPUT VI.

De Excommunicatione Canonis: Si quis suadente diabolo, & de aliquibus effectibus, & notatis hujus excommunicationis.

36. Excommunicatio una est major, altera minor: Excommunicatio major est censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus separatur à communione Fidelium: Dicitur censura, per quod convenit cum suspensione, interdicto, & irregularitate ex delicto, juxta sententiam, quæ dicit eam esse censuram: Dicitur Ecclesiastica, ut intelligatur, quòd soli Judices Ecclesiastici, & non sæculares habeant potestatem ferendi censuras: Dicitur qua homo baptizatus; quia Gentiles, Pagani, & Hebræi, qui non sunt baptizati, sunt incapaces excommunicationis incurrendæ, aut alterius censuræ; quia hæ sunt pœnæ, quibus Ecclesia suos subditos punit; sed illi, qui non sunt baptizati, non sunt Ecclesiæ subditi: ergo non sunt capaces incurrendi censuras: Dicitur tandem separatur à communione Fidelium; quia per excommunicationem majorem fit homo inhabilis, ad communicandum cum Fidelibus tam in rebus Divinis, quàm politicis ut infrà dicam n. 45.

37. Aliquæ excommunicationes sunt à Jure, aliæ ab homine: à Jure sunt illæ, quæ feruntur à Lege, & hæ durant, licèt moriatur ille, qui eas tulit: Ab homine sunt illæ, quas Judex fert per modum præcepti, vel particularis sententiæ; & istæ cessant per mortem easdem ferentis. Ex hoc sequitur, quòd licèt ille, contra quem fuit lata excommunicatio, ab hac debeat absolvi; si tamen eamdem non incurrit

vivente illo, qui eam tulit, neque post ejus mortem incurret ; ut in simili casu dicam, quando tradam de casibus reservatis tract. 11. in Appendice n. 3. advert. 3. Excommunicatio potest esse latæ sententiæ, vel ferendæ, & qualisnam differentia sit inter has duas, explicabo, ubi loquar de censuris in communi, 2. part. hujus praxis tract 17. n. 289. & seq. in explicatione Proposit. 44. ab Alexandro VII. damnatæ.

38. Excommunicatio minor est censura privans Sacramentorum participatione, & electione passiva. Dicitur censura, in quo convenit cum excommunicatione majori, & aliis censuris : Dicitur privans participatione Sacramentorum, in quo distinguitur ab excommunicatione majori, tanquam inclusum ab includente, vel secundùm magis, vel minùs : quia excommunicatio major non solùm privat participatione, aut receptione Sacramentorum, sed etiam administratione : minor verò non privat administratione, sed solùm receptione, licèt venialiter peccet, qui cum excommunicatione minori Sacramenta administrat. Vide Sancium in select. disp. 32. num. 11. §. Nec. Additur & electione passiva ad distinctionem excomunicationis majoris, quæ privat electione passiva, & activa, id est, posse eligere, & eligi, sed minor tantùm privat electione passiva. Advertendum tamen est, quòd, si unus fuerit electus, valida sit electio, quamvis non licita, sed peccato mortali obnoxia; ut constat ex cap. si celebrat. de Cler. excomm. Excommunicationem minorem potest quis incurrere per peccatum veniale ; & solùm incurritur per excommunicationem cum excommunicato excommunicatione majori : ab hac excommunicatione minori, cùm non sit reservata, potest absolvere quivis Confessarius. Qui totalem intelligentiam censurarum habere desiderat, potest videre aliam partem conferentiarum moralium; modò in sequentibus interrogationibus solùm resolvam id, quod est magis practicum.

39. P.P. R. me accuso, quòd in Clericum manus injecerim.

C. Vulneravitne, vel graviter eum percussit?

P. P. R. unum Colaphum ipsi dedi.

C. Tres dantur species percussionum; una est levis, altera mediocris, & tertia gravis. Percussio levis dicitur illa, quæ nullam maculam, vel signum offenso relinquit : v. g. dare pugnum, vel trudere aliquem pede, vel leviter baculo percutere, & vocatur levis, non ex eo, quòd non sit peccatum mortale, sed ideò, quia non habet in se illam malitiam requisitam à Lege. Percussio gravis est, quando sequitur alicujus membri mutilatio, magna effusio sanguinis (non autem è naribus) ex aliquo vulnere, vel quando ictus est gravis, licèt parùm de sanguine exeat, vel quando percussio est igno-

ignominiosa,ut est,percutere cannâ , dare colaphum, vel quando persona est graduata : v. g. Episcopus, vel alius Prælatus.

Percussio mediocris est illa, quæ mediat inter levem, & gravem : v. g. dentem pugno extrudere, & multitudinem crinium evellere.

Percussio mediocris, & gravis sunt reservatæ summo Pontifici, levis verò Episcopo, & omnes per Bullam absolvi possunt. Bassæus verb. Excom. 7. n. 7. possunt etiam ab his absolvere Regulares vi privilegiorum,nisi sint reservatæ Suæ Sanctitati, ut sunt gravis, & mediocris , levis etiam quando est publica. Ita Sanchez tom. 2. in Sum. 6. cap. 17. n. 47. & cum aliis P. Leander à Murcia in explicat. Regulæ N. P. S. Francisci cap. 7. q. 8. select. §. 1. n. 34.

40. Scivitne V. D. quòd sit excommunicatio, manus in Clericum injicere ?

P. Ita P. R.

C. Si ignorasset,percussorem Clerici esse excommunicatum, quamvis ignorantia fuisset vincibilis, non autem crassa,aut supina , non incurrisset dictam excommunicationem. Sylvester, Tabiena, & alii, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 31. Diana part. 5. tract. 9. resol. 17. qui universaliter docent,nullam pœnam Ecclesiasticam incurrere eam ignorantem, quamvis ignorantia sit culpabilis, vel vincibilis, non autem crassa, & supina : sed excommunicatio est pœna Ecclesiastica : ergo eam ignorans dictâ ignorantiâ excommunicationem non incurrit.

41. Dicat mihi percussio fuitne cum advertentia , vel tantùm ex motu iræ primo ?

P. P. R. quamvis fuerim ira incensus, nihilominus scivi hanc percussionem esse grave malum.

C. Requiritur etiam ad incurrendam hanc excommunicationem , ut percussio fiat cum advertentia, & deliberatione, qua deficiente non incurrit. Layman tract. 5. part. 2. cap. 5. n. 5. Cajetanus, verb. Excommunicat. cap. 10. Notando 6. dicto 4. & alii. Et ratio est ; quia nulla excommunicatio major incurritur nisi per actionem, quæ sit peccatum mortale : atqui , quando percussio fit sine advertentia , vel deliberatione, non est peccatum mortale : ergo per percussionem sine advertentia factam non incurritur excommunicatio Canonis, quæ est excommunicatio major.

Cùm verò V. D. fuerit operata cum advertentia, & sciverit percussionem Clerici habere annexam excommunicationem , hanc incurrit.

42. Nunc mihi dicat, fuitne percussio facta in loco publico, & coram multis hominibus ?

P. P. R. in medio fori, quo magnus populus convenerat.

C. Si clàm hoc accidisset, & percussio fuisset occulta , licèt esset ex-

communicatus, non tamen vitandus.

Dicat mihi, crediderúntne circumstantes, quòd ex motu iræ hoc egerit abque advertentia mali?

P.P.R. omnes viderunt, quòd fuerim multùm exacerbatus, & quòd Clericus magnam mihi dederit ansam, cæterùm nescio, qualenam judicium formarint.

C. Hoc est sufficiens fundamentum quo actio V. D. excusari potest, & quòd circumstantes crediderint, hanc fuisse factam absque totali deliberatione, & sic V. D. usque modò non est excommunicata, tanquam excommunicatus vitandus, sed tanquam toleratus; quia Conc. Constantiense Anno 1414. celebratum declaravit, quòd ad hoc, ut notorius percussor Clerici sit vitandus, requiratur, ut ejus actio nullo modo excusari possit: cujus factum non potest tergiversatione celari, aut aliquo Juris remedio excusari. Et quando percussor se excusare potest, dicendo, se id fecisse in sui defensionem, vel ex motu primò primo, non est vitandus; quia verò difficulter contingit, quòd quilibet non habeat aliquem titulum probabilem pro excusatione, & tergiversatione percussionis, propterea ordinariè requiritur sententia Judicis, ut excommunicatus sit vitandus. Fagundez in Præcepta Ecclesiæ lib. 2. cap. 5. n. 12. Suarez tom. 5. de Censur. disp. 11. sect. 2. n. 13. Avila part. 2. cap. 6. disp. 2. dub. 4. §. Tertio sequitur Caspensis tom. 2. tract. 25. sectio. 2. num. 15.

43. In aliis excommunicationibus (excepta hac Canonis) nullus habetur ut vitandus, usque dum non sit nominatim denuntiatus post Judicis sententiam.

Excommunicatus vitandus est ille, cum quo alii Fideles nec in humanis, nec in Divinis comunicare possunt, & illi, qui cum tali communicant, incurrunt excomunicationē minorem. Toleratus est ille, cum quo licitè Fideles communicare possunt tam in Divinis, quàm in humanis absque eo, quòd incurrant excommunicationem minorem, quamvis ipsemet hanc comunicationem inchoare licitè non possit.

44. P. P. R. post hoc factum non abstinui ab auditione Sacri, nec à mutua communicatione indifferenter.

C. Illi, cum quibus communicavit, induxerúntne V. D. ad hanc mutuam communicationem?

P. Aliquando isti, aliquando ipsemet me introduxi.

C. Quamvis Concil Constantiense Anno 1414. celebratum ad evitanda pericula animarum, concesserit, quòd cum excommunicato tollerato communicari possit, attamen hoc fuit concessum non in favorem excommunicati, sed aliorum Fidelium, ut constat ex ipsis Concilii verbis: *per hæc autem non intendimus ipsos excommunicatos in aliquo sublevare, aut quomodolibet eis suffragari.* Ex quo habetur,

betur, quòd excommunicato tolerato non sit licitum se intrudere in communicationem aliorum Fidelium. sed si fuerit inductus, & initiatus ab aliis, potest licitè facere; & sic quotiescumque V. D. se intrusit in communicationem aliorum Fidelium, peccavit graviter, vel leviter secundùm majorem, vel minorem communicationem; & malitia hujus peccati opponitur virtuti Religionis.

45. P. Dicat mihi R. P. in qua re deberem abstinere à communicatione Fidelium?

C. In omnibus, quæ in hoc versu continentur.

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Pro os prohibetur omne colloquium, etiam privatum, cujus quælibet dictio suam explicat prohibitionem. Item per nutus, litteras, internuncium, & quævis signa amicitiæ, & societatis, ut sunt oscula, amplexus, acceptatio munerum tam activè, quàm passivè.

Per orare prohibetur audire Missam, Divino officio, & Processionibus publicis interesse, offerre Sacrificium Missæ pro excommunicato, administrare ipsi Sacramenta, vel ab eo recipere; non prohibetur tamen orare Deum pro ipso etiam in Memento Missæ, cùm in hac Sacerdos, non ut Minister publicus, sed ut persona privata oret.

Per vale intelligitur prohibita omnis honorifica salutatio, & honor, sive verbis, quæ afferunt honorem, & communicationem ipsi excommunicato; quando verò ille primus est in exercenda aliqua urbanitate, vel scribendis litteris, non est peccatum, eadem humanitate correspondere; quia iste est actus politicus nullatenus virtuti oppositus.

Per verbum communio intelligitur illicita omnis, & quæcumque Societas cum excommunicato, in habitaione, in exercitio, in contractu, & similibus, licèt, si aliquis contractus celebretur cum excommunicato, erit illicitus sed non invalidus.

Per alteram tandem particulam Mensa prohibetur participatio, & communicatio cibi, & potûs, & quæ dicitur communicatio in eadem mensa formaliter per aliquam societatem, & amicitiam, non verò, quando quis reperiatur in aliquo hospitio, ad quod etiam casu devenerit excommunicatus, tunc enim non est prohibitum in eodem loco, sive etiam in eadem mensa comedere, dummodò unusquisque suum habeat cibum, nec comedat cum excommunicato ratione societatis, sed unusquisque attendat refectioni, ut advertit Suarez de Conf. disp. 5. sect. 2. n. 6.

Quando excommunicatus est vitandus in nullo supradictis casibus licitum est communicare cum illo, nec illi cum aliis Fidelibus; sed quando est toleratus, licitum est Fidelibus communicare cum illo, ac si non esset excom-

communicatus; excommunicato verò non eſt licitum inchoare communicationem cum Fidelibus, aut ſe ſpontè ingerere; niſi ſit inductus, vel ab illis invitatus.

46. R.P.R. quomodo ergò me debeo gerere cum hominibus meæ familiæ propter uſum vitæ neceſſarium, & ſuſtentationem?

C. Excommunicatio eſt præceptum humanum, quale dictam communicationem prohibet, non poteſt autem aliquid præcipere, quod ſit contra præceptum naturale, & ſic in multis caſibus excommunicato, etiam vitando licet communicare cum Fidelibus, qui caſus comprehenduntur in hoc verſu.

Utile, Lex', Humile, Res ignorata, Neceſſe.

47. Per has particulas Utile, & Neceſſe intelligitur quæcumque utilitas, & neceſſitas moraliter, tam ex parte excommunicati vitandi, quàm ex parte aliorum participantium cum eo, v.g. licitum eſt petere eleemoſynam, & eam dare excommunicato, & ſi ſit Medicus vel Chirurgus ab illo curari, ejúsque perſona in infirmitate uti.

Per ſecundam particulam Lex intelligitur jus, & lex Matrimonii; ideóque quando maritus eſſet excommunicatus, poteſt communicare uxor cum ipſo non ſolùm quo ad thorum, ſed etiam in omnibus rebus ad bonam familiæ gubernationem ſpectantibus. Idem dicendum de marito non excommunicato, quando uxor eſſet excommunicata.

Per tertiam particulam Humile intelligitur officium, obſequium, vel ſubjectio ſervorum, ſubditorum, filiorum; adeóque poterunt filii cum parentibus, ſervi cum Dominis, ſubditi cum Prælatis excommunicatis communicare; & univerſaliter, quando in una familia eſt aliquis excommunicatus, omnes, qui ſunt de familia, poſſunt cum ipſo communicare. Ita Bonacina de Gen. diſp. 2. q. 2. p. 3. §. 2. n. 27.

Per quartam particulam Res ignorata intelligitur quæcumque ignorantia ſive Juris, ſive facti, ſive inadvertentia inculpabilis, quæ excuſat, ne incurratur in minorem excommunicationem ratione cōmunicationis cum excommunicato vitando: Ignorantia facti eſt, quando non ſcio, quòd Petrus ſit excommunicatus, vel vitandus: Ignorantia Juris verò eſt, quando licèt ſciam, quòd Petrus ſit excommunicatus vitandus, non ſcio tamen, quòd Lex prohibeat communicationem cum excommunicatis; utraque hæc ignorantia, vel inadvertentia licitam reddit communicationem cum excommunicato, excuſátque à peccato, & à cenſuris incurrendis juxta communem DD. ſententiam.

48. Ad hoc ut v. d. ſit à ſcrupulis libera, ſi habet Bullam Cruciatæ, ab hac excommunicatione abſolvam?

P. Ita P. R. habeo Bullam.

C.

C. Libenter absolvam; necessarium tamen est, ut priùs satisfaciat Clerico ob injuriam illatam.

P. Quomodo debeo satisfacere?

C. Petendo veniam; & si eum vulneravit, omnes expensas factas in cura vulneris debet solvere.

P. P. R. faciam libenter, sed pro præsenti non possum; quia Clericus est absens, nec possum à Sacra Synaxi abstinere ad evitandam infamiam.

C. Quando non potest parti satisfieri, communiter docent Theologi, ut offensor det arrham, quæ debet esse pignoratoria, hoc est ut det aliquod pignus in signum, quòd sit satisfacturus: & si hoc fieri non possit, sit arrha, vel cautio fidejussoria, id est, ut assignet aliquem fidejussorem; & si etiam hoc fieri nequit, tunc sufficiet, ut sit juratoria. Hoc est, ut juret, quòd velit parti læsæ satisfacere.

Ego verò sum paucioribus contentus, & solùm mihi sufficit, ut V. D. seriò emendationem promittat, & habeat efficax propositum satisfaciendi Clerico, hoc supposito eam ab excommunicatione absolvam sequendo doctrinam Laymanni lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 6. n. 8. §. Dico quartò in fine, & cum Valerio, Henriquez, & Diana p. 2. tract. 16. resol. 44. ubi docent, quòd ad absolvendum ab excommunicatione in foro conscientiæ sufficiat simplex promissio satisfaciendi parti læsæ, si Pœnitens est persona fidelis, de quo sperari possit, quòd sit promissa adimpleturus.

49. P. P. R. in verbo viri promissis stabo. Attamen modò mihi incidit alius scrupulus; nempe, quòd alia vice excommunicationem incurrerim ob vulnus, quòd alteri personæ inflixi, Confessarius autem, qui me ab hac absolvit, ad nullam satisfactionem me obligavit, nec ego eamdem spontè implevi, ideóque timeo, ne illa absolutio fuerit invalida.

C. Talis Confessarius (nisi excuset inadvertentia) peccavit mortaliter eam absolvendo, antequam parti læsæ satisfaceret, vel cautionem adhiberet pro futura satisfactione, si ad præsentem se obligare nequeat; per hoc tamen non fuit invalida absolutio ab excommunicatione, & aliis peccatis. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 33. num. 3. & alii, quos citat Avila de Cens. p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 9. concl. 2. plerique alii.

Sed advertat, quòd, quamvis Confessarius ex inadvertentia non imposuerit hanc obligationem, teneatur V. D. satisfacere personæ offensæ, secùs verò noviter eamdem excommunicationem incurret; ita dicit Villalobos in Sum. p. 1. tract. 16. diffic. 20. num. 10. & constat ex cap. Eos de sent. excommunic. in 6.

50. Hæc excommunicatio, à qua Confessarius eam absolvit, fuítne Superiori reservata?

P. Ita P. R. Summo Pontifici.

C. Deposuítne juramentum ex mandato

dato Confessarii quòd, quando poterit, velit suæ Sanctitati se præsentare?

P. Non P. R.

C. Absolvit fortè virtute Bullæ, Jubilæi, vel alterius privilegii, vel eò, quòd pro tunc non potuerit ad suam Sanctitatem recurrere?

P. Me absolvit virtute Bullæ.

C. Qui ab aliqua excommunicatione Papæ reservata absolvitur, eò, quòd ad suam Sanctitatem ob aliquod impedimentum recurrere nequeat, dicit cum Navarro, Corduba, Rodriquez, & Sanchez, Leander à Sacram. part. 4. tract. 2. disp. 17. q. 64. quòd sub juramento ad onus præsentationis cessante impedimento obligari debeat, exceptis impuberibus, & etiam fœminis secundùm Avilam, & Sylvestrum, quos citat Leander ibid. q. 65. Avila tamen apud eumdem Leandrum cit. q. 65. dicit, hoc juramentum se præsentandi in nulla excommunicatione imponi debere, nisi in illa, quæ incurritur ob percussionem Clerici. Hoc idem tenet cum Avila N. R. P. Torrecilla in suo Exam. Epis. tract. 1. q. 1. sect. 4. diffi. 35. n. 130. pag. 49.

51. Ego verò opinor, quòd in foro conscientiæ non sit necessarium sub juramento imponere onus præsentationis in ulla censura reservata, à qua absolvitur ille, qui habet impedimentum pro tunc recurrendi ad Superiorem, sed sufficiat simplex promissio, & firmum propositum Pœnitentis se præsentandi ablato impedimento, maximè, si sit persona fidelis in promissis servandis: Quod probo; quia in censura, in qua requiritur satisfactio partis offensæ, non est necessarium, ut ille, qui pro tunc nequit satisfacere, emittat juramentum satisfaciendi ablato impedimento, sed sufficit, ut firmiter proponat, se id adimpleturum, prout dixi num. 48. cum Laymanno, Valerio, Henriquez, & Diana: ergo nec erit necessarium, ut sub juramento onus præsentationis imponatur illi, qui absolvitur à censura reservata præsente impedimento recurrendi ad Superiorem, sed sufficit, ut simpliciter absque juramento promittat. Consequentiam probo: ideò, qui absolvitur à censura, in qua satisfactio partis læsæ requiritur, non est necessarium, ut deponat juramentum, vel det aliam cautionem, sed sufficit in foro conscientiæ promissio simplex; quia in foro pœnitentiali, dicit Diana resol. 44. cit. deficiente possibilitate Pœnitentis propositum ejus firmum tantum valet, quantum datio pignorum vel fidejussorum in foro judiciali; ergo, si in foro conscientiæ tantum valet propositum firmum, quantum externa causa pignoratoria, vel fidejussoria, & consequenter juratoria, sequitur, quòd quamvis pro absolutione à censura reservata in foro externo, & judiciali sit necessaria cautio juratoria de futura præsentatione ablato impedimento, pro absolutione tamen in foro conscientiæ simplex promissio, & firmum

propositum se præsentandi sufficiant. Hujus opinionis est N. R. P. Fr. Martinus de Torrecilla, cui oretenùs hunc casum communicavi.

52. Notandum tamen est primò, quòd, si impedimentum sit perpetuum, onus præsentationis imponi non debeat; ut dicit Bassæus verb. Excom. 7. sub num. 8. §. circa hos, sed solùm in impedimento temporaneo dicta obligatio imponi debet; quia ad impossibile nemo obligatur leg. impossibilium ff. de reg. jur. sed habenti impedimentum perpetuum est impossibilis similis recursus: ergo nec ipsi imponendus.

53. Notandum est secundò, quòd, quando Confessarius Pœnitentem absolvit à censura reservata absque impositione oneris se præsentandi Superiori ablato impedimento, per hoc non invalidetur absolutio à censura, ut videri potest apud Dianam part. 5. tract. 9. de Excom. resol. 68. §. Ad secundum, quamvis Confessarius peccet, si culpabiliter dictæ obligationis impositionem omittat; nec Pœnitens ab hoc onere liberatur ex culpabili omissione Confessarii, & si ablato impedimento non se præsentet, in eamdem excommunicationem relabitur. Ex dict. cap. eos, qui de sent. Excom. in 6. Verum tamen est, quòd non requiratur personalis præsentatio Pœnitentis, sed sufficiat per Procuratorem; sic cum Navarro, & aliis Leander à Sacram. part. 4. tract. 1. disp. 9. q. 21.

54. Notandum est tertiò, Pœnitentem absolutum à censura reservata non præcisè propter impedimentum recurrendi ad Superiorem, cui est reservata censura, sed virtute Bullæ, Jubilæi, vel alterius privilegii concedentis facultatem absolvendi à tali censura reservata non debere obligari ad se præsentandum posteà Superiori, cui est reservata; ut cum Cornelio, & aliis docet R. Leander à Sacram. dict. part. 4. tract. 2. disp. 17. q. 69. Ratio est primò; quia Canones præcipiuut præsentationem Pœnitentis, quando hic absolvitur ab inferiori propter legitimum impedimentum se præsentandi Superiori; non autem, quando absolvitur virtute Bullæ, vel Jubilæi, aut alterius privilegii, per quæ Superior tribuit potestatem absolvendi absolutè à censuris reservatis. Secundò; quia, quando vi talium privilegiorum datur absolutio à censura reservata, absolutio est directa, & non indirecta: sed sic est, quòd cum absolutione directa non cohæreat onus præsentationis: ergo nec hoc imponi debet Pœnitenti absoluto vi Bullæ, Jubilæi, aut alterius privilegii tribuentis facultatem absolvendi à censura reservata.

❧ (†) ❧

CAPUT VII.

Cùm in hoc Præcepto prohibeatur homicidium, operæ pretium duxi hic etiam agere de Scandalo, quod est mors spiritualis animæ Proximi.

55. Scandalum, ut dicit S. Thomas 2. 2. q. 43. art. 1. & cum ipso communis Theologorum, est dictum, vel factum minùs rectum præbens occasionem ruinæ: dicitur dictum, vel factum; quia scandalum dari potest operibus, & verbis: operibus datur scandalum peccando, vel in præsentia aliorum aliquid faciendo, quod sit causa eorum ruinæ; verbis datur scandalum, sollicitando, vel dando consilium ad malum, & coram aliis aliqua proferendo, quæ pariter eorum ruinam causent: Dicitur minùs rectum, ad significandum, quòd non solùm verbis, vel operibus malis scandalum detur, sed etiam speciem mali habentibus: v. g. si quis verba jocosa, & æquivoca, in præsentia aliorum proferat, ex quibus eorumdem secuturam ruinam prævideat: Dicitur tandem præbens occasionem ruinæ: quia, si verba, vel opera non sint causa lapsûs, aut ruinæ, vel quia personæ jam priùs sunt determinatæ ad malum, vel quia propter illa non moventur ad malum, non erunt peccatum scandali, ut infrà dicam n. 58.

56. Scandalum unum est activum, aliud est passivum: Passivum est ipsa ruina, sive peccatum, in quod Proximus labitur: Activum verò sunt opera, vel verba, quæ causant ruinam: Dividitur ulteriùs scandalum in datum, & acceptum: scandalum datum, quod alii vocant scandalum debilium, & pusillorum, est, quando actio vel verbum Proximo fragili, & debili est occasio ad peccatum: scandalum acceptum, quod alii vocant pharisaicum, est quando Proximus ex sua malitia scandalizatur de operibus, & verbis, quæ in se non sunt mala, nec habent speciem mali. Scandalum potest esse particulare, & generale: scandalum particulare est, quando quis inducit alium ad peccatum, intendendo directè ipsius ruinam spiritualem: & hoc solet vocari peccatum dæmoniorum, & opponitur directè virtuti charitatis: scandalum generale est, quando quis est causa ruinæ Proximi, quam tamen directè non intendit; & hoc potest duobus modis contingere; primò, quando quis alium sollicitat ad peccatum propter utilitatem, vel voluptatem sibi exinde eventuram: v. g. quando quis inducit alium ad jurandum falsum ex intentione lucrandi aliquam litem; vel ipsum inducit ad furandum, ut rem furto acceptam acquirat; vel sollicitat fœminam ad fruendum turpi voluptate: Secundò, quando quis sine intentione ruinæ Proximi, aut propriæ utilitatis est occasio ruinæ: v. g. quando quis jurat, blasphemat, aut aliud peccatum committit coram Proximo, cujus ruinam spiritualem exinde prævideat, licèt illam directè

non

non intendat. Scandalum generale reducitur ad illam peccati ſpeciem, ad quam Proximum inducit. Eſt opinio communis, ut infrà dicam num. 59.

57. P. P. R. dico meam culpam, quòd jactanter dixerim coram aliquibus meis amicis, me habuiſſe copulam cum muliere aliena.

C. Habuítne V. D. tunc temporis complacentiam de præterito peccato?

P. Ita P. R.

C. Nominavítne perſonam, cum qua peccavit?

P. Ita P. R.

C. Fuítne perſona boni nominis, & æſtimata pro honeſta?

P. Ita P. R. ſaltem ego nunquam aliquid in contrarium audivi.

C. Perſonæ, coram quibus ſe jactavit, fuerúntne tales, quòd potuerit dubitare de earum lapſu ex auditu copulæ habitæ?

P. Non fuerunt totaliter ſanctæ, neſcio tamen, quidnam in corde latuerit.

C. In hac jactantia V. D. commiſit quatuor malitias ſpecie diſtinctas: prima eſt peccatum jactantiæ; cujus malitia generaliter opponitur virtuti Pœnitentiæ, quia hæc virtus inclinat ad deteſtationem peccati; ſed jactantia opponitur deteſtationi: ergo generaliter opponitur virtuti Pœnitentiæ, quamvis formaliter tantùm opponatur virtuti humilitatis, tanquam ſpecies ſuperbiæ; quia ſuperbia ad æſtimationem, & gloriam propriam anhelat: ad hoc idem tendit jactantia: ergo eſt ſpecies ſuperbiæ.

Secunda malitia eſt complacentia, quam V. D. habuit de peccato præterito, cujus malitia eſt ſpecies luxuriæ oppoſita virtuti caſtitatis.

Tertia malitia eſt detractio; quia nominavit, & infamavit perſonam, cum qua peccavit, hæc opponitur virtuti Juſtitiæ.

Quarta malitia eſt ſcandali, & occaſionis peccandi, quam V. D. præbuit audientibus ſuum lapſum.

58. Sed ſi audientes fuerunt ita probi, ut ex tali auditu non ſe determinaverint ad peccandum; aut ita improbi, ut jam fuerint parati ad peccandum independenter ab hac narratione, ipſius jactantia non haberet malitiam ſcãdali; quia non eſſet occaſio peccandi, ſic Palaus part. 1. tract. 6. diſp. 6. punct. 1. n. 4. Sed cùm non fuerint ita probi, nec adeò improbi, ut dixit, commiſit peccatum ſcandali jactando ſe de peccato in illorum præſentia.

59. Dicat mihi, cujus ſtatus erant perſonæ audientes?

P. P. R. unus eſt Sacerdos, alter uxoratus, reliqui ſunt liberi.

C. In opinione communi, quòd ſcandalum reducatur ad peccati ſpeciem, ad quam inducitur Proximus, neceſſe eſt ſcire ſtatum illorum, quibus fuit datum ſcandalum. Attamen ſecundùm id, quod infero ex opinione Suarez diſp. 10. de charit ſect. 2. n. 4. Coninch diſp. 32. de charit. num. 45.

46. & disp. 28. num. 12. quam probabilem judicat Lugo de Pœnit. disp. 16. sect. 14. n. 157. qui docent, quòd, quamvis ille, qui consulit ejusdem transgressionem habenti votum castitatis, peccet contra votum, & hoc scandalum reducatur ad speciem sacrilegii, ille tamen, qui solùm suo malo exemplo dat occasionem transgrediendi votum castitatis, non peccat contra votum alterius: atqui V.D. audientibus consilium ad peccandum non præbuit, sed solùm ob suam jactantiam illis malum exemplum dedit: ergo secundùm hanc doctrinam non est necessarium, ut illorum status explicetur; quamvis communem tanquam veram sequar, videatur pars 2. hujus praxis, tract. 14. cap. 6. n. 52.

60. Neque erit necessarium explicare numerum personarum, quibus fuit datum scandalum juxta doctrinam traditam à multis Theologis, quòd unus numero actus non possit continere duplicem numero malitiam: atqui jactantia V.D. fuit unus numero actus: ergo non possunt in eo contineri duo peccata numero distincta: & sic sufficiet se accusare dicendo; P. R. me accuso, quòd multis malum exemplum dederim in hac, vel alia specie peccati, absque explicatione personarum; ut dicit in propriis terminis de hoc casu Leander à Sacram. part. 1. tract. 5. disp. 8. §. 5. q. 8. quamvis sit securius sequi contrarium, & se accusare de numero personarum audientium, ita Sanchez & alii, quos ibi citat Leander.

61. P. P. R. dico meam culpam, quòd post emissum votum castitatis dederim consilium cuidam personæ ad patrandum peccatum inhonestum.

C. Hæc persona fuitne voto castitatis obstricta?

P. Non P. R.

C. Deditne consilium ad peccandum secum, vel cum aliis?

P. Ad peccandum cum aliis.

C. Cujus status erat persona, cui ad peccandum consilium dedit; & illa, cum qua peccare suasit?

P. Vir est uxoratus, fœmina verò est soluta.

C. Quamvis hoc scandalum reducatur ad speciem adulterii dando viro uxorato consilium ad peccatum; ut superiùs dixi, ratione verò voti emissi V.D. non commisit sacrilegium; ita Sanchez lib. 5. Sum. cap. 6. num. 11. quia vi hujus voti V.D. non obligatur ad custodiam alienæ, sed propriæ castitatis: ergo contra votum castitatis non deliquit. Hoc idem docetur part. 2. hujus praxis tract. 14. cap. 6. num. 50.

62. In hoc tractatu multùm interest, ut Confessarius graviter, & strenuè redarguat luxũ, & excessum in ornatu, & vestibus pretiosis, quibus fœminæ vanæ, & insipientes utuntur, iisdem objiciendo scandalum activum, & passivum ut in laqueos diaboli, & tertia lasciviæ turpiter se convertant; vitium nõ sufficienter deplorabile, quandoquidem

dem modestiâ fœmineo sexui adeò connaturali se expoliantes vanis suis ornamentis totum mundum ad sordes inhonestatis inverecundè invitant; & quod pejus est, de hoc nullum scrupulum sibi faciunt, cùm tamen sit materia periculosissima, summæ consequentiæ. Admoneat eas Confessarius, hoc esse objectum reprehensionis, abominationis, ac detestationis sanctorum Patrum, & Doctorum uno ore prædicantium, hujusmodi excessum maxima pœna dignum esse: "Iñumeri Sancti, & Doctores & antiqui Patres hujusmodi abusum taxant, & igne æterno dignum existimant,, dicit P. Laynez de ornam. & fuc. mulier. q. 15. casu 12. Nec valet excusatio, quòd sancti Patres reprehenderint, quia judicarunt, melius esse abstinere ab his ornamentis, quàm iisdem uti; non verò quòd existimaverint, esse malum ita grave, & graviter per hoc delinqui: Ad hoc enim respondetur, quòd sancti Patres, & Doctores non fuissent tali verborum pondere locuti, nisi etiam rem magni ponderis esse judicâssent; ut sufficienter exprimit Dionysius Carthusianus in Dec. vitæ Nobil. art. 14. his formalissimis verbis: "Sancti Patres, & Gloriosi, Illustrissimíque Doctores contra ornatum superfluum, & exquisitũ, curiosum, superfluúmque vestitũ tam rigorosè non scriberent, si in eis mortalem culpam existere non judicarent, venialia quippe peccata talem condemnationem non promerentur.,,

Nec subsistit excusatio, quòd in hoc malam intentionem non habeant: quia, si percipiunt, vel percipere debent (cùm toties id audiant à zelantibus Dei Ministris) se per hujusmodi luxus plurimis occasionem ruinæ præbere, quomodo hæc excusatio iis suffragari poterit? "Cavendum enim est, quod occasionem mali præstat, licèt non intentione mali fiat:,, dicit eruditè Abulensis ad cap. 11. Matth. q. 24. lit. c. Et in historiis legimus, Deum propter hujusmodi excessum pluribus pœnam irrogâsse, hac vel alia excusatione nullatenus eis suffragante.

63. Mulieres tamen se se modestè ornantes, licèt ex fine exhibendi pulchritudinem præcisâ aliâ pravâ intentione excitandi aliquem ad malum, non peccant mortaliter; nec si desiderent conspici ab hominibus, dummodo determinatè non sciant, quòd illorum aliquis amore obliquo eas prosequatur; si enim hoc esset, mortaliter peccarent, quandocumque id absque necessitate facerent. Vide Bassæum verb. Scandalum §. 3. ad alios.

CAPUT VIII.

Exhortationes pro perseverantibus in odio.

64. Inter Præcepta à Christo Domino specialiter commendata præcipuum est illud Charitatis erga inimicos exhibendæ, non solùm verbis, sed magis

gis præstantissimis exemplis; licèt enim fuerit summè Sanctus, & innocens, imò ipsa Sanctitas, & Innocentia, fuit tamen ut latro, blasphemus, & dœmoniacus habitus, & tandem ut reus cruci affixus, hásque injurias & contumelias summa longanimitate, & æquanimitate condonavit, ac pro crucifixoribus oravit. Nunquid maxima esset superbia, si homo majorem Deo se esse præsumeret? Immensa ergo Dei Majestas tot injuriis affecta sufferre, tolerare, & condonate voluit, & homo creatura vilis, & miserabilis imitari Deum renuet?

Dicam cum S. Paulo Hæbr. 12. Aspiciat V. D. in Authorem Fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta. Contempletur eum vinculis alligatum: flagellis, & colaphis cæsum: spinis coronatum: Cruci clavis affixum: tot injuriis, calumniis, vexationibus expositum: Forsan injuriæ ab inimicis ipsi illatæ sunt æquales? procul dubio non. Si ergo Deus tot, & tanta sustinuit, ac summa constantia tot offensas condonavit, ut V. D. daret exemplum, cur ad hoc imitandum inimicis suis parcere recusabit?

Et si ulteriùs per discursum progredi velimus, quoties V. D. in Deum suum peccavit? quot injurias ipsi intulit? quoties eum contempsit? & hoc non obstante tot iniquitates sibi à Deo condonari exoptat? Ast caveat sibi, quia, si inimicis suis non parcit, nec Deus ipsi parcet; & si eo præcipiente inimicos non diliget, nec ab eo diligi promerebitur juxta ejusdem Domini dictum: eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Luc. cap. 6. Recogitet, quòd si in Oratione Dominica petit sibi dimitti debita, sicut ipse debitoribus suis dimittit, non dimittendo nec ipsi dimitti petat; & eo modo, quo V. D. cum Proximis suis egerit, sic Divina Majestas cum ea aget. Pro hujus veritatis probatione idem Christus in suo Evangelio dicit, quòd, cùm homo quidam propter debitum ad carceres trudendus obtenta à Creditore remissione debiti noluerit alteri sibi debitori supplicanti debitum dimittere, in pœnam unius crudelitatis ad infernales carceres fuerit à Deo condemnatus. Hoc idem continget V. D. nisi proximi sui misereri decernat, ut videri potest in casu sequenti, relato in speculo exemplorum verb. Dimit. n. 4.

65. Fuit homo adeò vindictæ additus, ut injuriam quandam sibi illatam nullatenus condonare voluerit; decessit hic è vita, & cùm in cantando Officio Defunctorum in Ecclesia præsente corpore Sacerdos protulisset illa verba, parce mihi Domine (casus horribilis, & tremendus) Crucifixus Altaris Majoris manus è Cruce dissolvit, iisque aures occludens, alta voce pronuntiavit: non pepercit, neque parcam.

Exemplum de Dei pietate erga parcentes inimicis.

66. Narrat Surius in Festo translationis S. Donatiani, quòd, dum quidam Eques ad Templum hujus Sancti Reliquias veneraturus venisset, inimicus ejus ad Equitis pedes procumbens de offensis ipsi illatis veniam petierit: indignatus Nobilis dixit: abi hinc, aliàs coram his Reliquiis de medio te tollam, & interficiam; in qua obstinatione persistens, nec ad Sacerdotum preces parcere voluit.

Ast ira Dei, & Sancti non longè fuit; quia de repente intenso oculorum dolore agitatus, visu corporali privatum se vidit, quo tamen amisso oculos animæ aperuit, ac de peccato veniam à Domino Deo petens inimico ex corde pepercit. Vix secuta fuit conciliatio cum inimico, per Sancti merita evanuit dolor, ac visum amissum recuperavit. Casus hic considerare nos admonet, quàm severè Deus puniat non remittentes injurias, & quàm grata è contra sit ipsi conciliatio cum inimicis.

TRACTATUS VI.

DE VI. PRÆCEPTO.

Non Mœchaberis.

§. I.

NOn dubito, quin quivis innocens affectibus, & mundo corde hujus Præcepti lectioni, & studio incumbet eâ repugnantiâ, qua ego ad agendum de eodem me determinavi; nihilominus, si Angelus ille, licèt puritate excellentiori nostra præditus non fuit dedignatus Hierosolymam venire ad revolvendas aquas Piscinæ mendicis putridis plagis infectis circumdatæ pro solius infirmi salute: & sanabatur unus. Joan. 5. multò minùs dedignari debet homo, licèt in sui æstimatione candidus, & castus, perlustrare hujus Piscinæ aquas pro impertienda salute tot animabus contagio sensualitatis infectis. Faxit Deus, ut, quæ scribuntur, & præscribuntur remedia, & medicinæ, animabus infirmis proficiant: sed cùm pestis hujus vitii sit summè contagiosa, consultum est, ut, sicut Medicus corporalis de aliquo parvulo vasculo pleno odoribus, & aromatibus sibi providet ad se defendendum à qualitatibus, & impressionibus nocivis sibi obventuris ex communicatione cum infirmis: & sicut cubicula, ubi febricitantes febri maligna jacent, asperguntur aceto, ne intrantes, & visitantes inficiantur, ita pariter ut Confessarius ab infectione maligna sensualitatis immunis evadat, consulendum est inquam, ut sibi de suavissimo orationis odore, & mortificationis, circumspectionisque aceto provideat.

§. II.

Antequam de particularibus speciebus hujus Tractatus tradere incipiam. Suppono primò, per hoc Præ-

ceptum prohiberi omnia genera peccati luxuriæ, quæ cogitationibus, verbis & operibus committuntur: cogitationibus, consentiendo per modum delectationis, vel desiderii in turpia: verbis, loquendo de rebus obscœnis: & operibus, inhonesta patrando. Suppono secundò, quòd luxuria sit inordinatus appetitus venereorum, & unum ex septem peccatis capitalibus communius, & periculosius aliis; adeò commune, ut incipiendo ab ætate magis tenera regnet usque ad decrepitam, & senilem nulli, vel sexui, vel statui parcendo; & ita periculosum, ut, si semel introducatur in animam, dissimulatis blandimentis voluntati adhæreat, maxima cum difficultate eradicari possit propter multas, & valdè profundas radices, quas in humanorum cordium terra germinare solet; idcircò magno studio, & vigilantia opus est, ne cordis dominium sibi arrogare præsumat.

Septem species luxuriæ numerantur, nempe, simplex fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium, & peccatum contra naturam. Simplex fornicatio est accessus soluti cum soluta. Stuprum est accessus cum virgine, vel renuente, vel liberè consentiente juxta varias opiniones. Raptus est accessus cum fœmina per vim adducta de uno loco in alium. Adulterium est alieni thori violatio, vel accessus viri soluti ad mulierem nuptam aut è contra. Incestus est accessus cum consanguinea, vel affine intra quartum gradum. Sacrilegium est accessus cum persona votum castitatis habente. Peccatum contra naturam est effusio seminis extra vas debitum. Et hoc peccatum contra naturam habet tres species distinctas, quæ sunt pollutio, seu mollities, Sodomia nefandum crimen, & bestialitas. Pollutio, seu mollities est effusio humani seminis extra vas. Sodomia est accubitus, seu congressus inter personas ejusdem speciei, sive ejusdem, sive diversi sexus, sed in vase indebito. Bestialitas est accubitus, seu accessus ad suppositum alterius speciei.

In singulis sequentibus capitibus tradam id, quod magis practicatur, & succedit; & initium sumam à peccato contra naturam, quod nimis frequenter committitur, quamvis enim in hoc tractatu deberet etiam tradi de Sodomia, & bestialitate, quia autem de his in explicatione Propositionis 24. ab Alexandro VII. damnatæ agere debeo; ideò ea ad part. 2. hujus praxis tr. 17. n. 150. & seq. remitto.

Non possum præterire, quin P. P. Confessarios admoneam, quòd hoc Præceptum sit scopulus ordinarius obvians in confessionibus; hìc occasiones proximæ, hìc habitus mali inveniuntur; hìc peccata, & circumstantiæ necessariæ ex timore, & verecundia occultantur.

Minister Dei zelo, & zeli discretione se vestiat, ut cum constantia christiana,

stiana, & forti animo sciat loqui illis, qui in profunda occasionum fovea sunt immersi, & in retibus pravorum habituum illaqueati, utatur hic exemplis, & exhortationibus ad eos educendos ex tam misero, & cæco statu: & si hoc non sufficiat, negetur ipsis absolutio. Discretione pariter opus est, ut modò suaviter, modò acriter, & præcipuè toleranter à lepra mundare valeat cor miseri Pœnitentis, qui ex ignorantia sui mali propriam infirmitatem curare negligit. Quia verò plures idiotæ coinquinati peccato contra naturam putant non posse ab eodem absolvi absque recursu ad Sacram vel Pœnitentiariam, vel Inquisitionem; ideò Confessarius de rei veritate eos certiores reddat. Alii pariter dantur, maximè rustici existimantes, quòd Confessarius audito hoc peccato ad clamores, & injurias contra ipsos procedet (quod fortè aliquis insipienter, & iniquè practicavit) quare ita se gerat, ut experientia hoc falsum esse comperiant, & hoc eis erit motivum cor aperiendi, ac peccati venenum evomendi.

De cogitationibus, & verbis obscœnis loquar in hoc Tractatu cap. 9. & 10. de osculis verò, & tactibus inhonestis part. 2. hujus praxis tract. 17. num. 256. & seq. in explicatione Propositionis 40. ab Alexandro VII. damnatæ.

CAPUT I.

De peccato contra naturam.

2. P. P. R. supplico, placeat habere modicam patientiam, & audire iniquitates meas; quia sum peccator magis sceleratus inter omnes, qui ex mulieribus nati sunt.

C. Mi Fili sit bono animo, non se affligat; quia exaudiam ipsius confessionem libenter, & permanenter absque admiratione alicujus rei mihi revelandæ; etenim homo sum, sicut ipse, & summam hujus terreni vasis fragilitatem cognosco, nec unquam de peccatis auditis admirationom concepi, sumat sibi animum, & dicat, quidquid vult, & habet, nec minimam rem ex timore, vel verecundia omittat; quia si infirmus infirmitatem suam medico non manifestat, eum curare nequit; & si V. D. omnes suæ conscientiæ plagas mihi non manifestaverit, nec ego ipsam curare potero; quia unum peccatum ex malitia omissum causat mortem.

3. P. P. R. me accuso, quòd in mea pueritia me associaverim cuidam adolescenti, à quo edoctus pessimum crimen me polluendi, crimen hoc ego inde sæpiùs patravi.

C. In illa ætate scivitne V. D. hunc actum esse peccaminosum, vel sibi imaginabatur, esse malum?

Hæc interrogatio adhibenda est cum juvenibus teneræ ætatis, & rusticis; quia multi horum censent, se in hac

hac materia non peccare, nisi peccatum cum persona diversis sexus consummant: ego enim plures adinveni ignorantes pollutionem esse peccatū.

P. P. R. non scivi.

C. Fuitne V.D. aliquando hoc confessa?

Ex hac interrogatione potest inferri à posteriori, utrùm in talibus personis fuerit aliqua malitia; quia si confitentur absque eo, quòd audiverint hoc esse peccatum, signum est, quòd formaverint conceptum de turpitudine, & deformitate rei.

P. Nunquam cogitavi hoc confiteri, nisi, postquam audivi esse peccatum.

4. C. Quanto tempore fuit in hac ignorantia?

P. P. R. quatuor circiter annis.

C. Toto hoc tempore quoties in hoc peccatum cecidit?

P. P.R. quasi omni hebdomada bis.

C. Hoc peccatum est contra naturam: verum quidem est, quòd in V. D. non fuerit peccatum propter ignorantiam, quamvis hoc peccatum Lege naturali prohibitum sit juxta communem Recentiorum sententiam, quæ admittit, posse dari ignorantiam invincibilem in rebus Lege naturali prohibitis: vide Caspensem tom. 1. tract. de peccatis disp. 5. sect. 2. num. 19.

5. Postquam in cognitionem venit, cecidítne aliis vicibus?

P. Sæpissimè.

C. Quoties commisit?

P. P. R. hoc crimen in me numerum non habet.

C. Quanto tempore in hoc vitio perseveravit?

P. P. R. usque dum uxorem duxi.

C. Cujus ætatis erat, dum uxorem duxit?

P. Viginti quatuor annorum.

C. In qua ætate venit in cognitionem hujus peccati?

P. De hoc non recordor.

C. Quando se associavit illi adolescenti, qui V.D. hoc peccatum edocuit, quot annos putat se habuisse plus, vel minus?

P. Mihi videtur, quòd habuerim duodecim circiter annos.

C. Ergo si in hoc vitio perseveravit quatuor annis absque notitia ejus malitiæ, & vigesimo quarto suæ ætatis anno duxit uxorem: ab illo tempore, quo novit esse peccatum, usque ad matrimonium elapsi sunt octo anni; siquidem anno duodecimo apprehendit hoc vitium, & quatuor annis vixit in ignorantia, duodecim, & quatuor faciunt sexdecim annos; à decimo sexto usque ad vigesimum quartum debent esse octo anni.

P. Ita P. R. sic est.

6. C. Ab illo tempore, quo novit esse peccatum, quoties id commisit? & quoties in hebdomada, vel die numerando adinvicem dies?

P. P. R. non possum scire, quia aliquando per integram hebdomadam

non deliqui, aliquando verò sæpiùs in hebdomada.

C. Ergo sufficit, quòd accuset se habuisse hoc vitium per spatium octo annorum; sic docent communiter DD. cum Navarro, Victore, Cajetano apud Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 9. diffic. 33. n. 5. Cano, Soto, quos citat Diana part. 3. tract. 4. resol. 89. Hoc enim est generale, & commune principium, quòd in quacumque materia, in qua pœnitens individuum numerum suorum peccatorum explicare non potest, sufficiat, se accusare, quanto tempore in illo vitio perseveraverit.

7. Nunc mihi dicat, quando in has fragilitates cecidit, ferebatúrne cogitationibus in mulieres?

P. Ita P. R.

C. Desiderabátne eas? quia si habuisset hoc desiderium præter malitiam peccati contra naturam, quam pollutio includit, commisisset aliam specie distinctam propter desiderium secundùm circumstantiam objecti desiderati, & si desiderium fuisset in uxoratam, fuisset adulterium, si in consanguineam, vel affinem fuisset incestus; quia doctrina certa, & communis est, quòd desiderium efficax habeat eamdem malitiam, quam habet objectum, ad quod fertur, & dirigitur.

P. P. R. mihi videtur, quòd, si pro tunc præsentem habuissem mulierem, peccassem cum ea.

C. Desiderabátne actu pro tunc cum ea peccare? Quia peccatum non consistit in contingenti conditione, id est, si essem in hac, vel illa occasione, peccarem; quandoquidem etiam magis timorati de propria fragilitate dubitant, & timent, quòd, si essent in occasione, peccarent, per hoc tamen non peccant.

P. P. R. non habui hoc desiderium.

8. C. Solùm ejus cogitatio ferebatur in mulieres ad capiendam majorem delectationem in pollutione?

P. Ita P. R.

C. Ergo illæ fragilitates non distinguuntur specie ratione cogitationum, quibus delectabatur in variis objectis alterius sexûs, sed omnes sunt ejusdem speciei; Ita Bassæus verb. Luxuria n. 18. Diana part. 7. tract. 12. resol. 15. Cajetanus, Bonacina, Azorius, & alii, quos citat, & sequitur Murcia tom. 1. disq. lib. 2. disp. 3. resol. 4. num. 3. Et ratio est; quia reminiscentia horum objectorum, quando non adest efficax desiderium, solùm est ad capiendam delectationem; atqui media, per quæ solùm intenditur delectatio, non causant distinctionem specificam, sed solùm aggravant intra eamdem speciem: ergo pollutiones illæ non distinguuntur specie ratiõe objectorum.

CAPUT II.

De Incestu.

9. P. P. R. confiteor, quòd cum mea consanguinea indecens tripudium habuerim.

C. Hoc tripudium fuítne ad obtinendam copulam?

P. Non P. R.

C. Habuítne internè desiderium? quia sicut efficax desiderium habet eamdem malitiam, quam habet actus, seu objectum desideratum, sic sine dubio hoc desiderium haberet malitiam incestûs.

P. P. R. non habui similem intentionem, nec tale desiderium.

C. Estne passus illis in tripudiis effusionem seminis, vel se exposuit periculo effundendi?

P. Ita P. R. lapsus sui actualiter in hanc miseriam.

C. Clarum est, quòd copula, seu accessus ad consanguineam, seu affinem intra quartum gradum sit incestus, incestus quoque sit illius desiderium; aliquis tamen dubitavit, an similes actus, vel tripudia habita cum tali consanguinea, vel affine induant malitiam incestûs: & ratio dubitandi est; quia copula sodomitica inter consanguineos, etiam in primo consanguinitatis gradu non habet malitiam incestûs; ita Belocus, Homobonus, & alii, quos citat, & sequitur Murcia tom. 1. disp. lib. 2. disp. 2. resol. 19. n. 5. & tom. 2. lib. 4. disp. 40. resol. 6. n. 2. & 4. Diana part. 3. tract. 4. resol. 101. Quia juxta opinionem horum DD. solùm contrahitur malitia incestûs, quando intervenit copula apta ad causandam affinitatem: ergo in nullo horum actuum contrahitur malitia incestus: consequenter ex hac doctrina videtur inferri, quòd nec tactus, nec tripudia cum consanguineis habeant malitiam incestûs.

Attamen si in hac opinione veritas locum habeat, debet solùm intelligi de tactibus sodomiticis, non verò de aliis, qui tales non sunt. Et ratio est: quia tactus ex fine operis ordinantur ad copulam: atqui copula cum consãguinea est incestus: ergo etiam tactus.

10. P.P.R. confiteor, quòd cognoverim consanguineam meam in secundo consanguinitatis gradu, & affinem in tertio affinitatis gradu.

C. Tam in uno, quàm in altero accessu V. D. commisit incestum; necessarium tamen non est secundùm opinionem aliquorum, explicare gradum cognationis inter V. D. & illas personas, sed sufficit dicere, quòd cum sibi cognatione conjunctis intra quartum gradum peccaverit absque explicatione cognationis sive affinitatis, sive consanguinitatis. Cajetanus, Bonacina, Ledesma, quos citat Diana part. 1. tract. 7. resol. 31. & part. 4. tract. 4. resol. 234. Murcia tom. 2. lib. 4. disp. 10. resol. 6. n. 7. Et ratio est: quia differentia specifica desumitur ex oppositione cum diversis virtutibus: sed omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis soli opponuntur virtuti pietatis, & eam diverso modo non respiciunt; ergo non distinguuntur specie.

Attamen contraria vera est, & communis,

munis, & saltem quo ad primum gradum debet specificè explicari. Videatur Bassæus verb. Incestus n. 3.

CAPUT III.
De Adulterio.

11. P. P. R. dico meam culpam, quòd tribus annis continuis pessimam familiaritatem, & amicitiam habuerim.

C. Cum quali persona?

P. Cum maritata.

C. Et V. D. in quo statu tunc fuit?

P. P. R. pariter & ego uxoratus eram.

C. Mulier hæc consanguinea sui erat, vel uxoris suæ?

P. Non P. R.

C. Ergo peccata commissa fuerunt adulteria, & juxta sententiam communem quotiescumque habuit rem cum illa, commisit duo adulteria numero distincta; quia per duplex adulterium, ut in nostro casu contingit, duorum Matrimoniorum jura violantur, & duobus conjugibus injuria irrogatur; ita Moya in select. tom. 3 tract. 3. disp. 3. q. 4. art. 4. num. 11. Contrarium necessariò debent dicere illi, qui asserunt, quòd in uno numero actu non possint esse duæ malitiæ numero distinctæ. Cajetanus, Layman. Serra. Filiucius, & alii; quos citat Diana part. 3. tract. 4. resol. 164. Leander à Sacram. tom. 1. tract. 5. de Pœnit. disp. 8. §. 3. q. 20. 21. & 22. & tom. 4. de Censur. tract. 1. disp. 3. q. 42. plerique alii. Et ratio est; quia concreta accidentalia multiplicantur secundùm multiplicationem subjectorum, & non formarum, ut docent Philosophi: peccatum est concretum accidentale, cujus subjectum est actus, & forma est malitia: ergo in uno numero actu non possunt esse duo peccata numero distincta.

12. Nunc mihi dicat, hæc persona ex suo concubitu concepítne aliquando?

P. Non P. R.

C. Adhibuítne aliquod medium, ne hoc sequeretur?

P. Ita P. R. effundebam extra vas.

C. Hæc circumstantia videbatúrne ipsi esse peccatum distinctum?

P. Ita P. R.

C. Clarum est, quòd sit peccatum distinctum contra naturam. Non obliviscatur Confessarius interrogare, num conceperit: tum propter restitutionem damnorum, de quibus mox tradam; quia plurimi ex isto timore extra vas semen emittunt, maximè, quando rem habent cum mulieribus non maritatis, per hanc interrogationem habetur perfecta notitia hujus novæ circumstantiæ peccata contra naturam.

13. Mihi dicat, præter actus consumatos habuítne cum hac persona oscula, aut tactus impudicos?

P. Ita P. R. quotiescumque eam accessi.

C. Non interrogo de hoc; quia tactus, & oscula habita ante, & post copulam

pulam sunt ipsi concomitantia, & consequenter non constituunt distinctum peccatum, ut docet Azorius part. 1. lib. 4. cap. 4. in fine. Henriquez in Sum. lib. 6. cap. 5. n. 5. Navarrus cap. 6. num. 7. & alii. Solùm interrogo, an in distinctis ab actibus consumatis habuerit hæc oscula, sive tactus ?

P. Ita P. R.

C. Tunc desideravítne accubitum?

P. Ita P. R. & si non fuit secutus, ex eo fuit, quia deerat opportunitas.

C. Ergo suo desiderio commisit adulterium.

14. In his tactibus éstne passa V. D. pollutionem?

P. Ita P. R. Sæpiùs.

C. Quoties habuit tactus cum pollutione, & quoties sine?

P. P. R. his tribus annis sæpissimè fui passus, ita quòd numerum scire nequeam.

C. poterítne recordari, quoties habuerit tactus cum hac persona?

P. Certè hoc est mihi impossibile.

C. Ergo sufficit, quòd se accuset in hoc pessimo statu tribus annis fuisse, & omnes hos tactus, & pollutiones habuisse, juxta id, quod superiùs dixi cap. 1. num. 6.

15. Mihi dicat, quando V. D. fuit sola, recordabatúrne obscœnorum, & turpium cum hac persona patratorū?

P. Ita P. multoties.

C. Erátne se polluendo?

P. Aliquando P. R.

C. Habebátne tunc temporis desiderium verè peccandi cum illa?

P. Non P. R.

C. Ergo hæ delectationes non contrahunt malitiam adulterii in sententia Vasquez part. 2. tom. 2. disp. 112. cap. 2. Sairi in Clavi Regia lib. 9. cap. 7. n. 10. Bonacinæ de matrim. q. 4. punct. 8. n. 19. Lessii lib. 4. de Justit. cap. 2. dub. 15. & aliorum multorum, qui distinguunt desiderium à delectatione, & dicunt, quòd desiderium, cùm ordinetur ad opus, contrahat integram malitiam objecti, & circumstantiarū: sed delectatio, cùm solùm in speculatione consistat, & executionem non respiciat, non contrahit malitiam objecti, & simul circumstantiarum, sed solius objecti: adeóque ille, qui delectatur de maritata, consanguinea, vel virgine juxta sententiam horum Authorum non obligatur circumstantias harum personarum explicare, sed solùm sufficiat dicere, me accuso, quòd habuerim tot delectationes morosas cogitando de mulieribus sine explicatione statûs. Contrarium tamen communiter practicatur à timoratis, & benè faciunt.

16. Cùm autem V. D. sit uxorata, hæ delectationes habent malitiam adulterii, licèt dicamus, quòd delectatio non contrahat malitiam objecti, contrahit tamen malitiam subjecti; quia persona suâ circumstantiâ se spoliare non potest; quamvis videam, quòd aliqui DD. quos omisso nomine citat, sed non sequitur Bassæus verb.

Dilect. num. 5. §. An autem, dicent, quòd uxoratus habens delectationes de muliere aliena non committat adulterium, nec injuriam suæ uxori inferat, quia ajunt, quòd per Matrimonium solùm obligetur ad non dandam carnem propriam alienæ mulieri, sed non ad se abstinendum à delectationibus: quam sententiam, quamvis Diana part. 3. tract. 6. Miscel. resol. 3. reprobet, posteà tamen part. 9. tract. 6. resol. 4. admittit pro probabili. Hoc idem sentit Casparus Hurtadus, quem citat, & non reprobat Murcia tom. 1. disq. lib. 2. disp. 3. resol. 3. n. 6. Ego tamen nunquam huic doctrinæ assentirem; cùm circumstantia personæ sit inseparabilis.

17. Mihi dicat V. D. quando cognoscebat suam uxorem, recordabatúrne uxoris alienæ?

P. Ita P. R. multoties.

C. Pro tunc habebátne desiderium decumbendi cum illa, aut tantummodò de illa cogitabat ad majorem capiendam delectationem?

P. Cogitabam solùm ob delectationem.

C. Si tunc habuisset desiderium peccandi, illa reminiscentia fuisset peccatum adulterii, sed cùm tantùm meram complacentiam habuerit; quamvis graviter peccaverit, adulterium tamen ratione hujus objecti non commisit, secundùm opinionem, quam enarrare desino.

Hoc modo, & cum his interrogationibus examinandi sunt Pœnitentes; qui multo tempore in malo statu vixerunt; & quandocumque non possunt numerum suorum peccatorum distinctè explicare, sufficit, quòd se accusent de vitio, seu consuetudine peccandi; & qui cum variis personis peccarunt, se accusent saltem in genere, si determinatum numerum circumstantiarum mutantium speciem scire nequeant: v.g. an cum consanguineis, maritatis, Virginibus &c.

18. Mihi dicat ulteriùs, vivendo in hac amicitia solebátne noctu manere extra suam domum, vel dormire in cubiculo separato à sua uxore?

P. Sæpiùs solebam noctu foris dormire.

C. Hæc circumstantia habuit aliud peccatum in se, nempe injustitiæ; cùm non duxerit vitam conjugalem cum sua uxore, & posuerit obicem ad non solvendum debitum.

19. P. P. R. dico meam culpam, quòd ad aliam mulierem conjugatam viginti ferè vicibus accesserim.

C. Supponítne V. D. quòd ex aliquo suo accessu aliquando conceperit?

P. P. R. bis; prima vice post novem menses, ex quo habui rem cum ea, peperit.

C. Hæc persona cohabitabátne tunc cum suo Marito?

P. Ita P. R.

C. Habuítne proles priùs à suo proprio Marito?

P. Ita P. R.

C. Ergo in dubio est, num filius sit ipsius, vel conjugis illius mulieris. Habétne aliquod fundamentum conjiciendi esse suum ex eo, quòd post novem Menses sui accubitus sit natus?

P. Ita P. R, sed habeo etiam fundamentum conjiciendi, eum esse sui conjugis; quia cum eo dormiebat, & cohabitabat.

C. In casu dubio judicari debet, filiũ esse legitimum; ita Lessius, Navarrus, & Sotus, quos citat, & sequitur Laymanus lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 14. num. 13. §. Sed quid. Villalobos in Sum. part. 2. tract. 11. diffic. 34. num. 5. & alii.

20. P. P. R. altera vice, in qua habui copulam cum hac persona, certus sum, quòd ex me conceperit, & pepererit; conjux enim illius erat absens, certóq; scio, eam cum nullo alio rem habuisse.

C. Ad procedendum in resolutione hujus casus cum certitudine debet supponi tanquam res stabilis, & firma, quòd parentes teneantur filiis alimenta tribuere; Mater tenetur filium usque ad tertium annum nutrire; & Pater post hos tres annos, donec filius suâ industriâ, & labore se alere possit; sic definit Textus Civilis lib. 3. tit. 19. part. 4.

Debet etiam supponi tanquam res certa, quòd Mater non teneatur cum periculo suæ vitæ, aut famæ manifestare filio, eum esse illegitimum.

Nec filius tenetur fidem præstare Matri affirmanti, ipsum esse spurium, etiam si juramento hoc affirmet, vel constituta in articulo mortis: nisi rationibus ineluctabilibus Filius convincatur, & certior fiat de rei veritate. Azorius tom. 2. part. 3. lib. cap. 7. q. 5. Suarez tom. 5. de Cens. dist. 50. sect. 4. Videatur Diana part. 11. tract. 2. resol. 33. & tract. 6. resol. 55. Murcia tom. 2. disq. lib. 4. disp. 10. resol. 5. num. 6.

Notandum etiam est, hos filios illegitimos non solùm præjudicare Marito Adulteræ, sed etiam aliis hæredibus; siquidem Maritus credendo suum esse Filium, relinquit ipsi partem hæreditatis absque ulla obligatione.

21. Mihi dicat, intulítne vim huic mulieri?

P. Blandimentis, & precibus tantummodò solicitavi, vim verò non intuli.

C. Si vim intulisset, non solùm obligaretur alere Filium, sed etiam solvere expensas factas à Matre in partu, & alia damna compensare; ita Villalobos part. 2. tract. 11. diffic. 33. num. 1. Sed cùm ambo consenserint, ambo ad supradicta damna tenentur.

22. Dedítne huic mulieri consiliũ, ut Filium spurium inter Filios legitimos induceret decipiendo conjugem, cæterósque Filios legitimos?

P. Hac de re nihil ipsi dixi.

C. Lessius lib. 2. de Justit. cap. 10. dub. 6. num. 46. Azorius part. 3. lib. 5. cap. 6. & 7. plerique alii sunt hujus

opi-

opinionis, quòd, ſive Adulter conſulat Adulteræ, ut inter legitimos ſpurium introducat, ſive ex ſe ſine Adulteri conſilio Adultera hoc faciat, ambo obligentur non ſolùm ad alimenta præſtanba, ſed etiam ad damna hæreditatis, vel dotis, quam conjux Adulteræ dedit Filio, & Filiæ ſpuriæ, reſarciẽda; quia ſemper verificatur, quòd ambo ſint cauſa efficax horum damnorũ: ſed qui eſt causa efficax alicujus damni, obligatur illud reſarcire: ergo quocumque modo Adultera Filium ſpurium tanquam legitimum intrudat, ſive conſilio Adulteri, ſive non, ambo obligabuntur ad reſarcienda damna.

Quamvis Villalobos part. 2. tract. 11. diffic. 30. n. 5. Sotus lib. Juſtit. q. 7. art. 2. Henriquez, quos probabiliter ſequitur Bartholomæus à S. Fauſto in ſpeculo confeſſionis diſp. 23. n. 7. doceant, quòd, quando Adulter non conſulit Adulteræ, ut ſpurium inter legitimos introducat, ſed illa propria ſponte hoc facit, quamvis teneatur compenſare alimenta, quæ Maritus Filio ſpurio dedit, non tamen alia damna ex diviſione hæreditatis, vel dotis provenientia. Hoc idem ut probabile ſequitur Diana part. 2. tract. 17. qui eſt tertius Miſcel. reſol. 55. Et ratio eſt; quia ſi Adultera intentaret abortum hujus fœtus ſpurii, Adulter non diceretur cauſa hujus abortus, niſi aut conſuleret, aut cooperatione ſua adjuvaret: ergo hoc idem dici debet de inintroductione Filii ſpurii inter legitimos; licèt verum ſit id, quod dicunt Leſſius, & Azorius.

Modus, quo Adultera hæc damna reſarcire debet, eſt, conferendo Filiis legitimis, vel veris hæredibus ſua bona paraphernalia, & dotalia, ſi habet, vel alia acquiſita ex propria induſtria, vel ſi neutrum poſſit, parcat aliis expenſis aliunde juxta ſuum ſtatum ſibi debitis, extraordinariis laboribus incumbat, ut ſic damna Marito, & Filiis legitimis illata reſarcire queat.

Tandem quantum poteſt absque ſua infamia, tenetur conſulere ſpurio ingreſſum Religionis, quæ non ſit capax hæreditatis dummodò Filius ad eam aptus ſit, vel ut Sacris initietur, & accipiat Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, quo contentus hæreditatem aliis renuntiet, ut dicunt Navarrus in Man. cap. 16. n. 44. & ſeq. Sotus, Corduba, & Aragonius, quos citat, & ſequitur Villalobos ubi ſuprà num. 8.

CAPUT IV.

De Raptu.

23. P. P. R. me accuſo, quòd Virginem de domo Patris ſui noctu ſurripuerim, eámque in domum meam adductam vioiaverim.

C. Conſensítne Virgo in hunc actum ſpontè, & liberè?

P. Ita P. R.

C. Si V. D. eam de domo vi ſurripuiſſet, ipſius peccatum haberet duas malitias ſpecie diſtinctas; unam contra virtutem caſtitatis, & alteram contra

tra justitiam: Est communis. Ita Lessius de justit. cap. 3. dub. 9. num. 7.

Cùm autem illa voluntariè domo discesserit, non fuit malitia raptus. Sanchez de Matrim. disp. 14. n. 15. & alii quos citat Bassæus verb. Raptus n. 7.

Hoc idem dico, si eam violasset, ac per vim cognovisset nempe, quòd hic actus haberet duas malitias, & vocaretur stuprum, sed cùm illa voluntariè consenserit, non fuit stuprum, sed simplex fornicatio; est sententia Petri Navarii, Lessii, Vasquez, & aliorum apud Murciam tom. 2. lib. 4. disp. 10. resol. 3. num. 3. Diana part. 1. tract. 7. resol. 11. Et ratio est; quia scienti, & volenti nulla fit injuria: ergo, cùm Virgo liberè consenserit, non fuit malitia raptus, nec stupri.

Quamvis Suarez, Azorius, Bonacina, & alii apud Murciam ibid. n. 2. dicant, esse malitiam stupri, quamvis Virgo liberè, & spontè consentiat vide Bassæum verb. stuprum num. 1.

24. Dicat mihi, parentes, vel Tutores, sub quorum custodia erat illa Virgo, viderúntne, quòd V. D. eam domo abduxerit?

P. Ita P. R.

C. Isti restiterúntne V. D. cùm eam abduceret?

P. Ita P. R. sed ego tanquam majori fortitudine præditus eam abstuli.

C. Ergo propter hanc circumstantiam, quòd eam cum resistentia parentum surripuerit, hic raptus habet malitiam injustitiæ, ut DD. citati dicunt.

25. P. P. R. me accuso, quòd viduam vi cognoverim.

C. Transtulitne vi de uno loco in alium eam cognoscendi causâ? quia in hoc casu commisisset peccatum raptus.

P. Ita P. R. vi eam abduxi.

C. Sicut malitia raptus verificatur, quando fœmina de uno loco in alium vi abducitur eâ abutendi gratiâ, sive sit Virgo, sive Maritata, sive Vidua: Ita cujuscumque statûs sit fœmina, si eam vi quis accedat, talis accessus habet malitiam injustitiæ; quia virtus justitiæ præcipit, ne ullus in bonis, vel persona aggravetur: sed in hoc casu aggravatur persona talis fœminæ: ergo est peccatum injustitiæ. Insuper est contra charitatem, ut patet: & cùm hæc fœmina non fuerit Virgo, non habet malitiam stupri.

CAPUT V.

De Stupro.

26. P. P. R. me accuso, quòd vi aliam Virginem cognoverim.

C. Fuítne cum promissione ducendi eam in uxorem, vel eam dotandi?

P. P. R. nihil ipsi obtuli.

C. Si illa consensisset in sui deflorationem, V. D. non teneretur ad restitutionem illius rei; quia nihil promisit, licèt aliàs Parentes, vel Tutores fuissent contrarii. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 14. num. 11. Lessius, Navarrus, & alii, quos citat, & sequitur

Fa-

Fagundez in 6. præcept. lib. 6. cap. 5. Villalobos part. 2. tract. 11. diffic. 3. n. 5. quia illa, & non Pater ejus habet plenum sui corporis dominium.

Cùm autem V. D. eam vi cognoverit cum detrimento sui honoris, licèt aliàs nihil ipsi promiserit, tenetur subministrare non integram dotem, sed illam majorem partem, quæ tunc est necessaria ad debitè nubendum: v. g. si cum integritate signaculi, & claustri virginalis nupsisset personæ sibi æquali cum 300. Ducatis, & post deflorationem Sponsus prætendat habere 500. V. D. obligatur ad largitionem ducentorum; quia hoc damnum ex culpa V. D. ipsi advenit, Villalobos loco cit. n. 13. Navarrus in Sum. lat. cap. 16. num. 17. & alii.

P. P. R. at deflorata non indiguit majori dote ad nubendum, quàm si nupsisset ut Virgo, parémque aliis sororibus dotem habuit.

C. Ergo in hoc casu V. D. ad nihil obligatur, cùm per stuprum nullum damnum perpessa sit. Lessius lib. 2. de justit. cap. 10. dub. 2. n. 15. & alii.

27. P. P. R. me accuso, quòd aliam cognoverim ipsa consentiente, quam Virginem credebam, re autem ipsa non erat talis.

C. Solicitavítne illam importunis precibus, frequentibus muneribus vel magnis promissionibus?

P. Ita P. R. fortiter solicitavi, & variis modis.

C. Estne persona inferior v. g. ancilla &c.

P. Non P. R.

C. Importunæ preces personæ alicujus authoritatis, ut preces Domini cum sua ancilla, æquivalent violentiæ, ut dicunt communiter DD. etiam quando preces non sunt personæ alicujus authoritatis, sentiunt Medina, Corduba, Cajetanus, & alii, quos citat Diana part. 2. tract. 16. resol. 48. quòd æquipolleant, & reputentur pro violentia, quamvis Lessius, Petrus Navarrus, & Ledesma apud Fagundez in 6. præcept. lib. 6. c. n. 11. §. Alii. Contrarium sentiant, sed sententia Medinæ mihi verior videtur; quia fœminæ labiles sunt, & quando preces invalescunt, eis resistere non valent.

28. Dicat mihi, per hunc accessum advenitne ipsi aliqua infamia, vel diminutio honoris?

P. Ita P. R. in tota terra illa hoc notum factum fuit.

C. Hujus facti publicatio fortè secuta fuit: quia V. D. se jactavit, aut alicui personæ dixit.

P. P. R. non fuit ex mea culpa, sed quia illa alicui personæ in secreto confidit, & quia postmodum fuit divulgatum.

C. Si V. D. fuisset causa infamiæ, teneretur resarcire damna exinde secuta, supplendo per dotem competentem ad nubendum. Major, Navarrus, Petrus à Navarra, quos citat, & se-

ſequitur Baſſæus verb. Stuprum num. 15. in ſupplemento & alii, quos citat, & ſequitur Bonacina tom. 1. de Matrim. q. 4. punct. 17. n. 7. & 9.

Attamen, ſi V.D. non fuit cauſa hujus publicationis, vímque non intulit, ad nihil obligatur. Baſſæus loco cit. Villalobos tom. 2. tract. 11. diffic. 30. n. 16. Fagundez in 6. præcept. Decalog. lib. 6. cap. 5. n. 10. §. Dicendum tamen eſt; quia hæc obligatio reſtitutionis vel debet fundari in violatione hujus fœminæ, vel in infamia ſecuta: non in primo; quia illa voluntariè (ut ſupponitur) conſenſit, & ſcienti, & volenti non fit injuria: Neque in ſecundo: quia ipſamet fuit cauſa ſuæ infamiæ: ergo V.D. ad nullam compenſationem obligatur.

29. P. P. R. me accuſo, quòd diu cujusdam puellæ domum frequentaverim, & ſæpiùs eam ſolicitaverim, illa tamen nunquam conſenſit.

C. Deſideravítne eam vi cognoſcere?

P. P. R. non habui intentionem vim inferendi.

C. Secundùm doctrinam ſuperiùs allatam, quòd, quando Virgo voluntariè conſentit, non ſit ſtuprum: deſiderium V.D. non habet malitiam ſtupri; quia deſiderium habet eamdem, quam habet objectum; ſed cognoſcere virginem ſine violentia non eſt ſtuprum: ergo nec deſiderium hoc modo eam cognoſcendi. Quare advertant hìc Confeſſarii, quòd in hac opinione, quando aliquis accuſat ſe habuiſſe deſiderium cognoſcendi Virginem, non debeant ipſum condemnare peccati ſtupri, ſed ſolùm quando deſideravit vi eam cognoſcere.

30. Mihi dicat, per frequentationem domus hujus puellæ perdidítne illa ſuum bonum nomen?

P. Ita P.R. populus credidit, me ſuum deturpâſſe honorem.

C. Scivítne illa, quòd hæc ſit populi opinio de ſua perſona propter hujusmodi frequentationem.

P. Ita P. R.

C. Intravítne V.D. domum contra ejus voluntatem, vel cum conſenſu?

P. P. R. illa permiſit, liberè intrare, & ſpontaneè mihi ingreſſum dedit.

C. Si V. D. intrâſſet domum ſuam contra ejus voluntatem, obligaretur damna hujus infamiæ reſarcire ſupplendo per dotem competentem ad proportionem deperditi honoris; ſed cùm illa in ingreſſum liberè conſenſerit ignorando proprium ex hinc dehoneſtamentum in populo, non obligatur ad reſtitutionem ullius rei. Ita Molina tract. 3. diſp. 106. concl. 10. & alii, citat. & ſequitur P. Baſſæus verb. Stuprum in Supplem. num. 6. Conſtat etiam ex ſuprà dictis.

31. P. P. R. me accuſo, quòd in mea pueritia frequenter Juvenculas tetigerim, eáſque deoſulatus fuerim.

C. Ex oſculis illis, ac tripudiis ſentiebátne oriri pollutionem, ſive commotionem partium verendarum?

P. ali-

P. aliquando P. R. & aliquando feci ex puro joco.

C. Tactus in partibus venereis ſemper ſunt peccata mortalia, quod etiam dicendum eſt de oſculis, & amplexibus, ſive tactibus manũm ſine rationabili cauſa habitis, quando inde oritur commotio in eiſdem partibus.

Sed quando tactus ſunt leves: v. g. manuum, vultûs, aut aliquod oſculum ſine dicta commotione ſolùm ex aliqua levitate, vel urbanitate ſunt tantùm peccata venialia: ita Cajetan. in Sum. verb. Impudicitia. Navarrus in Sum. hiſpanica cap. 16. n. 21. Graſis, quem citat, & ſequitur Murcia tom. 1. diſq. lib. 2. diſp. 3. reſol. 13. num. 6. & alii. Attamen hæc opinio practicari non poteſt poſt Decretum Alexandri VII. qui in Propoſit. 40. damnat ut ſcandaloſam aſſertionem, quòd oſculum habitum ſolius delectationis ſenſibilis causâ absque alio turpi fine non ſit peccatum mortale, & meritò; quia hæ ſunt materiæ nimis periculoſæ, rarò enim, vel nunquam contingit, quin puritas in ſimilibus tactibus maculetur, videatur explicatio dictæ Propoſit. 40. part. 2. hujus praxis tract. 17. n. 258. ubi de oſculis, tactibus, aliisque levitatibus fit quæſtio.

CAPUT VI.

De ſimplici Fornicatione, Habitu peccandi, & Occaſione proxima.

32. P. P. R. confiteor, quòd poſt ultimam confeſſionem tribus vicibus cum muliere expoſita peccaverim.

C. putavítne V. D. quòd accedere ad mulierem expoſitam ſit peccatum mortale? Hoc interrogo; quia quamplures ex plebe rem permiſſam, & licitam pro eodem, & indiſtinctè ſumunt, nam ex eo, quòd multis in locis ad evitanda majora mala permittantur domus publicæ (O Deus! quò devenit malitia, & licentia humana) exiſtimant licitum eſſe adire, & frequentare ejuſmodi domus. Quare neceſſarium eſt, ut Confeſſarius ſimiles admoneat, quòd hæc coacta permiſſio nulli licentiã peccandi tribuat.

P. P. R. ſcivi optimè, hoc eſſe peccatum mortale.

C. Certum eſt, quòd fuerit peccatum mortale ſcivítne V. D. cujus conditionis fuerit illa fœmina?

P. Dicebant aliqui, quòd fuerit maritata, ego tamen pro certo non ſcivi.

C. Si fuiſſet libera, & pariter V. D. libera, fuiſſet peccatum ſimplicis fornicationis; cùm autem V. D. illam notitiam habuerit, & dubitaverit, an fuerit maritata, vel non, nec ab illo dubio ſe liberare ſtuduerit, commiſit peccatum adulterii; quia operari cum dubio in quacumque materia eſt peccatum mortale ejuſdem ſpeciei, ac peccatum commiſſum cum perfecta cognitione, quemadmodum, qui jurat cum dubio, an res ſit vera, vel non, committit perjurium; quia ſe exponit periculo falsè jurandi: ergo hoc idem eſt in noſtro caſu.

33. Dixítne V. D. alicui, hanc fœminam esse expositam?

P. Ita P. R. duobus meis amicis, qui mecum venerunt, idémque peccatum commiserunt.

C. Hi amici fuerúntne liberi?

P. Ita. P. R.

C. Súntne invicem consanguinei, vel sunt consobrini V. D.

P. Sibi invicem sunt consobrini primi.

C. Ergo secundus horum, qui accesit ad hanc mulierem, comisit peccatum incestûs; quia ex copula habita cum primo contraxit mulier affinitatem cum secundo; cùm illi duo consobrini sint in secundo gradu consanguinitatis, & usque ad secundum gradum contrahitur affinitas per copulam illicitam, quorum peccatorum fuit V. D. causa notificando ipsis hanc mulierem esse peccato expositam; ruina autem, quam V. D. in illis causavit, est scandalum generale, quod respectu unius subjecti reducitur ad speciem simplicis fornicationis, & respectu alterius ad speciē incestus juxta dicta tract. 5. cap. 7.

34. Nunc mihi dicat, hoc peccatum quod modò confessa est V. D. éstne peccatum relapsûs?

P. Ita P. R. jam fui confessus in aliis confessionibus, quòd fuerim in hoc relapsu.

C. Quantum temporis est, quòd V. D. in hoc peccatum ceciderit?

P. P. R. alia peccata jam fui confessus.

C. Hoc nihil refert; quia ad ferendum judicium de animæ suæ statu necessariò scire debeo qualitatem suarum cicatricum, an sint inhabituatæ, vel non, ad applicandam medicinam convenientem.

Quando pœnitens accusat se deliquisse contra hoc præceptum, Confessarius eum interrogare debet, an peccatum sit relapsûs, vel habitûs ad formandum verum judiciū, utrùm sit absolutionis capax secundùm Decretū Innocentii XI. Proposit. 60. de quo loquar tract. super hanc Propositionem n. 204. & seq.

35. P. P. R. confiteor etiam, quòd habuerim quosdam accessus ad mulierem solutam.

C. Commorantúrne ambo simul in eâdem domo?

Hæc quoque interrogatio est necessariò facienda, quandocumque pœnitens accusat se deliquisse in hoc præcepto ad formandum judicium, an sit in occasione proxima constitutus, & an ipsi deneganda sit absolutio secundùm idem Decretum Innocentii XI. Proposit. 61. & 63. de quo etiam tractabo tract. 10. n. 225. ubi explicabo has, & alias Propositiones ab eodem Sancto Pontifice damnatas.

P. Ita P. R. ambo in eadem domo commoramur.

C. Quantum temporis est, à quo cum hac persona hujusmodi amicitiam inivit?

P. P. R. præterita jam fui confessus, modò

modò tantùm ab ultima confessione commissa confiteor.

C. Nihil refert, necessarium enim est, ut sciam, an V.D. sit in occasione proxima constituta, ut remedia opportuna applicare valeam; adeóque temporis in hac mutua Conversatione consumpti conscuis esse debeo.

P. Erunt duo anni circiter, quòd hanc familiaritatem habeam.

C. Quoties cecidit in hoc peccatum cum illa persona ?

P. Post ultimam confessionem cecidi quater, vel quinquies in hebdomada.

C. Et in antè actis confessionibus quoties ?

P. Jam fui omnia confessus.

C. Jam dixi, hoc nihil referre; quia ad ferendum judicium, an occasio sit proxima, necessarium est, ut sciam frequentiam relapsuum præteritorum, & præsentium, ut videam; an sit emendatio aliqua, vel spes emendationis.

P. Ante præteritas confessiones peccavi ita frequenter parum plus, vel minùs.

C. V.D. habuit semper voluntatem dispositam, & determinatam ad peccandum adveniente occasione?

P. P. R. aliquando, & maximè, quando confiteri intendebam, firmiter proposui, me non velle ampliùs peccare, attamen talis, & tanta est mea fragilitas, ut cùm eam viderem, continere non potuerim.

C. Nónne Confessarii ipsi imposuerunt, ut eam dimittat?

P. Ita P. R.

C. Quoties fuit ipsi impositum?

P. Tribus, vel quatuor vicibus.

C. Et quare illam non dimisit?

P. P. R. illa est mea ancilla, si eam ejicerem de domo, magnum subirem detrimentũ quia similem invenire non possẽ pro bono meæ domus servitio.

C. Hæc est occasio proxima, & voluntaria: siquidem illi prætextus, quos V.D. allegat, non sunt sufficientes, ut in tanto periculo animæ suæ permanere possit, ut dicam part. 2. hujus praxis tract. 12. cap. 1. n. 11. & n. 14. & seq. & tract. 17. n. 270. & seq. in explicatione Propositionis 41. ab Alexandro VII. damnatæ, ubi ex professo hunc casum tango; ubi videri possunt forma, modus, & tempus denegandi absolutionem ob hujusmodi proximam occasionem.

CAPUT VII.

De Sacrilegio.

36. P. P. R. dico meam culpam, quòd semel Virginem in Religione Deo dicatam desideraverim.

C. In quo statu fuit V. D. tunc temporis?

P. Fui uxoratus.

C. Virgo concupita fuítne Deo dicata per vota solemnia facta in professione?

P. Ita P. R.

C. Hoc desiderium habet tres malitias specie distinctas: unam contra virtu-

tutem castitatis: alteram contra justitiam; & tertia est species sacrilegii contra votum Virginis Deo sacratæ: non fuit tamen necessarium dicere, quòd sit Deo dicata in Religione, satis erat dicere, se desiderasse peccare cum persona votum castitatis habente; ut cum Soto, & aliis docet Thomas Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 25. n. 2. & plures alii, qui dicunt, quòd votum simplex, & solemne castitatis non distinguantur specie, sed solùm aggravent intra eamdem speciem; estque opinio probabilissima, non esse necessariò explicandas in confessione circumstantias aggravantes, ut docent S. Thomas in 4. dist. 9. q. 3. art. 2. S. Bonaventura, Scotus & alii plurimi, quos citat, & sequitur Diana part. 1. tract. 5. resol. 1. ergo non est necessarium in confessione explicare, quòd sit Religiosa, sed sufficit dicere, quòd votum castitatis habeat.

Hoc non obstante securior est opinio illorum, qui dicunt, debere explicari, an votum sit simplex, vel solemne; ita Layman, & alii apud Dianam ibid. resol. 4. vide partem secundam hujus praxis tract. 14. cap. 6. num. 47. Sed si talis Religiosa esset Novitia, necdum voto castitatis obstricta, in hoc casu non esset sacrilegium: & si V. D. habuisset desiderium ingrediendi clausuram, aut extrahendi talem Virginem professam, ipsius peccatum haberet adhuc aliam malitiam.

37. P. P. R. dico meam culpam, quòd bis habuerim tactus illicitos cum virgine in Ecclesia.

C. Habuítne penes pollutionem?

P. Ita P. R. semel tantùm.

C. Tactus per se, nisi sequatur pollutio, non habent malitiam sacrilegii ob Sacri loci circumstantiam, ut docent Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 15. n. 21. Coninch. de Sacram. disp. 7. dub. 4. n. 22. & alii. Ratio est; quia malitia sacrilegii respectu loci sacri non fundatur in Lege naturali, sed in positiva, quæ assignat actiones, per quas Ecclesia violatur: atqui ex Lege positiva solùm violatur per effusionem sanguinis, aut seminis, & non per solos tactus impudicos: ergo hi tactus, quos V. D. in Ecclesia habuit, non habent malitiam sacrilegii.

38. Ex hac ratione videtur inferri; quòd pollutio, aut copula habita in Ecclesia, si est occulta, non habeat malitiam sacrilegii, quod cum Vasquez affirmat, & docet Basilius de Ponte lib. 10. de Matrim. cap. 10. n. 15. quia quando copula, aut pollutio est occulta, non violatur Ecclesia, nec per illam indiget reconciliatione.

Contrarium tamen mihi videtur verius, quòd, quamvis copula, vel pollutio sit occulta, habeat malitiam sacrilegii, idque defendunt Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. cap. 7. num. 4. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 15. num. 11. Bonacina de Matrim. q. 4. punct. ult. num. 7. & alii. Ratio est; quia malitia actionum humanarum habetur

tur in ipso fieri actionis, & non in facto esse, in quo statu considerata non est capax contrahendi malitiam, quam non habuit in fieri; quia, quod à principio non subsistit, tractu temporis non coalescit: ergo ex eo, quòd actio in facto esse fiat nota, & publica, non sequitur, quòd fiat pejor, quàm fuerit in fieri, seu in actuali sui productione: ergo si in fieri, seu in actuali sui productione ex eo, quòd fuerit occulta, non fuit sacrilegium, neque erit, licèt postmodùm in facto esse publicetur, & fiat notoria.

39. Idcirco illi, qui dicunt, quòd, quando pollutio, vel copula est occulta, non habeat malitiam sacrilegii, sed quando est publica, meo judicio necessariò sic discurrere debent: quando fuit elicita actio, vel fuit periculum morale notoreitatis, & publicationis, vel non? Si non fuit, quamvis fuerit postmodùm publicata, jam illa actio præterita nō poterit ampliùs esse sacrilegiū; quia hæc publicatio est tantùm accidens superveniens actui jam in suo esse completo: si verò fuit periculum morale publicationis, quamvis aliàs occulta remanserit per accidens, jam habuit malitiam sacrilegii; quia, qui se periculo peccandi exponit, peccat, & committit eandem malitiam peccati, cujus periculo se exposuit: atqui pollutio publica est sacrilegium: ergo etiam erit se exponere periculo hujus publicationis.

40. P. P. R. dico meam culpam, quòd semel habuerim opportunam occasionem peccandi cum persona votum castitatis habente; & pro tunc nec peccavi, neque peccare desideravi, sed postmodùm me pœnituit tam opportunam peccandi occasionem neglexisse.

C. Per hanc displicentiam peccavit peccato sacrilegii, ita, ut in displicentia peccati non commissi contineatur eadem specie malitia, quæ continetur in ipsomet peccato, ut commisso; quia hæc displicentia est virtuale desiderium peccandi: sed desiderium peccandi habet eandem specie malitiam, quam habet ipsum peccatum: ergo etiam displicentia de non commisso peccato.

CAPUT VIII.

De Sacramento Matrimonii.

CUm in hac materia comprehendantur multi tractatus adinvicem differentes, ad procedendum cum distinctione dividam hoc caput in partes: & quia pariter hìc dantur plura propriè ad fœminas spectantia, subdividam aliquas partes, in quibus specialim de illis agetur.

Pars prima.

De Sponsalibus ex parte Viri.

41. SUppono, quòd Sponsalia sint mutua promissio de futuro Matrimonio contrahendo inter personas legitimas. Dicitur mutua promissio ad significandum, quòd in sponsali-

ſalibus fiat contractus oneroſus, vi cujus Sponſi obligantur ſub peccato mortali contrahere Matrimonium ſuo tempore; quia omnis contractus oneroſus in materia gravi obligat ſub peccato mortali: ergo, cùm Sponſalia ſint contractus oneroſus, & in materia gravi, obligant ſub mortali, niſi fortè poſtmodùm diſſolverentur ex aliqua causa noviter occurrente: Dicitur de futuro Matrimonio contrahendo ad differentiam ſponſalium à Matrimonio rato, quod contrahitur de præſenti coram facie Eccleſiæ præſente Parocho, & teſtibus.

42. Additur inter perſonas legitimas; quia ad Spõſalia requiritur, ut perſonæ contrahentes ſint habiles, præcipuè autem requiritur uſus ratiõis: ideóque infantes carentes uſu rationis contrahere non poſſunt usque ad ſeptennium, ex cap. litteras, & cap. acceſſit de Sponſal. impuber. Nec poſſunt contrahere amentes, ebrioſi, nec qui ſunt in Ordine ſacro, vel profeſſi in aliqua Religione: requiritur etiam, ut promiſſio ſponſalium ſit mutua, & à Sponſis acceptata, celebretúrque per aliquod ſignum ſenſibile; non eſt tamen neceſſarium, ut fiat coram teſtibus, nec ut fiat ſcripto, vel tactu manuum, vel dono aliquo, ſed ſufficit verbalis mutua promiſſio, quam inter ſe ſponſi faciunt.

43. P. P. R. me accuſo, quòd contraxerim ſponſalia cum una puella, quæ tamen adimplere diu diſtuli.

C. Promiſit fortè fictè? quia ſi promiſſio fiat animo ficto, ſponsalia non ſunt valida in foro conſcientiæ, nec obligant ad ſui adimpletionem per ſe, quamvis per accidens poſſint obligare propter damnum, quod puella pati poſſet, ſi hoc publicaretur cum aliqua ſui infamia.

P. P. R. verè ex corde, & voluntariè hoc ipſi promiſi.

C. Habuítne legitimam cauſam pro differenda executione datæ promiſſionis? quia ſicut interveniente juſta cauſa ſponsalia diſſolvuntur, ſic eadem causa poſſunt etiam differri.

P. P. R. nulla causa dilationis mihi occurrit.

C. Determinarúntne diem certum pro adimplenda ſponſalium fide? quia in hoc casu debet adimpleri tempore præfixo, niſi causa differendi occurrat, vel per mutuum conſensum contrahentium differatur, & prolongetur tempus aſſignatum.

P. P. R. nullum diem certum determinavimus.

C. Puella inſtitítne pro celebrando Matrimonio?

P. Non P. R.

C. Quando in ſponſalibus non aſſignatur certum tempus pro contrahendo Matrimonio, poteſt differri, usque dum altera pars id petat, & requirat, tunc enim adimpleri debet; niſi occurrat juſta causa ulteriùs differendi, ſic docent cum Sanchez Hurtadus, & alii, Diana part. 3. tract. 4. re-

resol. 145. quia sicut in aliis debitis, in quibus pro satisfactione non est tempus assignatum, non currit obligatio ea solvendi, usque dum altera pars prætendat, sic sponsalia non obligant ad sui adimpletionem, quando pro iis adimplendis præfixum tempus non assignatur, usque dum altera pars hoc exposcat & requirat.

44. P. P. R. non habeo animum illam puellam ducendi in uxorem.

C. Habétne V. D. justum, & rationabile motivum non ducendi eam in uxorem?

P. Ita P. R.

C. Qualenam motivum est hoc? forsan, quia opinabatur esse Virginem, postmodùm verò novit non ita esse in re, quia in hoc casu sponsalia non obligant.

P. P. R. non est ista causa.

C. Forsan V. D. existimavit illam esse divitem, pulchram; & posteà fuit experta, non esse talem? etenim in hoc casu pariter dissolvi possunt sponsalia? quia sicut possunt dissolvi, quando supervenit notabilis deformitas, vel paupertas Sponsæ, quæ anteà erat dives & pulchra, ita etiam possunt dissolvi, quando ex suppositione, quòd hujusmodi qualitatibus fuerit prædita, postmodùm tamen iisdem carere deprehenditur. Sic Palaus tom. 5. disp. 2. de Sponsal. punct. 29. num.

P. Nec est ista causa.

C. Fortè: quia illa liberè cessit: & renuntiavit juri suo, & V. D. hoc acceptavit? ideóque ex mutuo consensu obligatio dissolvitur per illam regulam Juris cap. 1. in 6. Res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.

P. Neque ista est causa.

C. Forsitan; quia illa diu absuit à Patriâ, & in longinquam Regionem discessit? quia possunt etiam dissolvi sponsalia, quando una pars absque consensu alterius abiit in Regionem longinquam, seu diu abest à loco, ubi contraxit sponsalia, nec brevi tempore speretur ipsius reditus: ita cum aliis Leander à Sacram. part. 2. tract. 9. disp. 2. q. 30.

P. Nec hæc causa est.

C. Fortè: quia supervenit aliquod impedimentum dirimens cognationis legalis, vel affinitatis? ex hac enim causa possunt dissolvi sponsalia, nisi pars, quæ causa impedimenti fuit, se obliget ad petendam dispensationem. vide Leandrum ibid. q. 38. & q. 36.

P. P. R. nullum impedimentum supervenit.

C. Fortè: quia sponsa fuit ipsi infidelis habendo copulam cum alio? quia si hoc esset, V. D. non obligaretur illam ducere, sive jam liberè, sive per vim fuisset ab altero viro cognita, quocumque enim modo id contigerit, censetur facta esse mutatio valde notabilis in Sponsa, ideóque poterit licitè talis Sponsus à sponsalibus resilire: & hoc verum est: quamvis Sponsus habuisset copulam cum alia muliere,

re, nam longè ignominiosiùs est, Sponsum ducere uxorem fornicariam, quàm Sponsam ducere virum fornicarium; & cùm in tali casu delicta valdè sint imparia, non possunt inter se compensari. Vide Bassæum verb. Sponsal. 3. num. 5.

P. Nec fuit ista causa.

C. Qualis ergo fuit?

P. Quia rescivi, permisisse post sponsalia se ab alio viro impudicè tangi per oscula, & amplexus.

C. Scítne V. D. pro certo?

P. Ita P. R.

C. Estne hoc jam notorium?

P. Ita P. R.

C. Fuítne notorium, quòd V. D. cum hac puella sponsalia contraxerit?

P. Non P. R. sed fuit occultum.

C. Est causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia, quando sponsa permittit, ut alii cum ipsa habeant tactus impudicos: sic dicit cum communi Leander à Sacram. Supr. q. 35. quia cum his tripudiis Sponsa graviter frangit fidem suo Sponso debitam, & Sponsus cum fundamento dubitare potest, quòd illa, quæ in uno ipsi infidelis est, etiam in aliis infidelis sit extitura; quia malus semel, præsumitur semper malus in eodem genere mali cap. Semel. de reg. Jur. 6. Et cùm sit certum, quòd hæc puella habuerit talia tripudia, quamvis sint occulta, non indiget V. D. authoritate Judicis pro resiliendo à sponsalibus; etenim cùm sint occulta, nullum exinde sequetur scandalum, vel damnum huic puellæ, licèt V. D. propria authoritate resiliat à sponsalibus contractis. Vide Palaum ubi supr. punct. 31. per totum.

45. P. P. R. pariter me accuso, quòd contraxerim sponsalia cum alia puella; posthac Religionem ingredi proposui, sicque à contractis sponsalibus resilire.

C. Antequam contraheret sponsalia, emisítne votum Religionis? quia si hoc votum emisisset, deberet Religionem ingredi; nisi Summus Pontifex dispensaret; vel si post contracta sponsalia deflorâsset virginem hujus voti insciam, tunc in utroque casu tam dispensationis, quàm deflorationis obligaretur illam ducere. Leander Supr. q. 5. Hoc idem dico, si V. D. esset voto castitatis obstricta: Attamen si puella alterutrius ex his votis conscia, nihilominus liberè suum ei tradidisset corpus cum mutuo consensu contrahendi Matrimonium, non obligaretur illam ducere; cùm enim noverit adesse impedimentum, obligationémque voti præcedere, sibi imputare debet damnum ex copula, & sponsalibus secuturum; quamvis ad conservandum mulieris honorē consultum esset suadere illi, qui eam violavit, ut impetret dispensationem voti ad eam in uxorem ducendam.

P. P. R. nullum votum emisi antecedenter, nec castitatis, nec Religionis.

C. Fecítne V. D. posteà votum castita-

ftitatis, Religionis, vel Ordines ſacros ſuſcipiendi? quia cùm copula cum muliere non præceſſerit, ex opinione probabili poſſent ſponſalia diſſolvi per votum caſtitatis, Religionis, vel Ordinis ſacri poſt ſponſalia emiſſum. Vide Baſſæum verb. Sponſal. 3. num. 9.

P. Neq; aliquod horum votũ emiſi.

C. Habuitne copulam in his ſponſalibus?

P. Non P. R.

46. C. Cùm non habuerit copulam, tunc licitè V. D. à ſponſalibus reſilire poteſt ad habitum Religionis aſſumendum: ita colligo ex Pontio, Soto, & Navarro, quos ſequitur Diana part. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 208. qui docent, nec peccare recipientem ſacros Ordines illum, qui contraxit ſponſalia; quia in ſuo contractu hæc tacita conditio ſemper includitur: Niſi meliorem ſtatum elegero, te ducam in uxorem: Sed ſic eſt, quòd ſit melior, & perfectior ſtatus Religioſi, quàm uxorati: ergo &c. Secundò; quia longè major, & ſtrictior eſt obligatio, quæ oritur ex Matrimonio rato; quàm quæ oritur ex ſponſalibus: ſed qui contraxit Matrimonium ratum, poteſt Sponſam relinquere, & Religionem intrare: ergo hoc idem licitum erit illi, qui contraxit ſponſalia.

Dices contra hoc. Perfectior eſt ſtatus cœlibatûs, vel continentiæ, quàm ſtatus Matrimonii, & hoc non obſtante non eſt licitum illi, qui celebravit ſponſalia, ab iis reſilire ad eligendum dictum ſtatum cœlibatûs, vel continentiæ in ſæculo, ut docet cum Sanchez, & aliis Caſtropalaus tom. 5. diſp. 1. de Sponſal. punct. 20. n. 6. ergo quamvis ſtatus Religionis, aut Sacerdotii ſit perfectior ſtatu Matrimonii, non erit licitum reſilire à ſponſalibus contractis ad recipiendos Ordines ſacros, vel Religionem intrandam. Reſpondeo primò negando ſuppoſitum, quòd cœlibatus, vel continentia in ſæculo ſit ſtatus; quia hoc nomen ſtatus derivatur à verbo ſto, quod ſignificat ſtare cum aliqua firmitate, & conſtantia: ſed vita cœlebs in ſæculo præſciendendo ab Ordine ſacro, vel Religione non eſt ſtabilis, nec immobilis: ergo non eſt ſtatus: ergo quamvis in ſponſalibus virtualiter includatur conditio: Niſi meliorem ſtatum elegero, non poterunt diſſolvi ſponſalia ad eligendam vitam cœlibem in ſæculo. Reſpondeo ſecundò quòd, quamvis ſit probabilius, non poſſe diſſolvi ſponſalia contracta per votum continentiæ, vel cœlibatûs in ſæculo emiſſum, attamen non caret probabilitate opinio, quòd ſponſalia per votum continentiæ diſſolvantur; ut videri poteſt in Palao ubi ſup. num. 5. & num. 6.

47. Advertendum eſt, quòd, quando dicimus, ſponſalia diſſolvi in aliquibus caſibus, nempe ſuperveniente paupertate, infirmitate, deformitate, vel longâ abſentiâ alterius Sponſi, &c. intelligatur, liberum eſſe parti immuni

ni à ſponſalibus reſilire, non tamen parti obnoxiæ, & deficienti; adeóque ſi pars immunis nolit reſilire, & ad alia vota ſe transferre, neque pars obnoxia id poterit: v. g. Petrus celebravit ſponſalia cum Joaña, Joanna habet tactus inhōeſtos cum aliis, per quod datur Petro poteſtas reſiliēdi à contractu; ſi Petrus cedendo ſuo Juri vellet illam ducere, Joanna non poteſt ipſi denegare. Joannes contrahit ſponſalia cum Maria, ille abit in Regiones longinquas per multum tempus abs que conſenſu Sponſæ, quamvis huic licitum ſit nubere alteri, & à ſponſalibus reſilire, ſi tamen vellet nubere Joanni, hic aliam ducere, & à ſponſalibus reſilire nequit. Et hoc modo diſcurrendum eſt de aliis ſimilibus caſibus.

48. P. P. R. etiam me accuſo, quòd, cùm Religionem intrare non potuerim, ex conſenſu puellæ ab initis cum ea ſponſalibus reſiliverim, deinde aliam ſub promiſſione eam ducendi in uxorem violavi.

C. Hæc promiſſio fuítne vera, & ſeria, vel tantùm ficta?

P. Fuit ficta.

C. Hæc puella fuítne notabiliter inferioris conditionis?

P. Non P. R.

C. Et in qualitatibus?

P. Ita P. R. illa fuit valdè pauper, & ego ſatis dives.

C. Si promiſſio fuiſſet ſeria, & ex corde facta, licèt inter ipſos magna eſſet inæqualitas, tam in conditione, quàm divitiis, V. D. teneretur illam ducere; quia ſi promiſſio eſt vera, ſponſalia ſunt vera, & verus contractus oneroſus: ſed cōtractus oneroſus, & vera ſponſalia obligant ſub peccato mortali ad executionem: ergo &c.

Hoc idem dico, quamvis promiſſio eſſet ficta, ſi aliàs ambo eſſent æquales, & V. D. cognoviſſet illam puellam vi promiſſionis factæ; ut docet S. Thomas in 4. diſt. 28. q. unica art. 2. ad 4. Leſſius lib. 2. de juſtit. cap. 10. de Injuriis per Stuprum dub. 3. n. 2. Sanchez lib. 1. de Matrim. diſp. 10. n. 3. & alii.

49. Cùm autem ſint notabiliter inæquales in conditione, non obligatur illam ducere, ſiquidem ſub promiſsione ficta eamdem cognovit, in ſententia Sāchez loco cit. n. 6. Navarrus in Man. cap. 16. n. 18. Rodriquez tom. 1. Sum. in 2. editione cap. 208. n. 8.

Neque ſuppoſita hac ficta promiſsióne vir valde dives tenetur ducere mulierem valde pauperem à ſe cognitam, licèt ſint paris conditionis, ita Sanchez, & Navarrus loc. cit. Sylveſter verb. Matrim. 4. n. 8. & alii, quos citat, & ſequitur Fagundez in 6. Præcept. lib. 6. cap. 5. n. 13. §. Nec item.

Ratio totius hujus doctrinæ eſt; quia, quando eſt notabilis inæqualitas in conditione, vel divitiis, habet fundamentum fœmina ſibi ſuadendi, & ſuſpicandi de ficta Matrimonii promiſſione: ergo ſi poſita hac notitia copiam ſui corporis faciat, clarum eſt, quòd

quòd se expōat prævisô periculo proprii damni sibi imputandi, cùm voluntariè se decipi permiserit habendo sufficiens fundamentum fraudis.

Contrarium tamen,& benè, docet Castropalaus ubi suprà disp. 1. de Sponf. punct. 2. n.3. nempe, quòd solus excessus in nobilitate aut divitiis non sit sufficiens fundamentum, ut fœmina noscere possit, quòd talia sponsalia sint ficta; quia satis frequenter contingit, quòd viri nobiles, & divites ex nimio affectu ducant in uxores pauperes, & sibi longè inferiores mulieres: ergo solus excessus nobilitatis, vel divitiarum non est sufficiens fundamentum, ut fœmina sibi suadeat sub falsa promissione sponsalia secum iniri; ideóque, cùm non habuerit aliud fundamentum judicandi promissionem non esse seriò factam, in dicto casu maneat obligatio eam ducendi in uxorem; sed si habeat aliud sufficiens fundamentum, quo noscere possit promissionem esse fictam, in hoc casu vera erit opinio Sanchez & aliorum suprà relatorum, quia in hoc casu verificatur, quòd voluntariè,& propria passione ducta in sui deceptionem consenserit. Videatur supra hoc punctum Leander à Sacram. p. 2. tract. 9. de Matrim. disp. 1. q. 16.

50. P.P.R. me iterum accuso, quòd contraxerim sponsalia cum una puella & postmodùm Matrimonium cum altera iniverim.

C. Habuítne V.D. aliquam causam ineundi Matrimonium cum secunda?

P. Secunda à me fuit cognita sub promissione ducendi eam in uxorem.

C. Cognovítne etiam primam?

P. Non P. R.

C. Est opinio Basilii de Ponte lib. 12. de Matrim. cap. 14. n.4. Coninch, & Rebelii cum Diana part. 3. tract. 4. resol. 210. quòd prima sponsalia facta sine copula dissolvantur per secunda, in quibus copula intervenit: & ratio est; quia quando duo concurrunt, in quorum uno includitur, & intenditur tantùm assecutio boni, in altero verò evitatio mali, priùs debet attendi ad evitandum malum, quàm ad consequendum bonum; in contractu cum prima, cum qua non interfuit copula, solùm intenditur consecutio boni, id est Matrimonii, & in contractu cum secunda, cum qua interfuit copula, intenditur evitatio damni, quod ortum fuit ex tali copula: ergo debet magis attendi ad contractum cum secunda, quàm cum prima.

Verum tamen est, quòd V.D. præter peccatum commissum contra castitatem ex copula habita cum secunda, peccaverit etiam contra justitiam; quia per prima sponsalia prior acquisivit Jus ad Matrimonium: sed contrahendo sponsalia cum secunda cum copula reddidit impossibilem contractum Matrimonii cum prima: ergo peccavit contra justitiam.

De Sponsalibus ex parte Fœminæ.

51. P. P. R. confiteor, quòd contraxerim sponsalia cum Adolescente, cum quo posteà inivi Matrimonium; hic tamen, si scivisset me virginem non esse (prout defacto non eram) me non duxisset in uxorem.

C. Pro resolutione hujus, & aliorum casuum suppono, dari aliquos defectus perniciosos Matrimonio: alios verò non quidem perniciosos, reddunt tamen minùs appretiabile: perniciosi sunt, infirmitas contagiosa, vel gravis infamia: non perniciosi sunt: v. g. si quis opinetur fœminam esse pulchrã, divitem, aut virginem, quæ in re tamen non est talis: Sponsalia celebrata cum defectibus perniciosis invalida sunt, & licèt hi defectus superveniant sponsalibus jam contractis, nihilominus ea dissolvunt: Sponsalia verò contracta cum defectibus non perniciosis non sunt invalida; licèt dent Jus ad ea invalidanda; ut dictum est num. 44. Est doctrina Basilii de Ponte lib. 10. de Matrim. cap. 18. n. 5. & 6. Coninch de Sacram. disp. 23. dub. 12. num. 91. & seq.

Loquendo de defectibus non perniciosis, potest fœmina eos occultare, ne Sponsus in eorum cognitionem veniat, si sine mendacio fieri potest.

52. P. P. R. etiam confiteor, quòd ille Adolescens noluerit ampliùs me ducere in uxorem, & ego obligaverim ipsum per Justitiam ad servandam promissionem.

C. Mihi dicat: fuitne Domina prima quæ ipsum induxit ad contrahenda secum sponsalia, vel fuit ille primus inducens Dominam?

P. P. R. ille me quæsivit, & solicitavit ad ineunda secum sponsalia; adeóque ad ejus instantiam eadem contraxi.

C. Cùm ille fuerit primus, qui V. D. induxit ad celebranda secum sponsalia, & Domina acceptaverit sine dolo, & fallacia, potuit non obstante hoc defectu eum ad adimplendam promissionem factam obligare: sic sentiunt Coninch, & Basilius de Ponte locis cit. & pro probabili affirmat Diana p. 3. tract. 4. resol. 287. cum Sanchez lib. 1. de Matr. disp. 68. n. 4. qui docent, quòd, quando defectus non sunt perniciosi, possit pars defectuosa obligare Sponsum ad implendam sponsalium fidem, quando ille priùs induxit ad contractum: sed ille defectus integritatis est defectus non perniciosus; ergo &c.

Hoc non obstante, contrarium tamen mihi verius videtur; quia aliud est se habere passivè, vel permissivè; & aliud se habere activè dissimulando defectus perniciosos: quando Sponsus vult Matrimonium, Sponsa se habet permissivè, & tunc potest illos occultare ad conservandam indemnem suam famam; sed quando Sponsa ex justitia obligat Sponsum ad Matrimonium, illa se habet activè, & cùm possit resilire, ad idem tamen adimplendum

dum compellit, quod facere non deberet decipiendo conjugem cum suis defectibus. Vide Castropalaum supra punct. 30. num. 7. & 8.

Pars secunda.

De Impedimentis impedientibus Matrimonium.

53. Hæc differentia est inter impedimenta dirimentia, & impedientia; quòd Matrimonium contractum cum impedimento dirimente sit illicitum, & invalidum, contractum verò cum impedimento impediente; licèt sit validum, est tamen illicitum.

Quatuor sunt impedimenta, quæ hodie sunt in usu, quæque Matrimonium impediunt: nempe, votum Castitatis, votum Religionis, si sunt vota simplicia: sponsalia contracta cum alia persona: & vetitum Ecclesiæ; id est, quando Ecclesia ex aliqua rationabili causa prohibet, ne contrahatur hoc, vel illud Matrimonium; dicta impedimenta in his versibus continentur.

Votum simplex Castitatis
Votum simplex Religionis,
Sponsalia, & vetitum Ecclesiæ.

54. Per nomen votum simplex castitatis, ad hoc, ut Matrimonium impediat, non solùm intelligitur votum perfectum totalis castitatis, sed etiam votum non cognoscendi fœminam, votum recipiendi Ordines Sacros: sed votum non fornicandi, aut non peccandi contra castitatem, non est impedimentum impediens Matrimonium. Et ratio est; quia copula Matrimonii non est fornicatio, nec peccatum contra castitatem: ergo emittens votum non fornicandi, aut non peccandi contra castitatem non habet impedimentum impediens Matrimonium.

55. Secundum impedimentum impediens est votum simplex Religionis, per quod non intelligitur votum emissum in Professione Religiosa, quia hoc non est simplex, sed solemne, & dirimens Matrimonium: Hoc idem dico de voto castitatis emisso à Religioso in Professione, quod pariter non est simplex, sed solemne, & dirimens Matrimonium. Qui emisit votum simplex castitatis, vel Religionis, non potest licitè contrahere Matrimonium absque prævia dispensatione, irritatione, vel commutatione voti à facultatem habente obtentâ. Et solus Summus Pontifex dispensare potest in his votis, quando sunt perfecta, & absoluta, quando verò sunt conditionata, vel temporalia potest in iis dispensare Ordinarius, vel ea commutare Confessarius virtute Bullæ, secundùm id, quod suprà dictum est tract. 2. cap. 4. part. 3. & 4.

56. Tertium impedimentum sunt sponsalia; Qui enim hæc contraxit cum una persona, non potest Matrimonium contrahere cum altera, nisi priùs prædicta sponsalia justè fuissent soluta ex consensu primæ sponsæ,

vel ex alia rationabili causa juxta dicta n. 43. 44. & 45. anteced.

Quartum impedimentum est vetitum Ecclesiæ, nempe, quando Superior ex justa causa prohibet Matrimonium, & hoc impedimentum non tollitur, donec cessante causa prohibitionis Superior concedat licentiam illud contrahendi: v. g. Petrus voluit cum Maria contrahere Matrimonium, ex quo secutura essent odia, inquietudines; quapropter Episcopo hunc contractum prohibente non possunt licitè contrahere, donec Episcopus talem facultatem concedat.

57. Sunt & alia duo impedimenta impedientia; Primum est quodcumque peccatum mortale: & secundum, si non præcedant Proclamationes à Concilio statutæ; de his loquar part. 3. sequenti. De peccato mortali dico, quòd sit impediens: quia impedimentum impediens est illud, cum quo contrahendo Matrimonium committitur peccatum mortale: atqui, contrahere Matrimonium in peccato mortali, est peccatum mortale Sacrilegii; cùm sit Sacramentum vivorum, quod recipi debet in gratia, ergo peccatum mortale est impedimentum impediens, quod per confessionem, vel per actum contritionis cessat.

Hìc notandum, contrahentem Matrimonium in peccato mortali non committere duo sacrilegia, ex eo, quòd sit Minister talis Sacramenti, & simul recipiens, sed unum solùm; quia indignè Sacramentum recipit; sic Leander à Sacram. part. 3. tract. 9. disp. 4. q. 11.

58. P. P. R. dico meam culpam, quòd post emissum absolutum castitatis votum absque dispensatione Matrimonium contraxerim.

C. Imprimis V. D. peccavit mortaliter contrahendo Matrimonium cum hoc impedimento.

Mihi dicat, postquam contraxit Matrimonium, petiitne debitum, vel solummodò reddidit?

P. Tunc, & posteà multoties petii.

C. Non obstante hoc voto V. D. debitum reddere tenetur, quando uxor, vel tacitè, vel expresſè petit; quia, cùm validum sit Matrimonium, uterque conjux tenetur ex justitia reddere debitum: sed non obstante hoc V. D. voto est Matrimonium validum: ergo ex justitia tenetur reddere.

Verum tamen est, quòd, quoties V. D. petiit, toties graviter peccaverit; quia contracto Matrimonio adhuc obligatur observare votum, in quantum potest absque injustitia conjugis: ergo obligabatur ad observandum: Probo minorem; quia nullus conjugum tenetur ex justitia debitum petere. Tam una, quàm altera resolutio est certa, & communis, videatur P. Bassæus verb. Votum 3. n. 9. Layman. tract. 10. n. 4. cap. 3. n. 6.

59. Nec potuit licitè reddere debitum primis duobus mensibus, in quibus

bus fuit contractum Matrimonium ratum, & non consummatum; quia hoc tempore in ambobus contrahentibus est libertas non consummandi, & intrandi Religionem: ergo hoc tempore potuit non reddere absque uxoris gravamine: ergo vi voti castitatis obligabatur non reddere, cùm votum semper omni modo possibili debeat observari.

Hoc idem contingeret, si conjux adulterium committeret, vel divortium legitimum faceret, in eo enim casu neque debitum reddere posset, & ita votum adimplere. vide Layman. lib. 5. tract. 10. part. 13. cap. 1. num. 10.

60. P. P. R. quis potest mecum dispensare, ut debitum petere valeam?

C. In primis dico, quòd possint Episcopi; possunt etiam Religiosi mendicantes, qui facultatem, & commissionem à suis PP. Provincialibus habent Rodriquez tom. 1. q. 63. art. 1. Portel in dub. Regul. verb. Abbas num. 5. & verb. Confessor erga sæculares n. 18. & 23. Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 4. cap. 43. num. 10. Pariter possunt dicti Religiosi dispensare, ut possit petere debitum ille, qui propter incestum cum consanguinea suæ uxoris intra secundum gradum jus petendi amisit. Ex privilegio Martini 5. dummodò in hoc specialem etiam habeant facultatem à suis PP. Provincialibus; ut dicit Sairus in Clavi Regia l. 6. cap. 11. n. 98. Rodriquez q. 63. art. 1. Henriquez l. 7. de Indulg. cap. 28. n. 6. R. P. Leander à Murcia super 7. cap. Regulæ N. P. S. Francisci q. 8. select. §. 2. n. 43. Leander à Sacram. tom. 2. tract. 9. disp. 24. q. 17. in fine, & Machadus tom. 1. lib. part. 5. tract. 3. doc. 1. n. 2. addunt, non esse necessarium, ad hoc, ut dicti Religiosi dispensare possint, quòd habeant specialem licentiam à suis PP. Provincialibus; & hoc pro probabili tenet Diana part. 10. tract. 14. & 4. Miscel. resol. 20.

61. P. P. R. vi hujus dispensationis, quam mihi concedit vel Episcopus, vel Regularis, possémne mortuâ meâ uxore aliam ducere?

C. Non Fili; quia hæc dispensatio solùm conceditur ad hoc, ut possit debitum petere ab uxore, quam nunc habet, sed mortuâ istâ reviviscit votum; adeóque ad licitum contrahendum aliud Matrimonium requiritur dispensatio summi Pontificis. Bassæus verb. Votum 3. num. 9.

62. P. P. R. dico pariter meam culpam, quòd emiserim votum Religionis, & hoc non obstante uxorem duxerim.

C. Scivítne V. D. quòd sit grave peccatum cum hoc voto ducere uxorem?

P. Ita P. R.

C. Consummavit jam Matrimonium?

P. Ita P. R.

C. Fuítne secum dispensatum in voto, antequam illud consummârit?

P. Non P. R.

C. Novitne se graviter peccaturum consummando Matrimonium sine prævia dispensatione voti?

P. Ita P. R.

C. Certum est, quòd ille, qui post emissum votum Religionis contrahit, & consummat Matrimonium absque dispensatione voti, peccet mortaliter, & quòd primis duobus Mensibus, ex quo duxit uxorem, Matrimonium consummare nequeat. Ratio est; quia potest exequi votum, & non exequitur, & qui non exequitur, dum potest, peccat graviter: sed sic est, quòd primis duobus Mensibus post contractum Matrimonium possit observare suum votum intrando Religionem: ergo peccat graviter consummando hoc tempore, quomodocumque consummet sive reddendo, sive petendo. Et etiam elapsis his duobus mensius, quos Lex Matrimonium contrahentibus ad liberè intrandam Religionem concedit, peccant graviter, si consummant Matrimonium petendo, & reddendo debitum; quia quamvis prætereant dicti duo Menses, licitum est cuicumque contrahentiũ intrare Religionem nondum consummato Matrimonio; imò licèt prætereant multi Menses & ann. ut dicit cum communi Leander à Sacram part. 2. tract. 9. disp. 5. q. 26. consummato autem Matrimonio sive sit ante, sive post hos duos menses non est licitum intrare Religionem: ergo consummando Matrimonium, quamvis præterierint duo Menses, non potest votum adimplere: ergò peccat graviter consummando, sed consummato jam Matrimonio, licèt per hoc peccaverit, illicitum nõ erit petere, & reddere debitum; sic Palaus part. 5. tract. de Sponsal. diffic. 3. punct. 4. §. 8. num. 3. quia votum intrandi Religionem non est votum formale castitatis: ergo quamvis ille, qui post emissum votum castitatis contraxit Matrimonium, non possit petere etiam consummato Matrimonio; poterit tamen petere, & reddere, qui uxorem duxit post emissum votum Religionis.

63. Dices contra hoc. Qui voto castitatis adstrictus contraxit Matrimonium, quamvis primis duobus mensibus non possit consummare Matrimonium petendo, vel reddendo debitum, elapsis autem his duobus Mensibus potest consummare Matrimonium reddendo, licèt non possit petendo; ut docent Sotus Corduba, & alii, quos refert, & citat Leander à Sacram. supr. disp. 25. q. 66. ergo hoc idem debet dici de eo, qui contraxit Matrimonium post emissum votum Religionis; nempe, quòd non poterit nec reddere, nec petere debitum primis duobus mensibus, elapsis autem his duobus mensibus poterit Matrimonium consummare reddendo, non autem petendo.

Respondeo primò, quamvis isti Authores affirment esse probabile, quod dictum est de voto castitatis: contraria

ria tamen opinio eſt pariter probabilis, quòd etiam elapſis his duobus menſibus non poſſit reddere debitum in conſummatione Matrimonii ille, qui poſt emiſſum votum caſtitatis idem contraxit, ita affirmant Alenſis, Scotus, Richardus, Major, Navarrus, Azorius, Sanchez, & alii, quos citat Leander ibid. Reſpondeo ſecundò, dato, quòd antecedens ſit verum, nego tamen conſequentiam: diſparitas eſt; quia ille, qui emiſit votum caſtitatis non tenetur intrare Religionem ad obſervandum votum; imò poteſt perſeverare in Matrimonio contracto, in quo perſeverans elapſis duobus primis menſibus conjux jam habet actionem, & jus petendi debitum, & qui emiſit votum, non habet jus ipſi negandi: ergo debet reddere: ſed qui contraxit Matrimonium poſt emiſſum votum Religionis tenetur intrare Religionem; & ſicut conſummando Matrimoniũ ſive reddendo, ſive petendo non poteſt ingredi Religionem, ideò non poteſt illud conſummare nec petendo, nec reddendo debitum.

Pars Tertia.

De Proclamationibus, vel Denuntiationibus.

64. P. R. me accuſo, quòd Matrimonium iniverim ſine ſolitis præviis proclamationibus.

C. Fuerunt omiſſæ omnes tres, vel unica tantùm? quia juxta opinionem probabilem non eſt peccatum mortale omittere unam proclamationem, quando certum eſt moraliter nullum ſubeſſe impedimentum; ut cum Sanchez dicit Villalobos tom. 1. tract. 13. diffic. 24. num. 3.

P. P. R. omnes tres fuerunt omiſſæ.

C. Fuerúntne omiſſæ cum diſpenſatione Ordinarii? quia ex juſta cauſa poteſt Ordinarius in omnibus tribus, vel in aliqua earum diſpenſare; & hanc facultatem quivis Epiſcopus contrahentium habet, quando ſunt ex diverſo Epiſcopatu; ut dicit Villalobos ibid. num. 6. Juſtæ cauſæ ad diſpenſationem obtinendam ſunt: v. g. timor, ne malitioſè impediatur Matrimonium, & pudor contrahentium, ſenium inconſtantia: ſtatûs diſparitas, metus ſcandali, infamiæ, incontinentiæ, vel aliæ cauſæ ſimiles, quas Authores aſſignant.

P. P. R. Epiſcopus in his denuntiationibus non diſpenſavit.

C. Quomodò ergo absque his Matrimonium contraxit?

P. P. R. Parochus fuit aliquantulum ignorans, adeóque ipſi propoſui, adeſſe magnum periculum ob dilationem Matrimonii, & hac de cauſa eas omiſit.

65. C. Quamvis juxta opinionem Machadi, & aliorum, quos citat Leander à Sacram. part. 2. tract. 9. diſp. 7. q. 67. Parochus in aliquo caſu valdè urgenti poſſit diſpenſare in denuntiationibus: contrarium tamen eſt tenendum, & ſequendum; quia Sacrum Concilium Tridentinum ſolùm Ordinariis,

nariis, & non Parochis tribuit facultatem diſpenſandi; quapropter V. D. peccavit graviter contrahendo Matrimonium ſine prævìis denuntiationibus; neque ſolùm peccavit graviter contrahendo, verùm etiam conſummando, & toties peccavit, quoties ſuam uxorem cognovit: quia toties ſe expoſuit periculo habendi copulam fornicariam haud præmiſſis dictis denuntiationibus, quandoquidem potuit adeſſe aliquod impedimentum occultum, quod mediantibus denuntiationibus publicatum fuiſſet: ergo per harum omiſſionem ſe expoſuit periculo cognoſcendi ſuam uxorem cum dicto impedimento, & conſequenter ſe expoſuit periculo patrandi copulam fornicariam; quamvis aliqui defendant ſi certò conſtat nullum adeſſe impedimentum, licèt ſit grave peccatum contrahere abſque denuntiationibus; copulas tamen poſtmodùm cum uxore habendas non fore peccata, ut videri poteſt in Baſſæo verb. Matrim. 4. n. 6.

66. P.P.R. me accuſo, quòd aliud Matrimonium contraxerim, licèt præceſſerint tres denuntiationes, non tamen ſolitæ cæremoniæ.

C. Quænam circumſtantiæ defuerunt? forſan, quòd non fuerint factæ in Eccleſia; quia quamvis ſit rationabile, ut fiant in Eccleſia, eſt tamen opinio gravium Authorum dicentiũ, poſſe fieri in Oratorio, vel juxta Eccleſiam, alióve loco confluente magno populo.

P. P. R. hoc non defuit.

C. Fortè, quòd non fuerint factæ inter Miſſarum ſolemnia; quia securè fieri poſſunt alio tempore, quo populus convenit ad Eccleſiam, vel ad audiendam concionem, vel ad recitandum Roſarium.

P. Neque hoc defuit.

C. Forſitan, quòd non fuerint factæ die Feſtivo? docent enim aliqui, quòd etiam fieri poſſint die feriali, qua magnus populi concurſus habetur in Eccleſia. Baſſæus ſupr. num. 7.

P. Nec fuit iſta causa.

C. Fortaſſis? quia non fuerunt factæ tribus Feſtis continuis? quia, quamvis ſit tutiùs, & practicandum, ut fiant tribus diebus feſtivis non immediatis, ut ſunt Feſta Paſchalia; continuis tamen, qui feriatis quidem diebus, nullo tamen feſto interpolentur: dicunt tamen aliqui DD. quòd poſſint publicari tribus diebus continuis Paſchæ: vel ſecundùm alios diebus feſtivis etiam non continuis: v. g. ſi una denuntiatio fiat in Dominica, licèt altera non fiat Dominica immediatè ſequenti, ſed Dominica ſubſequenti, adimpletur hæc Lex. Vide Leandrum ubi ſupr. q. 52. & q. 53.

P. Nec hoc defuit.

C. Qualis ergo circumſtantia fuit omiſſa?

P. P. R, ego, & mea uxor habuimus domicilium in diversa Parochia, & denuntiationes fuerunt tantùm factæ

ctæ in mea, non verò in altera uxoris Parochia.

C. Ipsius uxor habuítne diu domicilium in illo loco?

P. Non P. R. imò modico tempore.

C. Et ejus Genitores etiam habuerunt domicilium in eodem loco?

P. Genitores ejus fuerunt neutrales: quia habuerunt domicilium semper in mea Parochia, modico verò tempore morati sunt in altera, ubi mea uxor nata est, quæ adhuc parvula venit cum Genitoribus habitare in meo loco.

C. In hoc casu sufficit, quòd denuntiationes fuerint factæ in loco V. D. quia finis faciendi has denuntiationes in ambobus locis contrahentium est, ut habeatur certa notitia, an adsit aliquod impedimētū, de quo faciliùs habetur notitia, si fiant in ambabus Parochiis; sed iste finis cessat in nostro casu; quia licèt ipsius uxor nascèbatur in alio loco, vixit tamen cum Genitoribus in loco V. D. ergo &c. Videatur Leander loco cit. q. 48. & 49. Villalobos supr. num. 5. Diana part. 3. tract. 4. de Sacram. resol. 235. Bassæus verb. Matrim. 4. num. 7.

Pars quarta.

De Impedimentis Dirimentibus.

67. In sequentibus versibus ponuntur impedimenta dirimentia, ut ordinariè Summistæ ponere solent.

Error, conditio, votum, cognatio, Crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis Affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.
Raptáve sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

68. Error, qui dirimit Matrimonium, debet esse substantialis, id est Personæ, & non accidentalis, id est qualitatum: v. g. Petrus desponsavit sibi Mariam opinando Mariam esse Joannam, cum qua Matrimonium contrahere voluit: hic error dirimit Matrimonium, nisi cum expressa harum qualitatum conditione contraheretur.

69. Conditio: Qui contrahit Matrimonium cum Maria serva putans eam esse liberam, nullum est Matrimonium. Si autem Petrus scivisset Mariam esse servam, & hoc non obstante voluntariè contraxit cum ea Matrimonium, hoc Matrimoniū est validum.

70. Votum. Votum solemne emissum in Religione approbata ab Ecclesia dirimit etiam Matrimonium; votum verò simplex non dirimit, sed solùm impedit; ut dixi num. 55.

71. Cognatio. Tria sunt vincula cognâtionis, quæ dirimunt Matrimonium: primum est spirituale, & hoc contrahitur per Sacramentum Baptismi, vel Confirmationis, inter baptizā-

 tem,

tem, & baptizatum, & inter suscep-torem sive Patrinos, & ipsum baptiza-tum, Patrem, & Matrem ipsius bapti-zati, sive confirmati & inter baptizan-tem, & patrinos: sed Patrini inter se nullam contrahunt cognationem.

72. Secundum vinculum est cogna-tio legalis, quæ procedit ab adoptio-tione perfecta, quæ cognatio dirimit usque ad quartum gradum juxta sen-tentiam aliquorum, & juxta alios us-que ad secundum gradum; quamvis Castropalaus dicat, quòd solùm diri-mat inter adoptantem, & proles ad-optati, quæ erant sub sua potestate tempore adoptionis: & inter ipsum adoptatum, & proles adoptantis, quæ tempore adoptionis erant sub patria potestate; & inter adoptantem, & uxorem adoptati; & inter adopta-tum, & uxorem adoptantis.

73. Tertium vinculum est cognatio carnalis, hoc est, consanguinitatis, & affinitatis; utraque dirimit usque ad quartum gradum inclusivè, tam in li-nea recta, quàm in transversali æqua-li, vel inæquali: vide infrà num. 77.

Porrò ad dignoscendum gradus cog-nationis inter consanguineos, vel affi-nes sequentes arbores viam aperiunt.



ARBOR CONSANGUINITATIS IN LINEA RECTA ET TRANSVERSALI.

Transversales (Fratres)		Ascendentes	Transversales (Sorores)	
Propatruus. Frater Proavi gr. 1. cum. 4.	Iſte eſt Filius hujus.	Abav. gr. 4.	Hæc eſt Filia hujus.	Proamita Soror Proavi gr. 1. cum. 4.
Patruus Magnus Frater Avi gr. 1. cum. 3.	Iſte eſt Filius hujus.	Proav. gr. 3.	Hæc eſt Filia hujus.	Amita magna Soror Avi gr. 1. cum. 3.
Patruus. Frater Patris. gr. 1. cum. 2.	Iſte eſt Filius hujus.	Avus. gr. 2.	Hæc eſt Filia hujus.	Amita Soror Patris. gr. 1. cum. 2.
Frater Filii. gradus 1.	Iſte eſt Filius hujus.	Pater. gr. 1.	Hæc eſt Filia hujus.	Soror Filii gradus 1.

Aſcendentes à TITIO in linea recta.

Aſcendentes à TITIO in linea recta.

TITIUS, & ille, quorum Cognatio & Gradus quæritur.

Conſang. Titii in lin. transv. inæquali.	Deſcendentes à TITIO in linea recta.	Conſang. Titii in lin. transv. inæquali.
Proles Fratris Titii. gr. 1. cum. 2.	Filius gradus 1.	Proles Sororis Titii. gr. 1. cum. 2.
Nepotes Fratris Titii. gr. 1. cum. 3.	Nepos gradus 2.	Nepotes Sororis Titii. gr. 1. cum. 3.
Pronepotes Fratris Titii. gr. 1. cum. 4.	Pronepos gradus 3.	Pronepotes Sororis Titii. gr. 1. cum. 4.
	Abnepos. gradus 4.	

Deſcendentes à TITIO in linea recta.

§. I.

Explicatur Arbor Consanguinitatis in linea recta.

74. In hac Arbore tres sunt lineæ, una est recta, & duæ transversales, in linea recta ponuntur ascendentes à Petro (vel ab alia quacumque persona, cujus gradus cognationis quæritur.) In una linea collaterali, vel transversali ponuntur Patrui Petri, Fratres ipsius ascendentium, & consobrini ipsius Petri, proles fratris ipsius. In alia linea ponuntur Amitæ Petri, sorores ipsius ascendentium, consobrini Petri, & proles ipsius Sororis. Infra ostendam regulas, quomodo cognosci possit gradus consanguinitatis in linea transversali: hìc verò explico regulas lineæ rectæ.

Prima regula cognoscendi gradum consanguinitatis in linea recta est: quot generationes sunt, tot sunt gradus: Pater & filius sunt in primo gradu, quia inter istos est tantùm una generatio; Nepos & Avus sunt in secundo, quia inter istos sunt duæ generationes; una Patris, qui est filius Avi; altera Filii, qui est Nepos Avi. Proavus est in tertio gradu cum Pronepote, quia inter istos sunt tres generationes, una, quâ Proavus generavit Avum; altera, quâ Avus generavit Patrem, tertia, quâ generavit Pater filium, qui est pronepos Proavi.


Secunda regula est, si inter personas descendentes non sit alia persona intermedia, sunt in primo gradu: v. g. Pater & Filius, quia inter istos non est alia persona intermedia, Nepos & Avus sunt in secundo, quia inter istos mediat Pater; Abnepos & Abavus sunt in quarto gradu, quia inter istos mediat Proavus, Avus, & Pater.

Tertia regula est: Quot sunt personæ, demptâ unâ, quæ est Stipes, à quo aliæ procedunt, tot erunt gradus: v. g. Proavus & Pronepos sunt in tertio gradu; quia demptâ personâ Proavi, qui est Stipes, manent tres, Avus, Pater, & Filius.



AR-

ARBOR CONSANGUINITATIS IN LINEA TRANSVERSALI ÆQUALI




§. II.

Explicatio lineæ transversalis æqualis.

75. IN hac Arbore sunt duæ lineæ collaterales, quæ sunt duo rami, vel duo fratres, qui nascũtur ab eodem Stipite, qui est ipse Pater. Regula cognoscendi, quomodo isti distent ab eorum stipite, fuit explicata in prima Arbore; & distantia, vel gradus, quo sunt inter se duæ lineæ transversales, cogno-

ſcitur ex hac regula, ita quòd in linea transverſali æquali tantùm diſtent inter ſe, quantùm diſtant à Stipite: v. g. duo fratres ſunt inter ſe in primo gradu, cum eodem Patre. Duo Primi conſobrini ſunt inter ſe in ſecundo gradu, quia quivis eorum ſunt in ſecundo gradu cum Stipite, qui eſt amborum Avus. Conſobrini ſecundi inter ſe ſunt in tertio gradu, quia eodem modo ſunt cum Proavo ipſorum, qui eſt ſtipes. Conſobrini tertii ſunt inter ſe in quarto gradu, quia in eodem gradu ſunt cum Stipite, qui eſt eorum Abavus.

ARBOR CONSANGUINITATIS IN LINEA TRANSVERSALI INÆQUALI.




§. III.

§. III.


Explicatur Arbor Lineæ transversalis inæqualis.

76. Regula cognoscendi in quali gradu consanguinitatis sint personæ inæqualiter distantes à Stipite, est, quod in eodem gradu, quo magis est distans à Stipite, sit cum eodem Stipite, & cum personis, quæ procedũt ab eodem Stipite v. g. Petrus filius Joannis est cum Antonio fratre Joannis in secundo, quia taliter distat ab Avo, qui est Stipes, unde natus est Joannes in secundo gradu, licèt Antonius sit in primo gradu cum eodem Avo.

Michaël Filius Francisci, est in tertio gradu cum Paulo primo consobrino Francisci Patre Michaëlis; quia Stipes, à quo processit Paulus, fuit Proavus Michaëlis, à quo Michaël distat tribus gradibus, ita, quòd semper debeat adverti Stipes, à quo processit magis distans illo, & gradus distantiæ, in quo erit iste, erit etiam cum illis, qui sunt consanguinei in linea transversali inæquali, in qua linea transversali inæquali sunt Patrui cum Nepotibus, & Nepotes cum Amitis.



ARBOR QUÆ EST AFFINITATIS.



§. IV.

Explicatur Arbor Affinitatis.

77. Affinitas provenit ex copula apta generationi, sive sit copula licita, ut est ea, quæ habetur inter conjugatos; sive illicita, ut ea, quæ habetur inter solutos. Inter has duas copulas hæc est distinctio, quòd in copula licita extendatur affinitas usque ad quartum gradum inclusivè; in illicita verò solùm usque ad secundum inclusivè: ita, ut Maritus contrahat affinitatem cum omnibus consanguineis eorum in eodem gradu, in quo est ejus uxor; nam cum consanguineis in primo gradu consanguinitatis uxoris contrahit affinitatem in primo gradu, & cum consanguineis in secundo gradu contrahit affinitatem in secundo, & sic de tertio, & quarto discurrendum est. Eamdem cognationem affinitatis contrahit uxor cum consanguineis Mariti; sed consanguinei uxoris nullam affinitatem contrahunt cum consanguineis Mariti, nec hi cum uxoris consanguineis; quia una affinitas non causat aliam affinitatem.

Hoc idem dicendum de affinitate procedente ex copula illicita, sed tantùm usque ad secundum gradum inclusivè; quia ulteriùs non se extendit; cæterùm contrahitur eodem modo, quo affinitas proveniens ex copula licita.

§. V.

Explicantur alia impedimenta dirimentia.

78. Crimen, hoc impedimentum contrahitur per adulterium, & homicidium conjugis commissum ab alterutro ex adulteris cum promissione ineundi Matrimonium cum illo, cum quo commisit adulterium.

Cultus disparitas: indicat, quòd Catholici non possint validè contrahere Matrimonium cum Gentilibus, vel Judæis; si verò contrahant cum Hæreticis, validum erit.

79. Vis. Vis injusta, & metus gravis, seu injustè cadens in constantem virum ab extrinseco dirimit Matrimonium, non autem, quando est levis, non cadens in constantem virum, & ab intrinseco: v. g. Petrus, postquam defloravit Mariam, ex metu Dei offensæ, vel gehennæ, ducit eam in uxorem; hic metus est ab intrinseco, & non dirimit Matrimonium cum Maria contractum, nec, quando est vis justa, licèt sit ab extrinseco: v. g. Petrus Mariæ deflorator à Judice hanc ducere obligatur; non obstante hac vi extrinseca Justitiæ Matrimonium est validum; quia justè eum obligat.

80. Ordo. Ordo Sacer dirimit Matrimonium: Ordines vero Minores nec impediunt, nec dirimunt.

Ligamen significat, quòd uxoratus non possit vivente uxore ducere aliam; quia talis esset Polygamus.

81. Honestas, hoc est justitia publicæ honestatis, ob quam nemo potest contrahere cum consanguineis illius, cum qua contraxit sponsalia, vel Matrimonium ratum: Impedimentum

publicæ honestatis proveniens ex sponsalibus validis solùm dirimit Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, vel transversalis: v. g. Petrus celebravit sponsalia valida cum Joanna, non potest posteà eadem celebrare cum Matre, vel sorore Joannæ, benè verò cum consobrina, vel alia consanguinea extra primum gradum. Impedimentum publicæ honestatis ex Matrimonio rato proveniens se extendit usque ad quartum gradum inclusivè: v. g. Petrus contraxit Matrimonium cum Maria, post hunc contractum non potest cum alia consanguinea Mariæ intra quartum gradum contrahere.

82. Si sis Affinis. Nec affines possunt simul Matrimonium contrahere, absq; dispensatione: Copula licita causat affinitatem usq; ad quartũ gradum inclusivè, illicita verò solùm usque ad secundũ inclusivè: v. g. Petrus contraxit Matrimoniũ cũ Maria, vi consummationis Matrimonii cum dicta Maria, quæ est copula licita, contrahit affinitatem cum omnibus consanguineis Mariæ intra quartum gradum. Joannes cognovit Antoniam per copulam illicitam, non potest hic contrahere Matrimonium cum aliqua consanguinea Antoniæ intra secundum gradum propter affinitatem contractam, benè verò cum aliis consanguineis in tertio, & quarto gradu.

83. Si fortè coire nequibis. Impotentia tam ex parte fœminæ, quàm ex parte viri; tam ex magia, quàm ex causa naturali, si est perpetua, dirimit Matrimonium. Impotentia dicitur, quando vir vas muliebre penetrare, ibique seminare nequit.

84. Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis: significat, quòd Matrimonium clandestinum, nempe absque Parochi, & duorum testium assistentia celebratum sit nullum, & invalidum.

85. Rapta denotat violentem abstractionem fœminæ de uno domicilio, vel loco ad alium Matrimonii cum ea contrahendi causa.

Hanc generalem, & compendiosam explicationem horum impedimentorum tradere volui, ad hoc, ut ea ignorantes succinctam eorum notitiam habeant, mox verò fusiùs impedimenta, quæ frequentius accidere solent explicabo.

Pars Quinta.

De impedimento Criminis.

86. P. P. R. confiteor, quòd fœminæ prædictæ, cum qua illam pessimam amicitiam habui, promiserim, quòd mortua mea uxore velim eam in uxorem ducere.

C. Præter peccata Luxuriæ, quæ V. D. cum eadem patravit, commisit etiam unum aliud ob hanc circumstantiam, quòd eam ducere promiserit, ut dicit Bassæus verb. Matrim. 7. §. 6. n. 26. Abbas, Nevus, & alii quos omisso nomine citat, & sequitur Villa-

lalobos part. 1. tract. 14. diffic. 11. n. 11. quia per hanc promissionem dedit ei motivum exoptandi mortem suo Marito.

C. Acceptavítne illa hanc promissionem?

P. Ita P. R.

C. Illa pariter commisit novum peccatum acceptando promissionem ex eadem causa; ut dicunt DD. citati.

87. Repromisítne illa, quòd mortuo suo Marito velit V. D. nubere?

P. Ita P. R. ambo dedimus mutuam promissionem contrahendi Matrimonium secuta morte alterius consortis.

C. Ergo V. D. contraxit cum ea impedimentum criminis, quod consistit in adulterio cum promissione futuri Matrimonii acceptata ab altero adultero; ita docent Layman, tract. 10. part. 4. cap. 10. n. 4. §. Quinta conditio. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 7. num. 21. & alii. Sed ad contrahendum hoc impedimentum requiritur mutua promissio utriusque adulteri de contrahendo Matrimonio; ita sentit Henriquez, & Bellarmin, quos citat pro probabili Layman, loco cit. quapropter V. D. scire debet, quòd intereunte sua uxore non possit cum ista persona contrahere Matrimoniū; quia obstat impedimentum criminis.

88. P. P. R. pariter confiteor, quòd cum altera conspiraverim interficere uxorem meam veneno.

C. Consensítne illa persona?

P. Ita P. R.

C. Fuítne hoc factum cum promissione ducendi eam postmodùm in uxorem?

P. Ita P. R.

C. Et ambo dederunt suum mutuum consensum?

P. Ita P. R.

C. Secutáne fuit ex hoc mors uxoris?

P. P. R. omnem diligentiam impendimus, sed effectus mortis non fuit secutus.

C. Supposito peccato uxoricidii intentionaliter commisso impedimentum criminis V. D. non contraxit, quia effectus mortis non fuit secutus, ut dicunt DD. communiter, videatur Villalobos loco cit. num. 2.

Unde ad hoc impedimentum criminis contrahendum requiruntur duo delicta nempe adulterium cum mutua promissione contrahendi Matrimonium, & uxoricidum, vel viricidium cum eadem mutua promissione effectu mortis secuto. Si verò solùm ex odio, rancore, vel causâ licentiùs vivendi Maritus occidat uxorem, vel hæc Maritum absque promissione, & animo contrahendi postmodùm Matrimonium, non contrahitur dictum impedimentum Criminis, neque quando ignoratur, quòd his delictis sit annexum dictum impedimentum secundùm opinionem aliquorum, quam pro nunc non decido, an vera sit, vel falsa.

Pars sexta.

De impedimento Coactionis, vel violentiæ.

89. P. P. R. dico meam culpam, quòd nullo præcedente affectu erga uxorem, quam habeo, Matrimonium metu Parentis cum ea iniverim.

C. Fuítne ipsius Parens adeò terribilis, & asperæ conditionis, ut V. D. prudenter timere potuerit, quòd, nisi Matrimonium secundùm suum geniũ iniisset, indignationem ejus, asperitates, & rigores experta fuisset?

P. P. R. aliquod convitium, & asperitatem timui, non tamen tantùm, quantum sibi R. P. imaginatur.

C. Huic indignationi, quam V. D. in ipsius Parente timuit, fuerúntne adjunctæ preces importunæ, & frequentes suasiones, quibus parens institit, ut juxta suum genium uxorem duceret?

P. Ita P. R. preces fuerunt vehementer importunæ, ac sæpius repetitæ à parente ad extorquendum hunc consensum.

C. Est cõmunis doctrina Theologorum, & Canonistarum, quòd violentia injusta, & gravis metus incussus ad extorquendum Matrimonium in utroque foro illud irritet, ut suprà dixi explicando hanc particulam vis in impedimentis dirimentibus num. 76.

Sed metus reverentialis Filii erga parentem non irritat Matrimonium, nisi sit conjunctus cum minis, vel cum timore malæ tractationis, vel cum alio gravi incomodo ex indignatione parentis secuturo; hujusmodi enim metus est cadens in constantem virum injustè incussus à causa libera ad extorquendum consensum, adeóque dirimit Matrimonium; ut dicit Thomas Sanchez lib. 4. de Matrim. disp. 6. n. 14. Lessius, & Cqninch, quos citat, & sequitur Layman. Tract. 10. part. 2. cap. 5. num. 3. quod non contingit, quando metui reverentiali solùm leves minæ, vel modicæ indignationes sunt annexæ. Et ratio hujus assertionis est, quia ideò metus, & violentia irritant Matrimonium, quia privant summâ libertate requisita ad consensum, & cõtractum Matrimonii: atqui timor reverentialis præcisè, quamvis aliquæ leves minæ adjungantur, non privat libertate; benè verò quando minæ sunt asperæ, & preces Parentis importunæ: ergo in hoc secundo casu dirimetur Matrimonium, non verò in primo.

Advertendum tamen est cum Layman loco cit. quòd quando Matrimonium jam est contractum, & dubitatur, an timor fuerit gravis, vel levis, debeat ferri judicium in favorem Matrimonii, & credi, quòd metus fuerit levis, sed antequam contrahatur Matrimonium, & solummodò sponsalia sint contracta, ferendum est judicium, quòd metus irritet, quamvis aliàs sit levis.

90. Nunc est necessarium, ut V. D. suum Matrimonium revalidet; ete-

nim, cùm fuerit contractum ex metu, & importunis precibus Parentis jure naturæ fuit nullum, & invalidum.

P. P. R. quomodo debeo facere, ut Matrimonium revalidem?

C. Mihi dicat V.D. fruitúrne pace, & concordia cum sua uxore? & illa éstne sua sorte contenta?

P. Non P. R. quinimo illa est adeò desolata, ut ipsam pœniteat, mecum Matrimonium iniisse ex eo, quòd usque modò incuriosus, & amicitiis parùm bonis deditus fuerim.

C. Estne diu V. D. Matrimonio juncta cum hac uxore?

P. Sunt sex Menses.

C. Postquam V. D. duxit uxorem, renovavítne expressè consensum in Matrimonium ex sua libera voluntate; quia, quando Matrimonium fuit nullum ob defectum liberi consensus in aliquo contrahentium, ut est in casu præsenti, si pars, quæ in hoc defecit, renovet liberum consensum, vel ut meliùs dicatur, noviter consentiat, revalidatur Matrimonium, dummodò hunc novum consensum conjugi manifestet eâ cautelâ mox dicenda: videatur etiam Castropalaus tom. 5. disp. 3. punct. 7. §. 1. num. 6. & 7.

P. P. R. nunquam renovavi consensum in Matrimonium contractum.

C. Desiderátne modò ducere cum ea vitam conjugalem, & perseverare in statu maritali?

P. Ita P. R.

C. Uxor ejus éstne in bona fide, credendo, Matrimonium esse validum?

P. Ita P. R. quia illa ignorat, me cum hoc metu contraxisse.

C. Sequerentúrne inconvenientia, & scandala, si dissolveretur Matrimonium?

P. Ita P. R. maxima orirentur scandala.

91. C. Ergo est necessarium, ut nunc Matrimonium antecedenter invalidũ per novum in illud consensum, & hujus conjugi revelationem revalidetur. Utrùm verò sit necessarium notificare parti ignoranti nullitatem Matrimonii, quando tale nullum fuit ob aliquod impedimentum occultum; dubium est inter DD. affirmant plures, ut sunt Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 36. num. 4. Scotus, Covarruvias, Henriquez, & alii; quamvis Cajetanus, Veracrux, & alii apud Villalobos part. 1. tract. 14. diffic. 32. num. 8. doceant, quòd non sit necessarium parti nullitatem Matrimonii notificare; sed sufficiat, ut ille, ob cujus defectum fuit nullum Matrimonium, revalidet consensum, & quòd ex copula habita cum affectu maritali reddatur validus contractus Matrimonialis; ego tamen hoc consulerem solùm tunc, quando ex manifestatione nullitatis Matrimonii timerentur inconvenientiæ, & scandala ex eo, quòd conjugati vitam in contracto Matrimonio ducant inquietam cum displicentia talis contractûs, vel ob alias causas, quæ dictum timorem causare possent; pro tunc enim

enim non esset necessarium manifestare parti nullitatem Matrimonii, sed solùm supplere consensum modo supradicto, sicque cum copula habita affectu maritali revalidabitur Matrimonium: ut docet Thomas Sanchez loco cit. num. 8. Henriquez, & Petrus Ledesma cum Villalobos ubi suprà §. Sed valdè notandum est.

Ex dictis infertur, quòd si Matrimonium sit nullum ex eo, quia præcessit copula cum aliqua sorore, vel consanguinea in primo, vel secundo gradu conjugis, ex qua copula resultavit impedimentum affinitatis, & hoc sit occultum, non sit necessarium conjugi id ignoranti manifestare, sed sufficiat, ut generaliter ipsi declaret, Matrimonium antè contractum fuisse nullum, ad hoc, ut revalidetur per novum amborum consensum impetratâ tamen priùs dispensatione impedimenti.

Si verò manifestando conjugi ignoranti impedimentum occultum; vel dicendo Matrimonium fuisse nullum, posset sequi grave inconveniens, tunc sufficiet, quòd oblatâ bonâ occasione, & dispositione conjugis ipsi dicat: Amásne me taliter, ut, si Matrimonium nostrum esset nullum, noviter mecum illud inires, si conjux affirmet, revalidatur Matrimonium, quamvis impedimentum ignoret.

Et si pariter ex hoc modo agendi grave inconveniens oriretur, & facilè venire posset in cognitionem nullitatis Matrimonii cum periculo scandali (maximè si tale impedimentum esset ex parte uxoris) tunc potest practicari id, quod dicunt Cajetanus, Veracrux, & alii, quòd copula cum affectu maritali habita revalidet Matrimonium. In hoc casu etiam hanc admittit sententiam Sanchez ubi suprà num. 8.

Advertendum tamen est semper, quòd ante revalidationem Matrimonii invalidi ob impedimentum affinitatis, vel ob aliud impedimentum occultum sit necessarium, ut dispensatio impedimenti impetretur: & nisi sint noviter desponsati, non possunt petere, nec reddere debitum.

92. P. P. R. erítne necessarium, ut consensus revalidetur coram Parocho, & testibus?

C. Hoc non; ita Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 37. num. 3. Navarrus, Ledesma, Henriquez, & alii, quos citat idem Sanchez; quia finis Concilii Tridentini fuit, dum Matrimonia clandestina prohibuit, ut evitentur fraudes, deceptiones, & alia inconvenientia in celebratione contractus matrimonialis, sed quando V. D. contraxit Matrimonium, adfuerunt Parochus, & testes: ergo modò pro revalidatione non erit necessaria eorundem præsentia.

Pars Septima.

De Impedimento publicæ honestatis.

93. P. P. R. dico meam culpam, quòd

quòd post contracta sponsalia cum sorore meæ uxoris cum hac postmodùm Matrimonium iniverim.

C. Hæc sponsalia contracta cum sorore suæ uxoris fuerúntne dissoluta per mutuum consensum?

P. Non P. R. sed tantùm fuit, quòd mortua hac sorore meæ uxoris duxerim aliam.

C. Si sponsalia fuissent dissoluta per mutuum consensum, tunc secundùm opinionem Hurtadi disp. 21. num. 4. & aliorum, non adfuisset impedimentum publicæ honestatis, quamvis Sanchez contrarium teneat non obstante dissolutione sponsalium per mutuum consensum lib. 7. de Matrim. disp. 78. num. 21. Et rationabiliter; quia aliàs hoc impedimentum non esset perpetuum, uti est; adeóque cùm sit ablatùm tantùm per mortem mulieris, per hoc non manet liber ab impedimento publicæ honestatis; quia est sententia communis Theologorum, quòd si semel sint valida sponsalia, quamvis dissolvantur quocumque tandem modo (nisi fortè fiat ex mutuo consensu contrahentium, juxta opinionem suprà allatam) semper verificetur impedimentum publicæ honestatis. Et si soror suæ uxoris nunc viveret, cum neutra posset matrimonium inire: non cum uxore, quam nunc habet, ob impedimentum publicæ honestatis, nec cum sorore suæ uxoris; quia per copulam habitam cum ista contraxit cum alia cognationem affinitatis.

Quapropter est necessarium, ut in hoc impedimento publicæ honestatis secum dispensetur; quia Matrimoniū aontractum cum sua sibi apparente uxore est nullum; cùm verè, & realiter non fuerit contractum.

94. P. P. R. & quis in hoc impedimento mecum dispensabit?

C. Episcopus potest dispensare, cùm impedimentum sit occultum, & matrimonium fuerit contractum in facie Ecclesiæ, & pro vero habeatur. Vide Dianam part. 8. resol. 3.

Vel scribam Episcopo pro facultate obtinenda de qua non dubito; siquidem potestas, quam in hoc casu dispensandi habet, est ordinaria, & consequenter eam delegare potest. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 40. Villalobos part. 1. tract. 14. diffic. 25. num. 7. Ad hoc autem, ut in hoc, & aliis similibus impedimentis Episcopus dispensare possit, requiritur, ut Matrimonium sit bona fide contractum, saltem ex parte unius conjugis. Est communis contra Henriquez lib. 2. cap. 3. n. 2.

Circa modum revalidandi Matrimonium in hoc casu servetur id, quod dictum est part. 6. num. 90. & 91.

Pars Octava.

De Affinitate.

95. P. P. R. confiteor, quòd post consummatum Matrimonium habuerim rem cum consobrina germana meæ uxoris.

C. Se-

C. Seminavítne intra vas illius?

P. Ita P. R.

C. Ut contrahatur affinitas ex accubitu cum consanguinea, necesse est, ut fiat seminatio viri intra vas mulieris, & etiam probabiliter, ut & ipsa foemina seminet: quia requiritur copula apta generationi: sed, nisi detur commixtio seminis utriusque, non est talis probabiliter: ergo &c. Unde, si vir seminat extra vas, nulla contrahitur affinitas.

96. Dicat mihi V. D. scivítne, quòd ex copula cum hac consanguinea suæ uxoris contraheret cognationem cum propria uxore?

P. Ita P. R.

C. Scivítne etiam, quòd per hanc affinitatem amitteret jus petendi debitum ab uxore sua?

P. Non P. R.

C. Ergo, licèt V. D. sciverit, quòd per hanc copulam contraheret cognationem affinitatis, ob ignorantiam autem impedimenti non petendi debitum hanc inhabilitatem non incurrit juxta opinionem multorum DD. apud Thomam Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 27. ita Basilius, Portel, & alii, quos citat Diana part. 3. tract. 5. resol. 12. Et ratio est; quia pœna Ecclesiastica propter aliquod delictum imposita non incurritur à delinquente cum ignorantia ejusdem pœnæ: atqui prohibitio petendi debitum imposita cognoscenti consanguineam suæ uxoris intra secundum gradum est pœna Ecclesiastica ob delictum incestûs: ergo qui hanc pœnam ignorat, eam non incurrit.

97. Consequenter nec incurret dictum impedimentum, qui ignorat, per copulam cum consanguinea uxoris in secundo gradu contrahi affinitatem, nec ille, qui eamdem cognosceret inscius hujusmodi consanguinitatis, vel tantùm conscius consanguinitatis in tertio, vel quarto gradu. Videatur Murcia tom. 1. disq. lib. 2. disp. 3. resol. 23. num. 2. & 3. Paulò pòst explicabo, quænam ignorantia ab incurrendo hoc impedimento excuset.

Ex hac ratione infertur opinio citata num. 88. quam, ut dixi, nec approbo, nec reprobo, quòd adulter, qui contraxit cum adultera, sponsalia de futuro, nempe post mortem suæ uxoris, vel cum intentione contrahendi patravit uxorcidium, si ignoret, quòd huic delicto sit annexa pœna impedimenti Criminis, non incurrat dictum impedimentum; ut affirmant Paludanus, & alii, quos citat, & sequitur Murcia in disq. tom. 1. lib. 2. disp. 4. resol. 22. num. 2.

98. Et si quæritur, quænam ignorantia excuset tam ab incurrendo hoc impedimento, quàm à non petendo debito. Respondeo, quòd non solùm ignorantia invincibilis, sed etiam vincibilis dummodò non sit crassa, vel supina. Et hoc infero ex doctrina Navarri, Sylvestri, & aliorum, quos citat, & sequitur Sanchez de Matrim.

lib.

lib. 9. disp. 32. num. 31. & 32. qui docent, quòd pœnas Ecclesiasticas non incurrat, quamvis ignorantia sit vincibilis, dummodò non sit crassa, vel supina: atqui privatio juris petendi debitum in uxorato habente copulam cum consanguinea suæ uxoris in secundo gradu, & impedimentū Criminis, sunt pœnæ Ecclesiasticæ: ergo, qui has ignorat, quamvis ignorantia sit vincibilis, dummodò non sit crassa, vel supina, in eas non incidet. Vide Murciam ubi suprà resol. 22. & 23. per totum.

99. P. P. R. confiteor etiam, quòd cum altera cognatione juncta meæ uxori rem habuerim ante contractum Matrimonium.

C. Fuitne copula consummata intra vas?

P. Ita P. R.

C. Hæc fœmina fuitne juncta suæ uxori cognatione affinitatis, vel consanguinitatis? quia si solùm cognitione affinitatis esset juncta, V. D. non contraxisset impedimentum, nec ullam cognationem cum propria uxore: v. g. si V. D. cum aliqua Fratria suæ uxoris copulam habuisset, nullam exinde cum uxore cognationem, vel impedimentum contraxisset; quia una affinitas non causat aliam affinitatem.

P. P. R. Fuit in cognatione consanguinitatis.

C. Fuitne consanguinea intra secundum gradum, vel extra? quia ex cognatione consanguinitatis in tertio, & quarto gradu nullum impedimentum ob habitam copulam resultaret, siquidem per copulam illicitam solùm resultat impedimentum in primo, & secundo gradu, non verò in tertio, & quarto: sed supradicta copula fuit illicita: ergo si consanguinea suæ uxoris esset extra secundum gradum, nullum exinde impedimentum oriretur.

P. P. R. fuit consobrina carnalis meæ uxoris.

C. Novitne V. D. quòd illa, cum qua copulam habuit, sit consobrina carnalis suæ uxoris, cum qua posteà Matrimonium contraxit, & quòd ex copula impedimentum affinitatis resultaret; quia si vel unum, vel aliud ignorasset, non incurrisset dictum impedimentum, ut dictum est num. 96. & num. 97. & videri potest in Leandro à Sacram. part. 2. tract. 9. disp. 25. q. 61. & q. 62.

P. Benè novi, eam esse consobrinam carnalem meæ uxoris, ac hujusmodi copulam impedimentum affinitatis parere.

C. Impetravítne dispensationem ad licitè contrahendum Matrimonium?

P. Non P. R. quia Confessarius mihi dixit, ad hoc requiri dispensationem Pontificis, quod cùm mihi nimis arduum, & diuturnum negotium videretur, id intermisi, sicque cum hac mala fide contraxi.

C. Absque dubio novit, se peccatū grave sacrilegii comittere recipiendo invalidè Sacramentum Matrimonii?

P. Ita P. R. & me de culpa adeò gravi accuso.

C. Consummavit jam Matrimoniũ?

P. Ita P. R.

C. In hoc graviter peccavit,& quoties accessit uxorem suam sive petendo, sive reddendo debitum, toties graviter deliquit; idem dicendum de tactibus, osculis, amplexibus cum eadem habitis: quandoquidem, cùm nullum sit matrimonium, hæc mulier non est ipsius vera sponsa, nec propria uxor, sed est mulier aliena: atqui reddere, sive petere debitum, habere tactus, oscula, sive petere debitum], habere tactus, oscula; sive amplexus cum muliere aliena, est peccatum mortale: ergo idem est judicium de actionibus similibus habitis cum hac muliere, cum qua matrimonium consummavit.

P. P. R. hoc jam scio, ideò de omnibus me accuso, doleo, ac animam meam curare peropto.

C. Copula, quam habuit cum hac muliere, éstne occulta?

P. Ita P. R.

C. Fuítne nequam conscia sua uxor de nullitaate, & invaliditate matrimonii?

P. Non P. R.

C. Ergo illa erit in bona fide, quòd matrimonium sit validum?

P. Ita P. R.

100. C. Hoc Matrimonium, ut dixi, fuit nullum, & invalidum, & quamvis ex parte mulieris in bona fide existentis nulla fuerit culpa in reddendo, vel petendo debitum, fuit tamen ex parte V. D. scientis impedimentum. Dispensatio verò hujus impedimenti, si esset ante contractum Matrimoniũ, pertineret ad Summum Pontificem; & cùm casus sit occultus, deberet impetrari à Sacra Romana Pœnitentiaria modo, & forma assignata part. 10. in fine num. 121. ubi de his dispensationibus est sermo, sed cùm jam sit contractum Matrimonium bona fide unjus conjugis, & cùm difficilis sit separatio, nec non recursus Romam, potest Episcopus dispensare, cui proinde scribendum, ac obtenta facultate Confessarius dispensabit in impedimento, quo ablato revalidandum est Matrimonium modo suprà dicto in hoc capite par. 6. n. 90. Sed advertat V. D. quòd non possit petere, nec reddere debitum, donec dispensatio veniat,& Matrimonium revalidetur: hæc est enim differentia inter affinitatem contractam per copulam illicitam cum consanguinea conjugis in secundo gradu ante initum Matrimonium, & eam, quæ contrahitur post initum Matrimonium, quòd hæc, licèt impediat, quòd pars culpabilis nõ possit petere debitum, non tamen impedit, quin posit reddere debitum; etenim cùm Matrimonium fuerit validum; quia pro tunc nullum interfuit impedimentum, habet conjux innocens jus petendi, & exigendi debitum, & pars culpabilis in pœnam sui delicti privatur

tur jure petendi: sed quando affinitas præcessit Matrimonium, sicuti hoc fuit nullum, & invalidum, ita nec petere, nec reddere potest, & pars innocens non habet jus exigendi solutionem debiti propter eamdem invaliditatem.

Pars Nona.

De Impotentia dirimente Matrimonium.

101. Suppono, quòd impotentia, de qua in præsenti agimus, *sit impedimentum ad vas fœmineum penetrandum, & semen aptum ad generationem intra illud effundendum.* Dicitur *impedimentum ad vas fœmineum penetrandum*; quia, licèt sit potentia seminandi extra vas, vel in ore vasis, si tamen non possit intra illud, adest impotentia vera dirimens Matrimonium. Dicitur: Et semen aptum ad generationem, &c. Quia, licèt Eunuchi, qui utroque testiculo carent, possint vas penetrare, & illud semen aliqualiter emittere; quia verò tale semen est inutile ad generationem; ideò hujusmodi Eunuchi sunt verè impotentes ad contrahendum Matrimonium: non tamen illi, qui uno solùm carent testiculo, nec illi, quibus uno testiculo avulso alter intra corpus fuit reconditus, ne facilis via intestinorum descensui pateret; quia isti reverà semen aptum generationi emittunt, experientiâ ipsâ Magistrâ.

102. Impotentia una est naturalis, & ab intrinseco, altera præternaturalis ab extrinseco, seu per maleficium: naturalis est illa, quæ procedit ex debilitate, vel frigiditate subjecti; illa per maleficium est, quæ arte Dæmonis, vel veneficii supervenit: utraque vel est perpetua, vel temporalis: perpetua est illa, quæ viribus naturæ sine miraculo, vel sine offensa Dei tolli nequit, & etiam secundum aliquos, sine notabili vitæ periculo: temporalis est illa, quæ sine peccato, & sine notabili periculo vitæ, vel salutis per media naturalia, & humana removeri potest. Porrò impotentia alia est respectiva, alia absoluta: respectiva est, quando subjectum est inhabile ad cognoscendam certam mulierem, non verò alias; absoluta est, quando subjectum respectu omniũ est inhabile. Alia antecedens, alia subsequens Matrimonium: impotentia perpetua, & antecedens est illud dirimens: temporalis verò, & subsequens Matrimonium contractum non dirimit: Impotentia respectiva perpetua, & antecedens Matrimonium solùm dirimit respectu illius personæ, ad quam se extendit illa impotentia, non verò respectu aliarum, ad quas non se extendit: v. g. Titius non potest cognoscere Bertham: quia vel Virgo, vel nimis arcta est, potest tamen cognoscere aliás, quæ non adeò strictæ sunt: solùm quo ad Bertham habebit impedimentum, non verò quo ad alias.

Impotentia absoluta, cùm sit perpetua, & antecedens Matrimonium, dirimit cum omnibus, sive sit impedimentum naturale, sive proveniens ex maleficio. Hoc totum clariùs patebit ex sequentibus resolutionibus.

103. P. P. R. me accuso, quòd post infirmitatem habitam anno præterito nunquam potuerim habere copulam cum mea uxore.

C. Duplex est impotentia; una antecedens, altera subsequens Matrimonium, impotentia antecedens dirimit Matrimoniũ, non autem subsequens; quia jam supponit Matrimonium perfectum, & validum.

Mihi dicat V.D. quando intentabat copulam cum sua uxore, sequebatúrne effusio seminis extra vas?

P. Ita P. R.

C. Quando impotentia subsequitur Matrimonium, tactus inter conjugatos sunt liciti, secluso tamen periculo effusionis seminis extra vas. Layman. tract. 10. p. 4. cap. 11. n. 4. Villalobos p. 1. tract. 14. diffic. 18. n. 17. Et ratio est; quia verum Sacramentum cohonestat hos tactus: atqui quando impotentia subsequitur Matrimonium, est verum Sacramentum, & talis impotentia non dirimit: ergo tactus, & oscula licita erunt secluso periculo, ut dixi, pollutionis; quia hæc nunquam est licita.

Circa negationem absolutionis, quando conjugati superveniente impotentiâ non se abstinent à tactibus cum seminis effusione, Confessarius se gerere debet eo modo, quo cum constitutis in occasione proxima involuntaria agendum est, de qua occasione loquar tract. 10. supra Proposit. 61. &c. damnatas.

104. P. P. R. mortua mea uxore duxi aliam, cum qua nunquam potui habere copulam perfectam.

C. Quanto tempore habet istam secundam uxorem?

P. Sunt jam tres anni.

C. Et toto hoc tempore tentavit habere copulam?

P. P. R. exceptis sex mensibus, quibus fui absens, non tentavi: cæterùm semper.

C. Habuítne spem deveniendi cum tempore ad habendam dictam copulam?

P. Ita P. R.

C. Quando clarè constat, quòd impotentia sit perpetua, nec sit spes deveniendi ad copulam, Matrimonium cum hac impotentia contractum est nullum, & conjugati illicò separari debent.

Quando dubitatur, an impotentia sit perpetua, vel temporalis, & sit probabilis spes cum tempore habendi copulam conjugalem, concedit Lex Canonica in cap. laudabilem, de frigidis, & maleficiatis, tres annos, ad hoc, ut hoc tempore intentando copulam videatur, an impotentia sit perpetua, vel temporalis.

Hi tres anni debent esse completi, ut

ut dicit Bassæus verb. Matrim. 7. n. 18. & cum Hurtado, Coninch, & aliis Diana p. 11. tract. 5. resol. 8. ideóque in supplementum sex mensium, quibus V. D. fuit absens, potest per alios sex menses experiri, utrùm impotentia cessaverit, & licèt hoc tempore effusio seminis extra vas sequatur, hoc est tantùm per accidens, & nihil obest.

105. P. P. R. Et si præteritis his sex mensibus non potuero habere copulam cum mea uxore; quid nobis faciendum?

C. Tunc recurrendum est ad Judicem, cujus arbitrio relinquitur prolongatio temporis pro majori experientia habenda; ut cum Basilio, & decisione Rotæ dicit Leander à Sacram. disp. 21. q. 47. in fine, Ludovicus etiam à S. Joanne in Sum. de Matrim. q. 6. art. 15. diffic. 1. dub. 1. Citando pro sua sententia aliam decisionem Rotæ dicit, quòd possit Ordinarius concedere plus temporis pro experientia, licèt primo triennio copula intentata non potuerit haberi.

106. Dicat mihi V. D. mulier, quam modò duxit, éstne vidua, vel virgo?

P. Est Virgo.

C. Ideò hoc interrogo; quia aliquando impotentia se tenet ex parte viri, & aliquando ex parte fœminæ; quia videlicet est nimis arcta, ita ut præ arctitudine penetrari non possit.

In hoc casu est aliquod fundamentum credendi, quòd impotentia se teneat ex parte fœminæ; ut ex V. D. confessione constat, hoc tempore habuisse copulam cum aliis, cum propria verò non potuisse habere, erit sine dubio ex eo, quòd sit nimis arcta.

Si impotentia sit ex parte fœminæ, Matrimonium est validum; quia illa potest aliquo medio scissionem pati, & os vasis dilatare, ita ut fiat ad copulam apta, & ad id tenetur, si sine gravi incommodo vitæ, aut salutis fieri possit; ita tradit Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 93. num. 23. Villalobos part. 1. tract. 4. diffic. 18. num. 16. cum communi. Et ratio est, quia impotentia dirimens Matrimonium est sola impotentia perpetua, illa videlicet quæ medio naturali auferri non potest: sed quando fœmina, quæ aliàs præ arctitudine ad copulam est inepta, scissione vasis ad illam aptari potest, non est talis impotentia, cui naturali modo occurri non possit: ergo non est impotentia perpetua, consequenter nec dirimit Matrimonium.

Hoc non obstante Basilius de Ponte lib. 7. de Matrim. cap. 7. n. 2. Durandus, Paludanus, & Gabriel, quos citat, & sequitur Diana part. 3. tract. 4. resol. 201. docent, quòd quæcumque impotentia, sive proveniat ex parte viri, sive ex parte fœminæ, si est perpetua, nec tempore triennalis experientiæ cessavit, irritet Matrimonium, & fœmina non teneatur scissionem pati; durissimum enim est, modestiam fœminæ exponere, ut manus Me-

Medici, aut Chirurgi ſubire cogatur, cùm id natura in omnibus, præcipuè in ſexu muliebri, præ morte abhorreat.

Proinde in praxi eſt difficillimum dignoſcere ex quonam impotentia ſe teneat; quomodo enim dignoſcere poterit hæc fœmina, ſe eſſe præ cæteris arctiorem, & ejus arctitudinem eſſe cauſam, quò minùs à viro penetrari valeat? Idcircò judico, & exiſtimo veram opinionem Baſilii, & magìs conformem praxi: quare ſecundùm hanc dici debet, quòd, ſi poſt experientiam à Lege conceſſam permaneant impotentes, tale Matrimonium ſit nullum, & ſeparari debeant.

107. Multoties accidit, quòd impotentia proveniat ex maleficio, tunc enim adhiberi debent Exorciſmi, aliaque pia remedia, devotæ Confeſſiones, & Communiones, ad hoc ut Deus per talia media deſtruat omnem diabolicam facturam, quæ fini Sacramenti Matrimonii obſtet.

Qui cupit videre ſigna, ex quibus colligitur, & dignoſci poteſt, an impotentia ſit naturalis, vel non, videat Thomam Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 95. num. 5. & 6.

108. Advertendum eſt caſum ſequentem deſervire, quando uxor priùs confitetur.

P. P. R. me accuſo, quòd valdè deſolata cum meo Marito vixerim, & multoties cum eo accumbere noluerim.

C. Ob quam cauſam?

P. Quia habui copulam illicitam cum alio viro.

C. Cujus ſtatus fuit iſte vir?

P. Fuit liber.

C. Fuítne ipſi conſanguineus, vel ſui Mariti?

P. Non P. R.

C. Concepítne aliquando ex illo viro?

P. Ita P. R.

C. Scítne pro certo?

P. Ita P. R.

C. Quomodo ſcit pro certo? forſan, quia ipſius Maritus longo tempore fuit abſens, vel quia aliquo tempore cum eodem non cohabitavit?

P. P. R. non propterea; ſed quia meus Maritus eſt impotens.

C. Quanto tempore ſunt ſimul in Matrimonio?

P. Per ſex annos.

C. Non potuit eam cognoſcere, nec cùm virgo eſſet, nec poſtquam concepit, & peperit ex illo alio viro?

P. Ille nunquam potuit, nec poteſt, nec ante meum partum, nec poſt.

C. Eſtne aliquis filius in vivis?

P. Ita P. R.

C. Arbitratúrne maritus, quòd ſint ejus Filii?

P. Ita P. R. & ut tales nutrit, & multùm amat; quia eſt inexpertus in hac materia, & tanquam homo ſincerus, & ſimplex, nullam habet ſuſpicionem de hoc ſucceſſu.

C. Et ob quam cauſam noluit accumbere viro ſuo?

P. Quia abhorreo ipſum ob amorem captum erga alterum.

C. Accuſavit ſe aliquando in confeſſione, quòd ſuo viro accumbere noluerit?

P. Ita P. R.

C. Confitebatur hoc peccatum, ſcilicet, quòd ei debitum ſolvere noluerit?

P. Ita P. R.

C. Duo in reſolutione hujus notanda occurrunt: ſcilicet reſtitutio damnorum, & expenſarum, quas in educatione filiorum ſuppoſitorum maritus patitur, de quo jam ſuprà dixi in hoc Tractatu cap. 3. & impotentia ſubjecti, quæ eſt perpetua, dirimitque Matrimonium, ſiquidem ſex annis uxorem cognoſcere non potuit, nec virginem, nec corruptam, adeóque Matrimonium fuit nullum; & ſi uxor eſſet in mala fide, deberet ſe à cohabitatione cum Marito abſtinere, etiam cum periculo ſuæ famæ, vel vitæ; & quamvis eſſet in bona fide, deberet ipſi talis cohabitatio interdici ſuppoſita ſpe, quòd ex remotione bonæ fidei, & manifeſtatione nullitatis Matrimonii ſecuturus eſſet fructus, & effectus abſentationis.

109. Cùm verò ſit in bona fide, ut ſupponitur in noſtro caſu, ſicut conſtat ex reſponſionibus datis à muliere dicente, quòd putaverit, ſe delinquere non dormiendo cum viro ſuo, ac negando ei debitum, & quòd eum pro vero ſuo Marito tenuerit, & cùm prudenter formidari poſſit, quòd per ablationem bonæ fidei nullus ſit fructus ſperandus, benè verò, quòd ſit in ſtatu conjugali perſeveratura, & operatura mala fide, quod antecedenter bona fide, & ſine peccato operabatur; inſuper cùm ſeparatio ſummè difficilis foret ex interventu ſuæ infamiæ, ex periculo vitæ filiorum præſentium manifeſtatione impotentiæ conjugis, idcirco in hoc caſu relinqui poteſt in ſua bona fide, & generatim ei proponi, quòd mulier teneatur ſuo viro reddere debitum, ut dicam cum Villalobos, & aliis num. 134.

110. Si contingeret, quòd mulier eſſet in mala fide, tunc eſt neceſſaria, ut dixi, ſeparatio à Marito; & ſi poſſent convivere tanquam frater, & ſoror in caſtitate, & pace, in hoc caſu pro tempore relinquendi ſunt: ſi verò hoc fieri nequit, & ambo Religionem intrare poſſent, hoc eis ſuadendum eſt: ſi nec hoc medium prodeſſet, poteſt adhiberi aliud; ſcilicet, ut ſemel cum ſuo marito clamore adeò vehementi contendere incipiat, ut omnes vicini audire valeant, & hac occaſione ad judicem ſe conferat, ab eóque divortium petat; cui mulier, vel alius cum ejus conſenſu ſecretò veritatem caſûs, & impedimenti communicare poteſt, ad hoc, ut ex hac causâ ei allegatâ, licèt aliàs non eſſet ſufficiens pro divortio, Judex in caſu

præ-

præſenti cum notitia circumſtantiæ concurrentis in id conſentiat; & ſi antecedenter uxor, & maritus vitam inquietam, & turbatam duxerunt, faciliùs, & conſultiùs erit allegare has inquietudines pro faciendo divortio.

111. Concludo hanc materiam admonendo Confeſſarios, ne poſt notitiam habitam in confeſſione de aliquo impedimento dirimente immediatè illud notificent Pœnitenti aliàs in bona fide exiſtenti; quia multi ſunt conjugati, quibus in bona fide exiſtentibus, ſi manifeſtetur nullitas, & invaliditas contracti Matrimonii, non invenietur modus eos obligandi ad continentiam; unde ſequitur, præcedentem uſum Matrimonii ex bona fide à peccato immunem, poſtmodùm eidem fieri obnoxium, adeóque ante revelationem invaliditatis Matrimonii inquirat, & examinet Confeſſarius, utrùm ipſius admonitio ſit profutura, ſi ſecùs, D. Auguſtini dictum ſequatur. Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem. cap. ſi quis de Pœnit. diſt. 7. & audiant reſponſum Innocentii III. ad interrogationem ipſi factam ſuper diſpenſationem ſubreptitiè obtentam in Matrimonio invalidè contracto: Diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſit contracta, cùm ex ſeparatione videas grave ſcandalum imminere. cap. quia de conſang. Hoc idem docet etiam Suarez cum pluribus aliis, quos citat, & ſequitur Villalobos part. 1. tract. 9. diffic. 70. n. 3. §. Sed advertendum eſt. Certum enim eſt, quàm plures perſonas ex imprudentia Confeſſarii bona fide privatas multa patrare peccata, de quibus omnibus ſtrictiſſimam Domino Deo reddet rationem Confeſſarius, cujus imprudentia non ad curam, ſed ad deſtructionem animarum tendit.

Pars Decima.

De Diſpenſatione impedimentorum Matrimonii.

112. Duo ſunt genera impedimentorum dirimentium; aliqua dirimunt Jure divino naturali, ut ſunt Error ſubſtantialis, Impotentia, Ligamen; votum ſolemne juxta opinionem probabiliorem; Conſanguinitas in primo gradu juxta ſententiam communem; Metus, vel vis, ut opinio verior docet: cultus diſparitas pariter eſt impedimentum Jure divino naturali dirimens, nempe ſi vir baptizatus duceret mulierem infidelem. Alia impedimenta ſolùm dirimunt Jure Eccleſiaſtico: ut ſunt Crimen, Adulterium cum promiſſione ineundi Matrimonium, Ordo, publica honeſtas &c. In impedimentis Jure Divino naturali dirimentibus Matrimonium nullus, neque Pontifex diſpensare poteſt. Ratio eſt; quia non conſtat hujusmodi facultatem Summo Pontifici fuiſſe conceſſam; ſed in dirimentibus Jure tantùm Eccleſiaſtico poteſt Papa diſpensare.

113. In his impedimentis Jure Eccle-

cleſiaſtico dirimentibus Epiſcopus non poteſt diſpenſare ante contractũ Matrimonium; an verò poſt contractum poſſit, diximus in hoc capite part. 8. Et utrùm in aliquo caſu nimis urgenti, & repentino, in quo Summus Pontifex non facilè adiri poteſt, poſſit diſpensare Epiſcopus ante contractum Matrimonium affirmant Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp. 40, n. 7. & cum Vasquez, Salos, Ponte, & Hurtado, Caſtropalaus tom. 5. diſp. 4. de ſponſal. punct. ult. §. 1. n. 9. & cum Bonacina, & aliis pro probabili tenet Leander à Sacram. tom. 2. tract. 9. diſp. 24. q. 8.

Commiſſarius Cruciatæ, quamvis de Lege ordinaria non poſſit diſpensare in impedimentis jure Eccleſiaſtico dirimentibus, per delegationem tamen habet poteſtatem diſpensandi in impedimento affinitatis procedente ex copula illicita cum illis, qui Matrimonium coram facie Eccleſiæ contraxerunt, dummodò Matrimonium bona fide fuerit contractum ſaltem ex parte unius contrahentis, cum hac tamen conditione, ut parti exiſtenti in bona fide reveletur invaliditas Matrimonii, ſaltem in genere, ut dicit Sanchez lib. 8. de Matrim. diſp. 6. n. 23. Addit Caſtropalaus ubi ſuprà n. 6. quòd Nuntii in Hiſpania habeant ſpecialem facultatem diſpensandi in impedimento publicæ honeſtatis, non ſolùm poſt, ſed etiam ante contractum Matrimonium.

114. Plura ad materiam de diſpenſationibus ſpectantia trado ex profeſſo 1. part. mearum conferent. moral. tract. 3. de Legibus confer. 7. diſpenſ. Legum §. 4. num. 22. & ſeq. & §. 7. num. 44. Ubi videri poſſunt, hìc verò tantùm tangam, quæ ſunt magis ad praxim, & ſpecialia præſentis aſſumpti.

115. P. P. R. confiteor, quòd ad contrahendum Matrimonium fuerit mihi neceſſaria diſpensatio; quia mulier eſt mihi in gradu prohibito conjuncta, & relatio Papæ facta non fuerit in integrum vera.

C. Defuítne explicatio ſpeciei, vel qualitatis impedimenti: v. g. gradus cognationis, qui adfuit? quia niſi manifeſtetur qualitas impedimenti nulla eſt diſpensatio; ita paſſim DD.

P. Non fuit iſte defectus.

C. Fuítne error Nominis perſonæ, vel Epiſcopatus? v. g. ſi dicatur, quòd contrahens vocetur Joannes, qui vocatur Petrus; vel ſi dicatur, quòd ſit in Epiſcopatu Salisburgenſi, & eſt in alio, diſpensatio obtenta, quamvis contineat hos errores, non eſt invalida, ut dicit Diana part. 1. tract. 10. reſol. 36. & part. 8. tract. 3. reſol. 63. & in Coordinat tom. 3. tract. 1. reſol. 108. & reſol. 109.

P. Non fuit iſte error.

C. Fuítne error in explicatione gradus? v. g. ſi dicatur, quòd ſint conſanguinei in quarto gradu, & ſunt in tertio; quia in hoc caſu nulla diſpensatio eſſet, non tamen è contra: v. g. ſi di-

catur tertius gradus, & esset quartus, si secundus, & esset tertius; quia in dispensatione gradus proximioris includitur dispensatio remotioris, non autem è contra; sic Sanchez supr. n. 17. & 18.

P. Neque in hoc fuit factus error.

C. Fuitne error in specie gradus cognationis? v. g. si essent consanguinei, diceretur, quòd sint affines? quia etiam iste error irritam reddit dispensationem Sanchez ibid. n. 16.

P. Neque in hoc fuit secutus error.

C. Fuitne omissum aliquid, quòd secundùm stylum Curiæ Romanæ explicari debuisset? licèt enim aliqui DD. dicant, nullam fore dispensationem, si omittatur aliquid, quòd secundùm stylum Curiæ Romanæ explicari solet; contrarium tamen est probabile, ut videri potest in Leandro à Sacram. part. 2. tract. 9. disp. 24. q. 48.

P. Nihil fuit omissum quoad Curiæ Romanæ stylum.

C. Ergo qualis defectus fuit secutus in revelatione?

P. Adduxi pro causa ad obtinendam dispensationem, quòd fœmina nubere nequivisset ob defectum dotis, licèt aliàs pro Matrimonio contrahendo sufficientem habuerit dotem.

C. Fuit aliqua alia causa, ob quam fœmina nubere non potuisset?

P. Ita P. R. licèt bonam dotem habuerit, fuit tamen jam in ætate provecta, & certum est, quòd aliam conditionem non habuisset.

116. C. Pro resolutione hujus casus supponendum est, quòd ad dispensationem in impedimentis Matrimonii requiratur justa causa; scilicet, ut scandala evitentur, ut per hoc medium lites, & discordiæ sedentur: si alia sponsa æqualis inveniri non possit, quàm consanguinea: si fœmina dotem non habeat, vel non possit contrahere Matrimonium ob deformitatem, provectam ætatem, vel ob aliud motivum, & alias causas, quas refert Villalobos part. 1. tract. 13. diffic. 26. & alii Authores.

Supponendum est secundò, quòd causæ pro dispensatione aliquæ sint finales, aliquæ impulsivæ: Causa finalis est illa, per quam Superior absolutè ad dispensandum movetur, ita, ut si hæc causa non esset, non dispensaret: causa impulsiva est illa, quæ facilè inducit Superiorem ad dispensandum; ita, ut si hæc causa non esset, cum difficultate dispensaret. Si causa finalis adducta est falsa, nulla est dispensatio: si autem vera est, licèt non sit impulsiva, valet dispensatio.

117. Ex hoc colligitur, quòd dispensatio à V. D. impetrata fuerit valida, licèt causa adducta in hoc consisteret, quòd fœmina ob defectum dotis nunquam nupsisset; quia fuit verum, quòd non nupsisset ob provectam ætatem, vel aliam rationem; causa enim finalis in hoc casu fuit difficultas, vel impossibilitas nubendi, quæ fuit vera; quòd autem hæc impossibilitas nubendi

bendi fuerit ob defectum dotis, vel ob deformitatem, vel ætatem provectam, vel ob alium titulum, non est causa finalis, sed probatio causæ, ut dicit Fr. Aloysius à Concept. quem refert, & sequitur. A. R. P. Torrecilla in suis consult. tract. 1. consul. 9. num. 29. & 30. cum Sanchez, & aliis Leander à Sacram. supr. q. 52.

118. P. P. R. confiteor etiam, quòd mea uxor sit filia meæ primæ consobrinæ, & quando fuit petita dispensatio, tertius tantùm gradus consanguinitatis fuit explicatus, in quo etiam Sua Sanctitas nobis dispensavit.

C. V. D. erat cum sua uxore in secundo, & tertio gradu; & quamvis Molina dicat, esse explicandos ambos gradus; alii tamen, quos citat, & sequitur Leander à Sacram. tom. 2. tract. 9. disp. 24. q. 38. & 48. dicunt, quòd sufficiat explicare remotiorem. Et ratio est; quia explicatio gradûs proximioris solùm fundatur in Curiæ stylo; sed ille stylus non obligat in foro conscientiæ, ut dicit Leander ibi q. 48. ergo non est necessarium explicare gradum proximorem. Et confirmatur, quia, sicut probabiliter dicunt aliqui DD. apud Leandrum ubi suprà q. 36. in fine. Si Petrus est consanguineus Mariæ in quarto, & quinto gradu, ad contrahendum cum ea Matrimonium non est necessaria dispensatio: ergo sequitur non esse necessariò explicandum in dispensatione gradum proximorem.

119. Secundò, quia, ut cum Ledesma, Rodriquez, & aliis dicit Diana p. 8. tract. 5. resol. 60. quando illi, qui petunt dispensationem, habent duplicem cognationem in eodem gradu; v. g. Si Petrus, & Maria essent consanguinei ex parte Patris, & Matris in eodem gradu, non requiritur, ut in dispensatione procuranda amborum vinculorum cognationis fiat mentio: ergo nec erit necessarium, quando gradus sunt inæquales, ut fiat mentio gradûs proximoris.

120. Erit tamen necessarium, ut litteræ declaratoriæ super gradum proximiorem obtineantur Romæ, ut declaravit Pius V. in uno Motu proprio, qui incipit: Sanctissimus, datum 26. Augusti Anno 1566. Hæ litteræ solùm requiruntur pro foro externo ad evitandum scandalum; & consequenter, si non timeatur scandalum, cùm impedimentum sit occultum, non erunt necessariæ hæ litteræ declaratoriæ; ut cum Sanchez, & Basilio dicit Leander ubi suprà q. 40. & A. R. P. Torrecilla in suis consult. 10. tract. 1. fol. mihi 71.

Limitatur relata doctrina, quando gradus proximior est primus; quia in hoc casu, nisi exprimatur, nulla est dispensatio, ut expresè dicit Pius V. in dicto Motu proprio: Dum quoquo modo gradum primum non attingant. In quo convenit communis Doctorũ.

121. P. P. R. in dicta dispensatione sua Sanctitas expressit: dummodò copula non intervenerit; Et dictam copulam

 pulam

pulam habuimus, antequam dispensatio peteretur, & de hac nullam fecimus mentionem.

C Quamvis non fiat mentio copulæ, quando dispensatio petitur, dicit Leander, quòd sit absolutè valida, ubi suprà q 31.

Difficultas sita erat in illa clausula in dispensatione expresâ: dummodò copula non intervenerit, pro cujus resolutione mihi dicat, fuitne facultas dispensandi commissa Ordinario, ut communiter fieri solet pro foro externo?

P. Ita P. R.

C. Fuitne copula ita occulta, ut non potuisset probari in foro externo?

P. Ita P. R. fuit occultissima.

C. Ergo est probabile, quòd fuerit valida dispensatio non obstante illa clausula, ita Sanchez, & alii quos citat, & sequitur Leander à Sacram. tom. 2. tract. 9. disp. 24. q. 33. & 34. Diana part. 11. tract. 7. resol. 36. qui docent, quòd, quando dispensatio committitur Ordinario pro foro externo, si copula tanquam occulta non potest probari, sit valida dispensatio non obstante hac clausula. Dummodò copula non intervenerit. Sed quando dispensatio committitur alicui viro discreto pro foro conscientiæ; tunc quamvis copula sit occulta, si veniat cum dicta clausula, est invalida dispensatio; ita præter citatos DD. docet Villalobos part. 1. tract. 14. diffic. 27. num. 7. Ratio disparitatis est; quia valor dispensationis fundatur in mente Summi Pontificis illam concedentis: sed quando dispensatio committitur pro foro externo cum hac clausula, dummodò copula non intervenerit, mens suæ Sanctitatis est, quòd dicta copula taliter se habeat, ut in eodem foro sit publica; quando verò venit pro foro interno mens ipsius est, quòd sufficiat occulta: ergo quando venit dispensatio pro foro externo, erit valida non obstante hac clausula, secùs verò pro foro interno. Opinionem verò Leandri num. 117. 120. & 121. citati non existimarem in praxi tutam propter primam Propositionem ab Innocent. XI. damnatum.

Modus impetrandi dispensationem à Sacra Pœnitentiaria pro foro Conscientiæ.

Congruum mihi visum fuit adjungere modum obtinendi dispensationes, quando Confessario harum necessitas occurrerit; cùm, plurimos dari, expertus fuerim, qui ex hujusmodi ignorantia multo tempore in suis impedimentis obstrictos reliquerunt miseros Pœnitentes, qui proinde nec ausi sunt adire aliquem, per quem modus recurrendi ad Sacram Pœnitentiariam ipsis pateret, & ad hoc, ut sciatur, tam modus impetrandi, quàm exequendi obtentas dispensationes, ponam hìc clausulas, cum quibus dictæ dispensationes mitti solent.

Clausula Prima.

Dilecto Confessori ex approbatis ab Ordinario. Unde constat, quòd, qui commissionem habebit expediendi litteras dispensationis, debeat necessariò esse Confessarius ab Ordinario ad audiendas confessiones approbatus; & licèt Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 34. num. 16. existimet, sufficere, quòd sit approbatus pro viris tantùm, vel pro uno Populo; Contrarium tamen est verius, & tenet Basilius lib. 8. de Matrim. cap. 1. §. 1. n. 13.

Clausula Secunda.

Ut qui dispensationem expediturus est, Doctoratûs laurea in Theologia, vel Jure Canonico sit insignitus: Quapropter, qui habent gradum Licentiatûs, vel Baccalaureatûs, aut Cathedratici, nisi simul habeant gradum Doctoratûs Theologiæ, vel Canonis, non possunt rescriptum dispensationis expedire: licèt Sanchez ubi suprà num. 11. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 63. art. 8. dicant; quòd Societatis Jesu, quamvis hoc gradu non insigniti habeant hoc privilegium, dummodò habeant specialem commissionem ab eorum Generali, vel aliis Superioribus. Hoc privilegium etiam se extendit ad omnes Regulares, qui commissionem à suis Superioribus habent; ita Diana part. 4. tract. 4, resol. 71. Sed si casus contingeret in loco, ubi difficile inveniri potest persona gradu ad dispensatiõem requisito insignita, poterit Confessarius dispensationem petẽs id exprimere in litteris postulatoriis, & nominare personã magìs qualificatam illius viciniitatis, ad hoc, ut Sacra Pœnitentiaria rescriptum eo modo dirigat, quo meliùs expedire videbitur.

Clausula Tertia.

Si ita esse per diligentem latoris examinationem, ac post monita & consilia illi præstita inveneris. Causæ dispensationis in impedimentis Matrimonii, vel voto castitatis, sunt, si persona sit in gravi periculo incontinentiæ, si fœmina non habeat dotem ad ineundum Matrimonium cum alio: si non inveniat Sponsum sibi æqualem; si censurâ ligatus absque magna difficultate Romam adire nequeat. Quòd si Confessarius causam à Pœnitente adductam falsam esse deprehenderit, non potest cum ipso dispensare, quando verò Confessario constat, causam esse veram, non est necesse, ut inquirat; sed quando ei non constat, debet inquirere, & interrogare; & quamvis non esset reprehensibile juramentum de veritate causæ à Pœnitente exigere, ut dicit Basilius lib. 8. de Matrim. cap. 2. n. 14. hoc tamen non requiritur, ut dicit Sanchez ubi suprà num. 21. neque examen testium, sed verbis latoris, vel Pœnitentis fides præstari poterit, nec est necessariũ exhortari Pœnitentem ad fatendam veritatem, ut dicit Palaus tom.

1. tract. 3. disp. 6. punct. 15. §. 1. num. 4. in fine. quamvis hoc sit consulendum, & admonendus Pœnitens de gravi peccato incurrendo, nisi veritatem fateatur.

Clausula Quarta.

Modò impedimentum inde proveniens occultum sit. Occultum dicitur non ideò, quia non potest probari, sed quia illud major pars vicinitatis ignorat; ita Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 47. num. 11. ideóque quamvis illud sciant duæ, vel tres personæ, dummodò non sit majori vicinitatis parti notum, dicitur adhuc occultum.

Clausula Quinta.

Audita Confessione &c. Supra hoc punctum existimat Castropalaus ubi suprà num. 6. cum Sanchez, Gallego, & Salas, non esse necessariam confessionem Sacramentalem pro dispensatione. Quamvis Diana loco paulò antè citato resol. 71. censeat hoc non esse probabile propter rationes adductas à Filiucio, & Fernandez cum citatis, puto tamen, sententiam Sanchez probabilitate non carere; siquidem hæc conditio solet etiam poni in aliis dispensationibus, & commutationibus votorum. Non est tamen semper conditio essentialiter requisita, sed directio, vel consilium. Verum tamen est, quòd in praxi semper debeat confessio suaderi, ut dicit Bonacina tom. 2. dis. 1. q. 2. punct. 2. n. 8. cùm hoc videatur colligi ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 15. attamen, si in aliquo casu in rescripto expresè imponeretur confessio Sacramentalis, tunc erit necessaria, & in hoc sensu potest habere locum opinio Dianæ loco cit. & etiam id, quod repetit part. 8. tract. 3. resol. 103. in fine.

Clausula Sexta.

Et alia pia opera per te injungenda. Confessarius non potest omittere impositionem operum in rescripto præceptorum; licèt in aliquo moderare possit: v. g. si in dispensatione fiat mentio confessionis menstruæ imponendæ, potest Confessarius quoties ita expedire judicaverit saluti Pœnitentis imponere bimestrem, aut etiam trimestrem confessionem: ita cum Sanchez, Basilio, & Salas dicit Castropalaus ubi suprà n. 7. & Bonacina loco suprà cit. sub num. 9. Attamen opera imponenda debent esse libera, & supererogatoria, non verò, quæ aliàs sunt de præcepto.

Clausula Septima.

Ut hæ litteræ dilacerentur, ex omissione tamen hujus dictionis non irritatur dispensatio; quia mens Suæ Sanctitatis solùm in hoc sita est, ne tales litteræ in foro externo parti suffragentur, ita dicit Diana part. 4. tract. 4. resol. 71. §. Sed quia prope finem. Attamen Confessarius litteras aperire poterit, licèt laureâ Doctoratûs insignitus non sit; cùm hæc conditio solùm

requiratur in eo, per quem expediri debent litteræ; ut dicit Bonacina ubi suprà sub num. 3. §. Si quæras.

Clausula Octava.

Gratis ubique, qua de causa Summus Pontifex non potest pro expeditione quidquam recipere, licèt ei gratis offeratur, ut dicit Navarrus lib. 4. cons. de Sponf. 50. n. 3. Hoc idem dicitur de Doctore, qui dispensat, & de Confessore, qui dispensationem impetrat; solum Tabellarium litteras ferentem debet Pœnitens solvere.

Clausula Nona.

Quando dispensatio postulatur pro impedimento Matrimonii jam contracti cum impedimento ponitur hæc clausula: ut Conjux ignara certior fiat de nullitate prioris Matrimonii, circa hoc punctum magna inconvenientia oriri solent, maximè si sit impedimentum propter copulam uxoris; circa revalidationem Matrimonii in hoc casu potest videri hæc praxis tract. 6. cap. 8. part. 6. per totum.

In dispensationibus impedimentorum dirimentium in Matrimoniis jam contractis solet imponi separatio conjugum, antequam revalidetur Matrimonium. Ex hoc tamen semper, vel quasi semper magna inconvenientia exsurgunt, ad quæ vitanda debet hoc omitti; ideò enim in rescripto dici solet: Si fieri valeat, & visum fuerit Confessario.

Clausula Decima.

Servatâ in dispensando consueta Ecclesiæ formâ. Circa quod notandum est, quòd non sint necessaria verba determinata formæ pro dispensatione, sed alia verba adhiberi possunt, quæ dispensationem indicent; & hæc solet esse forma ab Ecclesia usitata; ita Sanchez verb. Dispensatio num. 12.

Solet etiam addi hæc clausula: ut proles suscepta legitimetur, & hoc inservit, quando dispensatur in impedimentis Matrimonii, ad hoc, ut Filius natus ex tali Matrimonio malè contracto non remaneat irregularis, tanquam illegitimus, sed reddatur habilis ad recipiendos Ordines, & beneficia.

Tandem quoad modum mittendi litteras, vel supplicationem ad Sacram Pœnitentiariam advertendum est, quòd litteræ per postam, vel per Tabellarium mittendæ sunt, notificando in iis modum, & viam, per quam responsum haberi poterit omisso Nomine, vel cognomine Pœnitentis, proponendo casum cum terminis impersonalibus in forma sequenti.

SUPERSCRIPTIO LITTERARUM.

Eminentissimo, Reverendissimo Domino Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

In Litteris explicetur casus modo sequenti.

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

N. *Sacerdos contraxit irregularitatem ex homicidio occulto, ab eo tali modo, vel ob talem causam (hìc modus, vel causa explicari debet) patrato, vel procurato in persona Laici, vel Sacerdotis, ab eo tempore abstinuit (vel non abstinuit) ab exercitio Ordinum ob tale motivum: sed quia sine scandalo abstinere non possit, humillimè supplicat pro remedio. Dignetur Eminentia vestra rescribere N. vel N. Doctori in Theologia, vel Jure Canonico, in Civitate, vel Oppido N.*

Quando petenda est dispensatio pro impedimentis Matrimonium dirimentibus, fiat hoc modo.

N. *Contraxit, vel contrahere intendit Matrimonium cum muliere (vel N, cum viro) cujus Matrem, vel sororem, vel consanguineam in secundo gradu anteà carnaliter cognovit, conscius impedimenti, quod occultum est: quare cùm absque scandalo separari non possit (vel alter, cui opportunè nubat, non facilè inveniatur) humillimè supplicat pro remedio. Dignetur Eminentia vestra rescribere N. &c.*

Quando petenda est pro voto Castitatis, fiat modo sequenti.

N. *Mulier emisit votum Castitatis perpetuæ, sed cùm adsit periculum incontinentiæ: humillimè supplicat pro remedio ad effectum nubendi. Dignetur Eminentia vestra rescribere N. &c.*

Hoc

Hoc modo possunt formari litteræ secundùm casum occurrentem, & si non possit fieri latinè, fiat eo modo, quo fieri potest; si diu responsum tardaret, denuò scribatur, & quando non habetur notitia characteris Gotici, quo dispensationes exaratæ mitti solent, potest rogari, ut scribantur charactere ordinario, his, vel similibus verbis; Dignetur Eminentia vestra mittere responsum vulgari charactere exaratum, & non Gotico.

Pars Undecima.

De Debito conjugali, & ejus abusu.

122. P. P. R. me accuso, quòd sæpiùs accesserim uxorem meam non servato modo communi copulæ.

C. Fuítne per vas naturale, vel per vas præposterum?

P. Per vas naturale.

C. Non est peccatum mortale accedere uxorem non servato ordine communi copulæ; dummodò talis mutatio non fiat cum periculo pollutionis extra vas naturale, nec copula habeatur sodomiticè in vase præpostero; unde resolves sequentes casus cum Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 71. & 22. &c.

123. Accessus viro succubo, & uxore accubante, etiam sine causâ, non est nisi peccatum veniale; dummodò non sit periculum effusionis seminis extra vas debitum. Neque est mortale accedere uxorem tempore Menstrui; neque quando est gravida, secluso periculo abortûs.

Refricare membrum in superficie vasis præposteri uxorini, animo consummandi copulam in vase naturali, licèt Navarrus apud Sanchez ubi suprà disp. 17. n. 4. excuset à mortali, mihi tamen ejus sententia non arridet; quia tale vas non ordinatur à natura ad copulam debitam, sed ad sodomiticam; ergo cùm hæc sit culpa mortalis, etiam erit ejus inchoatio in vase sodomitico.

124. Tactus, & oscula, etiam impudica licent conjugibus ad excitandam naturam ad copulam, dummodò periculum pollutionis caveant. Licent prætereà (si tale desit periculum) etiam sine intentione copulæ delectationis causâ tantùm. Sylvester, Filiucius apud Dianam part. 3. tract. 4. resol. 125. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 46. num. 43. quia, cui licet, quod est majus, licet utique, quod est minus: sed copula licet conjugibus: ergo & tactus, qui sunt quid minus illâ. Periculum verò pollutionis nullo modo illis cohonestari potest.

125. Non est peccatum mortale, quando conjuges de utriusque consensu cœptam copulam abrumpunt, ne proles multiplicentur Parentibus egenis, dummodò periculum effusionis extrà non adsit. D. Antoninus, & alii apud Dianam ubi suprà resol. 227. Imò & Layman excusat à veniali in hoc casu in Theologia Morali lib. 3.

 sect.

ſect. 4. n. 19. & Sanchez lib. 9. diſp. 19. n. 3. quia tunc nulla fit injuria Sacramento, cùm hoc cedat Juri ſuo, ne multiplicatio prolium obſtet ejus bonæ educationi, quæ pro inopia Parentum fieri nequit, neque fit injuria conjugi: qui ſuppono id ex utriusque conſensu fieri.

126. Quamvis abſolutè nullus conjugum teneatur petere debitum, aliquando tamen poteſt ex accidenti ad id eſſe obligatus, cùm nimirum in altero conjuge probabiliter prævideat periculum incontinentiæ, quæ quidem petitio commodiùs dicetur redditio, ſeu ſolutio neceſſitati clamanti, & implicitè petenti. Minimè peccat vir, qui, dum uxorem accedere conatur ex feſtinatione, vel potentiori natura ſemen extra vas præter intentionem effundit; neque etiam peccat ſenex, qui, cùm habeat probabilem ſpem ſeminandi intra vas, debitum ab uxore exigit, etiam ſi fortè contingat ſemen propter laſſitudinem virium quandoque, aut ſæpè extra vas effundi, ut docet Diana part. 11. tract. 8. reſol. 36. & in tom. Cordinat. tom. 2. tract. 6. reſol. 186.

Poſtquàm vir ſeminavit intra vas, non tenetur uxoris ſeminationem expectare, juxta ſententiam aſſerentium, ſemen fœmineum ad generationem non eſſe neceſſarium: at ſi uxor priùs ſaminavit, tenetur vir ſeminare, nec poteſt tunc à conſummatione copulæ abſtinere, niſi fortè datâ operâ ad ſeminandum non poſſet ſeminare; nam aliàs ageret contra finem generationis, ſicut videri poteſt in Leandro à Sacram. part. 2. tract. 9. diſp. 25. q. 40. & q. 42.

127. Actus conjugalis, qui debitè exercetur, bonus, & meritorius eſt, pluribus modis vitiari poteſt. Primò, ex fine operantis, ſi ſolùm delectationis causâ exerceatur, ſicut conſtat ex Propoſit. 9. damnata à SS. Papa Innocentio XI. qua aſſerebatur omni peccato (etiam veniali) carere copulam habitam ob ſolam delectationem. Finis, quo haberi debet, ut ab omni culpa ſit immunis, eſt ob bonum prolis, vel ad ſedandam concupiſcentiam, ſive in ſe, ſive in altero conjuge, ne periculum incontinentiæ ſubeant; vel ad tuendam ſanitatem, ſi aliud medium non ſuppetat. Vide Sancium lib. 9. de Matrim. diſp. 9. & 10. Vitiatur etiam conjugalis actus propter circumſtantiam loci, in quo exercetur, ut ſi habeatur coram aliis, vel in Eccleſia absque neceſſitate, in quibus caſibus eſt culpa lethalis. Sanchez ibid. diſp. 15. n. 1. & 8. additque num. 3. & meritò, tactus aliàs conjugibus permiſſos, culpam eſſe mortalem, ſi coram aliis exerceantur: moneóque Confeſſarios, ut maxima ponderatione conjugatis ſuadeant, ut caveant ab hujusmodi impudicitiis coram prolibus, domeſticis, & aliis, tum propter Scandalum: tum etiam propter Chriſtianam modeſtiam, ne cadant in

de-

deteſtabilem Hæreticorum Zurreligionorum errorem, qui perversè quidem tradebant non erubeſcendum eſſe uti rebus, quæ naturæ inſunt. Certè primi humani generis Parentes conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata. Gen. 3. quia de turpi ſua nuditate verecundabantur.

128. Ex circumſtantia temporis poteſt etiam reprehenſibilis eſſe copula conjugalis: ut ſi fiat tempore prægnantis uxoris cum periculo abortûs, ſive ante, ſive poſt animatum fœtum. Non eſt verò illicita diebus jejunii, nec Rogationum, nec Feſtis; licèt convenientius, & valdè decens ſit iis temporibus abſtinere. Palaus part. 5. diſp. 3. de Sponſal. punct. 4. §. 3. num. 5. Diebus namque ad orationem, & mortificationem ordinatis, quis non credat, decentius eſſe ab oblectamentis, & deliciis, quamvis licitis, abhorrere? Etſi culpa mortalis non ſit copulam conjugalem habere, ſive ante, ſive poſt ſuſceptam Sacram Euchariſtiam; ut tradit Sanchez ſuprà diſp. 13. num. 3. Eſt omninò conjugatis ſuadendum, ut eo die ſe contineant, ut ille Panis Angelicus & adeò Venerabile Sacramentum, quod Angeli videntes horreſcunt, mente pura, animo caſto, & corpore niveo ſumatur, & recondatur; ne fortè ſacratus Sponſus, qui paſcitur inter lilia candoris, horreat animam minùs puram, & ſanctam. Poteſt etiam culpabilis reddi actus conjugalis ob damnū ſaluti inde imminens, quod quidem ſi fuerit grave, erit mortalis venialis verò, ſi leve. Lege Leandrum à Sacram. ubi ſuprà q. 49. & ſeq.

Abuſus ex parte uxoris Cooperantis.

129. P. P. R. me accuſo, quòd meus maritus aliquando indebito modo utatur Matrimonio.

C. Servato tamen vaſe naturali?

P. Ita P. R.

C. Labitúrne ſemen extra vas illud?

P. Non P. R.

C. Quando vir petit debitum cum peccato veniali propter inordinatum uſum Matrimonii in caſibus ſupradictis, uxor poteſt, imò & tenetur reddere debitum, ut tradit Pontius lib. 10. de Matrim. cap. 112. num. 4. & Sancius lib. 9. diſp. 16. n. 8. At ego putarem cum Bonacina de Matrim. q. 4. p. 3. n. 9. & 10. quòd, licèt uxor tunc poſſit ſine peccato veniali reddere debitum, ſed non teneri; quia ſolùm fecit copiam ſui corporis in contractu ad modum humanum, non ad beſtialem, quali utuntur illi, qui ſunt ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus.

130. P. P. R. me accuſo, quòd meus maritus copulam habuerit cum conſobrina mea in ſecundo gradu, deinde debitum petiit, & ego reddidi.

C. Potuit hoc facere juxta opinionem Sanchez ubi ſuprà diſp. 6. n. 12. quia duobus modis poteſt accidere, quòd

quòd maritus indebitè petat debitum: primo, quando petit indebitè, absolutè tamen potest benè petere: v. g. Si petat non servato ordine communi, ut in superioribus traditum est; vel quia propter aliquod impedimentum, ut propter incestum, est illi vetitum petere; tunc enim absolutè potest benè petere, siquidem potest impetrare dispensationem, & in hoc casu potest uxor reddere debitum: vel quia Maritus contraxit Matrimonium cum simplici voto castitatis, & absque petita dispensatione petit debitum à sua uxore illicitè, potest etiam, imò debet juxta sententiam Dianæ part. 3. tract. 4. resol. 296. reddere debitum. Sed ego in hoc casu, ut dixi superiùs, licèt assentiar, quòd uxor possit reddere, non tamen tenetur, nisi fortè conjugi immineat periculum incontinentiæ; quia tunc ex charitate obligaretur tam reddere, quàm petere. Sanchez ubi suprà num. 14.

131. Secundò, potest indebitè petere debitum, nempe, quando concurrit aliqua circumstantia, in qua absolutè licitus esse non potest usus Matrimonii: v. g. si petat in loco sacro absque causa legitima tunc honestante talem actum; si petat cum periculo effundendi semen extra vas, vel si sodomiticè petat. Et ratio est; quia nunquam licet cooperari ad actionem secundùm se malam: ergo non licebit tunc cooperari. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 16. num. 8. & alii.

132. P. P. R. me accuso, quòd aliquando absente meo Marito habuerim in me ipsa quosdam tactus inhonestos.

C. Sentiebátne humectari eo modo, quo humectabatur, dum coibat cum conjuge suo?

P. P. R. hoc affirmare non possum.

C. Difficillimum est dignoscere in mulieribus pollutionem; quia cùm natura in illis non effundat exterius, sicut in viris, non potest ita facilè dignosci. Sed in his interrogationibus caveant Confessarii à prolixitate, & superflua curiositate, quandoquidem est minùs inconveniens non ferre judicium de aliqua circumstantia, quàm introducere interrogationes minùs decentes: singulariter cum fœminis debet Confessarius cum majori circumspectione, & cautela agere, non se extendendo nimiùm in interrogationibus super materias lubricas, ut docet Coninch. disp. 8. dub. 17. n. 131. Angelus verb. Interrog. num. 1. ejusdem opinionis est Fagundez in Præcept. lib. 4. cap. 2. num. 8.

133. Quoad tactus habitos in se ipsa dico, quòd peccaverit mortaliter, quidquid aliter sentiant aliqui apud Dianam part. 3. tract. 4. resol. 215. & part. 4. resol. 137. & in cordinatis tom. 2. tract. 6. resol. 129. & 190. Conjugibus enim non licet absente complice se ipsos tangere, etiam citra periculum pollutionis; quia Conjuges non habent facultatem ad explendam

secum

ſecum libidinem : delectari tamen de copula habita, vel habenda illis licet; quia non eſt peccatum delectari de opere licito : ſed copula eſt conjugibus licita : ergo & delectatio de illa.

134. P.P.R. me accuſo , quòd multoties marito meo debitum negaverim.

C. Negavítne ex juſta cauſa ?

P. Aliquando ita , aliquando non.

C. Debitum non ſolvere ex juſta causa : v. g. ob infirmitatem, vel tempore menſtrui, non eſt peccatum, ſine causa verò eſt peccatum.

Mihi dicat, exigebátne Maritus ut ſibi debitum ex juſtitia ?

P. P. R. Neſcio.

C. Maritus fuítne per hoc inquietus ?

P. Non P. R.

C. Quando debitum petitur ſolùm ex amicitia, & benevolentia, licèt negetur ſine cauſa, non eſt peccatum ; tunc autem colligitur conjugem petere ex amicitia, & benevolentia, quando ex negatione debiti non fit inquietus, vel quando rogatus, ut pro tunc ſe abſtineat , facilè nutui conjugis acquieſcit.

Neque peccatum eſt debitum negare quando nimiâ , & irrationabili frequentia petitur : neque quando petitur in ebrietate : nec grave peccatum eſt, ſolutionem debiti per breve tempus differre. Et ſi ordinariè ſolvatur, & tantùm ſemel negatur, erit tantùm peccatum veniale ob parvitatem materiæ : niſi fortè in petente ſit periculum incontinentiæ , tunc enim eſſet culpa gravis tam negare, quàm differre debitum : nec eſt obligatio ſolvendi debitum, quando petens eſt leproſus, vel alia infirmitate vitiante infectus : Vide Villalobos tom. 2. tract. 13. diffic. 45. num. 4. & 5. diffic. 48. num. 1. & 2. Ex quo infertur, quòd non teneatur quis ſolvere debitum poſt comeſtionem; quia eſt valde nocivum ſaluti, nec quando unus conjugum eſt febricitans : Vide Sanchez lib. 9. de Matrim. diſp. 24. num. 3. & 4.

135. Mihi dicat, ex eo , quòd non ſolverit debitum , prævidítne ineſſe periculum incontinentiæ Marito: v. g. quòd ſemen effunderet ?

P. Ita P. R. aliquando.

C. Ergo tunc peccavit mortaliter nón reddendo propter periculum incontinentiæ , licèt non petierit tanquam ex juſtitia , ſed ſolùm benevolentiæ gratiâ.

136. P. P. R. aliquando non reddidi debitum: quia tempore conſumationis extrahebat , & ſemen extra vas diffluebat.

C. Conſensítne in hoc ?

P. Non P. R. imò propterea reddere nolebam.

C. Prudenter fecit in hoc caſu juxta opinionem multorum DD. quos omiſſo nomine citat Baſſæus verb. Debitum num. 9. licèt Baſilius lib. 10. de Matrim. cap. 11. n. 8. doceat, quòd in hoc caſu , quando Maritus tempore

fluxûs ſeminis extrahit, & exterius ſeminat, non peccet uxor ſolvendo, dummodò illa non conſentiat ſeminis diſperſioni: imò dicit, quòd licitè debitum petere poſſit; quia, ut ſuprà dixi, illa concurrit ad actionem licitè faciendam, & tantùm ex culpa Mariti illicitam.

137. P.P.R. accuſo me quoque interdum conſenſiſſe, quòd meus Maritus tempore fluxûs ſeminis extraheret, & extra vas ſemen efflueret, & nonunquam ego-ipsamet corpus eo tempore ſubtraxi, ne conciperem.

C. Hìc peccavit graviter, & præter malitiam, quæ eſt in effuſione ſeminis contra finem naturæ, incurrit etiam malitiam adulterii. Eſt doctrina Dicaſtillo, quem citat, & ſequitur Diana part. 11. tract. 8. reſol. 36. quòd uxoratus effundens ſemen extra vas fœmineum præter peccatum pollutionis peccet etiam peccato adulterii, & quòd idem peccatum comittat uxor conſentiens; neque ſufficiat explicare in confeſſione, quòd habuerit mollitiem cum muliere aliena, ſed explicandum eſſe, quòd habuerit cum conjuge propria. Et ſi Maritus contradicente, & renitente uxore hoc facit, adeſſe aliam malitiam quaſi raptûs in confeſſione pariter explicandam. Hæc omnia Diana ubi ſuprà. Et ratio eſt; quia ſi Maritus patiendo pollutionem ex aliena muliere injuriam uxori ſuæ infert, quia privat eam ſemine, ad quod jus habet: eodem modo eam privat, ſi habendo cum ea copulam ſemen diſperdat: ergo &c.

138. P. P. R. etiam me accuſo, quòd aliquando noluerim ſolvere debitum, cùm me indiſpoſitam, & debilem ſenſerim.

C. Hæc indiſpoſitio fortè proceſſit ex ſua culpa; quilibet enim ex conjugibus peccat graviter, qui mediis illicitis, ut pollutionibus, aut acceſſu ad alias, ſe reddit impotentem ad reddendum conjugale debitum. Hoc idem dici debet, ſi ob alia exercitia, quamvis meritoria: v. g. ob frequentia jejunia, vigilias, aliáſque pœnitentias ita vires extenuat, ut ad ſatisfaciendum propriæ uxori exinde impotens evadat, ſicut etiam uxor non debet ſe ita vigiliis tradere, ut deformis & exoſa Marito efficiatur, ne det occaſionem Marito quærendi ſibi alias fœminas; ut videri poteſt in Caſtropalao tom. 5. diſp. 3. de ſponſal. punct. 4. §. 1. n. 7. Quamvis idem Author advertat, & congruenter, quòd rarò dicti effectus ex obſervatione jejunii Eccleſiaſtici proveniant.

P. P. R. non proceſſit ex hac causa.

C. Proceſſit fortè; quia lactavit aliquam prolem? licèt enim tunc poſſit uti Matrimonio: Licitum tamen eſt non reddere debitum, ſi exinde timeretur corruptio, vel defectus lactis, nec adeſſet aliud medium, quo proles lactari poſſit. Sanchez ubi ſuprà diſp. 22. n. 13. & n. 14. & 15.

P. Nec fuit iſta causa.

C. Quænam ergo fuit?

P. Quia paulò antè perpereram.

C. Accessum conjugalem post partum tempore purgationis, dicit cum aliis Leander suprà disp. 25. q. 25. esse peccatum veniale, non mortale; & addit Sanchez ead. disp. 22. n. 21. uxorem hoc tempore non excusari à solvendo debito; quapropter secundùm hanc doctrinam non benè fecit, quòd debitum negaverit; nisi fortè prævidisset ex solutione debiti damnum notabile sanitatis secuturum; in hoc enim casu non teneretur; si verò damnum esset leve, deberet reddere. Sanchez ibid. disp. 24. num. 2. nisi fortè aliquæ ex supradictis causis eam excusarent.

139. Advertendum est, quòd uxor licitè possit reddere debitum, quamvis ex accidenti non possit receptum semen intra vas retinere; quia id præter intentionem fit, & quia semper aliqua pars seminis intra vas remanebit.

Tenetur verò uxor sub mortali semen receptum, quantum potest conservare; nec ipsi licitum ex aliquo prætextu illud foras emittere, vel mingendo, vel surgendo, vel quovis alio conatu. Vide Leandrum suprà q. 45. 46. & 47.

Advertendum est secundò, quod juxta opinionem Leandri ibid. q. 48. uxor suæ obligationi satisfaciat, si à marito petitam copiam sui corporis ipsi faciat, animum tamen ad alia (non mala) divertat, sic frigida ipsa remanente; hoc tamen solùm habet locum in opinione dicente, quòd semen fœmineum non sit generationi necessarium. Videatur supra hunc casum Diana part. 5. tract. 14. qui est 2. Miscel. resol. 37. & in tom. Coordinat. tom. 2. tract. 6. resol. 216.

140. P. P. R. me accuso, quòd postquam Maritus intra vas seminavit, interdum maneat mea natura irritata, quia nondum proprium effudi semen, quapropter tactibus meis ad seminationem me provoco.

C. Id licere affirmat Sancius, sed mihi non placet; quia fœmineum semen non est ad generationem necessarium: ergo non licet uxori se tactibus ad seminationem propriam irritare; ita Palaus tom. 5. disp. 3. punct. 4. §. 3. num. 6. & alii.

Pars Duodecima.

De Divortio.

141. Divortium est legitima viri ab uxore, vel è contra separatio, & tribus modis potest fieri divortium: primò quoad vinculum Matrimonii: secundò quoad solum thorum, & tertiò quoad thorum, & habitationem. Matrimonium Catholicorum, postquam est consummatum, non potest dissolvi quoad vinculum, nisi superveniente morte alicujus ex contrahentibus; constat ex S. Matth. cap. 5. & 19. & ex cap. ex part. sponsal. & aliis testi. Matrimonium ratum non consummatum dissolvitur quoad vinculum per

Pro-

Professionem in Religione approbata ab Ecclesia; ita ut conjugi in sæculo remanenti sit licitum contrahere cum alia persona; ut determinatur in cap. desponsatam. 27. q. 2. & in Concil. Trident. Sess. 24. Can. 6.

142. Matrimonium consummatum potest dissolvi quoad thorum tantùm ex mutuo conjugum consensu, vel ex superveniente alicui ipsorum infirmitate contagiosa, ut est lepra &c. & hæc dissolutio potest fieri perpetuò, vel tãtùm ad tempus juxta partium conventionem, vel infirmitatis durationem. Potest etiam dissolvi Matrimonium consumatum quoad thorum & habitationem, vel quia contrahentes ex mutuo consensu Religionem intrant; vel quia inter eos fit divortium authoritate Judicis legitimi adveniente justâ causâ, ut infrà dicam.

143. P. P. R. confiteor, quòd me à mea uxore absentaverim, eò, quòd me veneno interficere voluerit.

C. Propter duas causas principales potest Maritus cum uxore divortium facere; prima est Adulterium, quod constat ex Evangelio Matth. cap. 19. secunda est sævitia, seu immanitas, nempe quando aliquis ex conjugibus timet ab altero damnum notabile sibi inferendum: v. g. continuam dissensionem, ebrietatem, privationem usus rationis, per quæ vita innocentis periclitatur.

144. Modò mihi dicat; separavítne se à sua uxore propria vel Judicis authoritate?

P. Mea authoritate hoc feci.

C. Quando est periculum in mora, quia facilè recursus ad Superiorem haberi non potest, licitum est, propriâ authoritate ex causa legitima facere divortium, si sine scandalo fieri possit. Sanchez lib. 10. de Matrim. disp. 18. num. 3. & alii, quos citat, & sequitur Bassæus verb. Divortium num. 8. & Diana part. 3. tract. 4. resol. 257.

145. Destitítne ipsius uxor ab ulteriori mortis machinatione?

P. Ita P. R.

C. Ergo V. D. tenetur ad eam reddire; etenim licèt pars innocens à nocente in perpetuum se absentare possit ob adulterium; ob immanitatem verò, & alias causas solùm est licita separatio, dum causæ subsunt, cessantibus verò causis debent reconciliari.

146. P. P. R. mihi constat, quòd mea uxor adulterium commiserit.

C. Ipsi constat, quòd adulterium commissum fuerit adulterium consummatum, vel tantùm ejus intentio, & desiderium tantumodò per tactus, oscula sive amplexus cum alia persona ostensum? quia neque desiderium adulterandi, neque tactus, oscula, amplexus cum tali desiderio sunt justa causa pro divortio; ita cum multis AA. dicit Castropalaus tom. 5. disp. 3. de sponsal. punct. 6. §. 1. num. 2. in fine.

P. P. R. non fuerunt soli tactus, vel desiderium.

C. Fuit fortassè peccatum pollutionis?

nis? quia neque pollutio est causa sufficiens ad divortium, quamvis copula sodomitica sive cum alio viro, sive cum alia muliere patrata sufficiat; ut dicit cum S. Thoma, & S. Bonaventura, & cum communi Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 15. diffic. 1. num. 4. Hoc idem dico de bestialitate. Et ratio est; quia ad divortium fornicationis causâ requiritur commixtio adulterantis cum carne aliena. Sed sic est, quòd hoc non contingat in pollutione, benè verò in sodomia, & bestialitate: ergo pollutio non sufficit ad divortiũ, quamvis sodomia, & bestialitas sufficiat. Hinc est, quòd nec copula naturalis incepta sit causa sufficiens ad divortium, benè verò erit, si effusione seminis intra vas consummetur, ut dicit Sanchez de Matrim. lib. 10. disp. 4. num. 13.

P. Ipsius peccatum non fuit peccatum contra naturam, sed fuit copula naturalis consummata cum alio viro.

147. C. Hanc copulam passa éstne uxor per vim ipsi illatam? quia si ipsi vis illata fuisset, non esset causa sufficiens ad divortium, constat ex cap. Ita, & cap. Proposit. 32. q. 5.

P. Nulla vis ipsi illata fuit.

C. Fortè fuit decepta? v. g. si quis fingendo se esse suum Maritum, taliter, ut ab ea dignosci non potuisset, & postmodum copulam cum ea habuisset; quia copula sic habita non esset causa sufficiens ad divortium. ex cap. In lectum 33. q. 2.

P. Non fuit decepta hoc modo.

C. Fortè; quia probabiliter opinando V. D. è vita decessisse alium duxit, vel fornicata est? quia nec in his casibus potest fieri divortium: eodem cap in lectum: & Sanchez supr. disp. 5. n. 11. & 12.

P. Hæ causæ non fuerunt.

C. Fortè V. D. fuit causa per commoditatem, & consensum præstitum in adulterium? quia neque in hoc casu potest fieri divortium ex cap. Discretionem de eo, qui cognov. Consangui. Sanchez ibid. num. 3. & 4. Et ratio est; quia adulter est causa divortii propter injuriam, quam conjugi infert: atqui, consentiendo ipse in adulterium, nulla ei infertur injuria: quia scienti, & volenti nulla fit injuria cap. Scienti de reg. Jur. in 6. Ergo Maritus consentiendo in adulterium uxoris non potest divortium prætendere.

P. Non consensi in illud.

C. Condonavítne expresè injuriam per hoc crimen ipsi illatam; quia si jam condonâsset, non posset ob hanc culpam facere divortium.

P. Expresè ipsi non condonavi.

C. Condonavit ergo implicite? quod accidit, quando non ignarus adulterii habuit copulam cum ipsa, vel tactus, & oscula, aut amplexus, vel cum eadem liberè, & familiariter conversatur ridendo, ludendo, vel simul comedendo, quibus in casibus censetur implicita condonatio injuriæ, adeóque cessat causa divortii. Sanchez

 sup.

ſup. diſp. 14. num. 6. & num. 18. & 19. Si verò haberentur hi tactus, copula, &c. ab inſcio adulterii, non cenſetur condonata, nec ceſſat cauſa divortii, ſi iterum in adulterium labatur.

P. Non habui poſt commiſſum peccatum ſimilem familiaritatem cum ea.

148. C. Fortè etiam V. D. ſimile peccatum commiſit accedendo ad mulierem alienam?

P. Ita P. R.

C. Et hoc patravit poſt uxoris lapſum?

P. Ita P. R.

C. Ejus uxor condonavit ipſi expreſsè, implicitè hanc injuriam ipſi illatam ob adulterinum acceſſum ad alienam?

P. Non P. R.

C. Peccatum patratum cum tali muliere fuitne copula ſodomitica, vel naturalis? quia docet Leander à Sacram. part. 2. tract. 9. diſp. 26. q. 15. quòd non ſit compenſatio in delictis, nec ea in ordine ad divortium æquivaleant, quando unus ex conjugibus adulterat, per copulam naturalem, & alter per ſodomiticam, & quòd Sodomita poſſit facere divortium à conſorte habente copulam naturalem. Sed hanc opinionem non arbitror veram; quare contrarium ſequor cum Sanchez lib. 10. de Matrim. diſp. 6. n. 5. Et ratio eſt; quia ſicut adulterium per copulam naturalem eſt cauſa ſufficiens ad divortium, ita eſt & per copulam ſodomiticam: ergo tam una, quàm altera copula æquivalet in ordine ad divortium, ergo in ambobus delictis eſt compenſatio, conſequenter Sodomita non poterit facere divortium ab adulterante copulâ naturali.

P. Copula à me habita fuit adulterium per copulam naturalem conſummatum.

149. C. Ergo jam eſt compenſatio in delictis, & V. D. in conſcientia ad ſuam uxorem redire tenetur. Ita D. Bonaventura, Navarrus, & alii plurimi, quos citat Sanchez lib. 10. de Matrim. diſp. 9. num. 27. Villalobos ubi ſupr. diffic. 5. num. 3. licèt ipſe Sanchez, & alii, quos citat, & ſequitur Baſſæus ubi ſupr. num. 12. teneant contrarium, ſed tantùm loquuntur de divortio publica authoritate Judicis ſecuto: divortium autem V. D. propria authoritate factũ eſt: ergo in omniũ ſententia V. D. ad ſuã uxorẽ redire tenetur: Et nullatenus morem ſequatur aliquorum, qui uxore prævaricante ab eadem recedunt ac per hoc ei opportunitatem præbent vitam poſtmodùm iniquiſſimam, & concubinariam ducendi. Quare Confeſſarius ſimiles Pœnitentes ad ſuas reverti uxores abſolutè obliget.

150. Advertendum eſt pro coroinde hujus capitis, quòd, qui ſua authoritate fecit divortium à conjuge adulterii cauſa, non poſſit Religionem ingredi, nec Sacros Ordines ſuſcipere, ſi pariter ille adulterium patravit. Hoc idem dico, quamvis divortium fuerit factum per ſententiam Judicis. Pars verò in no-

nocens poterit Religionem ingredi,& Ordines Sacros suscipere, sive sit per sententiam Judicis divortium factum, sive non, dummodò peccatum conjugis sit notorium, & etiam si sit occultum, quando nullum exinde sequeretur scandalum. Attamen, quia difficulter posset scandalum evitari ex repentina status mutatione propriâ authoritate factâ absque notitia causæ, ideò censeo, in hoc casu Religionem ingredi non posse, nec Sacros Ordines suscipere. Conjuge verò adultero nec post divortium authoritate Judicis factum Religionem ingredi, aut Ordines Sacros suscipere licet absque conjugis innocentis consensu, nisi hic Professionem Religiosam emiserit,aut Sacros Ordines susceperit;in hoc enim casu potest etiam adulter suum statum mutare. Videatur Sanchez lib. 10. de Matrim. disp. 10. & 11. Villalobos tom. 1. tract. 15. diffic. 6. & 7. Castropalaus tom. 5. disp. 3. de sponsal. pun. 6. §. 6. Leander à Sacr. part. 2. tract. 9. disp. 26. q. 22. & seq. Diana Coordinat. tom. 2. tract. 6. resol. 224. Et alii Authores, qui in tractatu de Matrimonio hoc punctum tangunt; ut sunt Basilius, Bonacina, & alii.

CAPUT IX.
De cogitationibus, & verbis Lascivis.

151. P. P. R. dico meam culpam, me habuisse aliquas impuras cogitationes.

C. Consensítne V. D. in similes cogitationes?

P. Non P. R.

C. Desideravítne opere exequi id, quod cogitatio suggerebat? Major pars Populi vulgaris, quando interrogatur, an desideraverit opus executioni mandare, respondet, quòd non, si solùm desiderio consensit in illud, quod ipsi cogitatio proposuit.

P. P. R. tale desiderium non habui.

C. Detinuit se in illis aliquo tractu temporis?

P. Aliquantulum.

C. Fuítne cum advertentia?

P. P. R. Semiplenam advertentiam habui.

C. Ad hoc, ut cogitatio sit peccatum mortale, requiritur plenus consensus, plena advertentia, & materia gravis, unâ ex his deficiente est tantùm peccatum veniale. Plena advertentia est, quando advertimus malitiam eo modo, quo communiter planè à somno excitati attendunt ad aliquod negotium: tunc verò est tantùm semiplena, quando advertimus malitiam eo modo, quo attendunt homines semisopiti.

152. Ad dignoscendum in casu dubio, an fuerit semiplena advertentia, & deliberatio, atque consensus, perpendenda est constitutio, & qualitas ipsius personæ; si enim hæc, licèt sit in occasione peccandi constituta, eam tamen non amplectatur, signum est, quòd cogitationi non plenè consenserit; vel etiam si sit timoratæ, & lauda-

bilis vitæ à vitio sensûs alienæ : è contra verò, si persona cogitationibus agitata sit peccato dedita , & tantùm ex defectu occasionis in peccatum non fuit lapsa, tunc de pleno consensu ferendum est judicium.

Alia multa signa circa hanc, & alias materias videri possunt in P. Thoma Sanchez, qui in primo Tomo Summæ super Decalogum ponit Tractatum de principiis generalibus, & transcendentibus Theologiæ Moralis. Opus magno studio, summâ eruditione elaboratum, ex quo Lectores multùm addiscere poterunt, ut etiam ex omnibus aliis suis operibus.

153. P. P. R. pariter dico meam culpam, quòd aliquibus cogitationibus inhonestis cum plena advertentia consenserim.

C. Quoties habuit tales cogitationes ?

P. Toties habui, ut difficulter exprimere possim, quoties consenserim.

C. Quot cogitationes singulis diebus habuit, parùm plus, vel parùm minùs ?

P. P. R. omni hora habui ter, vel quater parùm plus, vel minùs.

C. Et ex his tribus, vel quatuor quot erunt, quibus cum plena advertentia consensum præbuit ?

P. Qualibet hora puto semel me consensum præbuisse.

C. Et hi consensus fuerúntne per modum desiderii, vel delectationis ?

P. Aliqui fuerunt per modum desiderii, aliqui per modum delectationis.

C. Quot fuerunt per modum desiderii, & quot per modum delectationis ?

P. P. R. medietas de uno, & medietas de altero parùm plus, vel minùs.

C. In quo statu est V. D. ?

P. Sum uxoratus.

C. In qualia objecta hi consensus ferebantur ?

P. Major pars in mulierem solutam, & aliqui in personam votum castitatis habentem.

C. Suppono, quòd tam desideria, quàm delectationes fuerint peccata mortalia; & quòd desideria non solùm habuerint malitiam adulterii ex circumstantia personæ uxoratæ, sed etiam malitiam sacrilegii, illa scilicet, quæ ad personam votum castitatis habentem tendebant. Delectationes, licèt habuerint malitiam adulterii ex eadem ratione: attamen, si ad personam voto castitatis adstrictam seu sacram reduplicativè non tendebant, sed tantùm specificativè, & in quantum pulchra fuit, non habent malitiam sacrilegii; quod videri potest in meis conferentiis moralibus tract. 2. sect. 5. conf. 1. §. 1. num. 16. & seq. ubi ex professo de iis tracto.

P. P. R. etiam dico meam culpam, me habuisse aliqua desideria conditionata : v. g. si hoc non esset peccatum, illud facerem.

C. Hæc desideria conditionata aliquando sunt peccata mortalia, ali-

quando non pro ratione materiæ, quam respiciunt, & ad quam terminantur, sed de his plura in meis conferentiis moralibus loco cit. §. 1. num. 10. & seq.

154. P. P. R. dico meam culpam; quòd pessimam verba inhonesta, & turpia proferendi consuetudinem habuerim.

C. Protulítne talia vexationis causâ, vel cum prava intentione?

P. Ad excitandum risum, & consumendum tempus.

C. Verba significantia pudenda virilia, vel fœminea prolata à juvenibus teneræ ætatis non damnantur peccati mortalis: Neque verba minùs decentia puerorum recreationis gratiâ coram puellis honestis prolata, dummodò utrobique adsit periculum consensus venerei.

Valdè reprehensibilis est conversatio plurium personarum, in qua verba æquivoca, & apparenter nugatoria proferuntur, sed realiter sunt vera turpiloquia; & si in mutiloquio nunquam peccatum desit, testante Spiritu Sanct. Prov. cap. 10. In multiloquio non deerit peccatum. Certum est, in his conversationibus plurima committi peccata mortalia; cùm hæc verba æquivoca sint vivæ scintillæ in domo lasciviæ sensuales flammas in corda immittentes, his proinde quadrat, quod Christus Dominus dixit dæmonio immundo, obmutesce. Marc. cap. 1.

155. Suppono tanquam certum verba indecentia, æquivoca, vel malè sonantia animo provocandi ad malum prolata peccata esse mortalia, & idem dicendum: licèt expresse hac intentione non proferantur, exinde tamen ruina spiritualis adstantiũ prævideatur, in utroque enim casu malitiam scandali includunt, quod est dictum, vel factum minùs rectum præbens occasionem ruinæ: sed sic est, quòd in utroque casu hæc verba sint dicta minùs recta præbentia occasionem ruinæ: ergo in utroque casu hæc verba malitiam scandali includunt.

CAPUT X.

De Denuntiatione facienda Tribunali Sacræ Inquisitionis, quando Confessarius ad turpia in Confessione solicitat.

IMpono finem huic sexto Præcepto adjungendo materiam adeò horrendam, ut ploratu dignum sit, audire eam ex ore Catholico. Eò devenit libertas humanæ lasciviæ, ut nec sint secura ab hac effrenata passione Ecclesiæ Sacramenta. O vitium turpissimum, & abominabile! Quis per te non coinquinabitur, si nec est immune Sanctuarium tam divinum, ut est Sacramentum, in quo Deus pretium sui sanguinis deposuit: Non miror dictum S. Remigii, quòd infernum impleas: Demptis parvulis propter hoc vitium pauci salvantur.

Ad hoc ut Confessarius aliquod lumen in tam ardua, & difficili materia habeat, & ne perplexus, & anceps, sicut

ſicut mihi contigit, in confeſſionali hæreat, ponam hic brevem, & practicum Tractatum in hac materia. Ad procedendum autem majori cum cautela, & ſecuritate adducam ſequẽtem Gregorii Papæ decimi quinti conſtitutionem, quæ in hac materia eſt magis coarctans.

Conſtitutio Gregorii XV.

156. *Qui Perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu confeſſionis Sacramentalis, ſive poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis hujusmodi, etiam ipſa confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi confeſſiones Sacramentales audiuntur: ſeu Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſolicitare, aut provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in officio S. Inquiſitionis ſeveriſſimè, ut infrà, puniantur &c.*

Pro intelligentia hujus Tractatûs notanda ſunt ſequentia.

157. PRimò ex virtute hujus, & aliarum Conſtitutionũ Sancto Tribunali conceſſarum quivis Pœnitens ſolicitatus ad turpia à confeſſario in actu confeſſionis ſive poſt immediatè tenetur ſub pœna excommunicationis majoris ipſo facto incurrendæ intra ſex dierum intervallum denuntiare ſolicitantem Sacro Tribunali Inquiſitionis. Eamdem excommunicationem incurrit Confeſſarius abſolvens ſolicitatum abſque impoſitione hujus obligationis, & hæ conſtitutiones publicari ſolent à ſuis Miniſtris in Parochiis, & communitatibus Religioſorum Feria 6. poſt octavam Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

138. Secundò, ſi ipse Confeſſarius ſolicitans confiteatur alteri Confeſſario, iſte non debet, nec poteſt eum denuntiare, ut multi parùm experti exiſtimant; ſiquidem hoc eſſet frangere ſigillum confeſſionis: Et quivis Confeſſarius approbatus poteſt Confeſſarium ſolicitantem à peccato ſolicitationis abſolvere; quia hoc nulli eſt reſervatum: ita Decius, & Peirinus, quos citat, & ſequitur Eſcobar de Corto tract. de Confeſſariis ſolicitantibus tom. 1. punct. 2. q. 5. num. 37, & q. 3. num. 33. in fine; Et etiam dato caſu, quòd hoc delictum eſſet reſervatum Tribunali, poſſet tamen abſolvi per privilegium Bullæ Cruciatæ, ut dixi ſuprà de blaſphemiis hæreticalibus tract. 3. cap. 2.

159. Tertiò, non ſolùm Confeſſarius ſolicitans mulieres, ſed etiam mares debet denuntiari, conſtat expreſsè ex Conſtitutione Gregorii 15. Qui perſonas, quæcumque illæ ſint &c.

160. Quartò. Sive Confeſſarius tentaverit provocare, ſeu allicere Pœnitentem ad peccandum ſecum, ſive cum tertia perſona debet denuntiari, con-

constat etiam ex Bulla Greg. XV. Sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda &c.

161. Quintò, tam peccatum Confessarii solicitantis ad turpia est sacrilegium, quàm Pœnitentis non denuntiantis reductivè; ita Bonacina tom. 2. in Præcept. 8. q. 3. punct. 1. num. 14. Escobar ubi supr. q. 1. n. 11. in fine cum aliis.

162. P. P. R. me accuso, quòd semel tactus impudicos in Ecclesia habuerim.

C. Cum quali persona?

P. Cum persona votum castitatis habente.

C. Habuítne hos tactus tempore confessionis?

P. Non P. R.

C. Habuitne eos in confessionali?

P. P. R. in loco segregato, ubi ille sedens, & ego genuflexa hoc patravimus.

C. Ergo hoc sufficit ad denuntiationem, constat clarè ex constitutione Greg. 15. aut in loco ad confessiones audiendas electo simulantes ibidem confessiones audire: Sed illum sedere, & V. D. ante eum genuflectere est simulare confessionem; ergo obligatur eum denuntiare.

P. P. R. jam fui confessa aliis vicibus hoc peccatum, & nunquam fuit mihi hæc obligatio imposita.

C. Fuitne confessa, quòd fuerit factum hoc modo, id est, Confessario sedente, & V. D. genuflectente per modum confessionis?

P. Non P. R.

C. Confessarius interrogavítne de hoc?

P. Non P. R.

C. Ergo si V. D. solùm fuit confessa, quòd habuerit hos tactus absque explicatione circumstantiæ simulatæ confessionis, nec Confessarius hujusmodi interrogationi operam dedit: quomodo potuit ad denuntiationem eam obligare?

163. P. P. R. ille me non solicitavit ad posteà peccandum.

C. Nihil refert; quia non solùm ille, qui solicitat ad peccandum post confessionem, debet denuntiari, sed etiam qui in confessionali, aut simulando confessionem habet inhonestos sermones, aut tactus impudicos; ut constat ex constit. dicti Greg. XV. vel cum eis inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.

164. Fuítne confessa huic Confessario ante, vel post hos tactus?

P. Ita P. R.

C. Fuítne confessio immediatè ante vel post hos tactus; vel fuit aliquod intermedium?

P. P. R. immediatè post fui confessa, quia ipsemet mihi dixit, sic à Deo mihi peccata remittenda fore.

C. Ergo licèt aliunde propter hos tactus eum denuntiare non teneretur, tenetur tamen propter hanc circumstantiam immediatæ confessionis: constat etiam expressè ex supradicta con-

constitutione : In actu Sacramentali confessionis sive ante, sive post immediatè, ita, quòd, si aliquis Sacerdos copulam, aut tactus, aut sermones inhonestos habeat cum aliqua persona, quæ ipsi immediatè confiteatur, sit denuntiandus.

Non autem quando confessio non est immediatè, mediante nimirum alia re, & tempore notabili: v. g. persona confitetur, recedit à confessionali, vadit domum, & Confessarius eam sequitur solicitandi gratia in domo sua, talis non incurrit delictum denuntiationis; ita Scorcia in Bullis Pontific. Epist. 77. Theor. 197. apud Dianam part. 1. tract. 4. resol. 24. quia constitutio dicit, quòd immediatè esse debeat: ergo quando non est immediatè, non est obligatio denuntiandi.

165. Scitne V. D. an ille Confessarius jam sit diffamatus ob similia solicitationis delicta, vel aliquid de eo audivit?

P. P. R. non audivi quidquam.

C. Casu, quo delinquens non sit diffamatus ob simile delictum, sed ita occultum maneat, ut soli personæ innotescat, sentiunt Reginaldus, & alii, quos citat Leander à Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 13. q. 6. nullam adesse obligationem eum denuntiandi: Sed quidquid sit de probabilitate hujus opinionis, impossibile est moraliter in praxi eam sequi; quia cùm solicitatio fuit secretò in confessionali, quomodo poterit innotescere aliis, taliter, ut solicitans maneat diffamatus? secundò, quia hæc opinio vergit in totale præjudicium, & frustrationem Decreti Inquisitionis; etenim, si iste Pœnitens ob casum occultum ad denuntiationẽ non esset obligatus, nec erit secundus, nec tertius, & sic de aliis, qui privatim fuerunt solicitati, cùm quilibet solicitationem passivam alterius ignoret.

166. Supponitne V. D. quòd ille Confessarius sit verus Catholicus, vel quòd possit suspicari, eum de Fide non benè sentire?

P. Pro tali habetur, nec ego audivi, quòd de fide malè sentiat.

C. Hæ constitutiones imponentes has pœnas solicitantibus fundantur in præsumptione, quòd tales non sint veri Catholici, ut constat ex constitutione Pii IV. dicentis: Nos in animum inducere nequeuntes, quòd, qui de Fide rectè sentiant, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, vel eis injuriam faciant. Tenor hujus Bullæ videri potest in Escobar de Corro tom. 1. de Sacerd. solicit. in principio, & Fagundez tom. 2. in præcept. lib. 6. cap. 12. num. 2.

167. Præterea est opinio Sylvestri, Soti, Richardi, Castri, Navarri, & aliorum multorum, quos citat Suarez de leg. lib. 3. cap. 23. num. 1. quòd leges fundatæ in præsumptione non obligent in conscientia, quando præsumptio in aliquo casu particulari cessat: atqui Bullæ Pontificiæ contra solicitantes fundantur in præsumptione Hære-

sis :

sis: ergo si talis præsumptio desit, & constet, solicitantem esse verum Catholicum, cessabit obligatio eum denuntiãdi, sic sentiunt Navarrus, Sotus, Hostiensis, & alii, quos citat P. Leander à Murcia in disq. moral. tom. 1. lib. 2. disp. 5. resol. 1. n. 2.

Fateor, quòd hæc ratio magnam vim videatur habere, ego tamen hoc non obstante sum opinionis contrariæ cum Freita, & Diana part. 1. tract. 4. resol. 10. quia delicta, quæ sapiunt Hæresim, ex se reddunt suspectum ea committentem, licèt aliàs sit verus Catholicus: sed delictum solicitationis sapit Hæresim: ergo idem delictum est fundamentum suspicionis Hæresis, licèt delinquens sit verus Catholicus.

Secundò, quia Inquisitores tales solicitantes cogere debent ad abjurandum, licèt aliàs sint Catholici, nec probetur de ipsis aliquid contra Fidem; ut cum aliis DD. dicit Bonacina tom. 1. in variis tractatibus tract. seu disp. 6. punct. 3. num. 28. Ergo delictum solicitationis reddit delinquentem de Hæresi suspectum.

168. Mihi dicat, consensítne in solicitationem, id est tactibus impudicis cum illo Confessario?

P. Ita. P. R.

C. Sanchez, & alii, quos citat Leander à Sacram tom. 1. tract. 5. disp. 13. q. 43. opinantur, quòd pœnitens consentiens in Confessarii solicitationem non teneatur eum denuntiare: v.g. Confessarius solicitat pœnitentem ad habendam secum copulam, aut tactus inhonestos, & pœnitens consentit. dicunt hi DD. quòd non teneatur eum denuntiare; quia socius delicti non tenetur denuntiare suum complicem, ut dixi suprà tract. 2. cap. 4. cum Suarez, Diana, & aliis: Sed pœnitens consentiens Confessario fit complex ejus delicti: ergo non tenetur eum denuntiare.

Hanc opinionem aliqui tuentur esse probabilem, nihilominus contraria est vera; quia fundamentum, propter quod dicunt, neminem obligari ad denuntiandum suum complicem, est; quia ex hoc infamia denuntianti sequeretur; siquidem haberetur notitia sui consensus, & cooperationis ad delictum; atqui in hoc casu solicitationis nulla infamia Pœnitenti denuntianti sequitur, licèt consenserit: ergo eum denuntiare obligatur. Probo minorem; quia talis pœnitens non tenetur explicare suum consensum, & Tribunal nec pœnitentem, nec Confessarium solicitantem de hoc interrogat, neque in processu hujus fit mentio: ergo nulla infamia pœnitenti consentienti in facienda denuntiatione sequitur.

169. Scítne V. D. utrùm talis Confessarius se emendaverit quo ad peccatum solicitationis in confessione?

C. Si se emendasset, cessaret obligatio eum denuntiandi secundùm opinionem Soti, Molfesii, Portel. & aliorum, quos citat Diana part. 1. tract. 4. re-

resol. 3. quia finis pœnæ est emendatio delinquentis: ergo si jam est emendatus, non erit necessaria pœna; & per consequens cessabit obligatio eum denuntiandi; quia cessante fine superfluum est medium ad pœnam: ergo, quando hæc non est necessaria, cùm delinquens jam sit emendatus, erit superflua denuntiatio.

Nihilominus hæc opinio censenda est improbabilis, ideóque asserendū, quòd licet delinquens sit emendatus, debeat denuntiari; ita Suarez de Fide disp. 40. sect. 4. n. 13. Joan. Sanchez in select. disp. 11. num. 52. Azorius p. 1. lib. 8. cap. 19. q. 9. Et alii. Ratio est: quia finis Tribunalis non est tantùm castigatio delinquentis, verùm etiam terror cæterorum: ergo, licèt reus sit emendatus, manet tamen obligatio eum denuntiandi; probo consequentiam; quia, ut cesset obligatio Legis, necessarium est, ut cesset finis totalis, & adæquatus, & non tantùm partialis finis ejusdem Legis; ut dico in meis Conferentiis tract. 3. cons. 7. §. 1. num. 1. & seq. at emendatio rei est tantùm finis partialis Legis præcipientis denuntiationem, ergò licèt cesset iste finis posita emendatione delinquentis, obligatio tamen eum denuntiandi non cessabit.

170. Sed quia in aliquo casu fortè erit conveniens sequi opinionem contrariam, pro majori securitate emendationis delinquentis mihi dicat V. D. an viderit, quòd fuerit confessus, vel aliquod Jubileum fuerit lucratus.

P. Ita P. R. vidi ipsum semel confitentem, & celebrantem SS. Missæ Sacrificium.

C. Felinus citatus à Diana ubi suprà resol. 3. §. Sed in hoc. dicit, quòd confessio Sacramentalis sit signum emendationis: sine dubio ex hoc motivo; quòd de nullo Christiano ita temerè sit judicandum, ut credatur, eum accedere ad confessionem animo committendi sacrilegium: atqui, si non committit sacrilegium, sequitur, quòd propositum emendationis elicuerit: ergo videndo eum confitentem supponere debemus, quod hoc faciat cū proposito emendationis; & si postmodùm ejus relapsus non constet, supponendum est, eum esse emendatum.

Hoc fundamentum est nimis debile, & licèt aliàs probabile esset, hodiè tamen pro tali haberi non potest post damnationem Propositionis 2. ab Innocentio XI. factam: & debilitas hujus fundamenti patenter cognoscitur; quia videmus (faxit Deus, ut non sit verum) quamplures quotidiè confiteri, & celebrare, & tamen in malo statu vivere non uno, sed multis annis absque emendatione: ergo sola notitia, & evidentia de solicitantis confessione non est fundamentum sufficiens ad credendum, quòd sit emendatus. Secundò; quia, qui tam grave committit sacrilegium temerè profanando, & abutendo SS. Pœnitentiæ Sacramen-

mento ad satiandum suum turpem appetitum; quid mirum, quòd multa alia committat sacrilegia confitendo absque vero proposito? nam qui semel est malus, semper præsumitur malus in eodem genere mali.

171. Genuensis citatus à Diana eodem loco, dicit, recipientem Jubileũ præsumendum esse emendatum. Hæc opinio est magìs verisimilis; quia tempore Jubilei Christiani se disponere solent majori cordis compunctione ad faciendam bonam confessionem, maximè si hoc Jubileum sit tempore alicujus Missionis, quo per Evangelicam tubam excitantur peccatores in profundo vitiorum lethargo magis sopiti, & à morte peccati ad vitam gratiæ multi resuscitantur Lazari.

Hujus pariter opinionis fundamentum est infirmum, & ruinosum; quia hoc tempore valdè frequentia habentur Jubilæa in multis Anni Festis: prætereà pro personis solicitantibus raró est dies Jubilæi, siquidem, ut dicit Chrysostomus: quis unquam vidit clericum citò pœnitentiam agentem?

172. Homobonus, Freita, & alii, quos omisso nomine citat Diana ubi suprà sentiunt, quòd quando solicitans per tres annos bene vixit, de ejus emendatione præsumi possit: hoc quidem est verisimilius; attamen est nimis difficile dignoscere, utrùm Confessarius tamdiu bene vivat, quia, cùm ipsius delictum sit occultum, ac idolum pelliculâ confessionis obtegatur, hujusmodi notitia non tam facilè acquiritur.

173. Leander à Sacram. tom. 1. tr. 5. disp. 13. q. 8. dicit, quòd, si persona solicitata posthac tribus, vel quatuor vicibus solicitanti confiteatur, & cum affectu libidinoso vexatum non comperiat, præsumatur emendatus. Etiam hoc patitur exceptionem, & sua habet inconvenientia; quia Confessarius metuens denuntiationem potest cum Pœnitente anteà solicitato fraudulenter dissimulare: & hoc esset magìs suam iniquitatem abscondere, quàm se emendatum demonstrare.

174. Mihi dicat V. D. suasítne Confessario, ne quid simile deinceps faciat, & ne eam ampliùs ad peccandum in occasione tam sacra provocet?

P. P. R. nihil ipsi dixi.

C. Ab illo tempore usque modò dixítne hoc ipsi, vel fecit ipsi aliquam correctionem.

P. Non P. R.

C. Est opinio Ledesmæ, Cani, Lopez, & communiter Thomistarum, aliorúmque apud Murciam in disq. 10. lib. 2. disp. 5. resol. 1. n. 7. quòd ante denuntiationem fieri debeat correctio delinquenti. Hæc opinio tenet cum altera dicente, quòd, si delinquens sit emendatus, cesset obligatio denuntiandi: quia finis correctionis est emẽdatio: ergo, qui dicit, adesse obligationem faciendi correctionem ante denuntiationem, consequenter dicere debet, quòd, si ex correctione se-

quatur emendatio, cesset obligatio denuntiandi. Fundamentum hujus opinionis sectatorum sine dubio erit; quia correctio est de Jure Divino, denuntiatio verò de Jure positivo humano: atqui Lex Divina præponderat positivæ humanæ: ergo denuntiatio fieri non debet absque prævia correctione.

175. Hoc non obstante, verior mihi videtur sententia contraria Joannis Sanchez in select. disp. 11. num. 56. Villalob. tom. 2. tract. 4. diffic. 11. num. 3. & aliorum docentium, quòd in delictis in Inquisitionis edicto contentis non debeat fieri correctio, sed quòd sit obligatio statim denuntiandi delinquentem.

Ratio autem, cur in denuntiatione Evangelica à Christo præcepta. Dic Ecclesiæ: debeat fieri correctio ante denuntiationem, & secuta emendatione cesset obligatio denuntiationis. Matth. cap. 18. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. est; quia hæc Evangelica denuntiatio respicit emendationem delinquentis; atqui denuntiatio Judicialis, qualis est ista S. Tribunalis, non respicit solùm emendationem delinquentis, sed etiam terrorem aliorum: ergo licèt in denuntiatione Evangelica debeat præcedere correctio, non tamen in Judiciali.

Sed notandum est, quòd, si mediante correctione non speretur emẽdatio, in neutra harum opinionum fafacienda sit correctio.

176. P. P. R. spero per correctionem Confessarium emendandum, sed placeat mihi suggerere, quomodo ad hanc procedere debeam.

C. Casu quo facienda esset correctio melior modus est, ut V. D. ipsi confiteatur, & in secreto confessionis ei dicat: recordabitur V. D. quòd in tali occasione me ad turpia solicitaverit, abutendo S. Pœnitentiæ Sacramento; erit sine dubio V. D. notum, quòd similibus delictis sit imposita pœna denuntiationis ad S. Officium; antequam hoc faciam, charitate mota ad faciendam ipsi correctionem veni, ut emendationi studeat; secùs autem, sciat, quòd meæ obligationi sim satisfactura, & absque alio respectu denuntiatura.

177. Terminatâ impressione vidi Bullam Alexandri VII. 8. Julii Anno 1660. editam, cujus tenorem habet D. Franciscus Viridis tom. 1. tit. 9. denuntiat fol. 38. & 39. in qua Bulla Sua Sanctitas declarat improbabiles, & parùm tutas opiniones excusantes ab obligatione denuntiationis titulo faciendi correctionem, vel alio simili prætextu in materiis ad Sanctum Inquisitionis Tribunal pertinentibus: *propterea* (dicit hæc Bulla) *idem Sanctissimus declaravit, etiamsi nulla fraterna correctio vel alia monitio præmissa fuerit, omnino teneri, & obligatos accedere ad denuntiandum &c.* Et magìs infrà addit: *Nec posse illos à denuntiando sub dicta fraternæ correctionis vel alio* quo-

quovis prætextu retrahere, aut retardare &c. Quæ Bulla ad portam S. Petri Romæ affixa fuit.

Unde virtute hujus Decreti debet fieri denuntiatio in casibus ad S. Inquisitionis Tribunal pertinentibus absque prævia correctione, licèt delinquens sit emendatus.

178. Quapropter V. D. non potest omittere denuntiationem hujus Confessarii ad hos tactus solicitantis.

P. P. R. Promitto me hoc adimpleturam.

C. Sciat, quòd teneatur quamprimùm satisfacere suæ obligationi; quia non possum ipsam absolvere, nisi priùs satisfecerit.

P. P. R. meum verbum in pignus do, quòd illicò sim satisfactura; placeat me pro nunc absolvere; quia magnus populus hìc adest, & nisi ad sacram synaxim accedam, quid mali de me cogitabunt.

C. Ergo ad evitandam hanc notam, & cùm V. D. mihi firmissimè promittat, se suæ obligationi satisfacturam, ipsam absolvam, dirigendo me secundùm opinionem Navarri, Rodriquez, & aliorum citatorum à Diana part. 1. tract. 4. resol. 22. qui docent, quòd, si Pœnitens sit persona fidelis, & timorata, de qua credi potest eam suæ obligationi satisfacturam, & adsit aliquod inconveniens in neganda absolutione, possit prævia promissione, & firmo proposito illicò denuntiandi, absolvi.

179. P. P. R. cui est facienda denuntiatio?

C. Commissario S. Tribunalis.

P. P. R. quomodo debeo denuntiare?

C. Debet adire Commissarium, eique dicere, quòd D. vel Fr. N. Sacerdos curatus, vel Beneficiatus talis loci, & parochiæ, vel Religiosus talis conventus solicitaverit ad turpia in S. Confessionis Sacramento.

P. P. R. erit impossibile me illum adire absque nota, & scandalo.

C. Ergo det mihi V. D. licentiam, & ego faciam denuntiationem dicto commissario.

P. P. R. libenter.

C. Confessarius data opportunitate debet adire commissarium, & denuntiare solicitantem, si autem non possit oretenus denuntiare, poterit facere per Epistolam tenoris sequentis.

180. Ad servandum mandatum hujus Sacri Tribunalis, cui Sedes Apostolica facultatem concessit procedendi contra Sacerdotes solicitantes ad turpia in confessione, notifico V. D. quòd D. vel Fr. N. Curatus, Beneficiatus, vel Assistens in tali loco, vel Regularis talis Ordinis, filius talis Conventûs solicitaverit N. ad turpia in confessione Sacramentali; & hoc V. D. notifico cum licentia personæ solicitatæ, cui impossibile est, per se ipsam exequi, ut V. D. tanquam Commissario Sacri Tribunalis hanc noti-

tiam deferat, ad hoc ut prævideatur, prout meliùs expedire videbitur. Datum in tali loco, tali die, Mense & Anno &c.

181. Admoneo PP. Confessarios, quòd nunquam ipsis sit licitum interrogare pœnitentem de nomine solicitantis: nisi quando pœnitens per se ipsum denuntiare non valens substituat confessarium, tunc enim requiritur notitia nominis solicitantis ad faciendam debita forma denuntiationem.

Admoneo pariter, ne facilè suscipiant onus denuntiationis; quia per hoc multa inconvenientia oriuntur; sed ut pœnitens per se ipsum faciat, nisi quando immediata denuntiatio pœnitenti impossibilis foret, quod rarò contingit.

Nec sibi facilè fidant hanc facere per litteras; quia litteræ facilè perduntur, & ex similium litterarum perditione magna jactura, & detrimentum imminet.

Commissarii haud difficulter inveniuntur, quapropter rarò, vel nunquam litteræ erunt necessariæ. Et si aliquando non subsit medium aliud, quàm per litteras, ea præcisè cautela, & securitate transmittendæ sunt, ut de earum perditione nullum extet dubium.

182. Concludo hanc materiam admonendo omnes, ut hanc benè ponderent, & cum omni maturitate procedant: ad hoc autem, ut Confessarius in aliquo casu arduo, & urgenti aliquod refugium habere, & delinquentem discretè, & prudenter data occasione sublevare queat: aliquas opiniones laxas in hoc Tractatu collegi, quas absque conscientiæ scrupulo sequi poterit, ut multa absurda, quæ ex oppositis possent sequi, evitentur.

Attamen semper conetur tutiori parti inhærere propter bonum commune totius Ecclesiæ. Proh dolor! Sacramentum ex Dei institutione medicina animarum ab aliquibus in læthale venenum convertitur: unde jure optimo effatum Dei per Hieremiam replicare possumus: Numquid resina non est in Galaad? aut Medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Jerem. cap. 8.

Nec alia est causa, quàm supradicta, nempe; quia medicina conversa est in venenum; & plurimæ animæ propriam non audent manifestare fragilitatem Confessariis, ac si ex ejusdem revelatione bellum perpetuum ipsis superesset: ô miseria sanguineis lachrymis digna! quapropter multùm interest, ut iniquitas adeò horrenda, & dilatata supplicio vindicetur, & exemplum ad aliorum terrorem statuatur.

Plura alia ad hanc materiam pertinentia tradam in 2. part. hujus praxis tract. 17. in explicat. proposit. 7. & 8. quas Alexander VII. damnavit, ibique videri poterunt.

CA-

CAPUT XI.

Exhortatio inhoneſtè viventibus facienda.

183. C. Summam luxuriæ turpitudinem, deformitatem, ejúsque in conſpectu Dei abominationem lingua humana explicare non valet: & ſi V. D. eam, prout in ſe eſt, perpenderet, non dubito, quin Baſiliſcum ſolo intuitu homicidam agnoſceret, prout contigit cuidam fœminæ, de qua narrat S. Vincentius Ferrerius, quòd audito ſermone de inhoneſti flagitii, cui obnoxia erat, fœditate adeò perterrita fuerit, ut de repente è vita deceſſerit. Nec mirùm, cùm hoc abominabile vitium animam Deo, & Angelis in operando ſimilem brutis animalibus ſimilari faciat: ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Divinam Majeſtatem ad ulciſcenda libidinis crimina cogat, ut ex Sacra Scriptura liquidò conſtat, in qua, poſtquàm omnis caro corruperat viam ſuam, univerſalis diluvii aquis univerſum mundum diruit, & evertit, ac civitates nefandas igne ejus vindice funditus delevit.

In noſtris quoque Annalibus part. 1. lib. 12. cap. 9. & 97. refertur, quòd, dum Pater Bernardinus Aſtenſis Generalis Capucinorum cum Socio Fre: Raphaële pariter Aſtenſi per deſertum quoddam progrederetur, ab iis mœſta quædam dolentis vox eminus auditur: ſubſiſtit Bernardinus, & dum, unde nam ea vox erumpat, undique circumſpicit: En fæmina inter geminos Apros, à quibus miſera dilacerabatur, ſe illi ſpectandam offert. Horreſcit primo aſpectu Generalis; verùm cùm hoc nō humani, ſed Divini alicujus judicii ſimulacrum eſſe intelligeret, à muliere conditionem, & doloris cauſam exquirit: cùm illa: Heu me, inquit, nobiliſſimi cujusdam Hiſpani olim filia fui, quæ, ut turpibus carnis voluptatibus cum Amaſio operam darem, ſub falſò perpetuæ caſtitatis ſervandæ ſtudio honeſta conjugia reſpui, neque hujus me unquam ſceleris pœnituit, donec morte abreptam Dei judicium ad hæc me intolerabilia duorum Dæmonum, qui Aprorum inſtar dilaniant, ſupplicia adegit. Heu miſeram heu infelicem! in æternum perimendam. Inter hæc verba ab Apris illis tartareis abrepta, ac per medium diſcerpta ſe ex illius oculis eripit. Alias quoque hominum inhoneſtorum turmas eo in itinere igneis catenis vinctas à Dæmonibus ad Tartarum duci conſpicit. Et indubim eſt innumerabiles libidinis vitio coinquinatas damnari animas, idcirco eam Caſſiodorus Depopulatricem humani generis appellat. Hæc infernalis paſſio, & flamma in ſtagno illo ſulphureo perpetuo ardens vox eſt Luciferi ad tartareos ſuos lares homines attrahentis, & congregantis; quare, niſi V. D. reſipiſcat, in cœtu hoc terribili æternis cruciatibus ſuccumbet. Qualem nam hucuſque ex fœdidiſſimis his voluptatibus quæſtum

per-

percepit? verè non nisi angustias, & afflictionem Spiritûs, Dei Gratiæ amissionem & infaustum Dæmonis famulatum. Perpendat, quæso, omnia transacta ad nihilum redacta, & velut umbram præteriisse, nec pro tam vilibus, ac momentaneis rebus Dei summi Boni, Creatoris sui jacturam faciat.

Pro hujus pretiosi castitatis thesauri in luteo humanitatis vase depositi custodia summoperè necessarium est, ut à lubricis occasionibus caveat, fœminarum contubernium, aspectum, familiaritatémque devitet; quandoquidem si David vir Sanctus ex Bersabææ aspectu in adulterium lapsus fuit, quomodo peccator inter fœminarum illecebras continens esse poterit? Impossibile est teste D. Hieronymo exclamante: *Homo & mulier, ignis & palea, & Diabolus nunquam insuflare cessat, ut accendantur, & hujus prælii nullus fit victor, nisi fugiens.*

Eja ergo Fili consilio meo acquiescat, fugam capiat, ac sic Dei opitulante Gratiâ venereum incendium extinguetur. Matrem purissimam, Angelorum, & Virginum Reginam toto cordis affectu prosequatur, Marianum Rosarium quotidiè recitet, sabbatinis jejuniis subinde vacet, ejúsque mediante patrocinio de profundis voluptuosarum aquarum liberabitur; post hac vitam tranquillam, ac pacificam ducturus, ac æterna gloria fruiturus. Amen.

TRACTATUS VII.

DE VII. PRÆCEPTO.

Non furtum facies.

CAPUT I.

De Furto, & quantitate ad peccatum mortale requisitâ.

1. SUppono, Furtum definiri, quòd sit occulta rei alienæ ablatio invito Domino rationabiliter. Dicitur occulta rei alienæ ablatio ad differentiam rapinæ, quæ fit præsente rei Domino, ut patebit in cap. 3. sed furtum fit occultè absente rei Domino. Dicitur rei alienæ; quia, quod suum est, accipere, non est furtum: Ille enim, qui recuperat sibi ablatum, aut sibi debitum appropriat, non committit furtum; quia non rem alienam, sed suam accipit. Dicitur ablatio, non damnificatio: licèt enim furtum damnificet, attamen non omnis damnificatio est furtum: v. g. ille, qui incendit, vel abscindit alienam vineam, dicitur damnificare, non furari. Dicitur invito Domino; quia cum consensu Domini rem accipere, non est furtum, ad quod necessariò requiritur ejusdem dissensus, qui duobus modis contingere potest, nempe, quoad substantiam, vel quoad modum. Quoad substantiam erit invitus Dominus, quando absolutè nollet rem suam accipi: quoad modum verò, quando licèt consentiret in ablationem, non

tamen

tamen sine sua licentia: v. g. Paterfamilias, si Filius ab ipso unum, vel alterum florenum peteret, libenter ipsi daret, non vult tamen, ut Filius præsumat se inscio, & non consentiente accipere. Quando Dominus est invitus quoad substantiam, est furtum, & peccatum mortale, (si materia est gravis) cum obligatione restitutionis. Quando est invitus non quoad substantiam, sed tantùm quoad modum, non est peccatum mortale, sed veniale absque obligatione restitutionis. Dicitur denique invito rationabiliter ad significandum, quòd, quamvis Dominus rei non consentiat in ejusdem ablationem, si tamen ipsius resistentia sit irrationabilis, non erit furtum eam auferre: v. g. ille, qui est in extrema necessitate constitutus, rem aliquam aufert, licèt Dominus non consentiat, non erit furtum; quia in hoc casu non est invitus rationabiliter. Uxor invito marito accipiendo necessaria pro expensis familiæ, non facit furtum; quia, licèt sit invitus, tamen irrationabiliter.

2. Suppono secundò, in furto duplicem inveniri injuriam; nempe Dei, cujus sancta Lex violatur prohibens furtum, & proximi, cujus Substantia aufertur: prima per confessionem, & Pœnitentiam resarcienda est; secunda per restitutionem; nec sufficit confessio culpæ sine restitutione, si hæc est possibilis, nec sola restitutio sine confessione: quod dico propter aliquos ignorantes, qui putant, se satisfacere per solam confessionem sine restitutione. Alios etiam adinveni existimantes, non obligari ad confessionem peccati furti, quando non possunt restituere: ignorantiæ verè nimis culpabiles, & reprehensibiles.

3. Furtum ex sua natura est peccatum mortale, & virtuti Justitiæ oppositum; attamen inter peccata contra Proximum minùs grave; siquidem per hoc minus damnum infertur, quàm per detractionem, contumeliam, mutilationem, percussionem, aut homicidium, his enim offenditur fama, honor, sanitas, aut vita Proximi: furto verò solùm bona temporalia, quæ minoris æstimantur, quàm fama, honor, salus, & vita.

Quamvis furtum ex sua natura sit peccatum mortale, potest tamen esse veniale ex parvitate materiæ; & quod esset tantùm veniale ex eadem parvitate materiæ, potest fieri mortale propter grave damnum exinde resultans: v. g. si pauperculo opifici abripiatur instrumentum suæ artis, ut acus sartori, & hac de causa non possit laborare, sed dies lucraticios perdat, licèt furtum esset veniale propter parvitatem materiæ, erit mortale propter grave damnum allatum.

Quomodo, & quibus de causis veniale ex genere suo fiat mortale ex accidenti, fusè explicui in meis conferentiis moralibus tract. 2. sess. 4. conferentiis

ser. 2. num. 1. Et quomodo mortale ex genere suo possit fieri veniale ex accidenti, habetur in eodem tract. 2. conf. 1. num. 1.

4. Variæ sunt opiniones Authorum in determinando quantitatem in materia furti requisitam, & sufficientem ad peccatum mortale; quos refert noster P. Leander à Murcia in suis disquisitionibus moralibus tom. 2. tract. 4. de Legib. disp. 11. resol. 1. num. 5. Inter has est opinio Navarri statuentis, quantitatem sufficientem esse medium regalem: Cordubæ unũ regalem: Bartholomæi Medinæ duos regales: Emmanuelis Rodriquez, & Aragonii dicentium, requiri quantitatem excedentem duas monetas aureas æquivalentes duobus coronatis aureis; Valentia, & alii putant secluso alio damno extrinseco tres regales, aut Julios etiam diviti sublatos esse materiam gravem. Verior opinio est, quòd, licèt regulariter loquẽdo quantitas quatuor regalium sit materia gravis, universaliter tamen hæc regula certa, & infallibilis non est; quia non est dubium, quin etiam minor quantitas sufficiat, quando res aufertur pauperi, quàm dum aufertur diviti, & quòd hoc non sit intelligendum absolutè, sed respectivè juxta quantitatem, conditionem, paupertatem, aut divitias Domini, cui res aufertur. Hæc est sententia rationabilior, quam num. 6. sequar, vide ibi.

5. P.P. R. me accuso, quòd in uno prædio, in quo erant aliqui sacculi frumenti, sex abstulerim.

C. Quæ quantitas frumenti potuit contineri in his sacculis?

P. P. R. una mensura.

C. Quantum pro tunc fuit pretium unius mensuræ frumenti?

P. Octo regales.

C. Conservaſsétne Dominus frumentum usque ad tempus majoris pretii?

P. Non P.R. sed quamprimum vendidisset pro solvendis debitis.

C. Dominus hujus frumenti erátne persona pauper, vel dives?

P.P. R. erat mercenarius mediocriter dives.

6. C. Quamvis in determinanda materia certa, & firma cõstituente in furto peccatum mortale variæ sint opiniones DD. ut dixi num. 4. regula tamen tutior in praxi est Bonacinæ de Restit. tom. 2. q. 8. punct. 1. n. 7. & aliorum docentium, hoc non esse metiendum mathematicè, & absolutè, sed moraliter, & respectivè, & quòd materia peccati mortalis sit quantitas, quæ sufficeret pro diurna, & ordinaria sustẽtatione familiæ illius personæ, cui aufertur: v. g. respectu Magnatis, aut personæ in magna dignitate constitutæ unus Aureus duplus est materia sufficiens pro rationabili sustentatione diurna suæ familiæ; respectu unius Equitis ordinarii octo regales; respectu personarum mediocriter divitum quatuor regales; respectu paupe-

ris

ris mercenarii, qui in ſudore vultus ſui quotidie duos regales lucratur, quibus ſuam familiam ſuſtentat, hi duo regales, inquam, gravem materiam conſtituunt; reſpectu denique unius pauperculi mendici unus regalis. Et cùm perſona, cui v.g. hoc frumentum æquivalens octo regalibus abſtulit, fuerit unus mercenarius mediocriter ſubſiſtens, peccavit mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem.

7. C. Eſtne diu, quòd hoc furtum commiſerit?

P. P. R. ſunt tres anni elapſi.

C. Potuitne intra hoc tempus aliquando hanc quantitatem reſtituere?

P. Ita P. R.

C. Eſt opinio communis Theologorum, quòd protrahens aliquo tempore reſtitutionem, toties peccet, quoties, dum potuit, non reſtituit. Pro levamine tamẽ Confeſſariorum ponam hìc opinionem Petri Navarri de reſtit. tom. 2. lib. 4. cap. 4. num. 9. qui citat, & cum aliis ſequitur Dianam part. 1. tract. 7. reſol. 58. hi omnes docent, illum, qui ſæpiùs potuit alienũ reſtituere, & ſine cauſa negligit, unum tantùm numero peccatum committere, dummodò per actum contrarium non interrumpat voluntatem: v.g. ſi, poſtquàm decrevit non reſtituere, ipſum pœnituit, & iterum retractavit voluntatem reſtituendi, in hoc caſu multiplicatur numero peccatum juxta hos DD. Lugo tamen de Pœnit. diſp. 16. ſeſſ. 14. §. 1. num. 551. etiam in hoc caſu revocationis primi actus cenſet unum numero peccatum conſtitui cum prima voluntate, quando inter utramque modicum tempus decurrit; ſicut ille, qui ſurgit à menſa cum propoſito non amplius comedendi, poſteà retractat voluntatem, & illicò redit ad comeſtionem, hæc licèt interrupta, reputatur una moralis comeſtio: ergo etiam in hoc caſu idem erit.

8. C. Mihi dicat V. D. Confeſſarii impoſuerúntne ipſi in aliis Confeſſionibus reſtitutionem horum octo regalium?

P. Ita P. R.

C. Cur ergo illos non reſtituit?

P. Ex oblivione, & negligentia.

C. Fuítne admonita V. D. à Confeſſariis, quòd, niſi reſtituat, denegabitur ipſi abſolutio?

P. Ita P. R.

C. Quoties ipſam admonuerunt?

P. P. R. Sæpius.

C. Fortè jam quater?

P. Ita P. R.

C. Non conſiderat ergo V. D. quòd hac ſuâ negligentia abſolutionis incapacem ſe reddat? & quomodo ſuadere mihi poſſum ipſam nunc ſuæ obligationi ſatisfacturam, ſi toties ordinationem Confeſſarii non adimplevit?

In hoc caſu debet ſe gerere Confeſſarius cum Pœnitente in ordine ad differendam abſolutionem eodem modo, quo ſe gereret cum habituato in pec-

peccato, de quo loquar in tract. 10. proposit 60. damnata.

Et ad formandum judicium, an sit negligentia culpabilis restituendi, vel non, debet Confessarius, quandocumque in Pœnitente invenerit materiam furti, interrogare de tempore omissionis in satisfaciendo suæ obligationi, & an suâ culpâ, vel impotentia hoc acciderit.

9. P.P. R. me accuso pariter de furto rei spectantis ad Ecclesiam.

C. Quantùm potuit constare?

P. P. R. uno aureo.

C. Erátne res sacra? sicut sunt ornamenta, calices &c.

P. Non fuit res sacra, sed profana.

C. Erátne res consignata Ecclesiæ; nimirum aliqua suppellex, aut sedes quæ portantur pro ornanda Ecclesia in quibusdam solemnitatibus, vel aliæ res, quæ ibi deponuntur, vel ut conserventur in templo, vel in pignus alicujus obligationis debitæ Ecclesiæ?

P. Nihil simile P. R. sed fuit una margarita gestata à quadam persona, & à me ablata, dum morabatur in Ecclesia.

C. Suppositâ culpâ gravis furti cum obligatione restitutionis, dubium est, an hoc furtum fuerit Sacrilegium. Certum est, quòd furari aliquid Sacri, ut Calices, corporalia, & alia divini cultûs ornamenta, sit Sacrilegium: ac etiam furari aliquam rem consignatam Ecclesiæ in custodiam, aut per modum depositi, aut securitatis. Præter hoc est opinio communis, quòd furari in Ecclesia rem non sacram, nec custodiæ, aut tutelæ Ecclesiæ consignatam sit Sacrilegium propter injuriam, seu irreverentiam, quæ fit loco sacro. Hoc non obstante Sotus, Joannes à Cruce, Henriquez, & alii, quorum opinionem tanquam probabilem citat, & tenet Diana part. 1. tract. 7. resol. 27. & in Tomis coordinatis tom. 1. tract. 7. resol. 154. Sentiunt, non esse peccatum Sacrilegii furari in Ecclesia rem non sacram, nec sub tutelâ, custodiâ, aut curâ ejusdem Ecclesiæ, sed quæ tantùm spectat ad particularem personam; quia in hoc casu res ablata est in Ecclesia quasi per accidens; ergo &c. Deinde, quia licèt per hoc fiat irreverentia loco sacro, etiam murmurando, garriendo, aut ridendo committitur, & tamen non est Sacrilegium murmurare, garrire, aut ridere in Ecclesia: ergo nequit erit furtum rei non sacræ, quæ non est sub tutela, vel custodia Ecclesiæ. Ex quo constat furtum V. D. juxta communem opinionem fuisse Sacrilegium, non verò juxta citatos Authores.

10. Restituitne V. D. illam margaritam furto surreptam?

P. P. R. usque modò eam non restitui; quia ante paucos dies commisi hoc furtum, sed conabor pretium Domino reddere.

C. Estne adhuc in sua potestate hæc margarita?

P. Ita P. R.

C.

C. Suppono hanc margaritam esse gemmam aliquam pulchram valdè acceptam suo Domino.

P. Ita P. R. est ipsi apprimè chara.

C. Est dubium inter Authores, an ille, qui furatur rem aliquam, teneatur eamdem specificam restituere, vel an sufficiat restituere rem æquivalentem in valore, perfectione & qualitate. Petrus Navarrus tom. 2. de restit. lib. 4. cap. 1. n. 5. & Valerius de utroque foro verb. debit. differen. 8. sub num. 1. putant, in foro conscientiæ satisfieri justitiæ, si alia res æqualis valoris, perfectionis, & qualitatis restituatur; sed esse defectum contra charitatem, eamdem rem ablatam in individuo non restituendo, quando Dominus affectum posuit ad talem rem: ergo in omnium sententia V. D. tenetur restituere eamdem gemmam; siquidem est adhuc in sua potestate, & Domi- ad illam affectum habuit.

11. P. P. R. me accuso pariter, quòd data occasione in necessitate constitutus aliquid abstulerim ad reparandam meam indigentiam.

C. Abstulítne V. D. aliquid ultra id, quod præcisè erat ipsi necessarium, licèt enim in necessitate extrema, prout inferiùs dicam, possit alienum accipi; hoc tamen debet fieri ad mensuram, & proportionem necessitatis, & non ultrà.

P. Nihil ultrà mihi necessarium accepi.

C. Fuítne extrema, vel tantùm gravis necessitas illa, quam V. D. patiebatur?

Extrema necessitas est illa, cui nisi provideatur, vita periclitatur; gravis est illa, quæ causat magnam molestiam naturæ, aut statui, ut dicit Murcia supra cap. 2. Reg. S. P. N. Francisci q. 14. n. 1. & ego dicam in explicat. Prop. 36. damnata ab Innocentio XI.

P. P. R. non fui in periculo vitæ, aliquam tamen molestiam fuissem passus, nisi illo furto mihi subvenissem.

C. Si V. D. hanc quantitatem in extrema necessitate accepisset, non peccasset, ne restitutioni obstricta fuisset; quamvis posteà habuisset commoditatem restituendi juxta opinionem multorum Authorum. Licèt alii contrarium sentiant: dicentes, restitutionem esse necessariam, si ad meliorem fortunam pervenitur, ut videri potest in Lessio lib. 2. de Justit. cap. 16. dub. 1. n. 2. præcipuè num. 6. Ast cùm abstulerit solùm in gravi necessitate, non est dubium, quòd peccaverit, & asserere contrarium est casus damnatus ab Innocentio XI. in Proposit. 36. citata; & consequenter tenetur (si possibilitas adsit) ad restitutionem rei ablatæ.

CAPUT II.

De parvis Furtis.

12. P. P. R. me accuso, quòd fuerim furatus alteri personæ quantitatem viginti Regalium.

C. Hoc furtum fuítne factum simul, & semel, vel successivè?

P. P. R. Succeſſivè.

C. Quot vicibus?

P. Duodecies.

C. Inter has abſtulit unquam integram quantitatem quatuor Regalium?

P. Ita P. R. ultima vice.

C. perſona fuítne pauper?

P. P. R. fuit mediocris ſphæræ.

C. In hac occaſione furtum quatuor Regalium fuit peccatum mortale.

13. Dicat ſincerè, prima vice, quando modicam quantitatem abſtulit, habuítne animum perſeverandi in his parvis furtis?

P. Non P. R. ſed ſolùm quando opportuna erat occaſio, in hoc delinquebam.

C. Ille, qui minima furatur, ſi habet intentionem eadem continuandi uſque ad materiam gravem, in quolibet parvo furto peccatum mortale committit ratione voluntatis damnificandi graviter proximum.

14. Inter unum & aliud ex his parvis furtis quanta fuit temporis diſtantia?

P. Ordinariè ab uno furto ad aliud duo menſes effluxerunt, & interdum tres.

C. Quamvis pro priori fuerit opinio, quòd parva furta non ſint conſtitutiva materiæ peccati gravis, nec inductiva gravis obligationis ad reſtitutionem, hæc opinio tamen modò eſt improbabilis tanquam damnata ab Iñocentio XI. Propoſit. 38. Nihilominus cenſeo in hac non includi opinionem Navarri, & aliorum, quos citat & ſequitur Thom. Sanchez in Sum. tom. 2. lib. 7. cap. 21. n. 10. quòd, quando à parvo furto ad aliud tranſit Annus, non conſtituat materiam gravem, ad id enim requiritur continuatio moralis, ſed quando ab uno parvo furto ad aliud tranſit Annus, non eſt continuatio moralis: ergo tunc parva furta non conſtituunt materiam gravem: niſi quando voluntas unico actu omnia complectitur.

15. Et ſiquidem inter parva furta V. D. non fuit tanta diſtantia moraliter, etiam inter ipſa fuit continuatio, & ultimum parvum furtum conſtitutivum octo Regalium fuit peccatum mortale ex retentione præcedentium. Et ratio eſt; quia ad hoc ut ex parvis furtis conſurgat materia gravis, ſufficit quantitas duplò major illâ, quæ ſingillatim ſumta eamdem conſtitueret: atqui furari quatuor Regales perſonæ mediocriter diviti eſt peccatum mortale: ergo furari octo Regales tot parvis furtis erit ſufficiens pro conſtituenda materia peccati mortalis.

16. Alia parva furta, quæ V. D. continuavit, poſtquam pervenit ad octo Regales, fuerunt tantùm peccata venialia per ſe juxta Leſſium lib. 2. de juſtit. cap. 12, dub. 8. n. 44. Et alios; usque dum hæc parva furta ſubſequentia pervenerunt ad conſtitutioné novæ materiæ gravis, & pro tunc novum etiam peccatum mortale conſurgeret. Si verò habuit intentionem detinendi quantitatem antecedenter ab-

la-

latam, quodvis parvum furtum ſubſequens eſt materia peccati mortalis; ratio enim, propter quam ultimum parvum furtum conſtituit materiam gravem & peccatum mortale, eſt detentio præcedentium: ergo ſi in parvis furtis ſubſequẽtibus perſeverat voluntas detinendi materiam præcedentem ablatam, quodvis parvum furtum erit peccatum mortale. Leſſius loco cit. videatur, quod de parvis furtis dicam in tract. 10. in explicatione Propoſit. 38. damnatæ ab Innocentio XI.

17. P.P. R. me accuſo, quòd dolium vini ſucceſſivè vendiderim menſuris æquo & juſto minoribus.

C. Quæ quantitas potuit hoc modo retineri & auferri?

P.P. R. erit quantitas centum Regalium.

C. Licèt ſuperiùs dixerim, quòd, ut parva furta conſtituant peccatũ mortale, neceſſaria ſit quantitas duplo major illâ, quæ ſufficeret, ſi tota ſimul auferretur; & etiam juxta Leſſium lib. 2. de juſtit. cap. 11. dub. 8. num. 46. requiratur major quantitas, quando furtum fit pluribus, quàm uni ſoli. Hoc tamen intelligunt de ſimplici fure; nempe de illo, qui in qualibet occaſione furatur; non verò de illo, qui furatur ex induſtria, ut Lanio, Ganeo, Tabernarius, Caupo, qui in ponderibus & menſuris defraudant Rempublicam. In his pro conſtituenda materia peccati mortalis ſufficit eadem quantitas, quæ ſufficeret, ſi tota ſimul auferretur. Ita Fagundez in 7. præc. lib. 7. cap. 23. num. 2.

18. Nova tamen difficultas inſurgit in aſſignanda materia ſufficienti in his, qui furantur ex induſtria, ad mortale conſtituendum. Cùm enim ſimiles pauperibus, & divitibus eorum officinas frequentantibus præjudicent, bonum erit ſcire, quodnam in hoc caſu ferendum ſit judicium de damno. Exiſtimo hoc decernendum juxta majorem, aut minorem populatum Reipublicæ; ita ut in una Republica, vel civitate ampla, ſicut eſt Madritum, aut Hiſpalis neceſſariò requiratur quantitas aurei dupli: Pampelonæ, aut in alio loco minùs populato octo Regales: in alia Civitate adhuc minùs populata quatuor, & in parvis oppidis duo. Et ratio eſt; quia hìc non eſt damnum contra juſtitiam commutativam alicujus particularis, ſed ſolùm contra Rempublicam: Ergo ad proportionem majoris, vel minoris amplitudinis Reipublicæ, erit etiam majus, vel minus damnum.

19. Si verò conſtaret aliquam perſonam particularem ſæpius officinam frequentantem grave damnum recepiſſe, attentâ ejus ſphærâ, & facultate hoc damnum reſpectu illius eſſet peccatum grave: v. g. notum eſt, hominem mediocriter divitem in eadem officina decies, aut duodecies aliquid emiſſe, & in his repetitis vicibus octo Regalium damnum fuiſſe paſſum: non eſt dubium, quin fuerit materia gravis.

Si

Si constaret aliquem pauperculum à tempore, quo frequentavit officinam, gravatum fuisse quatuor Regalibus, etiã hoc est materia gravis. Idem dico de omnibus aliis, quos graviter damnificatos esse patebit; & quando pro certo constat damnum alicui particulari allatum; tunc necessariò debet ipsi restitui determinatè id, in quo passus est damnum; quando verò hoc sciri nequiret propter multitudinẽ ementium, restitutio fiet modo posito in seq. num. 20. In parvis locis facilè est formare judicium certum de damno, quod cuilibet affertur fraudulentis ponderibus, aut mensuris: quia dignosci potest frequentia cujuscumque in emendo.

Hoc Supposito certum est teneri venditorem ad restitutionem; quia quantitas fuit notabilis, & à primo parvo furto usque peccatum mortale; quia habuit determinatam voluntatem continuandi has perniciosas fraudes. Lessius ubi suprà dub. 7. n. 1. & seq. & est communis.

20. P. P. R. & cui debeo restituere hanc quantitatem?

C. Molina, & alii citati à Diana part. 4. tract. 4. resol. 46. docent, modum hujus restitutionis consistere in augmento mensurarum, usque dum restauretur quantitas ablata. Sed hic modus non caret sua difficultate, cùm non sit notum, eosdem priores ementes posteà venturos, sicque non satisfiet personis, quæ damnificatæ fuerunt. Melior mihi videtur modus traditus à Vasquez, & Escobar, citatis à Busembaum lib. 3. tract. 5. dub. 5. n. 2. nempe in hoc casu posse fieri restitutionem pauperibus, & consequenter poterit componi cum Bulla compositionis. Diana ubi suprà resol. 113. Regula enim generalis est, quòd, quandocumque proter incertitudinem Domini debet fieri restitutio pauperibus, possit fieri compositio cum Bulla. Rodriquez Bulla compositionis n. 12. circa finem. Trullench. supra Bullam lib. 2. dub. 4. n. 4.

Errorem valde notabilem in aliquibus Confessariis inveni, qui sine ulteriori advertentia pœnitentibus restitutioni obnoxiis suadent, vel imponunt celebrationem Missarum, aut eleemosynas, aut compositionem cum Bulla absque informatione, an detur in rerum natura certus Dominus, cui possint restituere. Advertant hi, quòd nec Sacra, nec pauperes, nec Bulla compositionis habeant locum, quando potest satisfieri damnificato, aut suis hæredibus: sed tunc solùm, quando ignoratur Dominus, aut si est notus, ita tamen distat, ut non possit ei satisfieri; tunc dico, per Sacra, eleemosynas, aut per Bullam compositionis posse suppleri.

21. P. P. R. quot Bullæ erunt necessariæ pro compositione hujus debiti?

C. Illud, quod defraudavit, extendi-

ditur ad centum Regales, pro unaquaque Bulla componuntur quinquaginta Regales, & viginti octo maravidis, obtentis ergo duabus Bullis extinguet debitum. Et transeunter admoneo, quòd quolibet anno quinquaginta Bullæ possint accipi, quibus satisfit quantitati duorum millium, novem centum Regalium, sex maravidis: si erit opus majori compositione præter illam, ad quam pertingunt quinquaginta Bullæ, debet compositio fieri cum Commissario Cruciatæ.

22. P. P. R. Debeóne immediatè Bullas assumere, aut expectare usque ad diem, in qua fiet publicatio?

C. Immediatè debet suscipere. Hìc in Navarra per totum annum dispensantur, Pampelonæ in domo Administratoris Cruciatæ (& in aliis Regnis pariter invenientur, ubi loca sunt grandia) & sic prima occasione sibi procuret.

23. Nunc dicat mihi, scivítne esse Privilegium Bullæ pro componenda restitutione horum bonorum?

P. Ita P. R.

C. Bulla compositionis non suffragatur his, qui operantur in confidentia ejusdem Bullæ; sed bene illis, qui operantur cum confidentia illius. Hæc est differentia operandi in aut cum confidentia Bullæ: operari in confidentia est, quando persona furatur confisa in hoc, quòd cum Bulla componetur; ita ut si non haberet hanc confidentiam, non furaretur; unde his, qui ita operantur, non prodest Bulla, sed totum id, quod abstulerunt debent restituere pauperibus, aut recurrendum est ad Commissarium Generalem Cruciatæ, ad hoc ut specialem facultatem committat componendi hæc bona: operari cum confidentia Bullæ est, quando persona avaritiâ, cupiditate, aut alio motivo ducta furatur; ita ut licèt non esset Bulla, eodem modo furaretur, remanet tamen ipsi hoc refugium, quòd, siquidem malè operatur, possit componi cum Bullis: & pro his prodest Bulla Compositionis.

CAPUT III.

De Rapina.

24. Suppono Rapinam definiri, *quòd sit injusta rei alienæ ablatio vidente, & renitente Domino: Dicitur injusta rei alienæ ablatio*; quia auferre rem non alienam, quamvis sit cum resistentia pro tunc possessoris, non est Rapina: v. g. Si Petrus vellet è manibus Joannis auferre, quod suum est, non committeret Joannes rapinam in illud defendendo, quamvis esset cum resistentia Petri; si verò hic jam re ablatâ discessisset, & remanendo in possessione illius, non erit licitum Joanni illum sequi, & vi auferre, cùm possit per justitiam recuperare; sicut dicit Sayrus in Clavi Regia part. 2. cap. 14. Q. 3. pag. mihi 59. Dicitur etiam in definitione, injusta; quia si justè auferret rem ex manibus possidentis, licèt esset cum resistentia, non esset rapina,

na, sicut si Justitia mandaret suis Ministris, ut è manibus alicujus auferent id, quod furatus est, aut aliis debet; in hoc casu illa ablatio, licèt fiet cum violentia, non est rapina; quia justè fit, nec est injusta ablatio. Dicitur vidente Domino ad differentiam furti, in quo alienum aufertur occultè, & inscio Domino; in rapina autem aufertur alienum conscio Domino. Additur & renitente, quia si Dominus videt sua bona auferri, nec resistit, sed liberè consentit in ejus ablationem, non erit furtum, nec rapina; erit tamen rapina, si permittit, ut auferantur ex impotentia contradicendi (ut quando præ timore mortis permittit latrones rapere, vel pecuniam) ad rapinam enim requiritur, & sufficit, ut in conspectu Domini fiat rei suæ ablatio, & ei resistat.

25. P. P. R. me accuso, quòd uni personæ fuerim furatus marsupium continens duas monetas.

C. Fuítne hoc vidente Domino?

P. Ita P. R.

C. Abstulítne renitente, & contradicente ipso?

P. Ita P. R.

C. Hoc ergo peccatum fuit rapinæ, & specie distinguitur à furto, & consistit in ablatione rei alienæ vidente, & renitente Domino, habétq; duas malitias specie distinctas, & oppositas virtuti Justitiæ: quarum una habetur per usurpationem rei alienæ; & alia per violentiam Domino illatam: adeóque non tantùm tenetur ad rei raptæ restitutionem, sed etiam ad satisfactionem pro injuria facta personæ cum petitione veniæ. Ita communiter DD.

CAPUT IV.

De Restitutione.

MAteria Restitutionis plura includit, & continet; & ut eâ claritate in hoc opere prætensâ procedam, hoc Caput in plures partes dividam, prout in aliis materiis practicavi.

26. Restitutio *est actus justitiæ, quo damnum proximo datum reficitur*, vel ut alii eam definiunt: *Est actus justitiæ, quo unicuique redditur, quod ab eo ablatum, vel acceptum est.* Dicitur *actus justitiæ*, sicut enim peccare contra charitatem, aut alias virtutes extra justitiam, non inducit obligationem restitutionis, ita actus restitutionis pertinet ad justitiam, quæ damnum proximo restaurat. Dicitur etiam, *quo damnum Proximo datum reficitur*, *vel quo redditur, quod ablatum*, *vel acceptum est*, ad significandum, restitutionem debere resarcire damnum Proximo allatum, aut rem ablatam in individuo reddendo, aut alia æquivalenti satisfaciendo, ut superiùs dixi cap. 1. num. 10, satisfactio autem debet esse ad æqualitatem; id est, restituendo tantùm in quantitate, & qualitate, quantum fuit damnum injustè Proximo factum.

27. Dicitur etiam quo redditur, quod ablatum est, ad differentiam solu-

lutionis, aut satisfactionis; quia quando adimpletur aliquod votum, promissio, vel debitum charitatis, aut alterius virtutis non connexæ cum justitia, vocatur solutio, & non restitutio, & differt à satisfactione tanquam inferius à superiori, aut velut species à genere; quia satisfactio latiùs patet, omnis enim restitutio est satisfactio, quia per ipsam satisfit damno Proximo causato; at non omnis satisfactio est restitutio: Nam Pœnitentia est satisfactio pro peccatis, & tamen non est restitutio: satisfactio respicit personam, restitutio rem vel eamdem vel æquivalentem restituendo. Sic Lessius lib. 2. de Justit. cap. 7. dub. 4. num. 17. & 18.

28. Restitutionis obligatio est de Lege divina, & naturali: primum patet ex verbis Christi Domini nostri apud S. Lucam cap. 20. Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari &c. & D. Pauli ad Rom. c. 13. Reddite omnibus debita. Secundum constat ex illo generali axiomate: Quod tibi nos vis fieri, alteri ne feceris. Dubium est inter Authores, an hoc præceptum restitutionis sit formaliter, aut tantùm virtualiter negativum; quod ad nostrum intentum parùm refert discutere: certum est, quòd obliget semper, & pro semper, sicut alia præcepta negativa, non verò sicut præcepta affirmativa audiendi Missam, orandi, & similia, quæ obligant solùm temporibus determinatis, quibus transactis cessat eorum obligatio; debitum autem restitutionis non cessat, nec decursu temporis, nec alio respectu ex illis, qui extinguunt obligationem per leges alicui diei determinatæ fixas.

29. Quamvis obligatio restitutionis sit de Lege divina, & naturali, ut vidimus; non est tamen necessitate medii ad consequendam salutem, illud enim est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo salus obtineri non potest, quamvis inculpabiliter omittatur: sed sic est; quòd, quando omittitur restitutio inculpabiliter, possit obtineri salus: ergo restitutio non est necessaria necessitate medii ad consequendam salutem; ad hanc tamen est necessaria necessitate Præcepti; cùm illud dicatur hoc modo necessarium, quòd si culpabiliter omittatur, salus obtineri non possit: sed sic est, quòd, si culpabiliter omittatur restitutio (intellige in materia gravi) non possit salus obtineri: ergo restitutio est necessaria ad salutem necessitate præcepti. Ita Sayrus in Clavi Regia part. 2. cap. 4.

30. Tres sunt radices, ex quibus oritur obligatio restitutionis: prima est ex re accepta, secunda, ex injusta acceptione, vel damnificatione; Et tertia, ex contractu. Etiam ad damnum physicè, vel moraliter cooperantes tenentur ad restitutionem, & hi comprehenduntur sequentibus versibus.

Jussio, consilium, consensus, palpo re-

recursus. Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

31. Jussio; ille, qui imperat: v. g. Dominus servo, Pater filio, Superior subdito.

Consilium, ille, qui suadet suo consilio.

Consensus, ille, qui consentit in furtum, & ex officio obligatur ad illud impediendum: v. g. Gubernator, qui permittit, & consentit in furta subditorum, Parens filii, & Dominus servi.

32. Palpo, qui adulatur, & approbat, v. g. si persona aliqua dicat Petro: quàm magnanimus esses, si à Joanne talem rem auferres! aut, abhinc discede vir nullius generosi Spiritûs, cùm non habeas animum eam auferendi: si Petrus hoc improperio motus furatur, adulator tenetur ad restitutionem.

Recursus, ille qui custodit, & abscondit rem ablatam.

Participans, ille, qui comitem se addit furi, aut licèt non sit ipsi comes, de re ablata posteà participat.

33. Mutus, non obstans, non manifestans, illi, qui ex officio tenentur ad impediendum furtum, & non impediunt, peccant contra justitiam, & sunt restitutioni obnoxii: ille verò, qui non tenetur ex officio ad impediendum damnum, si non impediat, peccat contra charitatem, sed non contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem.

Pars I.

De Mandante Furtum.

34. P. P. R. me accuso, quòd, data occasione in necessitate pecuniæ constitutus, præceperim meo servo, ut aliquam quantitatem furaretur Mercatori diviti.

C. V. D. tria peccata specie distincta patravit in hac occasione; unum ratione officii, nempe Domini; à quo obligabatur ad vitandum malum exemplum; alterum ratione injustitiæ contra Mercatorem; & tertium ratione scandali famulo dati virtuti charitatis oppositi.

35. Nunc mihi dicat, fuitne jam determinatus famulus ad faciendum hoc furtum?

P. Non. P. R. nisi ego præcepissem, non fuisset furatus.

C. Si famulus se determinasset ad furtum, & absque ordinatione V. D. illud fecisset, duo tantùm peccata V. D. imputarentur; unum propter malum exemplum, quod famulo dedisset; & alterum propter desiderium nocendi Mercatori; peccatum verò scandali non commisisset; quia V. D. non esset occasio peccandi famulo, nec teneretur ad restitutionem: quod universaliter intelligitur de omnibus illis, qui cooperantur ad furtum consilio, jussione, recursu, consensu &c. Nempe quòd non teneantur ad restitutionem supposita determinatione

furis

furis ad furandum, nisi quando participant de re ablata, in quo casu ex re accepta restitutioni sunt subjecti.

Si autem famulus juxta dictum V. D. non se determinaverat ad furtum; nec hoc fecisset absque ordinatione V. D. causa efficax furti fuit V. D. & consequenter tenetur ad restitutionem.

36. Dicat mihi; habuitne V. D. vel famulus usum pecuniæ ablatæ?

P. P. R. ego totam pecuniam consumpsi.

C. Si famulus pecuniam consumpsisset, idem principaliter teneretur ad restitutionem, & eo deficiente V. D. tanquam mandans; est enim communis doctrina, & trita regula, quòd causæ concurrentes ad damnum, teneantur ad restitutionem hoc ordine: primariò tenentur ad restitutionem illi, qui habent in sua potestate rem ablatam, aut eamdem consumpserunt; si hi non restituunt, mandans & præcipiens furtum debet restituere; & si hic deest, tenetur ipsemet fur, licèt aliàs ex furto nullum lucrum habuerit; loco hujus ille, qui dat consilium; deinde qui abscondit: & tandem, qui non impedivit furtum, cùm tamen debuisset. Bassæus verb. restit. 4. n. 27. & alii.

37. P. P. R. meus famulus hanc quantitatem restituit ex ordinatione Confessarii, cùm ego hoc executioni non mandaverim.

C. In hac materia Regula trita est, quòd, quando causa secundaria restituit, quia primaria hoc non facit, tunc causa primaria debeat satisfacere secundariæ pro quantitate loco ipsius restituta. Et hoc posito, cùm V. D. tanquam causa primaria, & principalis teneretur ad restitutionem, debet satisfacere suo famulo, qui fuit causa secundaria, in eo, quod restituit Mercatori. Et è contra, si causa principalis restituit, omnes alii ab hac obligatione sunt immunes. Est communis, Layman. lib. 3. tract. 6. cap. 6. n. 3.

Ex quo principio infertur, quòd, si damnificatus remittat debitum causæ principali, omnes alii liberentur ab obligatione restitutionis. Si verò remittit causæ secundariæ, non per hoc primaria eximitur à restitutione.

38. In prima impressione, cùm non potuerim ejusdem correctioni assistere, doctrina sequentis numeri confusè fuit posita.

Infertur etiam, quòd, si causa primaria reddatur impotens ad restitutionem, ad hanc non teneantur causæ secundariæ, quamvis possint, quia causæ secundariæ dicuntur substitutæ obligationis primariæ: atqui hæc, quando est impotens, non obligatur ad restitutionem: ergo hæc obligatio non poterit transire ad substitutas; quod enim non subsistit, nequit alteri delegari; obligatio causæ primariæ non subsistit, quando est impotens: ergo hæc obligatio nequit subdelegari,

ri, aut transire ad causas secundarias.

39. Pro hujus intelligentia notandum est, causas secundarias esse duplicis generis; aliquæ sunt, quæ fuerunt causæ furti consilio, mandato, participatione, aut quia non obstarunt furto, cùm tamen debuissent ex officio; & aliæ, quæ sine ullo concursu, vel influxu in furtum locum causæ primariæ occuparunt, sicut hæres, qui innocens à damnis allatis à vivente Testatore fit possessor ejus bonorum cum onere solvendi debita, & restituendi, quidquid defunctus tenebatur restituere.

Causæ secundæ primi generis obligantur ad restitutionem supposita possibilitate, licèt primariæ non possint; quia de hoc genere causarum non verificatur, quòd sint substitutæ, nec delegatæ obligationis primariæ; sed quòd ex se & absolutè teneantur ad restitutionem, prout decernit Papa Innocentius XI. in Propositione 39. damnata. Et sic respectu harum non habet locum doctrina posita in dicto numero primæ impressionis.

40. In causis secundariis secundi generis; id est, in hæredibus habet locum dicta doctrina, quòd non teneantur ad restitutionem, quando causa primaria redditur impotens, scilicet quando debita, & obligationes excedunt valorem hæreditatis; ut videri potest in Bonacina de contract. disp. 3. q. 17. pun. 7. prope finem. Quia de istis verificatur, quòd sint substitutæ, & delegatæ obligationis primariæ, quæ est Testator: cùm ergo hîc sit impotens ad restitutionem ex insufficientia bonorum relictorum, nec hæres tanquam causa secundaria erit obligatus (qui non concurrit, nec fuit causa furtorum, & damnorum ipsius) ad restitutionem, vel solutionem horum omnium debitorum: In hoc sensu fui locutus in dicto numero, in quo solùm, & nullo alio modo potest practicari doctrina ibi adducta.

Pars II.

De Cooperante, & Consentiente.

41. P. P. R. dico meam culpam, quòd in mea domo receperim latronem & sarcinam frumenti furto ablatam pro eodem custodiverim.

C. Antequam hoc furtum faceret, dixitne ipsi V. D quòd velit in sua domo illud frumentum custodire?

P. Non. P. R.

C. Et si V. D. hoc frumentum non recepisset, aut conservasset, fecissétne Domino ejusdem restitutionem?

P. Non. P. R. sed immediatè illud consumpsisset.

C. Propter verbum Recursus tenetur restituere id, quod ante, vel post furtum latro permisit in sua domo, aut si custodivit arma, vel instrumenta furtiva, vel rem ablatam; sed quando ex charitate occultavit, ne incidat in manus justitiæ. (si hæc occultatio non sit efficaciter impeditiva restitutionis, aut causa impulsiva continuationis furtorum)

tum) non est obligatio restituendi. Villalobos part.2. tract.11. diffic. 7. n. 10. Et ratio est, quia cooperans non tenetur ad restitutionem, nisi in quantum est causa efficax furti, aut impeditiva restitutionis: quando accidentaliter suscipit furem, ne fiat captivus Justitiæ, & quando absque hac susceptione non restitueret Domino rem ablatam, non est causa efficax furti, nec retentionis: ergo in hoc casu non est obligatio restitutionis.

Illi, qui obligantur ad restitutionem, & graviter peccant, sunt plures Personæ, quæ occultant modò furtum frumenti, modò alterius rei, & alia, quæ Filiifamilias furantur eorum Parentibus, servi Dominis, Nepotes Patruis, si enim hi tale refugium non haberent, à suis furtis abstinerent.

42. P.P.R. dico etiam meam culpam, quòd consenserim in aliquod damnum, quod factum est.

C. Tenebatúrne ex officio V.D. impedire hoc damnum? quia si ex officio non tenebatur, non peccavit contra justitiam non impediendo damnum, sed contra charitatem, ex quo non resultat obligatio restituendi.

P.P.R. ex officio tenebar non dare assensum huic damno.

C. Per hunc assensum fortè intelligit se habuisse complacentiam, quòd successerit? quia si ille, qui ex officio obligatur de justitia ad evitandũ aliquod damnum, si hoc contingit absque sua culpa, sed per accidens aliquod, vel culpa aliorum, licèt de facto damno habeat complacentiam, non tenebitur ad restitutionem, sed solùm peccabit contra charitatem in habendo complacentiam.

P. P.R. antequam succederet consensi.

C. Quo modo hic casus contigit?

P.P.R. contigit in una electione, in qua ex officio debui cum aliis dare suffragium, & cum iisdem consensi in malam & injustam electionem.

C. Ex hac mala electione sequebatúrne aliquod damnum tertio?

P. Ita. P.R.

C. Et alii electores fuerúntne dispósiti ad hanc pernitiosam electionem independenter à voto, & consensu V.D.

P. Ita. P.R.

C. Et si V.D. cum illis non cōnsensisset, potuisśętne evitari hoc damnum?

P.P.R. quia unicum erat meum votum, nec sufficiens ad retrahendos ipsos à malo intento.

C. V.D. manifestavítne, vel dedit suum consensum, seu votum, antequam data fuerint sufficientia vota ad hoc malum causandum?

P. Non. P.R. quia meum votum fuit omnium ultimum, & pro tunc jam alii suffragium dederant.

43. C. Suppono V.D. graviter peccasse contra suum officium per injustam & iniquam electionem; & si potuisset impedire hoc damnum, & secùs

cùs fecisset, teneretur ad restitutionem; sic pariter, si nondum positis votis sufficientibus expressisset suum consensum, & dedisset suum votum. Ratio est, quia in his casibus V. D. esset causa efficax secuti damni: sed causa efficax damni tenetur ad restitutionem, ergo in his casibus V. D. haberet hanc obligationem. Si autem non potuit evitare hoc damnum cum suo suffragio, nec hoc dedit, antequam esset numerus votorum sufficiens ad causandum malum, licèt graviter peccaverit, non tenetur tamen ad restitutionem; quia in hoc casu non fuit causa secuti damni. Vide Lessium lib. 2. de Justit. cap. 13. dub. 3. n. 22.

44. Gravissima sunt peccata, quæ in hoc genere solent patrare plurimæ personæ Consiliarii Regii, qui ex adulatione iniquas opiniones, & consilia præbent, & ex pusillanimitate veritatem ingenuè, & sincerè non aperiunt, perniciosissima mala causant. Ministri Justitiæ, qui in litium decisionibus non operantur cum æquitate, mancipati ab avaritia, dependentia, favore, & vincti à propriis prætensionibus, plurimarum injustitiarum sunt causa. Alii Ministri publici, qui non rationem, sed quæ sua sunt, quærunt, tanquam propriæ obligationis obliti, gravamina, iniquitates, & scelera ingentia committunt. In Beneficiis quoque Ecclesiasticis non juxta merita subjectorum distributis, sed secundùm passionem, affectum, aut inclinationem electorum plurimæ, & irrationabiles injustitiæ fiunt, dum eliguntur ad Parochias, curas animarum, Capellanias, & alia sacra exercitia non personæ idoneæ, quæ majori Zelo his officiis fungi possent, sed quæ plura media habuerunt, vel pinguiori Mammona concedentis animum ad sua vota inclinare conati sunt. Et si (quod absit) hæc contagio locum inveniret in electionibus Prælaturarum, quàm lacrymabilis esset miseria? Si Personæ, quæ cognita vanitate mundi, & spretis apparentibus bonis in sæculo facilè obtinendis, humilem, & sanctum Religionis statum amplexatæ sunt, turpiter deinde à laqueis periculosis detestabilis ambitionis captæ, subornationibus indignis, mediis irreligiosis, & animo præsumptuoso electiones parum justas solicitarent, nónne casus summè fatalis esset? His, qui hac via pervenirent ad Prælaturam, loquitur Deus per suum Prophetam Oseam cap. 8. Ipsi regnaverunt, & non ex me; principes extiterunt, & non cognovi. Regnant, triumphant, imperant, velut Superiores, ast eorum imperium, & gubernium mihi non arridet, quia ad thronum dignitatis non ascendunt per januam planam veritatis, ingenuitatis, & libertatis animi, sed per tortuosos calles prætensionum, & instigationum, nec ego eorum electionem approbo, aut regimen accepto. Principes extiterunt, & non cognovi.

Pars III.

De Participante.

45. P P. R. dico meam culpam, quòd quadam nocte me associaverim aliquibus amicis, & furati fuerimus duodecim gallinas.

C. V.D. fortè induxit socios ad faciendum hoc furtum?

P. Non P.R. sed omnes simul in hoc convenimus.

C. Si V.D. induxisset, aut fuisset causa concursûs aliorum ad hoc furtum, præter peccatum injustitiæ commissum in furando, aliam malitiam specie distinctam commisisset, nempe scandalum, & teneretur ad restitutionem totius furti, tanquam causa efficax, & principalis. Dicat mihi, si V.D. cum his non concurrisset, fecissentne hoc furtum?

P. Sine dubio illud fecissent.

C. Si furtum non fuisset factum absque suo concursu, & propter suum concursum, V.D. pariter fuisset obligata ad restitutionem in integrum, tanquam causa principalis. Pro hujus intelligentia notandum est, materiam ablatam posse esse indivisibilem, vel divisibilem. Indivisibilis est v. g. armarium, aut cista magna; quæ à duobus, vel tribus non potest elevari sine auxilio quarti: in hoc casu quilibet ex quatuor fuit causa efficax furti: quia si quartus non concurrisset, non poterat auferri. Materia divisibilis est, quando unus sine cooperatiooe Socii potest eam auferre: v. g. illi, qui furantur fructus, vel gallinas, aut alias res, quarum unusquisque suam portionem accipit, & aufert, & eodem modo posset ferre, si solus esset. Murcia tom. 1. disp. Moral. lib. 2. resol. 4. num. 12. & alii.

46. Mihi dicat, quantum abstulit in hac occasione?

P. P.R. ego tantùm unam gallinam valoris duorum regalium.

C. Persona damnificata fuitne valde pauper?

P. Non P.R.

C. In communi sententia, quamvis furtum, ad quod V.D. concurrit, fuerit divisibile, nec fuerit divisibile, nec fuerit causa efficax illius inducendo alios, peccavit tamen mortaliter per concursum cum sociis, & quilibet tenetur in solidum ad integram restitutionem, Vasquez, & alii, quos citat Diana part. 2. tract. 17. resol. 42. Concursus enim ad grave damnum Proximi est peccatum mortale: V.D. & quilibet ex aliis concurrerunt ad grave damnum proximi: ergo omnes peccarunt mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Est communis DD. est tamen etiam probabile, quòd V. D. tantùm venialiter peccaverit ex suppositione, quòd non fuerit causa efficax furti, & quantitas ablata fuerit levis. Lessius lib. 2. de Justit. cap. 12. dub. 9. num. 52. Sanchez in Sum. tom. 2. lib. 7. cap. 21. num 22. & plures alii. Ratio est; quia non intulit

grave damnum, nec fuit causa efficax illius: qui non infert grave damnum proximi, nec est causa efficax illius, non peccat mortaliter: ergo V.D. non peccavit mortaliter. Ex quo infertur, eamdem non teneri ad restitutionem integræ quantitatis ablatæ, sed tantùm partis propter dictam rationem, id in terminis affirmant Richardus, Sylvester, & alii, quos citat, & sequitur Navarrus in Sum. Latina cap. 17. num. 20. & ut probabile tenet Lessius ubi suprà cap. 13. dub. 2. num. 8. cum aliis.

47. P. Si alii non velint restituere ablatum, manebóne ego obligatus ad restitutionem in integrum?

C. Ita Fili secundùm communem sententiam; quia sicut superiùs dixi, recusante causâ principali restitutionem debet hanc supplere minùs principalis, quamvis hæc sit inferioris gradûs alterâ: ergo multò magis, quando plures æqualiter concurrunt, & in æquali gradu, unus vel alter in defecta aliorum tenebitur ad restitutionem, alii tamen posteà erunt obstricti satisfacere V. D. in eo quod pro ipsis solvit; & si hoc recusarent, posset occultè se recompensare. Juxta sententiam verò Lessii, & eorum, qui dicunt, quòd tantùm venialiter peccaverit, licèt alii non restituant, tenebitur tantùm suam partem restituere. In hoc particulari Confessarius non raró exaudiet aliquos auferentes fructus, & alias reculas, à quibus exquirat, an hoc contigerit frequenter, & si gravis sit quantitas, sub peccato mortali tenentur ad restitutionem; si materia sit levis, tenentur etiam restituere: sed tantùm sub veniali; restitutio autem facienda est Dominis in individuo notis, nec eximendi sũt Pœnitentes à restitutione, per impositionem Sacrorum, & eleemosynarum, sicut multi putant, nisi quando Domini non essent noti, aut iis restitutio fieri non posset. Hæc doctrina limitatur, quando præsumitur Dominos fructuũ non ægrè ferre eorum ablationem, vel huic indulgere, tunc enim cessat obligatio restitutionis.

48. P. P. R. Dominus harum gallinarum obtinuit excommunicationem contra earum fures; alligórne hac Censura?

C. Juxta communem sententiam Theologorum, V. D. comprehenditur in hac excommunicatione; sed si sequi velimus opinionem Navarri, Sanchez, & Navarræ, quos citat Fagundez in Decal. lib. 7. cap. 14. num. 10. qui docent, quòd, quando tantùm veniale committitur in furto, & solùm sub veniali obligat restitutio, quamvis alii multi concurrerint ad furtum, non incurratur in excommunicationem; cùm ergo V. D. tantùm venialiter peccaverit, & sub veniali tantùm teneatur ad restitutionem juxta secundam sententiam suprà allatam, excommunicationem non incurrit. Et ratio est; quia Excommunicatio est

pœna

pœna gravissima, quæ non incurritur, nisi pro culpa gravi, prout asserit communis Theologia: ergo cùm ipsius culpa fuerit levis, in dicta sententia, Excommunicationem non incurrit.

49. Fateor, hanc rationem multum roboris habere, est tamen valde laxa, nec hæc doctrina mihi tuta videtur; quia hoc esset frustrare finem Excommunicationis, posset enim quilibet dicere: ego modicam quantitatem abstuli, quapropter Excommunicatio me non comprehendit, ex quo sequeretur, quòd Dominus rei esset graviter damnificatus, absque eo, quòd ullus sub culpa mortali teneretur ad restitutionem: quod est absurdum. Et sequenti casu moderno tempore in Episcopatu Pampelonensi practicato me explicabo. Ad instantiam Administratoris Hospitalis Pampelonæ à Reverendissimo Nuntio obtenta fuit Excommunicatio ut nullus ludat, vel emat tentoria, præter illa, quæ vendit dictum Hospitale: Hæc Excommunicatio alligat ementes tentoria ab aliis privatis; quia licèt verum sit, quòd hæc transgressio, nempe empio tentorii sit absolutè culpa levis, respectivè tamen ad damnum inde proveniens Hospitali est materia considerabilis, adeóque omnes incurrunt supradictam Excommunicationem.

50. P. P. R. dico pariter meam culpam, quòd supernâ die invitatus à quibusdam amicis manducantibus Agniculum, ipsemet in tali Societate comederim; & posteà rescivi, quòd fuerit furtivus.

C. Quando V. D. comedit de hoc Agniculo, scivítne, quòd fuerit furtivus?

P. Non P. R.

C. Si de hoc conscius, fuisset teneretur ad restitutionem portionis à se consumptæ, sed cùm non fuerit conscius furti, secundùm communem opinionem tenetur tantùm restituere id, quod in sua domo remansit omittendo prandium, aut Cœnam, eò quòd comederit cum suis amicis. Videatur Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 2. cap. 24. num. 34. est enim commune principium, quòd de re aliena bona fide consumpta teneatur quis restituere id, in quo factus est ditior: v. g. V. D. equum (inscia, quòd fuerit furtivus) quadraginta ducatis emit, & quinquaginta vendidit, deinde habuit notitiam, quòd fuerit furtivus; decem tantùm ducatos, in quo factus est ditior, tenetur vero Domino restituere.

Quamvis probabiliter doceat Diana part. 3. tract. 5. resol. 43. cum aliis DD. de re aliena bona fide consumpta non dari obligationem ullius restitutionis; in hac opinione meo judicio non totaliter improbabili V. D. liberatur ab obligatione restituendi etiam id, quod in sua domo omittendo Cœnam remansit.

Pars IV.

De Consilium dante.

51. P. P. R. Confiteor, quòd aliquibus latronibus jã determinatis ad furtum agniculi unius pauperculi ex parvulo ipsius grege suaserim, ut non huic pauperi, sed potiùs alteri viro diviti in vicinis pascuis gregem copiosum habenti agniculum auferrent.

C. Fuítne furtum contra divitem executioni mandatum?

P. Ita P. R.

C. Quamvis sit generale principiũ, quòd personæ determinatæ ad patrandum grave peccatum liceat suadere minùs grave; hoc tamen intelligitur, quando non cedit in damnum tertiæ personæ: v. g. statuit Petrus furari in communi centum regales, possum ego in communi suadere, ut minus furetur. Si verò statuit furari Joanni quinquaginta, mihi non licet ipsi dicere, ut furetur viginti Francisco, quia hoc vergit in damnum tertiæ, & determinatæ personæ; & ille, qui simile dat consilium peccat, & tenetur ad restitutionem. Lessius lib. 2. de Just. cap. 13. dub. 3. num. 21.

52. Hanc Lessii doctrinam limitat Villalobos part. 2. tract. 11. diffic. 7. num. 6. §. Et magis in fine; quando Petro determinato ad furandum Joanni pauperi 50. datur consilium, ut Francisco diviti minus furetur, in hoc casu ait, non esse peccatum, si rationabilis sit præsumptio, quòd Franciscus tanquam dives libentiùs habeat, ut aliquid sibi auferatur, ne pauper damnificetur.

Ego verò limitationem hanc Villalobos tutam non censeo, sequeretur enim, eumdem furem determinatum ad furandum pauperi, si mutata deinde opinione furaretur diviti minorem quantitatem, non peccaturum, nec fore obligatum ad restitutionem; quod est magnum absurdum. Sequelam probo; quia non potest esse furtum, quando Dominus non est rationabiliter invitus: atqui in sententia Villalobos hoc consilium furandi minus viro diviti, quando latro est determinatus ad furandum pauperi, fundatur in præsumptione, quòd Dominus dives non sit rationabiliter invitus: ergo non erit furtum hanc minorem quantitatem auferre eidem diviti, quod, ut dixi, est absurdum, ac proinde non admittendum.

53. P. P. R. confiteor etiam, quòd aliquod malum consilium uni præbuerim.

C. Hoc consilium fuítne in materia contra justitiam, vel contra alias virtutes? Licèt enim peccatum grave scandali sit suadere alicui, ut fornicetur, blasphemet, aut agat contra alias virtutes extra justitiam, non est tamen obligatio restitutionis.

P. P. R. meum consilium fuit in materia contra justitiam.

C. Materia fuítne cum læsione tertiæ personæ? quia potest contingere, quod

quòd offendatur virtus justitiæ sine obligatione restitutionis : v. g. qui committit peccatum adulterii , agit contra justitiam ; & si hoc sit occultum, nec sequatur infamia, non obligatur ad restitutionem : Uxor injustè negans debitum marito, peccat contra justitiam sine obligatione restitutionis.

P. Materia mei consilii fuit, cum damno tertiæ personæ.

C. Ille, cui hoc malum consilium præbuit, fuítne jam determinatus ad illud furtum faciendum ? si enim jam fuisset determinatus , & ipsius consilium non fuisset causa motiva, quamvis peccasset graviter, non tamen teneretur ad restitutionem ; quia non fuit causa moralis, & efficax dicti furti.

P. Non fuit determinatus ad patrandum hoc malum.

C. Ex hoc malo sequebatúrne effectus? si enim nullus effectus fuisset secutus, peccasset quidem, sed sine onere restitutionis; quia nullum damnum ex suo malo consilio provenisset.

P. P. R. ille exequebatur meum malum consilium.

C. Et post malum consilium datum procuravítne hoc ipsi dissuadere?

P. Ita P. R. pœnituit me de malo consilio dato, & deinde illud dissuasi.

C. Dissuasítne antequam patravit malum, & eo tempore, quo potuisset ab illo divertere?

P. Tempore opportuno, & antequam peccavit, ab executione eum diverti.

C. Proposuítne aliquam solidam rationem, & sufficientem ad vincendum influxum, quem in illo causavit suum primum pravum consilium ?

P. P. R. feci, quantum potui, ac sufficientissima motiva, & rationes ipsi proposui, ut à malo desisteret.

54. C. Certum est, quòd movens suo consilio, aut inducens aliquam personam ad faciendum aliquod damnum, non solùm peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem; & contraria assertio damnatur tanquam scandalosa ab Innocentio Papa XI. in Proposit. 39. quam explicabo in tract. hujus operis. Dubitari tamen potest; an sit liber ab onere restitutionis ille, qui posteà retractat suum malum consilium, ejúsque executionem personæ dissuadet. Non est dubium, quòd teneatur ad restitutionem, licèt intrinsecè malum consilium retractet, nisi conetur personæ dissuadere: & quòd tam parùm maneat liber ab obligatione, quamvis conetur dissuadere, quando non ampliùs remederi potest; quia aut malum est in facto esse, aut taliter in fieri, ut non possit diverti: & quando etiam omne medium adhibeatur pro distrahenda persona ab executione mali anteà ipsi propositi, sentiunt communiter DD. per hoc non eximi ab onere restitutionis; licèt enim mandans furtum liberetur ab onere restitutionis, si tempore opportuno, retra-

tractet mandatum, & prohibeat ejusdem executionem, quamvis mandatarius hanc novam retractationem observare recuset; non ita tamen accidit in dante consilium, posita etiam ejusdem consilii retractatione. Ratio differentiæ est, quia mandans habens dominium supra personam ex suppositione sibi subjectum omnem influxum priori mandato habitum ad malum, posteriori mandato retractat, & annihilat: in consilio autem, sicut non habet dominium supra voluntatem, & intellectus adhuc convictus, & imbutus remanet dictamine, & rationibus mali consilii; quæ non disperguntur ejusdem retractatione; ideo consiliarius non est liber ab onere restitutionis, licèt conetur sua retractatione primum malum consilium destruere.

55. Hoc non obstante valdè probabile censet cum aliis Villalobos in Sum. part. 2. tract. 11. diffic. 7. sub n. 6. §. & magis. quòd, si inquiunt consiliarius, quantum potuit, conatus fuerit dissuadere, ac novis validisque rationibus à malo divertere, licèt non obtinuerit, quòd persona distitisset à causando damno, maneat liber ab onere restitutionis; quia quamvis verum sit, quòd consilium non habeat imperium supra voluntatem, sed solùm rationibus eam moveat, hæ tamen primæ rationes vincuntur, & disperguntur subsequentibus; & licèt realiter secundæ rationes non ita suadeant bonum, sicut primæ malum, hoc nō est imputandum illi, qui efficaciter retraxit à malo consilio, sed illi, qui faciliter adhæsit malo consilio, & difficulter bono, ex hoc patet responsio ad ratiōem sententiæ contrariæ, & differentia inter mandantem malum & consiliarium.

56. P. P. R. pariter confiteor, quòd volenti in Testamento legatum instituere in favorem cujusdam personæ suaserim, ut institueret in favorem alterius.

C. Habuítne hic Testator aliquam obligationem ex justitia, ita ut mediante dicto legato intenderet satisfacere huic personæ? si enim hoc esset, graviter peccasset eum divertendo suo consilio.

P. P. R. nullam habuit obligationē.

C. Præbuítne hoc consilium ex odio, aut mala voluntate contra Personam à Testatore hoc legato præmiandam? quia in hoc casu ad minimum contra charitatem peccasset.

P. Eam odio non habui, nec mala voluntate ductus hoc feci, sed quia persona à me Testatori proposita erat magis egena.

C. Divertítne ipsum dolo, aut fraude ab intento priùs legato in favorem alterius personæ?

P. Non P. R. sed solùm precibus & rationibus meum intentum, & desiderium ipsi suasi.

C. Ille, qui solùm precibus (dummodò non sint ita importunæ, ut repu-

putentur violentæ) suadet Testatori, ut liberaliter velit potiùs uni, quàm alteri personæ legatum, aut hæreditatem relinquere, non verò odio, aut alio malo fine, non peccat, nec tenetur ad restitutionem; quia persona, cui Testator liberè vult legatum, aut hæreditatem relinquere, non habet pro tūc actionem, aut jus ad ipsum; si tamē hoc fieret fraude, vi, violentia, aut precibus importunis, quæ saperent violentiam, in hoc casu graviter peccaret contra justitiam cum onere restituendi legatum, aut hæreditatem personæ pro priori à Testatore ad eãdem electæ; licèt enim talis persona nullũ jus, aut actionem habuisset ad hæreditatem, aut legatum, habuit tamen jus, ne aliquis dolo, fraude, aut violentia hoc impediret: ergo &c. Ita Villalobos in Sum. tom. 2. tract. 30. diffic. 9. n. 3. & 4.

Pars V.

De non obstante, aut non Manifestante furtum.

57. P. P. R. me accuso, quòd in aliqua occasione viderim latrones pergentes ad unam domum furandi causa, & eos non impediverim propter aliquot regales mihi dono datos, ut tacerem.

C. Hi regales dono accepti, à latronibus fuerúntne furtivi, aut proprii? Si enim fuissent furtivi, non potuisset bona conscientia illos retinere.

P. P. R. non fuerunt furtivi.

C. Fungitúrne V. D. officio publici Ministri, ratione cujus teneretur impedire hoc furtum? quia non posito tali munere, licèt sit peccatum contra charitatem furto non obstare, cùm possit, non est tamen peccatum contra justitiam, nec obligaretur ad restitutionem præcisè ex eo, quòd non impediverit furtum: an autem hæc obligatio vigeat ex eo, quòd illud non impediverit propter pecuniam dono acceptam dubium est inter Authores. Lessius de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 11. dub. 10. n. 68. tenet cum Petro de Navarra, & Salonio, quòd non impediens furtum propter pecuniam à latronibus hoc fine oblatam, & acceptam teneatur ad restitutionem damni ab iisdem inflicti, quamvis ex officio non teneretur illud impedire; quia in hoc casu, ait, non se habet solùm negativè non impediendo; sed positivè concurrit, cùm det causam latroni ex perceptione pecuniæ pro silentio oblatæ. Contrarium docet cum Soto Villalobos tom. 2. tract. 11. diffic. 7. num. 12. cùm enim ex officio non teneatur impedire furtum, quamvis à latronibus pecuniam hoc fine percipiat, solùm peccat contra charitatem non contra justitiam, non impediendo: nec verum est, quòd hoc sit positivè concurrere ad furtum, sed tantùm negativè; supponitur enim, quòd percipiens pecuniam

pro

pro non impediendo furto non se detineat tanquam custos latronum, & nuntius de aliquo attentatu Justitiæ; in hoc enim casu esset verissima, & certa sententia Lessii, quòd positivè concurreret ad furtum, & teneretur ad restitutionem; sed hoc non verificaretur propter non impeditum damnum, sed propter positivum concursum.

P.P.R. ego officio publico fungor, ratione cujus de Justitia debuissem hoc furtum impedire.

58. C. Fortè non impedivit ex justo timore mortis, aut alterius gravis detrimenti in propria persona? cum damno enim tam considerabili non tenebatur impedire hoc furtum, quamvis ut Minister de Justitia debuisset hoc facere.

P.P.R. nullum habui timorem de aliquo damno à latronibus mihi inferendo.

C. Et potuisset impedire furtum? si enim non potuisset, nulla fuit obligatio, nec habet onus restitutionis.

P. Solo clamore potuissem illud impedire.

C. Et in effectu fecerúntne latrones furtum in illa domo?

P. Non. P.R. quia dum tentarunt portam aperire ex aliquo audito rumore immediatè se fugæ dederunt absque aliquo illato damno.

C. S. nullum effectivè fuit secutum damnum, quamvis jam quoad affectum peccaverit contra justitiam ex resolutione non impediendi furtum, non habet tamen onus restitutionis; quia nullum fuit secutum damnum: quòd si hoc contigisset, teneretur ad restitutionem, casu quo latrones damnum illatum non restaurassent; si autem hi pro consumptione rei ablatæ satisfecerunt, V.D. liberatur ab onere restitutionis; cùm in hoc casu ipsi fuerunt causa primaria, & V.D. secundaria: quando autem causa primariò obligata ad restitutionem satisfacit, libera manet causa secundaria, ut dictum est superiùs in hoc cap. 4. part. 1. n. 37.

59. Quoad verbum non manifestans comprehendens omnes ex officio obligatos denuntiare, aut manifestare furtum, & furem, dum tamen hoc non adimplent, dico breviter idem sentiendum, ac de non impediente, aut divertente furtum, ideóque Advocatus, aut Procurator non manifestantes litigantibus justitiam, aut injustitiam litium inchoandarum, peccant contra justitiam cum onere restitutionis, ut fusè dicam in 2. part. hujus praxis tract. 15. cap. 3. & seq. Et in eodem loco disseram de obligatione Testium, perjur. & Accus. non denunt. culpabiles. Hoc verbum non manifestans comprehendit etiam Custodes Portuum, Sylvarum, Montium, Agrorum, Fluminum, Lacunarum, aut Vectigalium, qui non manifestant ducentes mercaturas vetitas, aut transeuntes abs-

absque solutione præscripti tributi; de hoc tamen loquar in cap. 5. part. 4. hujus tractatus.

60. Dubium incidet alicui, an Confessarius non revelans Pœnitenti obligationem, quam habet restituendi, ipsemet teneatur satisfacere pro pœnitente? ad quod respondeo, quòd, si Confessarius ex malitia, aut gravi ignorantia dixerit positivè Pœnitenti, ut non restituat, cùm tamen tali onere premeretur, vel injunxerit positivè restitutionem, quamvis ad hanc non teneretur, tunc debeat quærere occasionem admonendi Pœnitentem de hoc errore; si secùs, Confessarius gravatur onere restituendi Creditori, quidquid imposuit Pœnitenti, ut non restituat, aut ut restituat, quod non erat debitum. Ita Suarez & alii penes Leandrum à Sacram. part. 1. tract. 5. disp. 11. Q. 137.

Si verò positivè non injunxerit, ut restituat, aut ut non restituat, sed solùm ex culpabili omissione, aut ignorantia non manifestavit ei obligationem, quam habuit restituendi; quamvis ex charitate teneretur illum admonere (data opportunitate) de obligatione, quando Pœnitens putabit se restitutionis onere non esse obstrictum ex eo, quòd Confessarius de hoc nihil fuerit locutus; ut dicit cum aliis Leander ibi Q. 138. non habebit tamen hanc obligationem ex justitia, neque juxta opinionem probabilem oneri restitutionis succumbet, sive Confessarius sit Parochus, sive Episcopus, sive quiscumque alius, ut tenet Lessius de Justit. & Jure lib. 2. cap. 13. dub. 1. num. 78. & cum Bonaventura, & aliis Diana part. 2. tract. 16. resol. 22. Quia, licèt Parochus de Justitia suis Parochianis sit obligatus; attamen nec ipse, nec alii Confessarii habent obligationem de justitia attendendi ad debita temporalia, sed tantùm ad bonum spirituale Pœnitentium: ergo, quamvis peccabit contra virtutem Religionis, si ex culpabili omissione, aut ignorantia non manifestat Pœnitenti onus restitutionis; non peccabit tamen contra justitiam cum onere restituendi.

Pars VI.

De Restitutione rerum repertarum.

61. P. P. R. me accuso, quòd quadam die eundo per montem repererim agniculum à grege separatum, eúmque domum portaverim, ubi fuit consumptus.

C. Adhibuítne aliquam diligentiam pro habenda notitia Domini?

P. Ita. P. R. interrogavi, an aliquis grex per illam viam iverit, nullus potuit de hoc me certiorem reddere.

C. Postmodùm cognovítne cujus erat ille agniculus?

P. Ita. P. R. novi.

C. Quando rescivit, fortè illum jam consumpserat?

P. Ita. P. R.

 C. Si

C. Si non potuisset habuisse notitiam Domini positâ sufficienti diligentiâ non teneretur ad restitutionem ullius rei, nec ad eleemosynam, nec sacra celebranda ratione hujus reperti agniculi. Sotus lib. 5. de Justit. Q. 3. art. 1. ad 3. Petrus de Navarra lib. 5. cap. 2. num. 59. Qui docent, quòd inventor alicujus rei, si positâ debitâ diligentiâ non possit certificari de Domino, possit eamdem retinere sine ulla obligatione, nec Missarum, nec aliarum eleemosynarum. Post consumptionem autem rei, si habeatur notitia Domini, id solùm, in quo factus est ditior, tenetur restituere Domino, id quod ex propriis in sua domo reservavit.

Si autem non adhibeatur diligentia, ut Dominus inveniatur, debet fieri restitutio totius valoris rei inventæ, aut Domino, si habeatur ejus notitia, aut hac non habitâ pauperibus, aut Missis celebrandis, quamvis aliàs jam consumpserit rem inventam, Villalobos part. 2. tract. 11. disp. 14. num. 2.

62. Dicat mihi, quantum temporis elapsum fuit à die, qua invenit agniculum usque ad notitiam Domini acquisitam?

P. P. R. tres anni & ultrà elapsi erant.

C. Dominus agniculi fuítne ex eadem regione?

P. Ita. P. R.

C. Ergo juxta legem Præscriptionis V. D. libera manet ab onere quidquam restituendi Domino hujus agniculi, licèt eumdem nondum consumpsisset; ita ut, qui possidet bona fide & aliquo titulo rem alienam, completis annis à Lege Præscriptionis assignatis potest eamdem retinere, licèt postea fiat conscius Domini, dummodò concurrant omnes aliæ circumstantiæ licitam facientes praxim hujus Legis. Ad Præscriptionem, si bona sunt mobilia, requiruntur tres anni inter præsentes, & quatuor inter absentes; si bona sunt immobilia, requiruntur decem inter præsentes, & viginti inter absentes. Et juxta Legum dispositionem præsentes vocantur illi: qui vivunt intra idem Regnum, aut Dominium; absentes verò, qui vivunt in diversis dominiis: v. g. præsentes sunt illi, qui vivunt in eodem Regno Navarræ, vel Aragoniæ, aut Castellæ; & absentes, quando aliqui vivunt in Regno Navarræ, alii in Regno Castellæ, aut Aragoniæ. Et notandum est, quòd bona Ecclesiastica requirant viginti annos inter præsentes, & quadraginta inter absentes.

63. P. P. R. me accuso, quòd invenerim aliam rem unius personæ defunctæ.

C. Consumpsítne jam illam?

P. Ita. P. R. licèt noverim, quisnam fuerit Dominus.

C. Reliquítne hæredes hæc persona defuncta? quia si hos reliquit, debet iisdem fieri restitutio, ut docet Angelicus Doctor S. Thomas 2. 2. Q.

62.

62. art. 5. ad 3. his verbis : *Si verò sit mortuus ille, cui est restitutio facienda, debet restitui hæredi ejus, qui computatur quasi una persona cum ipso.*

P. P. R. scio, quòd non reliquerit hæredes necessarios.

C. Reliquitne hæredes ab intestato ?

P. P. R. de hoc non scio.

C. Defuncto rei Domino restitutio facienda est hæredibus necessariis, aut illis, qui succedunt ab intestato, aut Fisco, aut cuicumque alteri legitimo successori in jura Defuncti. Si autem nullo ex dictis modis dantur hæredes, restitutio debet fieri pauperibus, aut in piis operibus consumi. Sic Trullench in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 14. dub. 3. num. 14. Quapropter inquirat, ad quam personam bona Defuncti fuerint translata, & habitâ notitiâ eidem id, quod Defuncto debuisset, restituat : Si verò positâ debitâ diligentiâ non possit esse certus de successore, vel hærede, distribuat pauperibus, aut Missas celebrari curet, & consequenter poterit fieri compositio cum Bullis, juxta dicta in hoc Tractatu cap. 2.

64. P. P. R. me accuso pariter, quòd unum animal laqueo irretitum reperim, quale mecum duxi, & ad proprium usum redegi.

C. Fuitne hoc animal ex illis, quæ naturâ suâ sunt domestica: ut gallinæ, anseres &c. quia hujusmodi animalia, licèt interdum domo aufugiant, vel in laqueum, aut rete incidant non possunt capi, sed Domino reddenda sunt ex instit. de rerum divis. §. Gallinarum, & leg. Pompon. ff. de acquir. res Domin.

C. Fortè fuit ex illis, quæ, licèt naturaliter non sint domestica, ars talia facere solet ? ut sunt columbæ, cervi, accipitres &c. quia hujusmodi animalia, postquam facta sunt domestica, spectant ad Dominum, qui ea alit, & licèt aufugiant, & incidant in laqueos, debent restitui ; dummodò ad antiquum esse sylvestrium, & liberorum non redeant; quod accidit, quando taliter fugiunt, ut prudenti judicio non sit spes eorum reditus ad priorem Dominum, ut dicit Castropalaus tom. 7. tract. 31. de Justit. in gener. disp. 1. punct. 12. num. 2. aut quando ita fugiunt, ut non habeant ampliùs usum redeundi, ut dicit Instit. de Rer. divis. §. Pavonum, v. In iis. Et addit Palaus ibi in fine, posse judicari columbas jam deseruisse suum primum domicilium, si bis, vel ter non revertantur tempore determinato, & consueto. Advertit etiam Navarrus in Sum. cap. 17. num. 127. peccare cum obligatione restitutionis illum, qui studio, & arte ponit in columbario frumentum, aut semina ad inducendas columbas ex alieuis similibus columbariis. Hoc tamen non intelligitur, quando finis principalis agentis est alere suas columbas, ne aufugiant.

P. Animal à me in laqueo repertum non

non fuit ex genere illorum, quæ ars mansuefacere solet.

C. Fuitne ex illis, quæ licèt non fiant mansueta, solent tamen custodiri in aliqua clausura, ut cuniculi, qui solent occludi in aliquo solario, aut area, & pisces, qui in aliqua piscina reponuntur? aufferre enim ita occlusa, quamvis egrediantur de solario, aut clausura, est furtum cum obligatione restitutionis, ut dicit Covarruvias, Villal. tom. 2. Sum. tract. 10. diffic. 15. n. 9.

P. Neque fuit ex hoc genere animalium.

C. Quomodò ergo res se habuit?

P. P. R. fuit una fera indomita, quæ incidit in laqueum pro venatione præparatum, & exinde eam accepi.

C. Laqueus, in quem incidit, fuítne proprius, vel alienus? si enim in laqueum à se positum fera indomita incidisset, clarum est, potuisse eam accipere, & illâ uti: Quia quæ nullius sunt in bonis, primo occupanti concedantur.

P. P. R. non incidit in meum laqueum, sed alterius personæ, quæ pro venatione eumdem præparaverit.

C. Fuítne fera ita secura in laqueo, ut non potuerit aufugere?

P. Ita. P. R. fuit enim valdè obstricta, ita ut non potuisset se extricare.

65. C. Si fera in laqueum incidens non est secura, sed faciliter potest aufugere, & defacto aufugisset, nisi aliquis comparuisset, tunc non pertinet ad illum, qui laqueum posuit, sed ad repertorem feræ; si tamen adeò benè esset secura, ut non posset se liberare; tunc pertinet ad Dominum, qui posuit laqueum, & eidem debet restitui. Ita Castropalaus ubi suprà num. 6. quia per lapsum adeò securum in laqueum jam ille, qui eumdem posuit, acquisivit dominium feræ, aut ad minimum jus, ne aliquis impediret eam accipere: ergo &c.

66. Hinc deciditur, & resolvitur aliud dubium, nempe qui vulneravit feram, quæ deinde ab alio rapta est, erit illius, qui eam vulneravit, dummodò vulnus, seu ictus talis fuerit, ut moraliter loquendo à feriente capi potuisset; si verò propter inflictum vulnus ferientis eam non cepisset, sed aufugisset, tunc ad accipientem, & non ad ferientem spectat, quamvis hic ex eo, quòd fuerit causa ob inflictum vulnus, quòd alter eam capere potuerit, debeat in aliquo recompensari; in dubio autem, an fera fuerit secura, vel non, pro feriente, si alter eam accepit, in hujus favorem ferendum est judicium, quia in dubio melior est conditio possidentis. Ita Castropalaus supr. num. 5. videatur etiam Lessius ubi supr. cap. 5. dub. 10. Villalobos loco cit. num. 5. & Navarrus eodem cap. 17. num. 126. & seq.

Quod dictum est de feriente & capiente feram, idem dicendum de capiente, & insequente feram canibus, aut alio modo. Addit Castropalaus ibid.

ibid. num. 9. in fin. cum Molina, Lessio, & Rebello, quòd, si unus extendat alienum rete, aut præparet laqueum non suum, & in eodem reti vel laqueo feram aliquam, aut aviculam capiat, utriusque tam Domini retis, sive laquei, quàm ea præparantis sit captura: Domini quidem, quia mediante suo instrumento, & præparantis, quia suo labore, & industria ad eamdem concurrit.

Pars VII.

De Compensatione.

QUo ad hanc materiam de compensatione supponendum est tanquam certum, famulis, & famulabus, qui putant sibi deberi majus stipendium ultra id, quod pacto initum est, non esse licitam compensationem de ulteriori mercede, quam putant promereri; hoc evidenter constat ex Decreto Innocentii XI. in Proposit. 37. in qua damnatur tanquam scandalosa, & improbabilis opinio contrarium asserens.

67. P. P. R. Petrus mihi debebat centum regales, & quia intendebat me non solvere, propria authoritate æquivalens accepi de ipsius vino in mea domo deposito.

C. Debitum fuítne certum?

P. Ita P. R.

C. Fuítne elapsum tempus, quo Petrus debuisset hos centum regales solvere?

P. Ita P. R. imò plus temporis fuit elapsum.

C. Et V. D. accepítne ultra sibi debitum?

P. Non P. R.

C. Concurrentibus ergo his circumstantiis licita fuit compensatio. Ita communiter DD. qui docent, quòd, quando debitum est certum, & tempus solutionis jam advenit, licita sit compensatio accipiendo sibi debito, & non ultrà.

68. Aliqui Doctores limitant hanc doctrinam dicentes, necessarium esse ad licitam compensationem, ut vi justitiæ non possit suum haberi. Ego tamen probabile existimo, hoc non requiri, sed quòd concurrentibus circumstantiis de certitudine debiti, de consensu termini, in quo debitor tenebatur solvere, possit creditor propria authoritate se compensare. Idem sentiunt Malderus & Valerus, quos citat, & sequitur Diana part. 2. tract. 16. resol. 46. Remigius in Sum. adjunct. tract. 6. cap. 7. §. 1. num. 2. Et ratio est, quia hìc non gravatur proximus, illud enim solùm accipitur, quod ipse debuit: nec alicui scandalum datur, cùm occultè fiat compensatio: nec fit injuria justitiæ, siquidem hìc non agitur de re nova acquirenda, sed de retinendo omne id, quod suum est: ergo non est ratio, propter quam illicita sit compensatio propria authoritate facta.

69. Limitant quoque hanc doctrinam, Sylvius, Medina, & alii citati à Diana

Diana dicentes, quòd rerum depositarū non possit depositarius facere compensationem: V. D. fuit depositarius hujus vini: ergo non potuit cum eodē se compensare. Hoc non obstante Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 10. n. 60. cum Sa putat, hanc limitationem habere locum tantùm in foro externo; sed in foro conscientiæ posse fieri compensationem, licèt sit de deposito: idem affirmat Villalobos loco cit. n. 3. in fine.

70. Verùm, ut benè advertit Diana ubi suprà, & Trullench in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 5. dub. 5. num. 7. necesse est, ut V. D. admoneat debitorem de sibi facta compensatione, & solutione debiti: tum quia potest contingere, quòd nulla visa petitione putet, V. D. rem oblivioni mandasse, & simul omittat solutionem mala fide, & noxa suæ conscientiæ; tum quia, si V. D. è vita decederet, debitor inscius hujus compensationis, & satisfactionis probabiliter ad solutionem se disponeret; ex quo duplex in idipsum solutio resultaret. Una tantùm difficultas in hac materia compensationis adductæ occurrit, quæ ad plura resolvenda inserviet, & per sequentes interrogationes eamdem dilucidabo.

71. Dicat mihi V. D. quale fuit pretium vini tempore suæ compensationis?

P. P. R. trium Regalium.

C. Et quo pretio V. D. pro sua recompensatione illud sumpsit?

P. Pretio currenti trium regalium.

C. Supposuitne, quòd crevisset pretium vini?

P. Ita P. R. & de facto illicò ascendit ad quatuor regales.

C. (*Attende ad hanc interrogationem, in qua punctum difficultatis consistit*) Dicat mihi servaſsétne Dominus hoc vinum usque ad augmentum pretii, vel mox vendidisset?

Quandoquidem si Petro duas mensuras frumenti, aut viginti pondera vini furto subduco, quæ ipsemet usque ad tempus augmenti pretii servasset, non tantùm teneor restituere valorem frumenti, aut vini pro tunc currentem, sed etiam illud incrementum, ad quod pervenisset vinum aut frumentum tempore, quo Petrus illud vendidisset. Econtra, si hoc vinum, aut frumentum à me ablatum Petrus vendidisset currenti pretio, ego verò illud servem usque ad augmentum pretii, possum retinere illud augmentū ex vino habitum, & satisfacio restituendo Petro suam rem juxta pretium statutum pro tempore, quo Petrus vendidisset. Bonacina de restit. disp. 1. Q. 3. punct. 11. num. 9. quia lucrum illud fuit fructus meæ industriæ absque ullo damno Petri: ergo non teneor illud restituere Petro, sed possum idem mihi appropriare, reddendo pretium correspondens tempori venditionis.

72. P. P. R. verè nescio, utrùm Domi-

minus vendidisset vinum, vel diutiùs illud servasset.

C. In dubio, an Dominus servasset vinum usque ad tempus augmenti pretii, est communis oppinio DD. totum lucrum, quale Dominus posset habere, restituendum esse. Ita Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 16. num. 109. Et ratio est; quia melior est conditio possidentis; Dominus est in possessione suæ libertatis vendendi vinum tempore carioris pretii: ergo in ipsius favorem debet ferri judicium. Nihilominus valde mihi placet medium à Diana relatum ubi suprà resol. 52. ubi ait, in hoc casu dubii nec esse æstimandam rem currenti, nec summo pretio, ad quod posteà ascendit, sed horum medietatem esse tenendam: v. g. vinum pro tunc constabat tribus regalibus, deinde quatuor, in facienda restitutione tribus, & medio æstimandum est supposito dubio, an Dominus intendat, vel non intendat illud servare.

Sed ad formandum judicium, an Dominus servasset vinum usque ad augmentum pretii, dicat mihi residuum sui vini vendiditne statim ?

P. P. R. Servavit illud usque ad augmentum pretii.

C. Est igitur sufficiens fundamentum judicandi, quòd, sicut servavit residuum, ita quoque id, quo V. D. fecit compensationem, servasset.

73. Suppositis his principiis propono sequenti argumento difficultatem. Fur tenetur restituere non tantùm rem ablatam, sed etiam illud lucrum, quale Dominus ex rei venditione altiori pretio percepisset: ergo etiam ille, qui se recompensat, debet restituere suo Domino idem lucrum cessans. Consequentiam probo; ideò fur tenetur restituere lucrum, quia fuit causa efficax cessationis lucri suo Domino: atqui, etiam ille, qui se recompensat in dicto casu, est causa efficax hujusmodi cessationis: ergo sicut fur, ita ille, qui se recompensat, tenebitur ad restitutionem lucri.

74. Non invenio in terminis casum apud AA. opinior tamen, quòd ille, qui se recompensat (concurrentibus circumstantiis suprà relatis num. 67. quæ faciunt licitam compensationem) non teneatur restituere Domino lucrum, quamvis pro certo sciat, hunc servaturum vinum usque ad augmentum pretii.

Et hoc probo doctrinâ à Diana, & aliis DD. allatâ part. 8. tract. 7. resol. 17. qui docent, debitorem posse anticipare solutionem debitam determinato tempore, licèt hæc anticipatio sit contra voluntatem, & in damnum creditoris: v. g. Petrus debet Joanni centum regales solvendos die S. Michaëlis, Petrus scit monetam esse minuendam, potest Petrus ante hujus diminutionem, licèt completus non sit terminus, solvere Joanni hos centum regales: & quamvis totaliter non approbem hanc opinionem Dianæ, in-du-

dubium tamen est, quòd in die S. Michaëlis (qui est assignatus terminus) possit Petrus solvere Joanni centum regales, licèt sciat sequenti die monetam esse minuendam: Nunc sit pono argumentum: ideò Petrus potest solvere Joanni die determinata centum regales, licèt hæc solutio vergat in detrimentum Joannis, quia in termino præsenti Petrus habet obligationem solvendi, & Joannes jus, ut Petrus eum solvat: atqui in casu compensationis debitor habet obligationem solvendi & se recompensans actionem, ut solvatur: ergo, si vi hujus actionis, aut juris non teneatur Petrus debitor satisfacere Joanni pro detrimento monetæ derivato ex solutione pro tali die, in qua moneta est summo pretio, neque ille, qui se recompensat, tenetur resarcire Domino lucrum vini, quo se recompensavit.

Ad argumentum in contrarium suprà propositum respondeo, magnam esse differentiam inter furem, & se recompensantem; quia fur injustè aufert Domino lucrum futurum; at ille qui se recompensat, utitur suo jure, nullámque injustitiam, aut gravamen infert Domino vini: nullo enim gravamine, aut injustitiâ illatâ, nullum est onus restitutionis: ergo &c.

75. Contra hanc doctrinam potest argui cum opinione communi Lessii, Navarri, & aliorum apud Bassæum verb. Restit. 5. §. 1. num. 3. docentum, licere debitori differre solutionem, quando ex illius executione aliquod damnum ipsi advenit. In hoc casu advenit damnum debitori vendendo suum vinum minori pretio: ergo potest licitè differre solutionem: ergo creditor non habet actionem ad compensationem pro tunc cum damno debitoris. Probo consequentiam; est incompossibile, quòd duo eodem tempore habeant actionem ad eamdem rem, unus ad solutionem *passivè*, alter ad negationem solutionis activè, seu unus ad sibi solvendum, alter ad non solvendum; aliàs posset verificari justa pugna respectu duorum contrariorum eodem tempore: ergo &c.

76. Huic objectioni facilis est responsio cum communi doctrina adducta à Navarro, Petro de Navarra, & Majore citatis, & secutis à Layman lib. 3. sess. 5. tract. 2. cap. 12. num. 2. qui docent, quòd, quando ex dilatione solutionis advenit idem damnum creditori, quod debitori, debeat præponi damnum creditoris, & debitor teneatur succumbere cum suo damno: atqui in præsenti casu idem damnum adveniret creditori, quod debitori: ergò hic immediatè tenetur ad solutionem. Probo minorem; damnum adveniens debitori est privatio lucri futuri ex venditione vini majori pretio; hoc idem damnum pateretur creditor: ergo &c. Major est certa, Minor probatur, si creditori solveretur suum debitum, tunc posset hac pe-

pecunia suæ familiæ providere de vino infimo pretio, quale deinde empturus esset altiori secundò, posset hac pecunia emere quid modici valoris,& deinde altiori pretio vendere, dato ejusdem augmento:ergo idem damnũ adveniens debitori ex solutione advenit creditori ex negatione solutionis.

77. Nec etiam obstat doctrina Sylvii, & aliorum apud Dianam part. 2. tract. 16. resol. 46. qui dicunt, non licere compensationem in re diversæ speciei ab illa sibi debita: v. g. Petrus debet frumentum, non potest fieri compensatio in vino: atqui debitor debebat creditori tantùm pecuniam: ergo non potuit se compensare in vino, tanquam re alterius speciei: Servata æquitate inter pretium, & solutionem. Ita docet cum Petro de Navarra, Vallerus in different. utriusque fori verb. compensat. diff. 3. num. 1.

Advertentia.

In hac materia compensationum occultarum Confessarius in multis inveniet aliquem excessum: aliqui enim absque certa scientia debiti, sed solùm ex suspicione, quòd aliquod damnum, vel gravamen fuerint passi, occultè sibi aliquid appropriant: alii, qui stante certo debito in compensationem æquo plus accipiunt, non comparantes debitum cum satisfactione; & alii sunt, qui datâ amissione, vel furto alicujus rei ipsis facto, licèt pro certo non sciant,quisnam fuerit damnificans,ab hoc tamen tanquam suspecto aliquid accipiunt. In his, & similibus casibus non est licita compensatio; siquidem non concurrunt conditiones, quas suprà diximus num. 67, esse necessarias ad licitam compensationem: Admoneo igitur PP. Confessarios, replicatâ experientiâ mihi Magistra, ut auditâ in confessione aliquâ compensatione advertant ad fraudes, & deceptiones, quæ in hac materia committi solent.

Pars VIII.

De Restitutione ex injusta Damnificatione,

78. P.P. R. dico meam culpam, quòd in quadam occasione duxerim meos greges in pascua posita in alieno monte, ubi post dispersionem seminatum comederunt.

C. Duo notanda sunt in hoc casu: primum, an liceat greges pascere in monte, vel prato alieno; secundum damnum causatum ab armentis in seminato.

Quo ad primum dico, non esse culpabile pascere greges in pratis, aut montibus alienis, quando hi montes, aut prata non sunt clausa; & consequenter non datur onus restitutionis. Ita Banes, & Ledesma, quos citat, & sequitur Villalobos part. 2. tract. 10. diffic. 19. num. 7. Idem dicendum de illo, qui scindit ligna in alienis montibus apertis, quòd non peccet, nec teneatur ad restitutionem: v. g. quando duo loca habent suum montem

tem ſeparatum, & habitatores unius loci ſcindunt ligna in monte alterius, & è contra, non peccant, nec tenentur ad reſtitutionem. Leſſius lib. 8. de Juſtit. cap. 5. dub. 4. num. 55. At ſi mons ſpectaret ad aliquam privatam perſonam, eſſet peccatum cum onere reſtitutionis, leve, aut grave juxta damnum illatum.

79. Idem dicendum de eo, qui piſcatur, aut venatur in monte, aut communi fluvio, quòd nec peccet, nec teneatur ad reſtitutionem. Villalobos ubi ſuprà diffic. 18. num. 1. & 2. Ratio omnium harum reſolutionum eſt, quòd leges prohibentes paſcua in pratis, abſciſſionem lignorum in montibus, piſcationem in fluviis, & venationem in ſylvis, quando hæc ſpectant ad aliquam communitatem, ſint leges pœnales, quæ poſt ſententiam Judicis obligant ad ſolutionem: atqui probabile eſt, leges pœnales non obligare in foro conſcientiæ, unde de Legibus merè pœnalibus dicit Navarrus in Manual. cap. 33. n. 55. Azor. part. 1, lib. 5. cap. 6. Q. 4. Et alii. Et etiam de mixtis, id eſt præceptivis, & pœnalibus id affirmat cum Villalobos, Diana part. 1. tract. 10. reſol. 20. quod totum videri poteſt in meis Collationibus Morali tract. 3. Collat. 6. per totum, ubi ex profeſſo de hac materia tracto: ergo Leges prohibentes piſcationem, venationem, paſcua &c. in montibus aut fluviis communibus, & alienis in modo dicto non obligant in conſcientia.

80. Ad reſolvendam ſecundam difficultatem caſus propoſiti ſuppono, Theologos duo genera culparum diſtinguere, unum Theologicum, aliud Juridicum; culpa Theologica eſt actio, aut omiſſio, in qua intervenit peccatum, ſeu offenſa Dei: culpa juridica eſt omiſſio aliqua, in qua abſque peccato prævenire aliquam diligentiam negligitur, ex qua omiſſione deinde aliquod damnum ſequitur. Ad hoc ut injuſta damnificatio inducat obligationem reſtitutionis, non ſufficit ſola culpa juridica, ſed requiritur, ut concurrat etiam culpa Theologica.

81. Hoc ſuppoſito interrogo: ligaſtisne, & innodaſtis greges, ne inferrent aliquod damnum?

P. Non P. R. ſed permiſi eos liberos.

C. Prævidiſtisne, quòd, ſi liberi permitterentur, poſſent inferre damnum in ſeminatis?

P. P. R. nihil ſimile cogitavi.

C. Contigitne antecedenter, veſtros greges aliquando ſimilia damna intuliſſe?

P. Non P. R.

C. Veſtra omiſſio alligationis gregum non fuit culpa Theologica, ad hanc enim requiritur peccatum: hoc non poteſt committi ſine advertentia damni: ergo &c. fuit tamen culpa juridica veſtra omiſſio ob prædictam negli-

negligentiam: cùm enim non præcesserit culpa Theologica, ad hæc damna resarcienda non tenemini, ut antè dixi num. 80. hoc docent etiam Sanchez in Sum. part. 1. lib. 3. cap. 23. n. 160. Molina & alii. Idem tenet Azor. 3. part. lib. 4. cap. 8. §. At primæ. Lessius lib. cap. 7. num. 24. & 25. Et licèt hoc damnum processisset ex culpa veniali Theologica, si peccatum mortale non attigisset, non habetis obligationem restituendi etiam sub veniali. Caspensis tract. 18. disp. 1. sect. 6. n. 61. Sanchez loco cit. & alii. Inter obligationem enim, & ejus fundamentum debet esse proportio: atqui obligatio resarciendi grave damnum ex injusta damnificatione causatum, est res gravis: ergo quando culpa est tantùm levis, nulla erit similis obligatio.

82. Molina tom. 3. disp. 713. in propriis terminis tangens casum nostrum docet, damnum causatum ab armentis absque culpa Domini, aut à filio, vel famulo absque culpa Parentis, & Heri, nec Herum, nec Parentem, nec Dominum obligari ad restitutionem; cùm hæc obligatio oriatur aut ex re accepta: v. g. ex lucro obtento ex re aliena: aut ex injusta acceptione, ad quam requiritur causa culpabilis Theologica damni: neutrum verificatur, quando animalia absque culpa Domini aliquod damnum inferunt: ergo non est obligatio restitutionis.

83. Contra prædictam doctrinam unica difficultas adferri potest, quæ fundatur in opinione asserente, leges pœnales obligare in Conscientia: ut sentiunt Suarez, Azor & alii citati à Diana part. 1. tract. 10. resol. 17. juxta quam opinionem vos deliquistis ducendo greges ad pascua alieni montis: ergo contraxistis obligationem resarciendi damnum factum à gregibus in seminatis. Probo consequentiam, quia dans operam rei illicitæ est causa alicujus damni, consequenter tenetur ad restitutionem: in illa opinione, quæ vos condemnat peccati, pascua præbendo gregibus in monte alieno dedistis operam rei illicitæ: ergo tenemini restituere damnum causatum in seminatis.

84. Respondeo (quamvis majorem hujus syllogismi aliqui probabiliter defendant) cum distinctione ejusdem: ille, qui dat operam rei illicitæ tenetur ad restitutionem damni exinde secuti, si hoc damnum per se proveniat ex eâdem operâ illicitâ: v. g. damnum causatum à gregibus in monte, concedo: si damnum per accidens exinde resultet: v. g. quòd greges conculcarent, vel de seminatis manducarent, nego majorem. Minor est vera, supposita opinione Suarez, licèt superiùs contrarium secutus fuerim. consequentiã nego cum Molina, Navarro, & aliis, quos citat, & sequitur Bassæus verb. Restit. 1. num. 8. Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 6. cap. 5. §. supra dictis. Et hoc exemplo me explicabo: In domum

mum aliquam nocturno tempore fur intrat, fert lumen, pro perlustrandis angulis, & accidentaliter non advertens ignis accenditur, per lignum, aut stramen, & tota domus comburitur: hic, licèt daret operam rei illicitæ, tenetur tantùm restituere, quod furatus est, non verò damna combustionis, quia hæc acciderunt præter intentionem.

85. Et dato etiam casu, quòd haberetis obligationem restituendi damna seminati, hæc tamen obligatio non se extenderet ad totum id, quod Dominus collegisset tempore messis, sed solùm ad id, quod pro tunc æstimabatur, vel spes collecturæ potuit promittere. Lessius lib. 2. de Justit. cap. 11. dub. 19. quia bona sperata minùs æstimantur, quàm possessa: sed sic est, quòd hoc seminatum fuerit bonum in spe: ergo & minùs æstimandum, quàm si esset in possessione.

86. P. P. R. dico meam culpam, quòd uni Mercenario fuerim furatus manubrium securis cum intentione restituendi ipsa die sequenti, & in loco mei domicilii fuit Excommunicatio lata contra fures.

C. Ex ablatione illius manubrii debuitne operarius abstinere per totam diem à labore?

P. Ita P. R.

C. Dicite mihi, pauperculus hic operarius fortè diurno labore aluit suam familiam?

P. Ita P. R.

C. Omnium primò accipere rem alienam cum intentione eam immediatè restituendi suo Domino, non est furtum, nisi ejusdem privatio hoc brevi tempore Dominum damnificet. Ita docet Granadus apud Dianam part. 3. tract. 6. resol. 25. cùm ergo ex ablatione illius manubrii securis provenerit amissio mercedis diurni laboris, & alimenti suæ familiæ (quod respectivè ad personam adeò pauperem fuit grave damnum) hac de causa mortaliter peccâstis hoc securis manubrium accipiendo.

87. Excommunicationem tamen jam in loco promulgatam contra fures non incurristis, quia in vestro furto duo sunt consideranda: primum ratio furti, secundum ratio damni ex furto orti: actio in ratione furti fuit peccatum veniale, in ratione damni fuit mortale; cùm enim Excommunicatio fuerit promulgata contra fures, & non contra damnificantes, commissúmque furtum in ratione furti fuerit leve, non potestis incurrere pœnam Excommunicationis, quæ est gravis, & cùm sit gravis, requirit peccatum mortale.

Aliud esset, si Excomunicatio fuisset lata contra damnificantes Proximum, in hac enim suppositione Excommunicationem incurrissetis propter furtum instrumenti ad lucrandum mercedem diurni laboris huic pauperi necessarii, quod gravis damni causa fuit. Et ratio est; quia in hoc casu, quam-

quamvis materia furti fuerit in se levis, damnum tamen fuit grave : ergo si Excommunicatio lata fuisset contra damnificantes, sine dubio incurrissetis eamdem ; cùm enim fuerit grave damnum, & culpa in ratione damni gravis, fuit materia & peccatum sufficiens pro incurrenda pœna gravi, qualis est Excommunicatio major.

Pars IX.

De Causis excusantibus à Restitutione.

88. P. P. R. me accuso, quòd adhuc nō restituerim aliquid à me furto acceptum.

C. Dominus rei remisítne ipsi liberè debitum? Dixi liberè, quia si violenter hoc fecisset, remissio nulla esset : Dixi etiam Dominus, quia si ille, qui remittit, non est Dominus rei, sed tantùm particeps, non est valida remissio, nec condonatio.

P. P. R. Dominus nullo modo remisit mihi debitum.

C. Ablatum fuítne aliquid, quod absque amissione boni nominis, sanitatis, aut vitæ non potuit restituere? Non enim est obligatio restituendi bona fortunæ cum amissione; seu detrimento notabili famæ, sanitatis, aut vitæ; quæ sunt bona ordinis superioris, & majoris æstimationis, quàm bona fortunæ.

P. P. R. absque præjudicio bonorum potuissem restituere?

C. Fortè ex certa scientia, quòd Dominus rei in altera re æquivalenti fuerit ipsi debitor, omisit restitutionem? quia per modum recompensationis posset omitti restitutio, ut dictum est suprà part. 7. num. 67.

P. P. R. nec Dominus rei à me ablatæ fuit aliquo modo mihi debitor.

C. Neglexítne restitutionem, quia hac posita novit præjudicium aliquod creditori eventurum? Etenim si ex rei restitutione posset sequi aliquod damnum creditori: v. g. quòd ea uteretur pro emendo vino ad se inebriandum, aut pro aliis similibus malis, tunc possum, & interdum teneor differre restitutionem, usque dum cessat hoc inconveniens.

P. P. R. ex restitutione non timui secuturum hoc inconveniens.

C. Solvítne æquivalens alicui creditori hujus personæ, cui furto accepit? quia si Petrus debeat Joanni centum, & ego Petro centum, solvens Joanni centum, quæ debuit ipsi Petrus, in foro conscientiæ sum liber à solvendo Petro illa centum, quæ pro ipso solvi Joanni ejus creditori, ut cum Sylvestro dicit Lessius lib. 2. de justit. cap. 16. dub. 5. num. 60.

P. P. R. nulli æquivalens rei furtivæ solvi.

89. C. Omissio restitutionis fortè provenit, quia ex ignorantia Domini rei ablatæ fecit compositionem cum Bullis, aut cum aliquo Superiore? Etenim si, dum bona sunt incerta, fiat cum Bullis, aut alio modo legitimo compositio, licèt posteà habeatur notitia

titia Domini rei, non est obligatio restitutionis, ut videri potest apud P. Henriquez lib. 7. cap. 34. num. 6. Qui quamvis loquatur ibi de bonis possessis bona fide, eadem tamen paritas currit in nostro casu. Et ratio est, quia si Dominus ignoretur, aut bona sint incerta, tota quantitas debita Domino dispensatur pauperibus; durum esset postmodùm obligari ad ejusdem restitutionem comparente Domino; esset enim unius rei bina restitutio: Sed sic est, quòd compositio facta cum Bulla æquivaleat in foro conscientiæ restitutioni faciendæ pauperibus: ergo facta compositione cum Bulla ex ignorantia Domini, aut incertitudine bonorum, quamvis idem posteà compareat, nulla erit obligatio restitutionis in foro conscientiæ. Insuper Pontifex in casu incertitudinis bonorũ habet dominium excellentiæ super hujusmodi bona, & potestatem transferendi eorum dominium, quæ potestas conceditur in Bulla compositionis: ergo &c.

P.P.R. nullam feci compositionem cum Bulla, nec alio modo, quia semper novi verum Dominum rei à me ablatæ.

90. C. Fortè fuit in necessitate extrema constitutus, quia hac durante certũ est, non dari obligationem restitutionis, quinimò multi Authores sentiunt, necessitatem quoque gravem tempore suæ durationis excusare ab obligatione restitutionis: quod non reprobatur in Propositione 36. damnata ab Innocentio XI. admittente furtum in gravi necessitate; quia hæc propositio non loquitur de casu non restituendi, benè verò non furandi, qui sunt casus diversi; ut habet R. P. Torrecilla super hanc propositionem tract. 5. consil. 10. num. 78.

P.P.R. nec in extrema, nec gravi necessitate fui constitutus, quarum alterutra me cogeret ad differendam restitutionem.

C. Quo motivo ergo eamdem distulit, vel neglexit?

P.P.R. quia non potui restituere, nisi vendidissem aliqua grana pro tunc pretio infimo vendibilia, quorum altius pretium adhuc spero.

C. Illius rei Dominus patitúrne aliquod damnum, vel necessitatem ex hujus restitutionis dilatione?

P. Non P.R.

C.V.D. justam habet causam differendi restitutionem; quæ quando sine notabili damno non potest fieri, semper potest protrahi usque dum cesset tale damnum: In nostro casu V. D. non poterat restituere absque notabili damno secuturo ex venditione grani minori pretio: ergo potuit justè differre restitutionem usque ad incrementum pretii: hoc limitatur, quando creditor ex dilatione restitutionis passurus esset æquale damnum, in hoc enim casu deberet fieri restitutio, etiam cum damno debitoris. Ita Villa-

lalob. in Sum. tom. 2. tract. 11. diffic. 20. n. 7. & 8.

Idem dicendum in casu gravis necessitatis, nempe, quòd, si creditor ex dilatione restitutionis gravi prematur necessitate, sit facienda restitutio, licèt eamdem debitor subeat: aliæ dantur causæ excusantes à Restitutione, quas vide apud Lessium, & Villal. locis citatis, & apud alios Authores easque omitto, quia relatæ sunt magis ad praxim.

CAPUT V.

De Contractibus.

Altera radix, ex qua oritur etiam onus, & obligatio restitutionis, est Contractus, cujus materia, cùm sit tam diffusa & extensa, graves & plurimas difficultates patitur. Quare ut procedam cum distinctione in hoc opere intenta, illud tantùm, quod est magis practicum, & necessarium, tangam pro majori claritate hoc caput in partes dividendo.

91. Et in primis suppono, Contractum definiri, quòd *sit pactum, ex quo ultrò citròque oritur obligatio*, id est: contractus est pactum, vel conventio duorum vel plurium inter se, ex quo utrinque oritur obligatio; vel ut ipsum definit Aragonius 2. 2. Q. 77. art. 1. *contractus est actus Justitiæ commutativæ utramque partem colligantis.* Dicitur *actus Justitiæ commutativæ*, non distributivæ, nec legalis: quia Justitia distributiva est totius ad partes: nempe Superioris nomine Reipublicæ res cum æquitate juxta merita partientis: legalis autem est partium ad totum: nempe quando subditi subministrant Reipublicæ aliquod tributum: Justitia verò commutativa est partis ad partem, & hæc exercetur in Contractibus, in quibus una pars alteri obligatur.

92. Aliqui contractus sunt onerosi, alii gratuiti, vel lucrativi: onerosi illi dicuntur, quibus ex utraque parte inducitur obligatio, ita ut obligationi unius correspondeat obligatio alterius patris: ut in emptione, & venditione, in qua emptor se obligat ad largitionem pretii, & venditor ad dandam mercem, contractus quoque mutui, census, & alii, in quibus ambæ partes gravantur, sunt onerosi: Contractus gratuiti lucrativi dicuntur illi, qui in utilitatem, & profectum unius partis redundant altera obligationi subjecta, ut in promissione, & donatione, in qua unus recipit rem, quam liberè promittit, aut donat alter.

Aliqui Contractus dicuntur nominati, alii innominati: Innominati dicuntur, qui proprio, & specifico nomine carent, & sistunt in vocabulo generali Contractus, pacti vel commutationis, hujus quatuor sunt modi, & velut species: Primus est, do, ut des, do vinum, ut des frumentum, do pecuniam, ut des utensilia: Secundus, do, ut facias: v. g. do frumentum, ut colas mihi vineam &c. Tertius, facio, ut des: colam tibi vineam, ut des mihi

hi frumentum &c. Quartus, facio, ut facias: colam tibi vineam, ut pascas mihi oves, reficias mihi domum, ubi nomine facere etiam non facere comprehendi debet: v.g. do tibi frumentum, ut desistas à lite, & ne accuses me &c.

Contractus nominati illi dicuntur, qui non sistunt in nomine generali contractus, vel passionis, sed transeunt in proprium, & specificum nomen, ut emptio, venditio, locatio, societas, Commodatum, depositum, Sponsalia, Matrimonium &c. discrimen autem est inter utrosque contractus, quòd in nominatis immediatè post eorum celebrationem oriatur obligatio illos adimplendi: sed in innominatis hæc obligatio non habetur in foro externo, usque dum una ex partibus adimpleat obligationem. Alii Contractus dicuntur bonæ fidei; alii stricti Juris; quorum differentiæ notitia, licèt interdum possit esse necessaria pro foro interno, præcipuè tamen inservit pro foro externo, ideóque hos prætereo remittens lectorem ad Instituta de Act. §. Actionum autem. Et in Glossa ibi verb. bonæ fidei.

93. In aliquibus Contractibus transfertur dominium plenum, in aliis solùm dominium utile, seu usus rei; aliqui sunt utiles pro ambobus contrahentibus, alii uni soli; in aliquibus est obligatio recompensandi damna ex lata culpa, in aliis ex levi, & in aliis ex levissima; de quibus omnibus mox disseram numero 95. 96. 97. ubi ab initio cujuscunque contractus assignabitur ordinatim ejus definitio, & explicatio. Et ut incipiam à locatione, dico, locatio *est contractus onerosus, quo res, vel persona conceditur ad usum, vel fructum pro pretio.* Dicitur *Contractus onerosus*, quia ambo contrahentes gravantur: ille, qui dat rem, seu locator privatione ejusdem gravatur, & ille, qui recipit, seu conductor onere solvendi pretium locationis. Dicitur, quo res, vel persona, quia possunt locari res: v.g. agri, domus, & etiam personæ, ut servi, mercenarii, qui conducuntur pro certo stipendio. Dicitur conceditur ad usum, quia in contractu locationis & conductionis non transfertur dominium plenum, sed tantùm dominium utile, seu usus rei. Additur, vel fructum, quia si res est fructifera, in conductione datur potestas fruendi fructu; ut quando conducitur aliquis ager, vel hortus ad habendum fructum pro aliquo pretio. Conductio vicissim est *contractus onerosus, quo res, vel persona utenda, vel fruenda certo pretio constituto ab altero suscipitur.* Cætera pertinentia ad hunc contractum conductionis, & locationis sequens pars declarabit.

Pars I.

De Conductione, & Locatione.

94. P.P. R. me accuso, quòd quadam die ad conficiendum iter conduxerim unum equum, qui aufugit, nec potuerim ipsum invenire.

C. V. D. adhibuitne debitam diligentiam in custodiendo ipsum, ne aufugeret?

P.P.R. permisi ipsum ad portam diversorii, quod fui ingressus.

C. Hic contractus conducendi equum dicitur Contractus locationis, & conductionis, qui obligat ad restitutionem, quando res conducta perditur ex culpa levi, aut lata conductoris.

95. Pro cujus intelligentia suppono primò, culpam juridicam dividi in latam, levem, & levissimam. Culpa lata est omissio diligentiæ, quam quilibet etiam modicùm circumspectus adhibet in conservandis rebus: v. g. permittere equum solutum ad portas Hospitii, est culpa lata; cùm quilibet etiam insipiens alliget ipsum ad lignum, ne aufugiat.

Culpa levis est omissio diligentiæ, quam homines prudentissimi & cautissimi habent in custodiendis rebus: v. g. vir valde cautus non tantùm ad stabulum equum reponit, ibíque ligat, verùm etiam conatur claudere portam tentans, an possit aperiri, ut sit securiùs de ejus clausura. Omissio verò hujus diligentiæ in claudendo portam, & probando an sit clausa, vocatur culpa levissima.

96. Suppono secundò, dari aliquos Contractus favorabiles tantùm recipienti rem: v. g. Contractus commodati, in quo res gratuitò conceditur commodatario ad usum temporalem, qui cedit tantùm in utilitatem ejusdem commodatarii.

Alii contractus dantur, qui cedunt in utilitatem tantùm tradentis rem: v. g. depositum, in quo res gratuitò custodienda depositario traditur; & hoc cedit in utilitatem tantùm deponentis rem.

Alii dantur, in quibus ambo contrahentes proficiunt: v. g. in locatione, in qua conducitur vinea, domus, aut equus cum utilitate locatoris, & conductoris; hic enim habet usum & fructus conductionis, seu rei conductæ, & locator habet pretium locationis, seu rei locatæ.

97. In Contractibus, qui tantùm cedunt in utilitatem tradentis rem, ut in deposito, habetur onus restituendi rem, si ex culpa lata perditur, non verò, si ex culpa levi, vel levissima: In illis, qui tendunt tantùm ad beneficium recipientis, ut in Commodato, datur obligatio restituendi rem, sive perdatur ex culpa lata, sive levi, aut levissima: In illis denique, qui in utilitatem amborum contrahentium cedunt, est obligatio restitutionis, quando

do res perit ex culpa lata, aut levi, non verò levissima.

Ex quo apertè infertur, quòd, cùm V. D. conduxerit equum, & hic sit contractus locationis, & conductionis, qui in utilitatem suam, & locantis cedit, & perditio equi ex culpa lata provenerit (siquidem non adhibuit diligentiam ab omnibus practicatam) infertur, inquam, quòd teneatur integrum valoris equi pretium Domino restituere.

98. Ast advertendum, quòd, licèt secundùm communem opinionem, si res perit ex culpa levi, detur obligatio restitutionis in aliquibus contractibus, prout dixi num. 97. Sotus tamen sentit de Justit. & Jure lib. 4. Q. 7. art. 2. §. Dubium autem est pag. mihi 352. non lib. 5. art. 3. ut videbis eum citatum in Navarro cap. 17. num. 185. & in Ludovico Lopez tom. 1. cap. 197. §. Insuper. quòd in contractu commodati, aut precarii (in quo res cedit in utilitatem tantùm recipientis) quamvis pereat ex culpa levi, non sit obligatio restitutionis in foro conscientiæ, dummodò non interveniat culpa mortalis in ejus perditione. *Crediderim namque in foro conscientiæ levem culpam commodatarii non obligare eum ad restitutionem, nisi sit mortalis apud Deum: nam à venialibus vix homo liberari potest: quare propter illas non est homo tanta pœna plectendus, aut mulctandus.* Hæc sunt verba Soti. Ludovicus Lopez ubi suprà citat Victoriam ejusdem esse opinionis: Sic pariter Ledesma ait, hoc idem sentire Henriquez, Sa, Castropalaus tom. 7. tract. 32. de Justit. commutat. disp. 3. punct. 6. num. 1. & Lessius de Justit. lib. 2. cap. 7. dub. 8. num. 43. hanc opinionem ut probabilem tenet, saltem ante sententiam Judicis non esse obligationem restitutionis, quando res perit ex culpa levi, aut levissima, non solùm in contractu commodati, aut precarii, sed etiam in contractu conductionis, & pignoris, quia leges facientes, & obligantes ad restitutionem, quando res perit ex culpa levi, aut levissima, sunt positivæ, quæ pro interno conscientiæ foro non videntur acceptari. Verum est, quòd opinio contraria sit communis, & usu recepta, opinio tamen Soti videtur mihi non improbabilis.

Pars II.

De Mutuo, & Usura.

99. MUtuum communiter dicitur, quod ex meo fit tuum, quia in eo transfertur dominium à mutuatore ad mutuatarium, clariùs sic definitur: *Mutuum est contractus onerosus, quo traditur res cum translatione dominii, & cum onere solvendi ad tempus in æquivalenti.* Dicitur *Contractus onerosus*, quia ex utraque parte inducitur obligatio, mutuatoris quidem per privationem rei, quam tradit, & mutuatarii per obligationem eam restituendi suo tempore: Dicitur

quo traditur res cum translatione dominii, per quod mutuum differt à contractu commodati, precarii, & aliis, in quibus solùm transfertur usus rei, & non dominium, ut in mutuo. Dicitur cum onere solvendi ad tempus; quia de ratione intrinseca mutui est, ut mutuator aliquo tempore careat re mutuata. Additur in æquivalenti, ex duplici causa: primò, quia mutuatarius tenetur solvere ad æqualitatem arithmetricam, ac valorem rei sibi mutuatæ; secundò, quia mutuator vi mutui non potest aliquid ultra sortem exigere, seu aliquid excedens valorem rei mutuatæ, aliàs esset usura. Utrùm aliis de causis possit aliquid ultra sortem accipi, ex sequentibus resolutionibus patet, & in tract. 10. in explicatione Propositionum 41. & 42. ab Innocentio XI. damnatarum, nec non in 2. part. hujus praxis tract. 17. in explicatione Proposit. 42. ab Alexandro VII. damnatæ.

100. P. P. R. Confiteor, quòd Mense Augusti mutuaverim Petro decem mensuras frumenti cum hac conditione, ut Mense Maji easdem mihi restituat.

C. Hic contractus est Mutui, in quo à mutuatore transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, juxta definitionem suprà positam, quod ex meo fit tuum.

Et dicat mihi, fuítne probabile, quòd frumenti pretium deberet in Mense Maji augeri, aut potiùs dubium, quòd illo tempore deberet minui? quia quando utrinque par est dubium, an sit augendum, vel minuendum tale pretium, non est usura mutuare cum hac conditione: æquali enim periculo se exponunt mutuator, & mutuatarius.

P. P. R. fuit opinio, quòd pretium frumenti esset augendum in Mense Maji, & in re sic contigit.

C. V. D. habuítne intentionem servandi frumentum usque ad Mensem Maji, quo tempore altiori pretio posset illud vendere?

P. Ita P. R.

C. V. D. mutuavítne hoc frumentum Petro sponte, vel ad preces ejusdem Petri?

P. Ipsemet Petrus rogavit pro hoc mutuo obtinendo.

101. C. Absolutè loquendo est usura mutuare in Mense Augusti frumentum, ut restituatur in Majo, quando præsumitur augendum ipsius pretium; ratione tamen lucri cessantis potest mutuò dari cum hac conditione: quia si V. D. servatura erat frumentum usque ad Majum, realiter hoc lucrum reciperet vendendo tale tunc altiori pretio: ergo non est ratio, cur ad præstandum beneficium Petro suo lucro frustretur. Et quamvis aliqui Canonistæ hoc limitent, dicendo, quòd lucrum cessans possit accipi, quando mutuator rogatus à mutuatario mutuò dat, non verò, quando sponte, & ex propria voluntate hoc agit; communis

nis tamen Theologorum contrarium ſentit, nempe quòd alterutro ex his modis poſſit mutuator ratione lucri ceſſantis pretium alterius temporis paciſci, & ejusdem intereſſe accipere. Molina de Juſtit. tom. 2. diſp. 315. Leſſius lib. 2. de Juſtit. cap. 20. dub. 11. num. 30. Villalobos part. 2. tract. 22. diffic. 8. num. 4.

102. Dicat mihi, pro cuſtodia, & conſervatione hujus frumenti debuiſſétne V. D. aliquas expenſas facere? v. g. conducendo aliquod horreum, aut ſolvendo perſonam aliquam, ut illud cuſtodiat?

P. Non P. R. quia in meo horreo poſitâ tantùm aliquâ diligentiâ potuiſſem illud cuſtodire.

C. Servaſsétne pro certo hoc frumentum usque ad Majum?

P. Ita P. R. quia magna quantitas mihi ſupererat, quam absque dubio non conſumpſiſſem.

C. De lucro ceſſante mutuatori ex mutuo debent detrahi expenſæ faciendæ in conſervatione rei mutuatæ; ab his enim eximitur per ejus translationem in mutuatarium: debet etiam minui aliquid juxta majorem certitudinem lucri ſperati, ut dicit commune axioma Theologorum: Id quod eſt in ſpe, non æquipollet ei, quod eſt in Jure. Siquidem ergo V. D. nulli expenſæ ſuccumbere debuiſſet in cuſtodiendo frumento uſque ad Majum, potuit hoc pacto mutuò dare ratione lucri ceſſantis.

103. P. P. R. etiam me accuſo, quòd poſtquam Petrum mihi debitorem centum regalium ad judicium citavi, ab eodem rogatus pro aliqua dilatione temporis, conſenſerim ea conditione, ut, quandocumque occaſionem haberet emendi merces, in mea officina emeret.

C. Quamvis aliqui Doctores citati à Ximeno tract. de Uſuris num. 6. ſenſerint, pro dilatatione ſolutionis poſſe à Mutuatario exigi aliquid ultra ſortem: hoc tamen de præſenti eſt improbabile, & tanquam ſcandalosum ab Alexandro VII. in Propoſit. 42. damnatum. Videatur ejus explicatio in 2. part. praxis tract. 17.

104. Pro hujus, & aliorum in hac materia caſuum reſolutione ſuppono, uſuram eſſe lucrum ex mutuo: id eſt, lucrum, quod ex contractu, & vi contractus mutui exigitur, ita ut extra hunc in nullo alio contractu poſſit committi uſura. Advertendum tamen eſt, quòd hic Contractus mutui in aliis etiam Contractibus ſoleat palliari, ut in ſequentibus caſibus patebit. Petrus vendit Joanni creditò pannum, & quia creditò vendit, cariori pretio vendit: hic contractus quamvis videatur venditio, non eſt tamen venditio, ſed bene palliatum mutuum; idem enim eſt, ac ſi Petrus daret Joanni pannum, & Joannes illicò ſolveret juſtum pretium, quod deinde Petrus immediatè mutuò daret Joanni usque ad tempus præfixum mercis creditò

datæ: quare hic contractus tanquam usurarius damnatur ab Innocentio XI. in Propositione 41.

105. Idem contingit in contractu Mohatra, in quo Petrus vendit Joanni summo pretio mercem aliquàm cum pacto, ut Joannes deinde pretio infimo retrovendat Petro: hic quoque contractus est mutuum palliatum; idem enim est, ac si Petrus mutuaret Joanni valorem mercis pretio infimo & posteà ab ipso pretium rigorosum exigeret. Talis contractus Mohatræ damnatur ab Innocentio XI. in Propositione 40. Hoc est, quod accidit in casu V. D. quia peridem fuit, ac si V. D. suos centum regales à Petro exegisset, & secunda vice eosdem ipsi mutuo dedidisset ea conditione, ut deinceps quandocumque indigeret, in sua officina merces emeret.

106. Et ut clarè pateat, utrùm licitè hoc onus imponere potuerit, necesse est scire, an V.D. vendiderit merces Petro cariori pretio, quàm in aliis officinis?

P. P. R. Currenti pretio mercem ipsi vendidi.

C. Res vendita à V.D. fuitne valoris, & bonitatis æqualis merci ab aliis vendibili?

P. Ita P. R.

C. Officina V.D. fuitne valdè remota à domo Petri, ita ut incommodum pateretur ad ipsam accedendo?

P. Non P. R.

C. Concurrentibus circumstantiis æqualitatis pretii, bonitatis mercis, æquè facilis accessûs ad suam officinam ac ad alias, docent S. Antonius, alii citati à Diana part. 1. tract. 8. resol. 59. Licitum esse mutuare cum hac conditione, ut Petrus suam officinam frequentaret pro emendis mercibus necessariis; & consequenter in hac opinione V. D. licitè potuit consentire in dilationem solutionis sibi debitæ cum antè dicta conditione; siquidem hæc dilatio non fuit palliatum, & virtuale mutuum: Ratio autem hanc opinionem corroborans est, quia usura est lucrum ex mutuo: atqui V. D. vi mutui nullum percepit lucrum: ergo non fuit usura. Minorem probo, quia nullum percepit lucrum ex sibi debito, etenim si centum regalium fuit creditor, centum quoque solvendi erant; & si aliquod commodum habuit in vendendo suas merces Petro emptori ex vi pacti antecedentis, illud commodum ex contractu reali emptionis, & venditionis ortum habuit: ergo non ex mutuo, consequenter non fuit usurarius contractus.

Nihilominus contraria opinio est communis, quam tuetur cum D. Thoma Sylvester verb. usura 1. Q. 3. Medina in Sum. lib. 1. cap. 14. §. 25. Molina tom. 2. disp. 308. & 309. & plerique alii. Et ratio est, quia mutuum dare imponendo aliquod onus pretio æstimabile mutuatario usura est: atqui V. D. imposuit Petro onus pretio æstimabile in illo virtuali mutuo: ergo

fuit usura. Minorem probo, libertas est pretio æstimabilis, & ita quòd non bene pro toto libertas venditur auro: in hoc contractu libertatem ademit Petro emendi in aliis officinis: ergo imposuit ipsi onus pretio æstimabile; & sic licèt mutuatario nullum aliud damnum adveniat, quàm privatio suæ libertatis, mutuare cum antè dicto onere & conditione usura est.

107. P. P. R. non imposui ipsi hoc onus tanquam debitum ex justitia, sed tantùm velut debitum ex amicitia, & nova correspondentia.

C. Nihil refert, quia non solùm quando exigitur aliquid ultra sortem (sors dicitur res, aut quantitas mutuata, & ultra sortem illud lucrum, quod ex eadem re mutuata percipitur) tanquam debitum ex justitia, est usura, sed etiam quando exigitur tanquam debitum ex lege bonæ amicitiæ; & contrarium ut scandalosum damnatur ab Innocentio XI. in Propositione 42.

Pars III.

De Emptionibus, & Venditionibus.

108. Suppono, quòd sit Venditio *Contractus onerosus, quo traditur merces pro pretio*, & emptio *Contractus onerosus, quo traditur pretium pro merce.* Dicitur contractus onerosus, in quo convenit cum conductione, mutuo, aliisque contractibus onerosis, & per quod differt à contractibus lucrativis, aut gratuitis. Emptio ergo, & venditio est contractus onerosus, quia in his utraque pars se obligat; Emptor quidem ad pretium, & venditor ad mercem tribuendam. De hoc genere emptionis, & venditionis ex professo agendum est in 2. part. Praxis, tract. 16. cap. 7. n. 36. Dum de mercatorum officio erit sermo, ibique videri poterunt hìc prætermissa.

109. P. P. R. me accuso, quòd emerim equum, quem posteà novi esse furtivum.

C. Quando V. D. eumdem emit, judicavitne, eum esse furtivum?

P. Non P. R.

C. Habuítne de hoc aliquod dubium.

P. Nil minùs.

C. Quanti valet equus?

P. Quinquaginta Ducatis.

C. Quo pretio V. D. eum emit?

P. P. R. Triginta Ducatis.

C. Emere rem aliquam, ut furtivam cognitam cum intentione eam retinendi est peccatum contra justitiam, & idem dico, si ematur cum dubio, an sit, vel non sit furtiva: ad dubitandum autem, quòd res sit furtiva, sufficiens fundamentum est, videre, quòd vendatur minori pretio: cùm ergo V. D. nullum dubium inciderit, quòd talis equus fuerit furtivus, non peccavit in ejus emptione.

110. In ordine ad restitutionem hìc duo sunt notanda, primùm est injustitia & damnum illatum Domino equi, emendo rem ipsi ablatam, secundum est, gravamen factum furi emendo ab

eo

eo leviori pretio equum furtivum, & venditioni expositum.

Pro primæ partis resolutione dicat mihi V. D. quando novit equum esse furtivum, proposuítne eumdem retinere, aut Domino restituere?

P. P. R. Siquidem de facto ipsum emeram, non mihi visum fuit rationabile, pecuniam jam depositam perdere; & sic proposui eum retinere.

C. Sicuti peccatum est mortale contra justitiam emere rem furtivam positâ hujus scientiâ, aut dubio, sic etiam peccatum mortale est post emptionem eandem retinere, cum notitia aut dubio, quòd sit furtiva.

111. Dicat mihi, potuítne rescindere contractum cum latrone restituendo ipsi equum, & suos triginta Ducatos recuperando?

P. Ita P. R.

C. Arbitrabatúrne V. D. probabiliter, quòd, si ad recuperandam suam pecuniam furi equum restituisset, talis fur quoque equum proprio Domino restituisset?

P. P. R. credo, quòd hoc non fecisset; cùm enim se determinaverit ad eum furandum, de restitutione facienda non cogitasset.

C. Si V. D. probabiliter judicasset, quòd fur equũ Domino esset restituturus, debuisset etiam rescindere contractum venditionis cum fure, restituendo equum, & pretium recuperando: In hoc Doctores conveniunt. Sed quando non est probabilis spes, quòd fur velit Domino equum restituere, in hoc stat difficultas. Mea opinio est, quòd etiam in hoc casu posset ad manus furis equum remittere, & triginta Ducatos recuperare; sive emisset equum bona fide ignorans, esse furtivum; ut dicit Navarrus in Sum. Lat. part. 17. n. 9. in fine. Sylvester verb. Restitutio 3. q. 7. & cum aliis Fagundez in septimo præcepto lib. 7. cap. 2. n. 2. sive mala fide emisset sciens, quòd sit furtivus. Ita Petrus de Navarra lib. 3. cap. 4. part. 3. dub. 4. Toletus lib. 5. cap. 17. n. 13. Et cum Ales, & Angelo Caspensis id judicat probab le tract. 18. disp. 1. Sect. 5. n. 36. & cum aliis Diana part. 2. tract. 17. resol. 4. Et ratio est; quia emptor (sive bonæ, sive malæ fidei) non tenetur reducere rem ad statum à se invento meliorem, & sat est, quòd eam in deteriorem statum non constituat: atqui status, in quo ipsam invenit, fuit in manibus furis, à quo eamdem emit: ergo satisfacit suæ obligationi, si ad manus furis reponat.

112. Si verò non possit rescindere contractum cum fure ad recuperandum pretium pro re empta traditum, aut quia fur fugæ se dedit, aut quia non potest, vel non vult reddere pretium rei, tunc emptor (sive bonæ, sive malæ fidei) tenetur eam vero Domino restituere, quia res ubicumque est, pro suo Domino clamat.

113. Dicat mihi V. D. profuítne ipsi

equus

equus tempore, quo eumdem in sua potestate habuit?

P. Ita P. R. quia per aliquot dies ipsum locavi, & quinquaginta circiter regales acquisivi.

C. V. D. quoque aliquid expendit pro ejusdem sustentatione?

P. Ita P. R. viginti circiter regales expendi:

C. Ergo triginta, in quibus ditior factus, tenetur restituere vero Domino.

114. Pro resolutione secundæ partis casus præsentis: id est injustitiæ, quam potuit V.D. inferre venditori emendo pro 30. id, quod 50. constabat; dicat mihi, obtulitne ipse fur, vel rogavit, ut V. D. emeret equum?

P. Ita P. R.

C. Ergo, quamvis valor equi fuerit 50. & V.D. pro 30. emerit, cùm à venditore fuerit rogatus, nullam fecit ipsi injuriam; est enim commune principium Theologorum; merces ultroneæ vilescunt, quòd, quando venditor invitat ad emptionem mercis, tunc ipsa merces vilescat. Et si quæratur, quantò minoris æstimantur merces ultroneæ, Lessius de Just. lib. 2. cap. 21. dub. 4. n. 38. Sa verb. emptio num. 4 & alii docent, tertiam partem sui valoris perdere: v. g. si valet 60. potest emi 40. Et Palatius, Rebellus, & alii quos citat Diana part. 1. tract. 8. resol. 53. & 78. docent, merces ultroneas medietatem valoris amittere: v. g. si valebat 60. florenis, potest emi 30. cùm ergo V. D. ad preces venditoris emerit 30. quod valebat 50. nullam injustitiam juxta hanc opinionem commisit.

115. Ex aliis etiam principiis potest hæc emptio facta à V. D. minori pretio ab injustitia excusari, sequendo opinionem multorum Doctorum, quos citat, & sequitur Escobar de Corro in tract. de utroque foro, art. 5. casu 2. num. 35. & seq. & aliorum, quos citat P. Leander de Murcia in disq. tom. 2. lib. 1. disp. 11. resol. 6. num. 9. & 13. docentium, quòd in Contractibus emptionis, & venditionis, locationis, & conductionis, & similibus, qui infert damnum emendo viliori, aut vendendo cariori pretio, si excessus non se extendat ultra dimidium justi pretii rei, nec interveniant fraudes, aut deceptiones, non peccet, nec teneatur ad restitutionem: v. g. res aliqua 60. valet, venditur pro 90. quod est dimidium excedens valorem, & justum pretium: vel emitur pro 30. quod est dimidium ejusdem pretii, licita est hæc venditio, & emptio non solùm in foro externo, verùm etiam in interno. Hanc opinionem ut probabilem refert Murcia num. 31. ejusdem resol. & n. 20. dicit, fuisse approbatam à pluribus DD. Salamancæ, & Alcala: Et ratio est, quia scienti, & consentienti nulla fit injuria: atqui tam venditor, quàm emptor sciunt pretium rei esse superius, aut inferiùs, majus, aut minùs (supponimus enim nullam

lam intervenire fraudem, aut deceptionem) & nihilominus venditor voluntariè vendit inferiori, & minori; emptor verò superiori, & majori pretio emit: ergo in similibus contractibus nulli fit injustitia in sensu horum Authorum, quorum doctrinam non sequor.

116. Cum hac multùm coincidit opinio Molinæ tom. 2. de just. tract. 2. disp. 351. num. 4. Reginaldi, & aliorum apud Dianam part. 5. tract. 14. resol. 36. qui dicunt, in emptionibus præsumi, quòd venditor dono det justum pretiũ emptori, quando necessitate non urgente, sed ex libera sua voluntate vendit rem nimis vili pretio, nec aliqua fraus, aut deceptio intercedat. Idem potest dici de emptore nimis alto pretio, quòd accessum pretii donet venditori, quando spontaneè emit: fur V. D. spontaneè vendidit equum, nec ut suppono ulla fuit fraus: ergo præsumitur, quòd fur fecerit donationem excessûs valoris equi.

117. P. P. R. prætereà accuso me angi aliquo scrupulo, quòd unum vas vini vendiderim, & pro quolibet pondere vini sex regales exegerim, cùm tamen in loco mei domicilii fuerit lege taxatum, pro pondere quatuor tantùm regales accipi debere. Juxta hanc doctrinam subibóne onus restituendi excessum taxæ?

C. Ita est; & pro relatæ doctrinæ intelligentia supponendum est, pretium rerum unum est intrinsecum, aliud extrinsecum. Pretium intrinsecum seu naturale desumitur ex bonitate ejusdem rei, & hoc non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem infimi, medii, & summi: v. g. si pretium medium sit 10. infimum erit 9. & summum 11. Pretium extrinsecum seu legale non desumitur ex bonitate rei, sed ex taxa, quam Lex, aut Judex ipse præscribit: sicut quando à Lege sancitur, ut vinum, frumentum &c. tanti vendantur: & hoc pretium non habet latitudinem infimi, medii, & summi, sed consistit in indivisibili, nempe in taxato à Lege.

Doctrina deinde relata, quando non infertur damnum in contractibus supra vel infra dimidium justi pretii, solùm intelligitur de pretio intrinseco: quapropter vi hujus doctrinæ V. D. tenetur ad restitutionem. Ad videndum tamen, utrùm ex aliis principiis possit V. D. excusari,

118. Dicat mihi, Vinum venditum fuítne potentius, ac melius altero, quod communiter vendebatur pretio à Lege taxato?

P. Ita P. R.

C. Fuítne notabilis excessus bonitatis ipsius super alia vina?

P. Ita P. R. fuit vinum pretiosissimum.

C. Hoc posito V. D. nullum intulit gravamen, aut injustitiam vendendo vinum altiori pretio; quia, ut docet Molina tom. 2. de Justit. disp. 364. n. 11. & alii Doctores; quando merces

aliqua multùm excedit in bonitate alias ordinariè vendibiles pretio taxato; potest altiori pretio vendi ad proportionem sui excessus in bonitate. Et ratio est; quia res, quæ notabiliter sunt inferiores in bonitate aliis, quæ ordinariè venduntur, non licet vendere pretio à taxa assignato: ergo à contrario res, quæ sunt notabiliter superiores in bonitate, poterunt altiori pretio vendi. Si verò excessus esset modicus, non liceret excedere taxam; sicut quamvis aliquantum sit inferior non per hoc illicitum est taxato pretio vendere.

119. Ex hac Molinæ opinione multũ roboris acquirit illa Navarri, in Manuali cap. 23. num. 83. Et aliorum docentium, quòd valdè sterilibus in añis possit vendi frumentum cariori pretio, quàm assignatum à taxa communi fertilibus in annis: v. g. taxa est, ut frumentum semper vendatur quinque regalibus; venit annus valde sterilis, tunc potest vendi sex, aut plus ad proportionem augmenti sterilitatis. Et ratio est; quia ut pretium sit justum, debet esse rationabile: non est autem rationabile: quòd frumentum vendatur eodem pretio in anno sterili, ac in abundanti: atqui neque rationabile est, quòd merces notabiliter melior communi vendatur sicut hæc eodem pretio: ergo cariori vendi potest.

120. Cum opinione Molinæ coincidit etiam altera Lessii lib. 2. de Just. cap. 21. dub. 11. n. 87. Bonacinæ disp. 3. de contr. q. 2. punct. 6. n. 17. & aliorum, qui docent, quòd venditor frumenti, vini, aut alterius mercis notabiliter excedentis in bonitate alias ordinariè vendibiles pretio Legis possit egregio vino miscere aliud mediocre, aut aquam, vel selectiori frumento aliud inferius; ita ut in bonitate æquale remaneat aliis, quæ ordinariè venduntur. Et ratio est, quia hic venditor nullum gravamen infert emptori, cùm vendat ipsi rem tantæ bonitatis, quantæ alibi habetur; neque Legem offendit, cùm vendat taxato pretio rem in bonitate huic æqualem: atqui venditor rei in bonitate superioris cariori pretio gravamen non infert emptori, quia merces est æqualis quo ad bonitatem pretio, nec Legi, siquidem hæc ut rationabilis taxavit tantùm res communiter vendibiles, non verò alias in bonitat superiores: ergo mercem notabiliter meliorem altiori pretio vendere potest.

121. Demùm meo judicio tenenda est doctrina suprà dict. Lessii lib. 2 de Just. cap. 21. dub. 11. num. 90. Navarri, Azorii & aliorum, quos citat & sequitur Bassæus verb. venditio num. 19. qui docent, licitum esse vendere rem aliquam cum vitio occulto, quando vitium non infert damnum, nec inutilem reddit rem emptori, minuendo tamen ipsius pretium ad proportionem minoris æstimationis, quæ fit de eadem propter occultum vitium: & casu,

casu, quo emptor ea intentione emeret, ut revenderet, tenetur primus venditor manifestare vitium, ne hic secundus committat fraudem vendẽdo ipsam altiori pretio ex ignorantia defectûs. Ratio est, quia minuendo rei pretium juxta minorem æstimationem propter defectum, quem patitur, æqui paratur pretium bonitati rei: atqui venditor rei bonitatis majoris communibûs supra taxatum pretium, æquiparat valorem mercis pretio: ergo licitè hoc facere potest.

Pars IV.

De Commodato, & Precario.

122. COmmodatum est contractus, quo res alicui gratis conceditur ad certum usum. Dicitur Contractus, in quo genericè convenit cum aliis contractibus. Dicitur, quo res alicui gratis conceditur, ad significandum quòd commodatum sit contractus gratuitus, per quod distinguitur à Mutuo, locatione, venditione, & aliis contractibus onerosis: quia in commodoto usus rei gratuitò conceditur. Additur ad certum usum, quia in hoc contractu non transfertur dominium rei in commodatarium, sed tantùm usus conceditur ad differentiam mutui, venditionis, & aliorum contractuum, in quibus dominium rei transfertur; ex quo constat in contractibus, in quibus transfertur dominium rei, non esse restituendam eandem rem in individuo, bènè verò in commodato.

123. Precarium secundùm Jurisconsultos est, *quod precibus petenti conceditur ad usum tamdiu, quamdiu is, qui concessit, paritur, vel non revocaverit*, est contractus, in quo conceditur gratuitò, & absque lucro usus alicujus rei, usquedum Dominus eamdem repetat, sicque in hoc contractu non transfertur dominium, sed solùm usus rei, & quidem gratis, sicut in commodato, à quo per hoc distinguitur, quòd in commodato detur res ad certum usum & tempus; precario verò conceditur usus rei indeterminatè usque ad repetitionem, aut revocationem concessionis usûs; & quamvis, ut dictum est suprà in hoc cap. part. 1. num. 97. in contractibus, qui respiciunt tantùm utilitatem recipientis rem, sit obligatio restitutionis, si ex culpa levi, vel levissima perdatur secundùm communem opinionem; in precario tamen tunc solùm est talis obligatio, quando ex dolo, vel culpa lata perditur, licèt hic contractus solùm respiciat utilitatem recipientis rem; quod est singulare quid in hoc contractu precarii, cùm in eo concedatur res ad nutum Domini; ex L. contractus ff. de regul. Juris. & L. Quæsitum est §. Eum quoque ff. de precario.

124. P. P. R. me accuso, quòd, cùm perceperim rem aliquam mihi ad usum concessam, eandem deteriorem factam restituerim.

C. Fuitne ipsi concessa ad usum, & tempus determinatum? si enim indeterminatè fuit concessa tamdiu, quamdiu eam Dominus reposceret, esset contractus precarii.

P. P. R. ad usum, & tempus determinatum fuit mihi concessa.

C Quæ res fuit ipsi commodata?

P. P. R. fuit equus ad conficiendum iter trium dierum.

C. Habuitne equus defectum aliquem occultum, quem Dominus V. D. non manifestavit; Hoc enim dato, & quòd V. D. tanquam inscia non potuerit impedire equi detrimentum, non fuit ipsius culpa, sed Domini, qui debuit V. D. admonere: ita pariter, si ex eo, quòd equus sit effrænis præceps, & indomitus, V. D. aliquod damnum perpessa fuisset, Dominus, qui de hoc defectu certiorem non reddidit, teneretur ad resarciendum secutum damnum: Ex L. in rebus, §. Qui sciens.

P. Nullum habuit defectum occultum talis equus.

C. Fortè equus deterior fuit factus, quia V. D. aliis eum commodavit, cùm tamen V. D. pactum inierit cum Domino de proprio, & personali tantùm usu? licèt enim, qui habet jus utendi re aliqua, possit hujus usum alteri concedere, non tamen, quando expresè convenit cum Domino de opposito. Ita Molina & alii. Bonacina tom. 2. tract. 3. de contract. Q. 16. punct. unico. n. 2.

P. Aliis ad usum non concessi equũ, nullúmque pactum de hoc cum Domino inivi.

C. Fortè equus detrimentum hoc subiit, quia V. D. diutiùs pacto ad proprium detinuit usum? quia si hoc modo commodatarius utitur re sibi commodatâ, furtum facit, & tenetur ad restitutionem. Ita colligitur ex Textu Civili. L. Si ut certò §. Quinimo. Hoc limitatur, quando probabiliter censetur, quòd rei Domino complaceret, seu consentiret in usum diuturniorum concesso, tunc enim nulla esset obligatio restitutionis: sic Bassæus verb. commodatum. n. 4.

P. P. R. non fui usus equo ultra tres dies prædefinitos.

125. C. V. D. fuitne usa equo ad peragendum aliud iter, vel exercitium distinctum ab illo, pro quo fuit concessus equus? v. g. si pro itinere triginta milliarium fuerit commodatus equus, & pro quadraginta conficiendis eo usa fuisset; aut si pro itinere plano, asperum, & montosum aggressa fuisset: quando enim commodatarius utitur re pro exercitio non intento à commodante, peccat cum onere restitutionis, prout habet Textus Civilis, L. si ut certò, jam citato. nisi fortè, ut suprà dictum est, probabiliter opinaretur, Dominum in hoc non esse invitum; quia tunc nullum esset peccatum, aut onus restitutionis. Bassæus ibidem nec.

P. Nec hoc.

C. For-

C. Fortassis V. D. alimenta necessaria non subministravit equo ? etenim obligatio Commodatarii se extendere debet ad ordinarios sumptus, non verò ad extraordinarios, v. g. si absque sua culpa equus infirmaretur, tunc ad necessarias expensas pro cura equi teneretur ejus Dominus. Ita Machadus tom. 1. lib. 3. part. 5. tract. 9. docum. 1. n. 2.

P. Ad sustentationem equi necessaria non defuerunt.

C. Qua de causa ergo equus deterior factus fuit?

P. P. R. causa fuit, quòd impegerit, & ceciderit, ex quo detrimentum subiit.

C. Impegitne ex V. D. negligentia, quia nescivit eum dirigere, aut per semitas periculosas duxit ?

P. Non P. R. direxi enim eum per viam valde bonam, nec fuit mea negligentia, sed ob accidens aliquod perterritus impingendo cecidit.

C. Quando V. D. suscepit equum, obligavitne se ad ejus restitutionem, si periisset, aut ex fortuito deterior factus fuisset?

P. Non P. R.

C. Quando Dominus commodavit V. D. equum, curavítne æstimari ipsius valorem ?

P. P. R. nulla equi æstimatio fuit facta.

126. C. Quando res commodata perit, aut deterior fit absque culpa levi, aut levissima commodatarii, nulla est obligatio restaurandi damnum ex casu aliquo fortuito secutum, nisi perceptionem rei præcederet pactum eam restituendi, licèt fortuitò periret, aut in commodanda ipsa fieret processus ad æstimationem ; in his enim casibus debet restitui, quamvis accidentaliter periret. Vide Bassæum ubi suprà num. 9. & Machadum num. 5. eodem docum. 1. Ratio prioris est, quia casus nec providentiæ humanæ, nec obligationi subjacet : ergo pereunte re ex casu fortuito non est obligatio restitutionis. Ratio posterioris est, quia positâ in contractu obligatione casûs, siquidem legem contractus dat, obligat tunc ad resarcienda omnia damna ex tali casu evenientia ; & quando res æstimata suscipitur, propter intentionem æquiparatur pacto restituendi ex casu fortuito.

Pars V.

De contractibus Depositi, Pignoris, Assecurationis, & Hypotheca.

127. Depositum est contractus, quo sola rei custodia alteri committitur, ut ipsa res integra reddatur. Dicitur contractus : in quo depositum convenit cum aliis contractibus in ratione generica. Dicitur quo sola rei custodia, quia in deposito non conceditur potestas utendi re depositâ ; per quod hic contractus differt à commodato, & precario, in quibus usus rei conceditur. Additur,

ut ipsa res integra reddatur. Quia in deposito non transfertur dominium rei in depositarium, sed solùm ejus custodiæ committitur, per quod distinguitur à mutuo, venditione, aliisque contractibus, in quibus rei dominium transfertur.

128. Dividitur depositum in judiciale, & particulare: depositum judiciale est, quando jussu Justitiæ aliqua res deponitur, ut custodiatur usque ad novam ejusdem Justitiæ dispositionem de eadem re: & hoc genus depositi vocatur sequestrum, in Textu Civili L. Eum, apud quem ff. depositi. Depositum particulare est, quando persona aliqua rem suam alteri ad custodiam tradit, & hoc depositum particulare subdividitur in depositum necessarium, & voluntarium. Depositum necessarium est, quando necessitas constringit Dominum rei ad eam deponendam, ut in incendiis, periculis latronum; &c. Depositum voluntarium est, quando nulla simili urgente necessitate Dominus liberè rem suam alteri custodiendam tradit; sive hoc fiat absque lucro, vel Interesse, sive pro pretio: propriè tamen contractus depositi requirit, ut depositarius custodiat rem absque pretio aliquo, hoc enim posito non est in rigore merè depositum, sed potiùs aliqualiter videtur contractus locationis. Quando res datur ad custodiendum absque interesse aliquo, depositarius tenetur eam restituere, si ex culpa lata perit, si verò cum interesse custodiatur, erit obligatio restitutionis, etiamsi ex culpa levi pereat, juxta suprà dicta in hoc cap. 5. part. 1. n. 97.

129. P. P. R. me accuso, quòd re aliqua meæ custodiæ commissâ usus fuerim.

C. Habuitne V. D. licentiam à deponente eâ utendi? hac enim suppositâ absque scrupulo potuit eâ uti; quamvis hic contractus non esset propriè depositi, benè verò commodati, si res est ex illis, quæ non recipiunt functionem, nec sunt usu consumptibiles: v. g. vestis, equus &c. Si autem res deposita esset ex illis, quæ sunt usu consumptibiles, & recipiunt functionem, potéstque fieri commutatio unius cum altera: v. g. Vinum, Oleum, Panis, &c. Tunc si dantur depositario cum libertate eis utendi, non erit contractus depositi, sed mutui.

P. P. R. expressam licentiam non habui à Domino re deposita utendi.

C. Fortè fuit licentia rationabiliter præsumpta? quæ est, quando probabiliter judicatur, Dominum consensurum in ejus usum; in hoc enim casu licitè potuit uti re depositâ, ut dicit Bonacina tom. 2. disp. 3. de contract. Q. 14. punct. 1. n. 3.

P. P. R. nihil mihi constat de tali consensu.

C. Quæ res fuit ad suas manus deposita?

P. P. R. fuit magnus Aureus duplus.

C. Pro-

C. Prohibuítne Dominus V. D. hujus pecuniæ uſum?

P. Non P. R. ſed ſimpliciter meæ cuſtodiæ illum commiſit.

C. Fuítne certa V. D. quòd poſt uſum hujus pecuniæ potuiſſet faciliter reſtituere Domino, quandocumque eam repetiiſſet?

P. Ita P. R.

C. Acquiſivítne V. D. aliquod lucrum per uſum hujus pecuniæ?

P. Ita P. R.

130. C. Certum eſt, quòd depoſitarius non poſſit uti re depoſita invito Domino; & eâ utens ſine expreſſa, vel tacita, vel rationabiliter præſumpta Domini licentia, peccat peccato furti, atque obligatur ad reſtitutionem, non ſolùm damni ex uſu rei ſecuti, ſed etiam lucri exinde acquiſiti. Bonacina ibidem. Si autem res depoſita ſit pecunia, nec Dominus interdixerit uſum depoſitario, poterit hic ea uti, dummodò certus ſit, ſe tantundem ejusdem generis, qualitatis & bonitatis præſtò habiturum, cùm Dominus repetierit. Ita Villalobos in Sum. tom. 2. tract. 29. diffic. 2. n. 2. Rodriquez in Sum. tom. 1. verb. Depoſitum num. 6. in fine. Et ſi depoſitarius ex uſu pecuniæ depoſitæ aliquod lucrum perceperit, idem retinere poteſt; quia nimirum eſt fructus ſolius induſtriæ. Ita Sotus de Juſtit. & Jur. lib. 6. Q. 3. §. Aliud enim. Nullum enim gravamen ex hinc alteri infertur: non deponenti, quem ſupponimus non prohibuiſſe uſum rei depoſitario, & hunc eſſe paratum ad reſtitutionem ad nutum deponentis, nec cuicumque alteri; cùm depoſitarius ex ſua induſtria, & licito uſu lucrum illud acquiſiverit: ergo &c. Advertit tamen Bonacina ubi ſuprà §. addit. cum Sylveſtro, & aliis, quòd, quando pecunia non numerata, clauſa, & obſignata depoſitarii cuſtodiæ committitur, tunc non poſſit ea uti; cenſetur enim deponens per hunc modum interdicere ipſi uſum.

131. P. P. R. me accuſo pariter, quòd pignore in ſecuritatem debiti mihi tradito aliquoties uſus fuerim.

C. Contractus Pignoris eſt, quādo res mobilis Creditori pro debito obligatur, in quo diſtinguitur ab Hypotheca: quia in hac regulariter obligatur creditori res immobilis, ut vinea, domus, ager; in Pignore verò, quod traditur in ſecuritatem debiti, eſt res mobilis, ut Gemmæ, veſtes & aliæ ſimiles ſupellectiles. Dicat mihi V. D. utebatúrne hoc pignore cum licentia Domini? quia hoc modo potuit ſecuriſſimè uti.

P. P. R. nullam expreſſam licentiam dedit mihi Dominus eo utendi.

C. Fuítne pignus illud uſu conſumptibile? hoc enim ſuppoſito illius uſus non eſt licitus absque licentia expreſſa Domini; cùm rationabiliter non præſumatur de ejus conſenſu in uſum, poſt quem eſt etiam obligatio reſtituendi Domino id, in quo res impignora-

norata deterior facta est per usum; si autem pignus non esset usu consumptibile: v. g. gemma, aurum, argentum, aut catinus ex simili materia, rationabiliter præsumitur de voluntate Domini, ut eo uti possit, ita Villalobos ubi sup. diffic. 4. n. 7.

P. P. R. res mihi in pignus data fuit equus, & hoc usus fui pro aliquot itineribus peragendis.

C. Si V. D. hunc equum in pignus non habuisset, conduxissetne alium ad peragenda hæc itinera?

P. Ita P. R.

C. Computavitne V. D. dies, quibus usum equi habuit, in rationem sortis debitæ?

P. Non P. R.

C. Quando res oppignorata est fructifera (ut in præsenti casu est equus) ille, qui accepit pignus, hujus fructus computare debet in rationem sortis debitæ, deductis expensis in custodiendo, alendo &c. equo. Creditor etiam pignus sibi datum alteri oppignorare, vel in hypothecam dare licitè potest, quando ex hinc nullum damnum sequitur debitori: postquam verò creditor debitum principale extinxit per fructus ex pignore perceptos, tenetur hoc restituere Domino; ut videre est in Machado tom. 1. lib. 3. part. 5. tract. 11. doc. 2. num. 2. & 5. Qui addit, quòd, quando pro assecuratione dotis traditur Marito aliquod pignus fructiferum, non teneatur computare fructus in rationem sortis debitæ. Ex cap. salubriter de Usuris notat Villalobos n. 8. ex Lege de las Partidas, non esse licitum alicui dare mutuum fundatum in pignore ea conditione, ut nisi pro tali die redemerit, censeatur venditum; si tamen pactum fieret, ut si ad certum diem vel tempus solutio facta non fuerit, pignus creditori tunc vendendum sit tali pretio, quod justum æstimatur secundùm plurium, vel alicujus tertii boni viri arbitrium, reddito excessu debitori; hoc modo justè & licitè ageretur. Si quis sit L. Si fundus 16. §. 6. ff. de Pignor. Communis DD. cum Navar. c. 27. n. 203. Ratio est; quia ejusmodi obligatio debitori imponitur partim in pœnam justam differendæ solutionis, partim ob interesse creditoris, us is indemnis servetur.

132. Hypotheca, ut dixi, est, quando res immobilis obligatur creditori in securitatem debiti absque ejus traditione, ut fit in pignore, éstque duplex, una expressa, altera tacita, expressa est, quando res expresè obligatur in securitatem debiti, seu solutionis; tacita est, quando non expresè res obligatur; ex Lege tamen in multis casibus obligatur ad debitum, ut bona Mariti ex dispositione Legis Civilis tacitè hypothecata manent in securitatem dotis; & bona Tutoris, & curatoris in securitatem administrationis bonorum Pupilli, aut minoris, & in aliis casibus, quos refert Lessius lib. 2. de Just. cap. 28. dub. 6. n. 34.

&

& seq. Hypotheca expressa una est generalis, qua omnia bona tam præsentia, quàm futura alteri obligantur: particularis est, qua aliqua tantùm, & non omnia obligantur. Tacita etiam hypotheca potest esse vel generalis, quando ex dispositione Legis omnia bona obligantur in securitatem solutionis, seu debiti: vel particularis, quando ex ejusdem legis dispositione aliqua tantùm obligantur in eamdem securitatem.

133. Assecuratio, quæ in lege dicitur *fidejussio*, sic definitur. *Est alienæ obligationis in se susceptio, qua quis se obligat ad eam implendam, si debitor principalis non solverit.* Dicitur *alienæ obligationis susceptio*, quia iste contractus est accessorius supponens obligationem principalis debitoris; & tanquam accessorius sequitur naturam principalis: Ita ut fidejussor per hunc contractum non se obliget ad plus, seu magis extensivè, tam quoad substantiam, quàm quoad accidentia, quàm obligabatur debitor principalis. v. g. ut solvat 100. si principalis debitor solùm debeat 50. ut solvat hoc primo anno, si alter obligabatur solvere primùm post duos annos &c. ratio patet, cùm enim ex dictis fidejussoris obligatio sit accessoria obligationi principali, debent ambo tendere in idem objectum: dicitur, qua quis se obligat ad eam implendam, quia fidejussor obligatur ad solutionem pro principali, & quidem in opinione probabiliori ante sententiam Judicis, ut dicit Rodriquez in Sum. verb. fidejussio cap. 199. n. 2. quamvis probabile sit in foro conscientiæ non obligari ante sententiam Judicis, ut habet Machadus ubi sup. doc. 1. n. 6. in fine. additur, si debitor principalis non solverit, quia debitor principalis primò obligatur solvere, & hoc satisfaciente liberatur fidejussor, nec ullum potest haberi jus, aut actio contra ipsum, quousque principalis non fuerit ad judicium citatus, & à tali fuerit prolata sententia, nisi quando fidejussor hoc privilegium renuntiaret, uti nunc ordinariè fieri solet; vel si clarè constet, quòd principalis solvere non possit; & in aliis casibus relatis ab Antonio Gomez citato à Villal. tom. 2. tr. 29. diffic. 3. n. 2. Si quando plures sunt fidejussores, singuli obligantur in solidum ad solutionem, aut pro rata parte tantùm: videri potest in Machado ibidem n. 4. & 5. Quinam autem possint esse fidejussores, quinam non, cùm sit quæstio potiùs ad forum externum, quàm internum spectans, ideò eam omitto.

Pars VI.

De Contractu Census.

134. Census est jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel personæ alterius, vel ut alii definiunt, est emptio ac venditio juris, quoad solos redditus singulis annis, certisve temporibus ex re aliquâ solvendos: emptor, qui emit censum ab altero, & cui pen-

ſio ſolvenda eſt appellatur cenſuiſta, vel cenſualiſta: venditor autem, qui vendit alteri jus accipiendi penſionem ex re ſua, quique penſiones ſolvere debet, vocatur Cenſuarius. Dicitur emptio, vel venditio, in quo differt cenſus à penſionibus, quas Rex in Præmium obſequii præſtiti confert. Dicitur emptio, vel venditio juris ad differentiam aliorum contractuum, in quibus res veneunt, quia in cenſu res non venduntur, ſed actio, vel jus accipiendi ex re aliquam penſionem: additur ad ſolos redditus, quia cenſualiſta non emit fundum, aut perſonam, ſed ſolùm jus ad redditus ex re ſibi ſolvendos: additur etiam ſingulis annis, quia ſingulis annis ſed tantùm ſemel in anno redditus ſolvendi ſunt.

135. Cenſus ex parte rei, in qua fundatur, dividitur in Realem, Perſonalem & Mixtum: realis eſt, qui conſtituitur ſuper domum aut vineam, perſonalis, qui conſtituitur immediatè ſuper aliquam perſonam. Mixtus verò, qui ſuper perſonam, & ſimul rem immediatè conſtituitur, ita ut utraque obligetur ad ſolvendos fructus. Ex parte modi dividitur Cenſus in conſignativum, & reſignativum: Cenſus reſignativus eſt, cùm quis fundum pleno dominii jure in alterum transfert, donando; vel vili pretio vendendo reſervata ſibi annua penſione, ſive in pecunia, ſive in fructibus ex eodem fundo præſtanda. De hoc l. ult. Cod. de rerum permut. Hac ratione Joſeph Gen. 47. prædia Ægyptiorum permutatione frumenti Regi Pharaoni acquiſita, poſteà eisdem pleno Jure reſtituit, conſtituta in iis annua penſione quintæ partis fructuum exceptis prædiis Sacerdotum. Cenſus conſignativus (qui modò ordinariè eſt in uſu) eſt, quando traditur alteri aliqua ſumma pecuniæ cum obligatione ſolvendi annuam penſionem, aut redditum, ſeu quando certo pretio emitur Jus ad percipiendam penſionem annuam ex re, quæ jam erat alterius, qui penſionem ſolvere debet, tunc enim emptori à venditore conſtituitur, & quaſi conſignatur illud Jus percipiendi annuam penſionem ex tali certa re ſua. Ex parte durationis dividitur Cenſus in temporalem, & perpetuum: temporalis eſt, quo penſio ſolvenda eſt ad tempus certum: v. g. ad 10. 20. 100. Annos, & dicitur cenſus determinatus; aut incertum, utpote tempus vitæ, ementis Cenſualiſtæ, aut vendentis cenſuarii, aut alterius Perſonæ, Parentis, Filii &c. alterutrum concernentis, & hic dicitur cenſus vitalitius. Cenſus perpetuus dicitur, quo penſio ſtante contractu, cæteriſque ſalvis ſemper ſolvenda eſt, ideóque etiam ad hæredes cenſuarii, & cenſualiſtæ tranſit: & hic cenſus, ſi conſtituatur cum pacto, ut nunquam redimatur, ſeu ex neutra parte revocari poſſit, id eſt neque redimi à venditore, neque ab emptore eodem revendi, dicitur cenſus irre-

di-

dimibilis: si constituatur cum pacto, ut possit redimi, saltem ex parte venditoris, seu Censuarii, dicitur redimibilis.

136. P. P. R. me accuso, quòd habeam aliquem scrupulum propter censum cum quadam persona contractum.

C. V. D. fortè angitur scrupulo, quia initum censum constituit super personam, non super bona, qui census dicitur personalis? quamvis enim aliqui admittant tanquam licitum censum personalem; vera tamen, & tuta sententia est, hunc censum esse illicitum, non tantùm ex prohibitione Legis positivæ, sed etiam stando in terminis ex interdicto solius Legis naturalis, ut videri potest in Villalobos tom. 2. tract. 23. diffic. 2. n. 2. & 3.

P. P. R. census, de quo loquor, fuit realis, & non personalis.

C. Motivum scrupuli fortè est, quia V. D. pensionem æquo majorem accepit? quia contractus censûs est injustus, quando aliquid ultra debitam pensionem accipitur; quantum verò possit annuatim accipi, an sex pro centum, aut plus vel minus, judicium ferendum est juxta leges particulares Regionum, aut consuetudines legitimè introductas, vel secundùm virorum prudentum judicium, spectatâ naturâ, & qualitatibûs censûs.

P. Meus scrupulus non exinde: cùm tantùm id, quod regulariter practicatur, acceperim.

C. Fortè ipsius scrupulus est ex eo, quòd pensiones, aut redditus percepti excedant valorem capitalis, super quo constitutus est census? licèt enim aliqui DD. asserant, injustum esse censum, quando pensiones percipiendæ excedant valorem capitalis, super quo constitutus est census; licèt enim aliqui DD. asserant, injustum esse censum, quando pensiones percipiendæ excedunt summam capitalis; alii tamen tenent esse licitum in hoc casu ut videre est apud Machadum, ubi suprà tract. 3. doc. 1. num. 5.

P. Neque ex hoc oritur meus scrupulus.

C. Fortassis, quia, cùm perierit fundus hypothecatus in securitatem redditûs, V. D. non destitit ab hoc redditu accipiendo? In censu enim merè reali, casu quo pereat res, super quam constitutus est, ipsemet quoque census perit, ut cum Layman, & aliis dicit Bassæus verb. Census tom. 1. num. 6.

P. Non periit res, super qua constituebatur census.

C. In quo ergo consistit ipsius scrupulus?

P. P. R. consistit in hoc, quòd pro fundando hoc censu nullam pecuniæ summam consignaverim, sed tantùm ex quadam quantitate mihi debita ab una persona in solvendo valdè morosa constituerim censum, quæ se obligavit ad solvendos annuatim proportionatos fructus.

237. C. Juxta Bullam Papæ Pii V.

 non

non licet debita antecedenter contracta reducere ad censum, nec ex redditibus elapsis eumdem augere: utrùm hoc liceat spectato solo Jure naturali, dubitant Doctores; & licèt aliqui id negent, probabiliter alii concedunt, ut habet Bassæus verb. Census num. 12. tom. 2. ita tamen, ut fraudes evitentur, & sit æqualitas inter capitale, & fructus. Et quo patet, ubi Bulla Pii V. non est acceptata, licitum esse secundùm hanc opinionem censum fundatum in debitis pro priori contractis, & quòd Bulla Pii V. in Hispania non fuerit recepta, affirmat Machadus eod. tract. 3. docum. 3. n. 2. & licèt recepta fuisset, ait Megala apud Dianam part. 1. tract. 8. resol. 43. quòd cùm dispositiones ejusdem Bullæ fundentur in præsumptione fraudis, hac cessante validus erit in foro conscientiæ talis census super præcedentibus debitis constitutus, quamvis conditiones à Bulla taxatæ non observentur. Qui videre optat conditiones pro censibus à Pio V. in sua Bulla præscriptas, consulat Summam Rodriquez verb. census cap. 87. Villalobos tom. 2. tract. 23. diffic. 9. & Bassæum verb. census.

Pars VII.

De Contractibus Cambii, & Societatis.

138. CAmbium rigorosè sumptum est permutatio pecuniæ pro pecunia, per quod hic contractus differt ab aliis, in quibus non traditur pecunia pro pecunia, sed vel merces, seu res vendibiles pro pecunia, ut in venditionibus, aut alicujus rei usus, ut in commodato, Precario, & sic de reliquis. Dividitur Cambium in Manuale, vel minutum, & locale, vel per litteras. Cambium manuale, vel minutum dicitur, quo pecunia unius speciei vel materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ, vel materiæ, utpote major cum minori, vetus cum nova, patria cum extera, aurea cum argentea; & dicitur cambium manuale, quia de manu ad manum eodem tempore perfici solet; minutum verò dicitur, quia plerumque pecuniæ majores cum minutioribus commutantur. Cambium locale, seu per litteras dicitur, quo commutatur pecunia præsens in uno loco cum pecunia absente, & distante in alio loco; & dicitur cambium per litteras, quia plerumque litteræ dantur, quibus mandatur correspondenti, ut in alio loco pecuniam solvat, vel recipiat. Dividitur etiam cambium in reale, & siccum: Cambium reale dicitur, cùm re ipsa una pecunia cum alia quoad rem, vel locum commutatur; ut aurea cum argentea, præsens cum absente, idque ita, ut subsit justus titulus aliquid inde lucrandi, & hoc vel est manuale, vel locale, de quibus paulò antè diximus. Cambium siccum dicitur, quo pecunia pro pecunia datur absque ulla alteratione rei, loci, vel circumstantiarum; adeò, ut absit om-

omnis justus titulus lucri, vel auctarii inde capiendi: v. g. Si numeretur pecunia Græcii, ut restituatur Viennæ cambiali cum incremento consueto ad illum locum, sed tamen fictè, quia revera numeratur Græcii, & restituitur Græcii; inde autem dicitur siccum, quòd careat vero titulo, & quasi humore fœcundo pariendi justum lucrum; est enim non reipsa, sed apparenter tantùm cambium, re ipsa autem est verum, & merum mutuum, indéque sumptum lucrum vera, & mera usura. Porrò is, à quo petitur cambium, ut scilicet pecuniam permutet, dicitur campsor, seu cambista; is verò, qui cambium petit, & ad cujus petitionem alter pecuniam commutat, dicitur campsarius

139. P. P. R. me accuso, quòd fungens interdum munere campsoris, aliquam pecuniam mihi comparaverim.

C. Fuítne hoc lucrum ex cambiis siccis? hæc enim sunt illicita, & usuraria, tum ex declaratione Bullæ Papæ Pii V. in qua damnantur, tum ex eo, quòd cambium siccum sit verum mutuum palliatum, & ex mutuo nihil possit accipi ultra sortem.

P. P. R. mea cambia nec sicca, nec realia fuerunt.

C. Fungebatúrne V. D. Telonarii, aut campsoris officio à Rege, aut Republica ipsi collato? Quia in hoc casu, dato, quòd nullum habuerit stipendium à Republica, constat potuisse assequi justum aliquod lucrum correspondens suo labori, ac beneficio inde Reipublicæ evenienti. Ita Villalobos tom. 2. tract. 24. diffic. 2. n. 1.

P. P. R. nec hoc officium exercui.

C. Fortè ex cambiis aliquod lucrum V. D. cessavit, aut damnum aliquod emersit? quia ratione lucri cessantis, aut damni emergentis potuisset exigere aliquam utilitatem tali damno, vel lucro proportionatam; quantum verò ex his titulis possit exigi, & accipi, & quo modo, videatur P. Torrecilla in suis consult. moral. tract. 5. Consf. 1. n. 26. & n. 38. & seq.

P. P. R. nullum lucrum cessans, aut damnum emergens sui expertus ex cambio.

C. Fortè V. D. lucrifecit per traditionem alicujus monetæ falsæ? quia hoc non licet, quamvis V. D. fuisset cum simili moneta ab aliis personis decepta.

P. Moneta à me tradita fuit bona, & ordinaria.

C. Erátne multitudo accipientium, & paucitas tradentium ad cambium? quia sicut aliæ merces pluris valent, & vendi possunt, quando est multitudo emptorum, & penuria mercium; ita moneta in ordine ad cambia pluris valet, quando revera plures sint accipientes ad cambium, & pauci tradentes, ut videri potest in Bonacina disp. 3. de Contract. Q. 5. punct. unc. num. 15.

 P. Nec

P. Nec ratione hujus tituli lucrum percepi.

C. Quo ergo titulo lucrum percepit?

P. P. R. Specialis titulus mei lucri fuit beneficium factum Campsario per traditionem litterarum, eumdem liberando à periculo fortè incurrendo per translationem pecuniæ, & ratione industriæ, qua paratam pecuniam habui in loco, ubi alter eam recepturus erat.

140. C. Campsor licitè potest aliquod lucrum capere ex cambio per litteras, in quo præsentem pecuniam priùs recipit hìc: v. g. Græcii, ut posteà in loco distante v. g. Viennæ, per se ipsum, vel correspondentem suum recipiat alter litteris cambii munitus, qui proinde liberatur ab onere transferendi, ex periculo latronum; hæc enim est industria Campsoris, éstque pretio æstimabilis diligentia, & labor exhibendi pecuniam paratam in loco, ubi alter eâ indiget: & in hoc casu tres contractus includuntur; primus est commutationis pecuniæ pro pecunia; secundus conductionis, industriæ Campsoris pro tali pretio; & tertius assecurationis pecuniæ. Videatur R.P. Torrecilla ubi sup. n. 1. & seq. Hoc idem lucrum possunt exigere etiam alii, qui ex officio non sunt Campsores juxta Villalobos supra diffic. 3. n. 8. dummodò lex aliqua particularis id non vetet.

141. Contractus Societatis *est duorum vel plurium conventio, honestè contracta ad uberiorem quæstum, & lucrum commune.* Dicitur *duorum, vel plurium*, quia duo, tres, quatuor aut plures possunt hunc contractum inire. Dicitur, Conventio, in quo Societas convenit cum aliis pactis, aut conventionibus. Dicitur honestè contracta, per quod indicatur, taliter contrahentes ab omni fraude, deceptione, aut lucro illicito debere esse immunes. Dicitur etiam ad uberiorem quæstum, quia Contractus Societatis, de quo hìc loquimur, non est Societas officiorum, ut illa, quæ vocatur inter fratres, sed quæstuosa, & lucratoria. Additur & lucrum commune, si enim ille tantùm, qui confert sortem, sive capitale: v. g. pecuniam, seu mercem, lucrum acquireret, & alteri cui labor & industria negotiandi incumbit, congruum stipendium solveretur, non esset propriè contractus Societatis, sed locationis, & conductionis.

142. Contractus Societatis potest iniri duobus modis; primò, sic ut omnes socii conferant sortem, sive capitale æqualiter, vel inæqualiter, & singulis quoque labor & industria negotiandi incumbat L. Societates §. Societas ff. eodem pro socio. Secundò, sic ut unus vel plures conferant sortem, & alter, vel alii laborem & industriam negotiandi. Et sæpius fieri solet, quòd labor, vel industria socii plus Societati conferat, quàm pecunia, vel merces, si

si solus ille naviget, solus peregrinetur, pericula subeat solus &c. Et tunc proportionaliter plus vel minus de lucro participare debet; quare singuli socii debent in societatem aliquid conferre, sive conferant pecuniam, seu mercem, sive industriam, qui majorem hujus contractus notitiam habere cupit, legat Bonacinam tom. 2. disp. 3. de contract. q. 6. per totum.

Pars VIII.

De Contractibus Promissionis, Donationis, Emphitheusis, & Feudi.

143. PRomissio: est deliberata, & spontanea fidei obligatio facta alteri de re aliqua bona, & possibili. Dicitur deliberata, quia ratione carentes non possunt promittere. Dicitur spontanea, quia si non est libera, id est à deceptione, & coactione, invalida est. Dicitur, fidei obligatio, per quod differt promissio à proposito, quod non inducit obligationem, sicut promissio. Dicitur alteri facta de re bona, quia promissio de re mala non est licita, nec obligat; hoc autem est discrimen inter promissionem factam homini, & promissionem factam Deo: nam ad promissionem factam homini sufficit, ut res promissa sit licita, & sine peccato fieri possit, & si non sit bona moraliter, sed omninò indifferens, vel minùs bona, aut majoris boni impeditiva, dummodò utilis sit; sic enim semper placet, & grata est homini: At verò ad votum, seu promissionem factam Deo requiritur, ut res promissa de se sit bona moraliter, & quidem melior modô oppositô, atque majoris boni non impeditiva: Deus enim non acceptat tanquam rem sibi gratam illud, quod non spectat ad bonum, seu cultum Dei, aut majus bonum impedit. Additur & possibili, nam impossibilium nulla est obligatio, nec quisquam impossibilia rationabiliter promittere potest. Ut promissio facta homini obliget, necessariò debet esse externa, nimirum vero interno consensu per verba, vel signa externa sufficienter expresso, & insinuato alteri, cui fit promissio, requiritur etiam, ut sit acceptata, ad hoc ut obligationem pariat saltem ex justitia: ratio est, quia ad inducendam obligationem Justitiæ debet promittens transferre Jus in alterum, scilicet promissarium, per quod is habeat potestatem exigendi rem sibi promissam: atqui hoc Jus non potest transferri in alterum, nisi alter illud velit accipere, atque de facto acceptet: ergo &c. Post acceptationem verò, an obliget sub mortali, vel tantùm sub veniali peccato; hoc secundum tenent aliqui Authores. Verior sententia est, quòd si promissio sit de re gravi, obliget sub mortali: id totum tamen pendet ex intentione promittentis. Vide Dianam part. 2. tract. 17. resol. 9. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 5. n. 21. monet, plurimas promissiones excusari à mortali;

tali; quia non intendunt homines se obligare praecisè, & simpliciter, sed quadam benevola honestate, ut jam in proverbium abierit, verba honoris non sunt obligatoria.

144. Donatio breviter ab aliquibus definitur, quòd sit datio liberalis, ab aliis fusiùs, quòd sit liberalis, & irrevocabilis rei propriae dominii translatio. Dicitur liberalis, quo convenit cum promissione, & differt à mutuo, venditione, & aliis contractibus onerosis. Dicitur & irrevocabilis, quia completa donatione per traditionem rei, sicut transfertur hujus dominium, ita non potest ampliùs revocari. Dicitur rei propriae, quia nullus donare potest, quod suum non est. Donatio una est inter vivos; alia causa mortis: donatio inter vivos dicitur, qua res donatur à vivẽte viventi transferendo rei dominiũ in donatarium adhuc in vita donantis, animo scilicet, & voluntate, ut res donata fiat statim donatarii acceptantis, nec unquam ad donatorem revertatur. Et talis donatio inter vivos censetur, quoties absolutè aliquid alteri donatur absque ulla conditione, mentione, vel suspicione mortis, aut sine omni simili addito: donatio mortis causa dicitur, quae fit à vivente vivẽti sub conditione mortis securae donantis, si nimirum donans mortuus fuerit, adeóque transfert dominium rei donatae simpliciter primò post mortẽ suam, & nihil prorsus anteà; sic ut ante mortem semper pro libitu revocari possit, sicut omnis ultima voluntas; & talis donatio mortis causa censetur, si donans alteri quidpiã expresse addat post mortem meam. Donatio inter vivos potest esse absoluta, vel conditionata; modalis, vel causalis, ut videre est in Bassaeo tom. 1. verb. donatio num. 1. Potest etiam donatio esse simplex, reciproca, vel remuneratoria: simplex, seu liberalis & merè gratuita dicitur, quae fit seclusa omni prorsus obligatione tam Justitiae, quàm gratitudinis ex parte donantis, adeóque absque omni merito donatarii, sed tota quãta fundatur in liberalitate donantis: reciproca est, quando duae, vel tres vel plures Personae sibi invicem donant, & redonant: remuneratoria seu antidodalis est, quae fit ex aliqua obligatione, non quidem Justitiae, sed gratitudinis ex parte dantis ob merita donatarii, nimirum ad remunerandum beneficium à donatario acceptum. Plura potiùs ad Leges spectantia habet haec materia donationis, quae tanquam minùs necessaria pro Confessariis relinquo, & Lectorem remitto ad alios Authores. Bassaeum verb. Donatio Villalobos tom. 1. tr. 20. & ad alios Summistas.

145. Emphiteusis *est contractus, quo res immobilis conceditur quoad utile dominium alteri cum obligatione solvendi pensionem certis temporibus Domino proprietatis.* Quamvis hic contractus videatur valde similis contractui locationis, & conductionis, in aliquibus

tamen

tamen casibus differt ab ipso, ut constabit ex definitionis explicatione. Dicitur Contractus loco generis, per quod convenit cum aliis contractibus. Dicitur quo res immobilis, per quod differt à conductione, in qua res tam mobiles, quàm immobiles conduci possunt, in Emphitheusi verò tantùm res immobiles. Dicitur conceditur quoad utile dominium, & per hoc differt à permutatione, emptione, venditione, mutuo nimis patenter, in his enim contractibus non tantùm dominium utile, sed plenum transfertur in accipientem; in Emphitheusi autem solùm transfertur dominium utile, dominio directo seu proprietate rei semper apud Dominum proprietarium remanente. Additur cum obligatione solvendi pensionem, per quod differt hic contractus à commodato, & precario, in quibus conceditur usus rei gratuitò; & hæc pensio potest esse vel pecuniaria, vel fructuaria. Quòd si Emphitheuta à tribus annis continuis in Emphitheusi laicâ, & duobus in Emphitheusi Ecclesiastica integram pensionem non solvat, ipso Jure cadit in pœnam commissi, résque caduca fit, ut inde Dominus eum expellere possit, quamvis solutione interpellatus non fuerit, prout statuitur utroque Jure L. 2. Cod. de Jure Emphitheutico: ex c. potuit de locato. Excipe, si nulla culpa Emphitheutæ intercesserit; quia ubi culpa non est, neque pœna commissi locum habere debet. Emphitheusis alia dicitur temporalis, quæ conceditur ad certum tempus, sed longum; scilicet decennium, vicennium: alia vitalitia, quæ conceditur ad dies vitæ: alia hæreditaria vel in perpetuum, vel ad certas tantùm generationes, vel masculinas tantùm, vel etiam fœmininas.

146. Feudum *est contractus, quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile pro fidelitate, servitióque personali exhibendo Domino proprietatis.* Per primas particulas numero præcedenti explicatas convenit cum Emphitheusi; per posteriores verò differt, quia in Emphitheusi debetur annua pensio realis pecuniaria, vel fructuaria, eâmque Emphitheuta etiam non requisitus solvere tenetur, eáque statuto tempore non soluta cadit in commissum: in Feudo autem solùm est obligatio obsequii personalis exhibendi à feudatario, seu vasallo suo Domino, ídque modo licito, maximè in bello justo suscepto à Domino, atque ejusmodi obsequia eo ipso, quòd personalia sint, positivè non tenetur præstare Vasallus, nisi à Domino requisitus. Vide lib. 2. Feud. tit. 6. & 7. neque ob quodvis negatum obsequium amittitur, seu caducum fit feudum, sed ob causam magnæ ingratitudinis, irreverentiæ, infidelitatis, hostilitatis, injuriæ, vel damni illati Domino in bonis vitæ, famæ, vel fortunæ.

Pars IX.

De Custodibus Portarum, aut Portuum.

147. P. P. R. me accuso, quòd in quadam occasione cum aliqua merce absque solutione vectigalium teloniũ pertransiverim.

C. V. D. obviavítne custodibus, aut officialibus vectigalium?

P. Ita P. R.

C. Convenítne cum ipsis, ad hoc, ut mercis transitum liberum permitterent?

P. Ita P. R. pro quatuor Imperialibus dono datis pacificum transitum obtinui.

C. Suaserúntne V. D. ipsimet custodes, ut aliquid eis largiretur pro ejusmodi transitus permissione, aut V. D. eosdem rogavit oblatione quatuor Imperialium?

P. Ego ipsemet rogavi, ut dissimularent, offerendo eis hanc pecuniam.

C. Pro resolutione hujus casus suppono primò inter custodes, & inter conducentes vectigalia Regia ordinariè iniri contractum conductionis & locationis, vi cujus prædicti custodes se obligant ad fidelem, & diligentem portuum custodiam; quod fuit motivum agendi de hac materia inter cæteros contractus. Suppono secundò, custodes juramentum deposuisse Principi, aut Reipublicæ de fidelitate præstanda in eorum officio, ut dicit Machadus tom. 2. lib. 2. part. 3. tract. 3. docum. 3. num. 2. Suppono tertiò, quòd inducere personam ad peccandum, sit peccatum scandali, ut docet communis Doctorum.

Hoc supposito V. D. graviter peccavit inducendo custodes ad secum dissimulandum. Et ratio est; quia per hoc custodes peccarunt graviter contra juramentum de fidelitate in officio præstando exhibitum: ergo etiam V. D. eos inducendo graviter deliquit.

148. Aliud esset, si ipsimet custodes sponte se obtulissent ad id silentio prætereundem; in hoc enim casu culpa vacaret traditio illius pecuniæ, & ob eorum malitiam beneficium sibi præstitum. Hoc evidenter infero ex doctrina D. Thom. Valentiæ, Suarez, & quos citat, & sequitur R. P. Aloysius de Saragoza in tract. 21. de Sacr. in genere disp. 5. sect. 4. n. 36. ubi docet licere à Ministro exposito, & parato petere administrationem Sacramentorum, quamvis indignè sit administraturus; juxta quam doctrinam pono syllogismum: In hoc casu notum est pœnitenti Ministrum graviter peccaturum administrando Sacramẽtum cum conscientia peccati mortalis: & hoc non obstante potest licitè petere, ut administret, quia ad id est paratus: atqui quando custos convenit cum viatore de dissimulando, est dispositus, & paratus ad peccandum: ergo licitè poterit uti occasione oblata in propriam utilitatem.

149. Ratio ulterior est; quia non committit peccatum scandali ille, qui dicit, aut facit aliquid coram personis jam determinatis ad idem malum auditum, vel visum, ut dictum est supr. tract. 5. cap. 7. n. 58. & cum D. Th. Suarez & aliis sentit Joan. Sanchez in select. disp. 46. num. 11. Diana p. 5. tract. 7 resol. 3. & Bassæus verb. scandalum num. 7. Ergo cùm custodes sint determinati ad silendum, & ipsimet ad hoc se se offerant, non erit peccatum eorum silentio uti.

150. Contrà Ille, qui accedit ad mulierem jam dispositam ad peccandum, & ab eadem solicitatus, non ideò non peccat cooperando ipsius peccato: ergo quamvis custos sit dispositus ad tacendum, & se se offerat, non propterea non erit peccatum cooperari transgressioni juramenti ab eodem præstiti. Respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam; disparitas evidens est; quia accedere ad mulierem per se est peccatum; sed advehere, seu transferre occultè merces non est per se peccatum: & hac ratione peccat ille, qui accedit ad mulierem expositam, non verò ille, qui utitur silentio custodis invitantis, & offerentis liberum transitum suarum mercium. Deinde, ille, qui accedit ad mulierem expositam ab eadem solicitatus non committit peccatum scandali; quia non inducit, sed inducitur: sed sic est, quòd totum peccatum à viatore in nostro casu patrandum esset scandali activi in custodem: ergo cùm hic ipsemet jam dispositus, & determinatus solicitaverit viatorem (ut supponitur) nullum erit in nostro casu peccatum.

151. Si quis verò instaret, dicendo, disparitatem esse inter casum custodum, & alterum petendi administrationem Sacramentorum à Ministro exposito, quem scitur indignè administraturum; quia à Ministro exigitur res, quæ absolutè benè, & licitè administrari potest, licèt ex sua malitia contrarium contingat; Custos verò nullo modo potest licitè dissimulare cum viatore absque violatione juramenti præstiti. Respondeo, quòd licèt verum sit disparitatem esse inter prædictos casus, est tamen differentia etiam inter petere, ut fiat res mala, & uti malitiâ alterius in propriam utilitatem absque aliqua suasione ad malum: Fateor illicitum esse petere aut inducere aliquem, licèt perfectè dispositum, & determinatum ad rem intrinsecè malam, & quæ nullo modo licitè fieri potest: (quidquid aliqui opinentur, quibus non assentior) in nostro tamen casu nec petitur, nec inducitur custos ad violandum juramentum; quin potiùs ipse est, qui inducit, qui petit, & solicitat.

152. Bassæus quoque verb. custos num. 2. excusat à peccato custodes sylvarum, fluminum, & montium (sic pariter rationari licet de aliis custodibus, qui dissimulant) tribus conditio-

nibus concurrentibus : prima eſt , quòd cuſtos ſciat defraudantem neceſſitate ductum id agere : ſecunda , quòd neceſſitas ſit extrema, vel quaſi extrema : & tertia, quòd ultra requiſita ad arcendam hanc neceſſitatem non permittat accipere.

Hæc opinio, ſi neceſſitas ſit extrema, eſt probabilis; quia in neceſſitate extrema non eſt rationabiliter invitus Dominus vectigalium, aut ſylvarum; nec juramentum requiſitum à cuſtode ad hoc rationabiliter ſe extendit ; ſi autem neceſſitas tantùm eſſet gravis , hæc opinio non poteſt practicari, cùm ſit expreſsè contra declarationem Innocentii XI. in Propoſitione 36. damnata, ex quo infertur in dicto caſu cuſtodem non peccare diſſimulando, nec viatorem peccaturum ad id inducendo, quia ad rem peccaminoſam eum non induceret.

153. Quoad injuſtitiam, quam V. D. potuit inferre Telonio , pro nunc non loquor, quia in hac materia unusquisque in ſuo ſenſu abundat : det mihi campum examinandi maturiùs, & accuratiùs caſum, & poſteà reſolvam (ſic debet ſe gerere Confeſſarius , quando proponitur ipſi aliquis caſus arduus in materia Juſtitiæ, ne ſe exponat periculo damnificandi unam, vel alterutram partem, nec procedere ad deciſionem ſtante pede more aliquorum, qui tanquam Rotæ ſententiam exiſtimant , quidquid debile eorum judicium ipſis ſuggerit.) In hac materia Teloniorum videatur Navarrus in Manuali cap. 17. n. 200. & Baſſæus verb. Gabella, ubi plures alii citantur, qui tractant de hac materia.

154. Et ex opinione horum , aliorúmque Authorum colligi poterit, an obligetur, vel non ad reſtitutionem , quicumque defraudat Telonium: pro nunc ſolùm dico Baſſæum affirmativam tenere, ac fateri hanc eſſe communiorem opinionem.

155. An autem cuſtos poſſit ſibi retinere dono datum, vel id teneatur reſtituere viatori donanti? quamvis Baſſæus verb. cuſtos num. 5. ſentiat, quòd cuſtos teneatur reſtituere quantitatem pecuniæ acceptam à viatore, cum quo diſſimulavit, hoc fundamento , quòd donum oblatum à viatore non ſit perfectè voluntarium, ſed mixtum involuntarium, adeóque non poſſit acquirere dominium, quia metus , ex quo procedit donum , minuit perfectum voluntarium ; hoc tamen intelligit, quando cuſtos extorſione , & violentiâ obtinet pecuniam , non quando præ metu accuſationis ipſi datur.

156. Geſta autem per metū gravem communis opinio DD. eſt non irritari, quando contrahens ex metu eſt cauſa ejuſdem metus , ſeu quando metus procedit ab intrinſeco : atqui in præſenti caſu viator fuit cauſa ſui metûs : ergo contractus donationis initus cum cuſtode non obſtante hoc metu erit validus. Minor eſt certa, quia ſi viator manifeſtâſſet ſuas merces , evitâſſet pe-

periculum, & metum proprii damni: ergo si ex eo, quòd non manifestaverit, hunc metum incurrit, sibi ipsi tanquam causæ imputet. Quare opinor, custodem posse retinere pecuniam à viatore ei traditam, eo fine ut sileat; quamvis peccet dissimulando, ac eundem non manifestando.

Et confirmatur: quia licèt contractus ex injusto metu celebratus sit invalidus, non tamen qui ex justo metu: atqui metus, qui est causa hujus contractus donationis est justus, justè enim possunt, & etiam debent custodes accusare transeuntes sine manifestatione mercium: ergo hic contractus donationis est validus, & dominium ex dante transfertur in datarium.

157. Confirmatur secundò ex doctrina Bonacinæ de Contract. disp. 3. Q. 1. punct. 2. n. 12. asserentis, quòd promissio à Cajo facta Titio ex metu justo accusationis per hunc deferendæ sit valida: atqui custodes possunt justè accusare fraudantes vectigalia: ergo promissio, & donatio facta custodibus non obstante hoc metu erit valida.

158. Hoc idem demùm expressè sentit Villalobos in Sum. 2. part. tract. 11. diffic. 9. num. 9. his verbis. Custos, aut publicus Minister, qui pecuniam percepit, ut in prædictis dissimularet, & defacto dissimulavit, licèt peccaverit, non obligatur ad restitutionem &c. Machadus etiam ubi sup. num. 5. sic habet, probabiliùs tamen est, quòd in foro interno non obligentur custodes ad restitutionem lucri comparati in dissimulando, usquedum in foro externo per sententiam declaratoriam Judicis condemnentur; excepto, si custos violentâ extorsione tale lucrum obtinuisset, tunc enim licitè id retinere non posset, ut dicit Bassæus suprà.

159. Certum in hac materia est, quòd custodes teneantur restituere, aut Reipublicæ, aut solventibus sibi salarium, lucrum illius diei, in qua fidelitatem non observant. Murcia ubi sup. num. 4. quia servus, aut Mercenarius, sui laboris mercedem non potest accipere, si pro suo Domino non laborat: Custos est velut mercenarius, ergo illa die, qua non laborat in beneficium conductoris, non poterit mercedem talis diei recipere.

160. Aliqui parùm versati in Theologia morali de doctrina relata dubium aliquod conceperunt, alii nimis latam, alii nimis arctam judicarunt, asserendo, nimiùm esse scrupulosam opinionem peccare mortaliter viatorem, qui retraheret custodem à sui accusatione. Certissimum tamen, & evidens est, hoc in dubium ferri non posse; quia nemo dubitat, quòd custodes graviter peccent contra præstitum juramentum dissimulando cum viatore; prout ait R. P. Leander de Murcia tom. 1. disq. lib. 2. resol. 20. n. 4. his verbis: *Peccant mortaliter, quia violant juramentum præstitum de fideli-*

 ter

ter custodiendo. Idem dicit Villalobos part. 2. tract. 11. diffic. 9. num. 1. his verbis: *Custodes, & Ministri publici, qui non funguntur suo officio, prout debent, permissivè se habendo ad damna, aut ad transitum mercium vetitarum, vel similium, graviter peccant.* Idem affirmat A. R. P. Martinus de Torrecilla in suis consult. moral. tract. 5. consult. 3. n. 12. fol. 304. secundæ impress. Et in hoc conveniunt DD. Neque dubitandum est, mortale esse peccatum inducere proximum ad graviter peccandum, ut omnes Theologi in tractatu de scandalo docent; & loquendo in terminis de custodibus id affirmat Bonacina de restit. disp. 1. Q. 2. punct. 11. num. 12. ubi dicit; Inducens alium ad peccatum est reus peccati, ad quod inducit: ergo non est res dubia, peccare mortaliter eum, qui inducit custodes ad dissimulandum.

Pars X.

De Ludo.

161. Ludus *est Contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit.* Dicitur Contractus tanquam ratio generica, in qua ludus convenit cum aliis contractibus. Ludus per se, & ex natura sua actio mala non est, sed indifferens, si suscipiatur ob competentem, & honestam animi oblectationem, quamvis soleat tempus, quod pretio æstimari non possit, malè absumi, & fieri cum detrimento filiorum, conjugis, familiæ, &c. Præter alias pessimas consequentias ipsi annexas, ut experientia quotidie docet. De aliquibus spectantibus ad hanc materiam Ludi dicam in 2. parte hujus Praxis tract. 12. c. 2. n. 43. & seqq. ubi discutiam, quænam bona ab Ecclesiasticis ludo exponi possint, & in tract. 14. cap. 2. num. 11. Ubi patebit, an liceat Religiosis pecuniam ludo exponere. Hic tangam id, quod magis practicè in hac materia solet contingere.

162. P. P. R. me accuso de vitio multùm ludendi.

C. V. D. luditne ex habitu contracto, & velut consuetudinariè, vel verò semel, aut iterum recreationis gratiâ, vel ludo valde periculoso se exponit?

P. P. R. soleo ludere in ludo satis largo, & parùm periculoso.

C. Quamvis ludus intrinsecè non sit malus, ordinariè tamen est peccatum ex accessoriis, & ipsi annexis, ut paulò antè dixi; & per sequentes interrogationes frequentiora resolvam.

163. Solebátne V. D. admiscere fraudes contra leges ludi?

P. P. R. Interdum solebam provocare audacter, & fictè collusorem, ad hoc, ut putaret, vel sibi suaderet meliorem lusum me habere.

C. Hoc licitum est, quia dantur aliquæ fraudes justæ, & licitæ, quæ scilicet secundùm leges ludi illius communiter permittuntur: ut simulare metum, & provocare adversarium

ad audacius spondendum, aut si deteriores chartas habens de victoria desperans simulet audaciam, & sponsionem augeat, ut alter deterritus lusum, & lucrum ipsi cedat, quæ, & similes deceptiones licitæ sunt, Lugo, & alii cum Diana part. 2. tract. 9. resol. 43. Aliæ verò sunt fraudes injustæ, & illicitæ, quæque in tali genere ludi à nullo honesto fiunt, & tolerantur: ut chartas notare, abscondere, permutare, plura puncta signare, decipere in numerandis calculis, aleas falsificare, ex industria alterius chartas inspicere, ludere tertio quodam admonente de sorte adversarii &c. Villalobos cum aliis part. 2 tract. 28. diffic. 4. n. 6. hujusmodi fraudibus contra leges ludi utens peccat, & lucrum restituere tenetur non solùm illud, quod ipse mediante tali fraude de facto lucratus est, sed etiam illud, quod victus certò lucraturus fuisset, si fraus victoris non obstitisset. Lucrum verò, quod collusor victus casu, & fortuitò præcisis his fraudibus acquisivisset, non tenetur victor restituere, cùm hoc lucrum sit incertum, & dubium, & in dubiis melior est conditio possidentis. Cùm ergo utens his fraudibus sit in possessione suæ pecuniæ non perditæ, non tenetur ad hujus restitutionem.

164. Mihi dicat V. D. coëgítne aliquem ad secum ludendum?

P. Unicum tantùm, qui ab initio sponte incepit mecum ludere, postmodùm verò obtento lucro aliquorū regalium à ludo cessare intendebat, eúmque ad continuandum lusum compuli.

C. V. D. peccavit contra justitiam, quia compellere, & cogere aliquam personam ad agendum id, ad quod nō obligatur, est peccatum contra justitiam: Collusor nec ad incipiendum, nec ad continuandum lusum obligabatur, licèt fuerit lucratus: ergo V. D. peccavit contra justitiam cogendo, & compellendo ipsum ad continuationem lusûs.

165. Dicat mihi V. D. fuítne lucrata postmodùm ab illa persona aliquam pecuniam?

P. Ita P. R. aliquot regales fui lucratus.

C. Secundùm opinionem Soti lib. 4. de Justit. Q. 5. art. 2. Castri de leg. pœnal. cap. 2. concl. 3. Sanchez lib. 4. de Matrim. disp. 10. num. 4. Et aliorum debet V. D. restituere hoc lucrum personæ violenter compulsæ ad ludendum; quia hæc violentia causat involuntarium mixtum, adeóque V. D. non potest acquirere dominium hujus lucri.

166. Sequendo tamen id, quod suprà dixi de Custodibus quo ad voluntarium mixtum, nunc pariter dico, quòd in opinione probabili V. D. non obligetur ad restitutionem hujus postremi lucri. Ita Molina de restit. tract. 2 disp. 516. num. 2. Et alii, quam opinionem ut probabilem tenet Lessius

lib.

lib. 2. de Justit. cap. 26. dub. num. 9. Et ratio est; Quia (præscindendo modò à ratione voluntarii mixti) hic contractus ludi non obstante violentia fuit validus; ergo vi hujus contractus potuit acquirere dominium lucri. Consequentia est legitima: antecedens probo: quia si persona ad lusum compulsa lucrata fuisset, secundùm omnes acquisivisset dominium ejusmodi lucri sine onere restitutionis: atqui si contractus ludi inceptus, aut per vim continuatus esset invalidus, non posset persona dominium lucri acquirere: ergo contractus non obstante violentia fuit validus.

167. P.P.R. sæpè etiam lusi creditâ pecuniâ, nec semper solvi, quod in similibus ludis perdidi.

C. Lusitne V.D. creditò ludo prohibito: v.g. aleis &c.

P. Ita P.R. Quando perdidi ludendo creditò, ludo prohibito lusi.

C. Interfuitne juramentum ex utraque parte solvendi, quidquid alterutra perdidisset?

P. Ita P.R.

C. Primò probabile est, non esse grave peccatum per se loquendo ludere ludo legibus prohibitò secluso scandalo, & contemptu, alióve malo accidentali: Navarrus cap. 20. n. 11. quia est lex tantùm pœnalis id prohibens, & leges pœnales probabiliter non obligant in foro conscientiæ.

Neque est obligatio solvendi id, quod creditò amissum est ludo prohibito: Lessius lib. 2. de restit. cap. 26. dub. 4. num. 4. Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 23. n. 144. Et alii; Cui enim datur actio ad repetendum solutum, datur etiam ad non solvendum: Quia qui ad agendum admittitur, est multò magis ad excipiendum admittendus, cap. qui ad agend. de regul. jur. in 6. Atqui in ludo prohibito datur actio ad repetendum solutum: ergo etiam dabitur ad non solvendum amissum.

168. Citati DD. limitant hanc opinionem, dicendo, quòd accedente juramento solvendi, quidquid perditur ludo prohibito, maneat naturaliter obligatio ad solvendum; quia juramentū de re non mala obligat ad ejus adimpletionem: juramentum solvendi, quod perditur ludo prohibito, est de re non mala: ergo obligat ad ejus adimpletionem. Sed sicut hoc juramentum non confirmat contractum ludi prohibiti, sic momentanea solutione adimpletur: post quam solutionem V.D. habet actionem ad repetendum in judicio solutum: id constat ex cap. quamvis, de pactis, idem tenet Bassæus. Verb. ludus, in suppl. n. 12. §. Sed quid, vel ut ait Diana part. 7. tract. 9. resol. 26. Salas, tract. de ludo dub. 26. n. 8. ante solutionem potest V.D. ab Episcopo petere dispensationem à juramento, qua posita cessat obligatio solvendi ludo prohibito creditò perditum.

169.

169. C. Solebátne V.D. ordinariè perdere in luſu?

P. Ita P.R.

C. Hoc eſt valde commune ludentibus, & hac ratione illi, qui frequentant luſum exponendo magnam quantitatem pecuniæ, ut plurimũ graviter peccant, súntque in malo ſtatu, & abſolutionis incapaces, niſi ab hoc vitio abſtinere conentur. Villal. p. 2. tr. 28. diffic. 5. n. 18.

Quamvis autem idem Villal. loco citato diffic. 1. num. 6. Filliucius tom. 1. tract. 27. num. 6. Bonacina, & Hurtadus excuſent à peccato gravi eos, qui in propriis laribus chartas, lumina &c. colluſoribus ſubminiſtrant, opinio tamen tuta, & communis ſimiles condemnat peccati mortalis: ergo à fortiori debent condemnari, qui diu, & nimium temporis in luſu abſumunt, ac notabilem quantitatem eidem exponunt. Conſequentiam probo; quia exhibere, ac propriam domum concedere colluſoribus, eſt rem ex ſua natura indifferentem ſubminiſtrare: illi verò, qui experientiâ docti notabiliter perdunt in luſu, exercent rem malam, & peccaminoſam: ergo ſi peccant concedentes domum, quantò magis colluſores abutentes luſu.

170. P.P.R. me accuſo, quòd frequenter luſerim cum Filiis familias, & poſtmodùm habui ſcrupulum, an pecunia ab ipſis ludo expoſita fuerit furto ablata Parentibus.

C. Non eſt dubium, quòd ſcienter ludere cum Filiis familias non potentibus alienare, & carentibus peculio proprio, animo retinendi lucrum, ſit grave peccatum; quia, ſicut Filius non poteſt transferre dominium pecuniæ furtivæ, ſic neque poteſt aliquis id acquirere, & conſequenter omne lucrum tenetur eorundem Parentibus reſtituere. Dantur tamen aliqua bona ſub dominio Filiorum familias, quorum ſi jacturam faciant, nullum gravamen inferunt Parentibus, & à lucrantibus retineri poſſunt. In ſequenti capite diſſeram de bonis, quæ validè à Filiis familias alienari poſſunt.

171. Pro Coronide hujus materiæ contractuum, ac hujus decimæ partis, in qua dictum eſt de ludo, qui eſt contractus à fortuna, & caſu potiùs, quàm ab arte, & induſtria dependens, operæ pretium duxi de aliis etiam contractibus, qui fortunâ reguntur, breviter agere, nempe de Aſſecuratione, Sponſione, & Sortibus. Aſſecuratio ergo eſt contractus, quo alienæ rei periculum ſuſcipitur pro pretio aliquo: diſcrimen Aſſecurationis è fidejuſſione eſt, quòd fidejuſſio ſolùm in debitis ex contractu locum habeat, ut ſi non ſolvat debitor, ſolvat fidejuſſor, adeóque eſt obligatio acceſſoria, & non principalis; Aſſecuratio verò eſt obligatio principalis, & reſpectu cujuſcumque rei, etiam vitæ alienæ, & aſſecurator non adhibetur acceſſoriè in ſubſidium contractus, ſed ut principalis in abſolutam ſecuritatem. Ut

autem hic contractus assecurationis sit licitus, requiritur primò, ut qui assecurat, habeat bona, quibus totius rei assecuratæ compensationem facere possit, si ea tota pereat, vel partis, si pars pereat; unde qui nulla habet bona, nec habere sperat, assecurare non potest. Secundò, ut sit æqualitas inter pretium, & pericula rei assecurandæ, quod pretium justum certè vel Lex, vel usus communis, vel expertus vir determinabit. Tertiò, ut assecuratio sit libera, & non coacta. Quartò, ut assecurator ignorans admoneatur de periculis rei, ut si hæc perpendat, an velit assecurare, & quantum possit petere pro gravamine, quod subit. Quintò, ut res assecuranda existat, & quidem cum periculo, alioquin quid assecurabitur? Unde si Titius petat à Cajo assecurationem certò sciens rem v. g. navim, vel merces jam periisse, invalida erit assecuratio Cajo de navi, vel mercibus, neque Titius à Cajo exigere, vel recipere poterit ejus rei compensationem; quia revera Cajus nihil assecuravit.

172. Sponsio *est contractus, quo in re dubia unus pro una parte, alius pro alia spondent, ut is lucretur, qui eventum, vel rei veritatem attigerit.* Ubi specialiter notanda est particula quo in re dubia, si quis enim esset certus de rei veritate, non posset spondere, nec pretium depositum lucrari, & retinere, nisi manifestata priùs sua certitudine, alter tamen nihilominus contendere, ac deponere velit, asserendo, æqualiter esse certum de ejusdem rei veritate; tunc enim licitè spondere, & pretium depositum lucrari poterit; Et licèt aliqui Authores reprobent hunc Contractum, ab aliis tamen pluribus communiter approbatur, ut videre est in Machado tom. 1. lib. 3. part. 5. tr. 7. doc. 3. num. 2. & addit in num. 3. licitum esse excessum voluntarium in re sponsa, vel deposita, ut quando unus ex spondentibus plus in minus liberè spondet.

173. Contractus sortium est similis contractui Sponsionis, & ex sua natura licitus est, dummodò servetur æqualitas, & nulla res superstitiosa, aut ars diabolica interveniat, in qua sit pactum explicitum, aut implicitum cum dæmone: de hoc sufficienter actum est in tract. 1. cap. 4. num. 26. & seq.

Cùm in præsentis quinti capitis partibus materiam contractuum discusserim, pro complemento doctrinæ, ac notitiæ pertinentis ad septimum præceptum restat adhuc loqui de furtis, quæ particulares aliquæ personæ solent committere in sequentibus capitibus examinanda; injustitias verò, quas aliqui in suis Ministeriis committere solent, reservo mihi pro tractatu 15. & 16. 2. partis hujus praxis.

CAPUT VI.

De Bonis Filiorum Familias, & de eorum Furtis.

174. P.P.R. Confiteor, quòd adhuc sub potestate parentis mei constitutus solebam interdum aliquem regalem ipsi accipere.

C. Fortè quantitas ablata fuit notabilis?

P. P. R. Frequenter in hoc deliqui; quare puto quantitatem ascendere centum Ducatos.

C. Quod accepit, fuitne pro honesta, & juxta suum statum recreatione capienda?

P.P.R. Quidquid accepi, fuit sæpè in hunc finem, & postmodùm in rebus illicitis, & profanis totum id consumpsi; fateor pariter, quòd excesserim in accipiendo plus, quàm decentia mei status requireret.

C. Non esset furtum, si filius accipiat ex bonis Patris id, quod ipsi est necessarium pro honesta recreatione juxta conditionem sui statûs, & juxta id, quod alii paris gradus, & dignitatis rationabiliter expendunt; quia ad furtum requiritur, ut Pater sit rationabiliter invitus; quòd filius accipiat sibi necessaria pro honesta recreatione, Pater non est rationabiliter invitus: ergo taliter accipere non est furtum. Lessius lib. 2. de Justit. cap. 12. dub. 14. n. 26. & alii.

175. Neque peccavit V.D. contra justitiam expendendo in profanos, & illicitos usus illam quantitatem à Patre rationabiliter concessam pro honestis usibus. Fagundez in 7. Decalog. lib. 7. cap. 3. n. 4. quia non expendit hanc pecuniam contra voluntatem Patris quoad substantiam, sed tantùm quoad modum: Quando Dominus non est rationabiliter invitus quoad substantiam, licèt sit quoad modum, non est peccatum contra justitiam: ergo V. D. non peccavit contra justitiam expendendo in illicitos usus hanc pecuniam. Peccavit tamen peccato prodigalitatis oppositæ virtuti moderationis, quæ virtus inclinat ad expendendam cum moderamine pecuniam.

Quando autem V.D. accepit aliquid plus, quàm Pater rationabiliter concessisset, vel debuisset concedere pro honestis usibus, peccavit contra justitiam cum onere restitutionis.

176. Quare mihi dicat, quæ quantitas sit ablata excedens quantitatem requisitam ad suas honestas recreationes capiendas?

P. P.R. erit quantitas quinquaginta ducatorum.

C. Et hanc quantitatem surripuitne simul, vel successivè?

P. P. R. modò duos, modò quatuor, & hoc modo hanc summam surripui.

C. Communiter requiritur major quantitas ad peccatum mortale furti respectu Filiorum familias, quàm requiritur ad peccatum mortale respectu extraneorum. Ego judico duplo majorem requiri: v. g. si ab extraneo

valde divite auferre quatuor non sit materia gravis, nec erit talis auferre octo à Patre æqualiter divite: hoc infero ex doctrina Bassæi verb. Furtum. 2. num. 1. & Caspensis tract. 18. disp. 5. sect. 1. n. 57. qui cum Lessio docet, quòd auferre octo à Patre mediocriter divite non sit peccatum grave: atqui conveniunt unanimiter DD. quòd auferre quatuor ab extraneo mediocriter divite sit materia gravis: ergo duplô major quantitas requiritur ad hoc, ut furtum filiorum factum parentibus sit grave peccatum.

177. Prætereà quando quantitas aufertur non tota simul, sed per furta minuta, requiritur pariter duplô major quantitas, ut materia sit gravis, etiam respectu extraneorum, ita Diana prima part. tract. 6. resol. 347. Ex quo infertur quadruplô majorem quantitatem requiri, ad hoc ut filius minutuatim auferens à Patre dicatur graviter peccare: v. g. si auferre ab extraneo simul, & semel quatuor regales sit peccatum mortale; ut hoc committat filius auferens à Patre æqualiter divite, requiruntur octo regales; si verò per furta minuta accipit, sexdecim requiruntur. Et quia V. D. excessit hanc quantitatem, ideò gravem materiam constituit.

178. Dicat mihi, hæc quantitas à V. D. in domo sui Patris ablata fuítne ex bonis suis castrensibus, vel quasi castrensibus?

P. P. R. nescio, quænam bona sint hæc castrensia.

C. Bona castrensia dicuntur illa, quæ filius ratione militiæ acquirit, sive mobilia sint, sive immobilia, ut stipendia militiæ, prædæ ex hostibus, donationes Ducum, commilitonum, legata ratione militiæ data à Parentibus filio eunti ad bellum vel obsequium Principis, denique omnia lucra, quæ ex talibus bonis mediante fructu, vel contractu proveniunt. Bona quasi castrensia dicuntur, quæ, licèt ratione militiæ acquisita non sint, gaudent tamen privilegio castrensium, eò quòd acquirantur medio etiam ordinato ad bonum commune, utpote illa, quæ filius acquirit ex quocunque officio publico, quod stipendium publicum habet L. 7. cùm multo. c. de bonis, quæ liberis. utpote Advocati, Medici, Consiliarii, Professores Theologiæ, Juris, Medicinæ, aut unius ex artibus liberalibus non mechanicis. Item quæ filius clericus acquirit ex beneficio, vel officio ecclesiastico, vel ex donatione Principis, & quidquid datur expressè filio, ut sint quasi castrensia, quæ non possunt legitimè fieri, nisi à Principe, vel Domino Superiore tam Patris, quàm filii.

Bonorum Castrensium, vel quasi castrensium filius familias plenum, & perfectum dominium habet, ita ut eorum dominium directum, seu proprietas, dominium utile, ac ipsa administratio ad ipsum filium pleno Jure spectat independenter à Parente; adeó-

adeóque de ipsis (nisi ætate, vel lege impediatur) liberè possit disponere donando, ludendo, contrahendo &c. absque violatione justitiæ.

179. P. P. R. ex hoc genere bonorum nihil possedi, solùm vineam habui à fratre meæ Matris mihi relictam, & aliam partem, quam pariter frater mei Parentis mihi reliquit.

C. Pars relicta à fratre Parentis fuitne intuitu Parentis?

P. Ita P. R. ex singulari affectu, quem habuit erga Patrem, hoc beneficium percepi.

C. Et Vinea relicta à fratre matris fuitne quoque relicta intuitu ipsius matris?

P. Ita P. R. ipsamet enim rogavit fratrem, qui utpotè valde ei affectus consensit in hoc legatum.

C. Pars vineæ relicta ipsi à fratre Parentis reputatur inter bona profectitia, ita ut, quæ à filio acquiruntur, sive ex testamento, donatione aut amicitia aliàs non danda nisi intuitu Patris, vocentur bona profectitia, quorum Pater habet dominium directum, & utile, ac usûsfructum, & hæc bona profectitia filii, hoc constat ex textu Civili, & Petro de Navarra lib. 3. de rest. cap. 1. n. 34. Sylvester Verb. peculium Q. 3.

180. Vinea à fratre Matris V. D. relicta reputatur inter bona adventitia, ita ut, quidquid filius acquirit intuitu Matris, dicatur bonum adventitium, cujus filius habet dominium proprietatis, & Pater dominium utile; defuncto autem Patre dominium cedit filio. Ex quo infertur, quòd peccet filius cum onere restitutionis, si ex bonis profectitiis accipiat Patri; quia ejusmodi bonorum filius nullum dominium habet.

181. Infertur etiam, quòd si vivente Patre filius accipiat, aut expendat bona adventitia, peccet, & teneatur ad restitutionem non proprietatis, quia hæc sua est, sed usûsfructûs à Patre ex eisdem bonis capiendi: v. g. hæc vinea V. D. à fratre suæ Matris tradita, & quæ connumeratur inter bona adventitia, supposito, quòd annuatim duodecim mensuras vini fructificaret, & quælibet mensura quadraginta regalibus venderetur, V. D. teneretur restituere Patri æquivalens duodecim mensuris vini (deductis expensis à patre in cultura vineæ faciendis) si verò V. D. venderet, aut vineam destrueret, non obligaretur ad restitutionem pretii proprietatis vineæ, quia hæc spectat ad filium.

Cùm igitur V. D. non habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, non potuit accipere Patri hos quinquaginta Ducatos, adeóque tenetur eos restituere, nisi ex principiis sequentibus patiatur excusationem.

182. Dicat mihi, si V. D. rogâsset Patrem pro condonatione, indulsissétne?

P. Ita P. R.; quia singulari affectu semper me prosecutus est.

 C. Quam-

C. Quamvis Lex Civilis communiter irritet donationem factam à Patre filio inter vivos; mortuo tamen Patre dicta donatio confirmatur, si ejus summa non excedat id, quod Leges municipales sanciunt. In Regno Navarræ minor est difficultas propter libertatem testandi, cùm bonorum, quæ titulo majoratûs, & primogenituræ non sunt vinculata, possint hæredem instituere quemlibet extraneum, dummodò relinquant filiis congruum, & filiabus sufficientem dotem ad decenter Matrimonium contrahendum. Et cùm V. D. ex affectu speciali Patris erga se de ejus condonatione præsumat, à restitutione 50. Ducatorum liberatur.

Hæc doctrina notanda est Confessariis pro Nepotibus, qui eorum Patruis quædam minima furantur, & minores fratres majoribus, hos enim Patruos, & majores, prudenter præsumitur, habitâ notitiâ fore, condonaturos, nec fuisse quoad substantiam invitos, sed tantùm quoad modum; adeóque similia furta culpam venialem non excedere.

183. Unicam limitationem potest prædicta doctrina pati, quæ per sequentem interrogationem examinabitur. Dicat mihi: ob quinquaginta hos ducatos clàm acceptos, quos V. D. præsumit Patrem ipsi condonaturum, patientúrne detrimentum fratres, aut sorores quoad honestum Matrimonium contrahendum? quia cum detrimento victûs, aut dotis aliorum filiorum non potest pater taliter remittere, aut condonare.

P. P. R. præcisis his 50. Ducatis meis fratribus, & sororibus remansit sufficiens, & congrua dos: ast habeo scrupulum fundatum in hoc, quòd meus Parens in testamento disposuerit, ut de sua substantia omnes filii æqualem partem haberent: debeóne in paritione hæreditatis cum fratribus computare in meam partem quinquaginta Ducatos?

C. Hoc non obstat, quò minùs V. D. possit æqualiter cum fratribus participare de hæreditate, quando probabiliter præsumit, quòd Pater condonaturus esset quinquaginta Ducatos; suppositâ enim hac præsumptâ donatione voluntas Patris esset, ut residuum æqualiter inter suos filios divideretur.

184. Ut majori tamen cautelâ, & securitate procedamus, dicat mihi, scítne V. D. quòd fratres similiter fuerint furati?

P. P. R. pro certo teneo, quòd fratres tantum acceperint, si non plus, quàm ego, quilibet enim surripiebat, quidquid poterat.

C. Si ergo ipsi non computant id, quod abstulerunt, sed æqualiter participant de hæreditate, idem potest V. D. facere. Ita Fagundez in 7. Decalog. lib. 7. cap. 3. n. 6. Res practicata frequenter à filiis familias, quòd alterutri soleant Parentibus eorum furari,

rari, modò frumentum, modò Oleum, modò Vinum, & similia; & quando dividenda est paterna substantia, omnes silent, & pro justa compensatione damni sibi invicem illati nullam mentionem faciunt de rebus promiscuè ablatis. Parentes autem, ut antecedenter dixi, tantùm quoad modum censentur inviti, quando id, quod aufertur, utiliter impendi intenditur.

185. Majori adhuc securitate potest hæc quantitas compensari, quare necessarium est scire, an V. D. inservierit, vel gesserit negotia Patris aliquo tempore.

P. Ita P. R. per quatuor integros annos gessi negotia ipsius, ita, ut meo labore, & industriâ exemerim Parentem ab onere alendi, & solvendi famulum.

C. pro hoc labore, & industria habuitne V.D. aliquam solutionem à Parente?

P. Non P. R. nihil aliud præter alimenta habui.

C. Ex hoc unico ergo titulo posset V. D. retinere hanc summam, quia opinio communis est, quòd filius familias possit exigere à Parente stipendium pro obsequio indebito, quantum daretur extraneo, detractis tamen expensis, quas Pater tunc in illo alendo faciebat; addunt aliqui, ad hoc requiri, ut filius protestetur se nolle in his operibus, & obsequiis extraordinariis gratis servire, seu ut ostendat expressè, vel tacitè, se velle lucrari; si filius non audeat hoc manifestare Patri ob reverentiam, seu ob metum reverentialem, aut quia Pater repugnaret, poterit filius clàm sibi compensare. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 8. num. 12. Et cum communi P. Moya in select. tract. 6. Miscellan. disp. 4. Q. 1. n. 2. & 5.

186. P.P.R. Confiteor, quòd alius meæ Matris consanguineus viginti Ducatos in parata pecunia mihi reliquerit, quos pariter sine consensu Patris consumpsi.

C. Hæc pecunia fuitne ipsi relicta intuitu Matris?

P. Ita P. R.

C. Pro resolutione hujus casus advertendum est primò, tria genera fructuum dari: aliqui sunt merè naturales, alii mixti, & alii industriales: naturales sunt illi, quos terra absque humana cultura reddit: v. g. herba in pratis, plantæ in montibus, & sylvis: mixti sunt illi, quos terra producit addita hominum cooperatione, ac industria: v. g. fructus in vineis, seminatis, & conductio domuum, ac animalium: industriales dicuntur, qui solùm procedunt ab humana industria, non ex rei fœcunditate: v. g. pecunia, quæ ex sua natura sterilis est, & humana industria fœcundam, & fructiferam reddit per negotiationem.

187. Advertendum secundò, hanc pecuniam à V. D. perceptam connumera-

mera-

merari inter bona adventitia, cùm intuitu Matris eamdem acquisiverit. Ex quo infertur, quòd V.D. licitè potuerit absque gravamine, & consensu Patris eam expendere: siquidem bonorum adventitiorum Pater solùm dominium utile, seu usum fructum, & administrationem habet, filius verò dominium directum, seu rei proprietatem: atqui pecunia non potest habere usum fructum, cùm ex natura sua sit infructifera: ergo nullum damnũ intulit Patri absque ejus consensu eamdem expendendo. Quamvis possit esse peccatum contra aliam virtutem, si immoderatè consumpta fuit, & potuit etiam inferri damnum Patri, si fuit campsor, aut alios contractus inivit, in quibus sua industria poterat fructiferam reddere pecuniam.

CAPUT VII.

De Furtis Maritorum respectu Uxorum.

188. P. P. R. dico meam culpam, quòd in recreationes, & profanos usus aliqua bona domestica consumpserim.

C. Quod consumpsit, fuitne ex dote uxoris? quia licèt Maritus habeat (dum vivit) administrationem dotis, dominium tamen spectat ad uxorem, & defuncto Marito, integra dos est restituenda.

P. P. R. non fuit ex bonis dotalibus.

C. Fortè ex bonis acquisitis?

P. Ita P. R.

C. Erátne notabilis summa res consumpta?

P. Ita P. R. fuit notabilis.

C. Bona acquisita à Marito, & uxore constante Matrimonio, ambobus communia sunt, & licèt Maritus administrationem habeat, peccat contra justitiam, & temperantiam in ludos, & usus illicitos ea expendendo. Quamvis autem Navarrus in summa cap. 17. num. 155. doceat, Maritum non obligari restituere uxori benè, vel malè consumptam partem bonorum acquisitorum, quia pro bonis adventitiis habentur illa quæ tempore divortii, aut mortis inveniuntur; hæc opinio tamen Navarri est contra communem, quæ docet Maritum teneri ad restitutionem illius portionis illicitè consumptæ ex bonis, quæ supersunt, & sibi obtingunt. Petrus de Navarra lib. 3. cap. 1. n. 114. Covarruvias & alii, quos citat, & sequitur Villalobos part. 2. tract. 13. diffic. 9. n. 3. Et ratio est; quia qui dissipat, & absumit rem alienam invito Domino, peccat contra justitiam cum onere restitutionis: dimidium bonorum acquisitorum spectat ad uxorem: ergo Maritus ea absumens invita rationabiliter uxore, peccat contra justitiam cum onere restitutionis.

Cæterùm citra peccatum potest Maritus de bonis acquisitis facere aliquas expensas, præsertim ad donationes liberales, maximè remuneratorias, eleemosynas, recreationes, vel ludos

ludos honestos suo statui congruos, & secundùm consuetudinem aliorum suæ conditionis virorum. Molina, & alii, quos citat, & sequitur Sanchez in consil. tom. 1. lib. 1. cap. 6. dub. 7. n. 8. quia in hoc non est rationabiliter invita uxor.

189. P. P. R. dico meam culpam, quòd de his bonis acquisitis aliquam quantitatem Fratri meo valde egeno dederim.

C. Juxta opinionem Antonii Gomez leg. 5. Tauri n. 73. Casanei, & aliorum, quos citat Thomas Sanchez ubi supr. n. 6. universaliter docentium, quòd Maritus possit de bonis acquisitis facere donationes, V. D. non peccavit donando hanc quantitatem suo Fratri. Opinio tamen contraria est communis, & vera, quam sequitur idemmet Sanchez ibid. num. 3. quia simplex administrator nequit de bonis, quæ administrat, facere donationes: Maritus est merus administrator bonorum acquisitorum: ergo de his nequit facere donationes: Major est certa, quia in donationibus transfertur dominium ex dante in datarium: administrator non potest transferre dominium bonorum, quæ administrat: ergo nec ea donare. Minor probatur; quia qui non habet dominium rei, non potest illud in alium transferre: administrator non habet dominium bonorum, quæ administrat: ergo non potest transferre dominium. Et ita V. D. de sua portione horum bonorum acquisitorum potuit donationem facere suo fratri egeno; idem dico, si habet Parentes aut filios ex alio matrimonio in necessitate constitutos. Sanchez ubi sup. n. 12. cum Corduba, & aliis, Bartolus, & alii, quos citat, & sequitur Villalobos ubi sup. num. 6. quia hujus partis bonorũ non tantùm V. D. est administrator, verùm etiam dominium habet.

CAPUT. VIII.

De Furtis Uxorum respectu Maritorum.

190. P. P. R. me accuso, quòd aliquid dem filio ex alio Marito egenti alimentis.

C. Quod dat huic suo filio, éstne ex bonis paraphernalibus?

P. Cujus generis sunt hæc bona?

C. Bona paraphernalia ea dicuntur, quæ habet uxor præter dotem undecumque, sive illa, quæ uxor in contractu Matrimonii sibi reservavit, sive illa, quæ contracto Matrimonio acquisivit donatione, legato, aut alia ratione, sive illa, quæ uxor suo labore, & industria acquisivit, præcisis tamen operis, & obsequiis debitis familiæ; & horum bonorum, sicut uxor habet dominium, & administrationem, ita quoque ad libitum ea impendere, & dispensare potest.

P. P. R. Hujus generis bona non habeo.

C. Quod dispensavit filio, fuitne ex donis dotalibus? licèt enim horum bonorum dominium, & proprietas ad

uxorem ſpectet; quia tamen eorum adminiſtratio, uſus, & fructus durante Matrimonio ad Maritum Jure pertinent, ideò ſi uxor auferat aliquid notabile ex his bonis Marito ſeriò, graviter, & quoad ſubſtantiam invito, peccat mortaliter cum obligatione reſtitutionis. D. Thomas 2. 2. Q. 62. in Sum. cap. 17. n. 153. & eſt communis.

P. P. R. quod filio dedi, fuit ex bonis acquiſitis.

191. C. Quamvis bonorum acquiſitorum adminiſtratio ſpectet ad Maritum, opinio tamen probabilis eſt, quòd uxor habens ex alio Marito filios: aut parentes egenos, poſſit his ex iis ſuccurrere, aut etiam ex bonis dotalibus, ſi Maritus hoc negligit. Petrus de Navarra, & Corduba apud Leſſium lib. 2. de Juſtit. cap. 12. dub. 14. ſub n. 88. Villalobos ubi ſuprà diffic. 8. n. 6. Et ratio eſt; quia Maritus nequit eſſe rationabiliter invitus, quòd uxor adimpleat, cùm poſſit id, ad quod Lex naturalis ipſam obligat: atqui Lex naturæ obligat ad præbenda alimenta neceſſaria filiis, & parentibus egenis: ergo Maritus nequit eſſe rationabiliter invitus, quòd uxor iiſdem ſuccurrat.

192. P. P. R. ex his bonis acquiſitis aliquid etiam uni meæ ſorori pauperculæ impertivi.

C. potuit hoc facere ſecundùm opinionem probabilem Petri de Navarra lib. 3. cap. 1. n. 151. & aliorum; hoc conſtat ex Lege Fori L. 1. tit. 8. lib. 3. For. Sed ut benè advertit Leſſius ubi ſuprà, quando poſtmodùm venitur ad partitionem bonorum acquiſitorum, uxor in ſuam partem debet conferre ea, quæ tradidit parentibus, filiis, aut Sororibus in egeſtate conſtitutis.

193. P. P. R. me accuſo, quòd ſubinde meus maritus ſoleat domum ferre aliquem agniculum, aut modicum frumenti furtivi præcipiendo, ut pro familia alenda iis utar.

C. Conſensítne in hoc voluntariè?

P. Non P. R. quinimò aliquoties poſitivè reſtiti, ex quo non niſi amaritudinem & tribulationem reportavi.

C. Cùm ergo illibenter utatur rebus furtivis, ſed tantùm præ timore Mariti, non peccat, ut ait Remigius in ſum. adjunct. tract. 2. cap. 7. §. 6. num. 6. Quamvis indubium exiſtimem, quòd ratione rei acceptæ tam Maritus, quàm ipſa obligentur ad reſtitutionem ex bonis communibus, aut acquiſitis faciendam.

194. P. P. R. meus Maritus eſt adeò tenax, ut ſicut ignorat, quantùm requiratur pro ſuſtentatione unius familiæ, ita quoque parcè ſe gerit in præbendo neceſſaria, quare pro his clàm accipio, ut mihi, & familiæ conſulam.

C. licitè hoc agit, quia in hoc Maritus eſt irrationabiliter invitus. Petrus de Navarra ubi ſup. n. 89. quod idem dico de iis, quæ pertinent ad honeſtas recreationes, decentes eleemoſynas,

& largitiones juxta consuetudinem aliarum suæ conditionis fæminarum: Lessius lib. 2. de Justit. cap. 12. dub. 14. n. 85. Molina disp. 274. quamvis expressè vetet Maritus, quia in his omnibus est irrationabiliter invitus.

CAPUT IX.

De Furtis Famulorum.

195. P. P. R. me accuso, quòd in domo mei Domini aliqua surripuerim.

C. Súntne hæc comestibilia?

P. Ita P. R. sed etiam de non comestibilibus abstuli.

C. Hæc comestibilia pro se, vel pro aliis abstulit?

P. P. R. aliquando pro me, aliquando pro meis amicis.

C. Famuli auferendo à suis Dominis in notabili quantitate tam esculenta, & poculenta, quàm alia mobilia, vel pecuniaria, ut dent aliis, vel ut de iis elemosynam faciant, peccant mortaliter peccato furti. Villalobos. p. 2. tract. 13. diffic. 10. num. 1. & 2. nisi probabilis esset præsumptio de consensu Dominorum, in quo casu ex voluntate præsumpta ablatio similium declinaret à furto: possunt tamen famuli excusari à mortali, quando minimam quantitatem victualium successivè furantur, quæ fit notabilis progressu temporis, modò illam convertant in proprium usum; in hoc enim casu Domini non censentur inviti quoad substantiam rei, sed potiùs quoad modum accipiendi; modus autem accipiendi contra voluntatem Domini non sufficit per se ad peccatum mortale, ita Navarrus cap. 17. n. 138. & alii, quos citat clavis Regia lib. 9. cap. 26. num. 20. Dixi, modò convertant in proprium usum; nam si accipiant notabilem quantitatem victualium ad vendendum, vel ludendum, vel consumendum cum exteris, peccant mortaliter peccato furti: Domini enim censentur inviti etiam quoad substantiam. Ita P. Navarrus & Clavis Regia loco cit.

196. P. P. R. me accuso, quòd, videndo furto auferri mei Domini vestitum, cùm potuissem impedire, id neglexerim.

C. Fuitne ipsi commissa cura rerum domesticarum sui Domini? quia hoc posito ex justitia tenebatur eas custodire; secùs faciendo peccavit contra justitiam cum onere restitutionis. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 5. n. 7. Navarrus cap. 14. num. 7. & alii docentes, quòd cui concredita est cura, & custodia alicujus rei, v. g. œconomo cura rerum familiarum: si sua culpa pereunt, aut auferuntur, obligetur ad restitutionem: ergo si Dominus commisit ei curam rei domesticæ, obligatur ad restitutionem vestitûs, cujus furtum non impedivit.

P. P. R. non fuit mihi commissa cura particularis rem custodiendi.

197. C. Illi, qui hanc rem abstulerunt, erántne consamuli in eadem domo?

domo? quia si ita esset, quamvis peccaverit contra charitatem non impediendo furtum, non peccavit tamen contra justitiam, nec obligatur ad restitutionem, supposito, quòd ex officio rem domesticam custodire ipsi non incuberit. Sotus, Lessius, & alii citati à Diana part. 4. tract. 5. resol. 54.

P. P. R. qui vestimentum furati sunt, erant fures extranei.

C. In hoc casu docet Sotus lib. 4. de just. Q. 7. art. 3. Navarrus lib. 3. cap. 1. n. 22. Plerique alii, quòd ipse peccaverit contra justitiam cum obligatione restitutionis; quia famulus, ut famulus tenetur ex justitia: qui non satisfacit obligationi ex justitia, tenetur ad restitutionem: ergo &c.

Quamvis Machadus tom. 6. lib. 6. part. 2. tract. 11. docum. 2. & cum Salonio, & aliis Trullench in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 13. dub. 3. num. 5. asserant, quòd si famulo non sit recommendata custodia alicujus rei, licèt peccet contra charitatem non impediendo damna, quæ per furtum Domino inferuntur, non tamen peccet contra justitiam;& consequẽter nõ obligatur ad restitutionem, sive fur sit domesticus, sive extraneus. Et ratio est; quia discrimen aliquod debet assignari inter illum, qui specialem curam habet alicujus rei in particulari, & alium, qui habet in cõmuni, prout est famulus ille, qui habet curam in particulari, obligatur ex officio custodire rem sibi concreditam: ergo ille, qui habet solùm in communi, ut famulus, non obligatur ex officio ad ejusdem custodiam non impediendo ejus furtum: ergo &c.

198. P. P. R. me accuso, quòd è domo Domini mei decesserim nondum elapso anno.

C. Decessítne spontaneè, fortè ex spe majus stipendium alibi acquirendi? quia hæc non est causa sufficiens discedendi ante tempus præfixum in conductione. Petrus de Navarra ubi sup. num. 205. & est peccatum mortale contra justitiam cum onere resarciendi damnum inde secutum Domino. Omnis enim contractus onerosus validus obligat ex justitia ad sui adimpletionem: inter famulum, & Dominum est contractus onerosus validus: ex parte quidem famuli complendi tempus præscriptum; ex parte verò Domini solvendi eidem mercedem: ergo ex justitia obligat ad sui adimpletionem.

P. P. R. Spontaneè discessi, quia tam asperam vitam ducere debui, ut ampliùs sufferre non potuissem.

C. Hæc igitur fuit causa sufficiens recedendi ante lapsum terminum, quia contractus non est validus, quando ignorantur in contrahendo circumstantiæ, quibus præcognitis vir prudens, & constans ad contrahendum non procederet: Conditio nimis aspera Domini, est circumstantia quæ virum quemcumque prudentem re-

tra-

traheret à contractu ei inserviendi: ergo hic contractus non est validus.

199. Hìc notandum est ex doctrina Villalobos part. 2. tract. 13. diffic. 10. n. 4. Asserentis, ordinariè non peccare graviter famulos recedentes à Dominis ante elapsum annum, cùm exhinc leve damnum sequatur Dominis ob facilitatem inveniendi alios famulos defectum abeuntium supplentes.

C. Dicat mihi, percepitne stipendium ad ratam temporis, in quo suam præstitit operam pretio æstimabilem?

P. Ita P. R.

C. Inivitne pactum cum Domino, quòd si ante finitum tempus discederet, nulla solutio danda esset?

P. Non P. R.

C. Quamvis famulus discedat à domo sui Domini ante lapsum anni, secluso tamen alio pacto aut conventione, non est deneganda merces ad ratam temporis in famulatu impensi. Ita Bonacina tom. 2. disp. 3. de contract. Q. 7. punct. 4. n. 11.

CAPUT X.

De Furtis Dominorum.

200. P.P.R. me accuso, quòd propter discessum mei famuli nondum elapso anno constituto denegaverim illi stipendium ad ratam temporis, in quo perseveravit in famulatu.

C. Quamvis in foro externo posset V. D. ab hac solutione eximi, in foro tamen conscientiæ tenetur ex justitia ad solutionem mercedis ad ratam temporis, in quo inservivit, ut paulò antè dixi, quod docet etiam Valderus in different. 4. Rebellus apud Dianam part. 3. tract. 6. resol. 15. Solùm poterit V. D. excusari ab hac solutione concurrentibus sequentibus circumstantiis.

201. Fuítne aliquo tempore hic famulus infirmus in domo V. D.

P. Ita P. R.

C. Expendítne pecuniam pro ipsius cura?

P. Ita P. R.

C. Quantum expendit?

P. P. R. Triginta regales.

C. Quantum de pecunia se daturum promisit?

P. P. R. Viginti Ducatos.

C. Et quanto tempore ipsi inservivit, ut sanus?

P. P. R. Tribus mensibus.

C. Ergo pro his tribus mensibus V. D. tenebatur ei solvere quinque Ducatos; quia tres menses sunt quarta pars anni, & quarta pars ejus stipendii nempe viginti Ducatorum sunt quinque ducati: Ex his quinque Ducatis V. D. detrahat triginta regales consumptos in ipsius cura, & cæterum ipsi solvat.

202. Dicat mihi, propter discessum hujus famuli sustinuítne V. D. aliquod damnum?

P. Non P. R. Quia immediatè alium famulum inveni.

C. Si casus hic contigisset tempore, quo

quo ob difficultatem inveniendi alium famulum V. D. alicui detrimento succubuisset: v. g. tempore seminandi, metendi, vindemiandi, tunc ex quinque ducatis posset V. D. detrahere tantundem ad ratam damni passi ex carentia famuli dicto tempore. Valderus ubi sup. Rebellus apud Dianam ibid.

Ex hinc infertur, quòd famulus, qui in hoc casu nullam obtinuit mercedem à Domino, possit clàm sibi compensare ad æqualitatem debitæ sibi mercedis.

203. P. P. R. me accuso, quòd domo expulerim alium famulum, quia ægrè tuli ipsius famulatum.

C. V. D. præbuitne ipsi stipendium ad ratam temporis, in quo inservivit?

P. Ita P. R.

C. Dimissus famulus invenitne illicò alium Dominum, cui posset inservire?

P. P. R. elapsus est aliquis mensis, in quo non potuit præstare suum famulatum.

C. Antequam dimitteret famulum, admonuitne eum, ut alium sibi quæreret Dominum?

P. Non P. R.

C. Dominus, qui dimittit famulum nondum elapso termino constituto, tenetur ad integram mercedis solutionem, nisi fortè ex gravissima causa ducatur ad eum dimittendum. Ita Bonacina supr. num. 11. Ratio est; quia conductor tenetur solvere pensionem, quando non est usus re conducta ob culpam, & impedimentum ipsius conductoris. L. qui operas ff. Locat. si tamen ex justa causa eum dimittat, ad id non tenetur; Quia sicut famulus potest ex legitima causa deserere Dominum ante lapsum anni; sic pariter Dominus poterit ex rationabili causa eum dimittere, tempestivè tamen debet, si possibile est, hanc suam intentionem famulo manifestare, ad hoc, ut alium sibi quærat Dominum. Quapropter ut benè notat Villalobos ubi supr. graviter ut plurimùm peccant Domini expellentes famulos benè se gerentes ante lapsum anni cum onere resarciendi damna, quæ patiuntur; cùm enim famuli ordinariè sint de genere pauperum, & egenorum, si per mensem oblivioni tradantur, quidquid per integrum annum sunt lucrati, absumunt.

204. Hìc advertat Confessarius, quàm plures dari Dominos fame destituentes famulos; alios, qui volunt, ut benè induti incedant, stipendium tamen ipsis debitum solvere recusant: & alios detinentes mercedem pauperculis mercenariis non reflectendo, quòd hujusmodi personæ sint valdè egentes, & quòd iis majus damnum inferat detentio unius regalis, quàm octo Dominis: hos ergo Confessarius nervosè arguat, exponendo pariter famulis, quòd, quantumvis in domo Dominorum sibi necessaria comestibilia accipiant, aut compensationem detentæ mercedis, (si hæc à Domino subtrahatur) sibi approprient, non pec-

peccent; ad quem casum non extenditur Propositio 37. damnata ab Innocentio XI. ut patebit ex ejusdem explicatione.

Econtrà dantur alii famuli, qui recipientes à Dominis congruum victum, & justum stipendium triumphant, ac ultra conditionem sui status lautè vivere contendunt; videmus enim quàm plures famulorum uxores, quæ licèt exiguo, ac tenui salario fruantur, serica tamen aliáve vestium pompâ statui suo penitus incongruâ ornari, quâ Spartâ verò triviales hæ Junones ista sibi adsciscant? tu divinaveris.

CAPUT XI.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

205. Proprius locus tractandi de decimis, & primitiis est quintum præceptum Ecclesiæ eas præcipiens; sed ut etiam in Decalogo fiat earum mentio, visum est mihi non esse abs re de his in hoc septimo præcepto differere, in quo de furto, & restitutione agitur, nam ille, qui non solvit decimas, aut primitias, peccat peccato furti cum onere restitutionis. Suppono autem, quòd decimæ juxta definitionem communiter traditam à DD. sint, pars decima fructuum Ministris Ecclesiæ ob Spirituale ministerium ipsorum, debita ex omnibus bonis fructiferis. Et licèt secundùm opinionem communiorem decimæ sint subsidium Sacerdotibus debitum Ju e naturali, & Divino propter Ministerium Spiritualium: si tamen considerentur secundùm suam quotam, ut sunt decima pars fructuum, est debitum Jure Ecclesiastico, ut videri potest apud Machadum tom. 1. lib. 2. part. 4. tract. 10. doc. 1. num. 1. Hanc autem quotam seu decimam partem Ecclesia justè taxavit: tum ad imitationem Dei, qui eam in veteri lege taxaverat: etenim ex duodecim tribubus, quibus totus populus Judaicus constabat, unam elegit Dominus scilicet Leviticam, ex qua sibi Ministros faceret; & quia hi Divino Ministerio occupati agriculturæ vacare non poterant, aliis præcepit tribubus, ut ex terræ fructibus, quos colligebant, decimam partem singuli darent in sustentationem hujus tribus, quæ in Templo Divino Ministerio occupata erat, & hæc quota decima dicebatur: tum quia Ministri Ecclesiæ indigent decimis, non solùm, ut ipsi alantur, verùm etiam, ne contemptibiles aliis existant, si pauperes essent.

206. P. P. R. Me accuso, quòd hoc anno non solverim decimas.

C. Ex qua re V. D. omisit decimas solvere?

P. P. R. Ex frumento, & animalibus.

C. Tria genera fructuum distinguunt DD. aliqui enim fructus sunt prædiales, alii personales, alii mixti: sic pariter

riter decimæ ſumpta diſtinctione ex his bonis, quibus debentur, & ſolvendæ ſunt, vel ſunt perſonales, quæ ſolvuntur ex fructibus, quos homo facit ſuâ induſtriâ, ut ex mercatura, venatione, piſcatione, bello, ludo, & aliis actibus: vel prædiales, quæ ex terræ fructibus proveniunt, ut eſt Vinum, Oleum, frumentum, olera, rapæ, caſtaneæ, legumina, poma, pira, fœnum, palea, cauli, lupini, & alii fructus: vel mixtæ, quæ partim ex hominis induſtria, partim ex prædiis proveniunt, ut lana, lac, caſeus &c. Conſuetudo in toto ferè orbe Chriſtiano legitimè præſcripta invaluit, ut decimæ perſonales non ſolvantur, ſed ſolæ prædiales, & quædam mixtæ ſunt in uſu, reliquis conſuetudine, & tacita condonatione Eccleſiæ abolitis. Secundi, & tertii generis decimæ ſunt, quas V. D. non ſolvit, & per hanc omiſſionem graviter peccavit contra juſtitiam, & Religionem: contra juſtitiam quidem, quia inter Miniſtros Eccleſiæ, & Parochianos eſt quaſi contractus, quo obligantur Miniſtri ad ſpiritualia ſuppeditanda, & parochiani ad ſubminiſtranda temporalia pro congrua eorum ſuſtentatione. Peccavit etiam contra virtutem Religionis; quia decimæ ſolvuntur in recognitionem dominii univerſalis Dei, tanquam Auctoris omnium bonorum temporalium; adeóque talis ſolutio pertinet ad virtutem Religionis, ejúſque omiſſio eſt Sacrilegium. Leſſius lib. 2. de Juſtit. cap. 29. dub. 1. num. 8. Caſtropalaus tom. 2. tract. 10. diſp. unic. punct. 2. n. 10. quamvis Bonacinæ propriè, & ſtrictè loquendo non videatur Sacrilegium; quia decimæ ſecundùm ſe ſunt res merè temporales, nec uſui ſacro, ut ſic videtur, deſtinatæ. Sic ille tom. 2. de præceptis Eccleſiæ diſp. ult. Q. 5. p. 3. Ejuſdem opinionis eſt Layman. lib. 4. tract. 6. cap. 2. num. 3. ubi ait: Quodamodo Sacrilegus eſt erga Deum, qui decimas fraudat, non dicit, abſolutè, & in rigore ſacrilegium, ſed quodam modo.

207. P. P. R. mea culpa non accidit, quòd non ſolverim decimam grani, ſed quia in agro furto ſublatum eſt.

C. Diſtulitne V. D. diu decimam hujus grani ſolvere?

P. Non P. R. facta enim ſeparatione grani, eadem nocte furto ablatum eſt.

C. Si V. D. culpabiliter protraxiſſet ſolutionem decimæ, quod à Theologis vocatur eſſe in mera culpa ſolvendi, tenetur ſatisfacere Eccleſiæ, ſi ex eo, quòd ſuo tempore non ſolverit, furto ſublatum fuiſſet. Sic aliis citatis Leander à Sacram. part. 3. tract. 6. diſp. 2. Q. 17. Quia ſua omiſſio fuiſſet cauſa efficax damni Eccleſiæ illati, ille autem, qui eſt cauſa efficax damni, obligatur ad reſtitutionem: ergo &c.

108. V. D. adhibuitne diligentiam in cuſtodiendo hoc granum?

P. Ad ejus cuſtodiam remanſerunt famuli, quibus abſque-dubio ſomno occupatis furto ſublatum eſt.

C. Omiſſa opinione diſcuſſa à Theologis, id eſt, an Eccleſia habeat dominium decimarum, antequam ſeparentur à communi maſſa ut videri poteſt in Caſtropalao punct. 2. per totum, ubi ſuprà. Certum eſt, quòd Eccleſia habeat jus in re ad quantitatem ſibi ex maſſa debitam. Leſſius ubi ſupr. dub. 5. num. 15. Et conſequenter, ſi ex omiſſione culpabili in cuſtodiendis fructibus, hi pereunt, Dominus negligens obligatur ad reſarciendam quotam Eccleſiæ debitam.

Certum eſt pariter, furem teneri ad reſtitutionem portionis Eccleſiæ debitæ, principaliter tamen tenetur eam reſtituere Domino, ſi hic jam ſatisfecit Eccleſiæ; ſi verò Dominus hoc adhuc non adimplevit, nec fur ſperat ab eo adimplendum, poteſt idem fur decimam ſolvere Eccleſiæ, & reſiduum Domino.

209. P. P. R. me accuſo, quòd ex alio ſeminato, ex quo centum menſuras grani collegi, ſolùm de ſeptuaginta menſuris decimam ſolverim, nec mihi viſum fuit plus ſolvendum.

C. Quo fundamento V.D. hoc egit?

P. Quia ex decem menſuris ſeminatis jam ãno elapſo ſolveram decimam, ſicque mihi videbatur, quòd hoc anno de nonaginta tantùm ſolvenda eſſet decima; de aliis verò viginti menſuris duas non ſolvi propter expenſas in ſeminando, & colligendo granum.

C. utrumque fundamentum eſt improbabile, & falſum; primum quidem, quia à die, quo ſeminatur granum, Divinæ providentiæ committitur, & V. D. non colligit eaſdem formaliter decem menſuras grani, quas ſeminavit, cùm illud granum mortuum, & corruptum fuerit, ſed benè alias totaliter diſtinctas, ac proinde licèt antecedenti anno ſolverit decimam de illis decem menſuris, denuò hoc anno decimam de iiſdem ſolvere debet. Suarez cap. 35. num. 7. & eſt communis, alterum quoque fundamentum eſt falſum; quia Eccleſiæ ſolvenda eſt decima, priuſquam ex illa deducantur expenſæ in colendo agro, ſeminando, metendo &c. Leſſius ubi ſupr. dub. 3. n. 16.

210. Idem eſto judicium de penſionibus debitis, tributis, vel cenſibus, quòd nondum his detractis ſolvendæ ſint decimæ ex integris fructibus. Bonacina ubi ſupr. num. 19. Leſſius ibid. quamvis, ut advertit Villalobos part. 2. tract. 36. diffic. 3. n. 7. ubi eſt conſuetudo, quòd Religioſi mendicantes per rura, & campos quærant eleemoſynam, poſſit ipſis tribui de communi maſſa, antequam decima extrahatur, cùm rationabiliter præſumatur de pietate Miniſtrorum Eccleſiæ, quòd non ſint in hoc inviti.

211. P. P. R. me etiam accuſo, illas menſuras, pro decima datas, fuiſſe de deteriori grano à me collecto.

C. Graviter in hoc peccavit, quia, licèt decima non debeat ſolvi de melio-

ri, nec tamen de deteriori, sed tam de bonis, quàm de mediocribus fructibus decima illis correspondens tribuenda est. Lessius ubi supr. Et qui se veros esse catholicos gloriantur, semper de meliori solvere conantur, contrariúmque agere est execrabilis ingratitudo erga Deum, dum fructus ab ipsomet nobis datos avara manu eidem offerimus.

112. P. P. R. me accuso, quòd unius personæ agrum mox metendum destruxerim.

C. Fortè per ignem destruxit hoc seminatum; quia incendiarii incurrunt Excommunicationem Bullæ cœnæ, ut dicam in tract. 12. §. 2. n. 29.

P. P. R. damnum hoc non intuli per ignem.

C. Fortè absque sua culpa, & tantùm ex inexpectato aliquo accidenti hoc contigit?

P. Summa malitia ductus hoc patravi ex odio habito contra Dominum.

C. V. D. graviter peccavit contra charitatem, & contra justitiam cum onere restituendi Domino fructus, quos ager probabiliter allaturus erat: non est tamen restituenda decima fraudata Ecclesiæ: nec Dominus ad eam obligatur, quamvis V. D. damnum ei illatum resarciret: quia decima debetur de fructibus jam collectis non verò de colligendis. Molina supr. n. 15. §. verum; Fructus agri, quem V. D. destruxit, necdum collectus fuerat: ergo de ipso decima non debetur.

Oppositum tenent Covarruvias, Azorius, Suarez, Fagundez, & alii, quos citat, & sectatur Leander de Sacram. part. 3. tract. 6. disp. 2. Q. 14. dicens, injustum destructorem vinearum, seminatorum &c. obligari ad restituendas decimas Ecclesiæ respectivè debitas: sententiam tamen Castropalai, & Lessii ut probabilem tenet, & solùm ait, suam esse probabiliorem; juxta quam doctrinam V. D. non obligaretur ad restitutionem decimæ Ecclesiæ de agro destructò obtingentis, neque Dñs illata ei damna resarciret; tum quia, ut dictum est, decimæ debẽtur ex fructibus collectis, non colligendis; tum etiam, quia, si Dominus venderet, aut consumeret seminatum ante fructuum maturitatem, nullam obligationem haberet de iis decimam Ecclesiæ solvendi, cùm consuetudo legitima in contrarium adduci nequeat: etenim si hæc consuetudo legitima solvendi decimas de rebus præmaturè consumptis probari posset, tunc ipsemet etiam Dominus teneretur ad solutionem decimæ de quantitate restituta ob damnum sibi illatum; supposita enim hac consuetudine decima deberetur de fructibus nondum collectis.

Quonam autem tempore, loco &c. & ex quibus fructibus solvendæ sint decimæ, standum est consuetudini locorum legitimè introductæ, ut docent communiter Doctores.

213. Quod de decimis dictum est, idem

idem proportionaliter dicendum de primitiis. Quoad oblationes solitas fieri à fidelibus in Sacrificio Missæ, nullum extat particulare præceptum Ecclesiæ ad easdem obligans, ut cum D. Thoma ait Laym. ubi supr. cap. 7. n. 5. nisi esset consuetudo legitimè introducta cum intentione se obligandi sub peccato mortali, in quo casu consuetudo vim Legis haberet. Sylvester verb. decima Q. 2. & alii.

Certum est, ex jure naturali, & Divino obligari fideles ad alendos Ministros Ecclesiæ, & si aliàs sufficientia media pro congrua sustentatione non haberent, fideles oblationibus ipsis subvenire deberent. Quia qui Altari servit, de Altari vivere debet.

CAPUT XII.

De Debitis.

214. P. P. R. dico meam culpam, quòd gravatus aliquibus debitis nunquam me expediam ab eorum solutione.

C. Habétne modum satisfaciendi his obligationibus?

P. P. R. pro omnibus solvendis non habeo modum, sed adhibito aliquo conatu possem aliqua saltem solvere.

C. Emergitne aliquod damnum, vel cessat aliquod lucrum creditori ex dilatione solutionis. Hæc interrogatio debet fieri, quotiescunque pœnitens se accusat de aliqua commissa injustitia, aut de debitis, aliísque obligationibus satisfaciendis, eumdem obligando ad restitutionem, non solùm totius debiti, verùm etiam damnorum, quæ ex omissione solutionis secuta sunt creditori. Si autem debitor non est in mora culpabili ex impotentia solvendi, non obligatur ad restitutionem damnorum.

P. P. R. modicum, aut nullum damnum sequitur creditori ex dilatione meæ solutionis.

215. C. Fagundez super 7. præcept. lib. 7. cap. 24. n. 16. Sotus lib. 4. de justit. q. 7. art. 4. & alii sustinent, quòd, licèt creditori non sequatur aliud damnum, quàm præcisè privatio suæ pecuniæ, debitor tamen graviter peccet differendo sine causa solutionem; quilibet enim quærit, quod suum est. Et addit, quòd talis pœnitens non sit absolvendus, si una, aut altera vice à confessario admonitus non conatur solvere, si non in integrum, saltem quantùm potest: multò minùs debet absolvi pœnitens, qui potens solvere in vivis, differt ad diem mortis, obligando hæredes ad solutionem debitorum D. Tho. 2. 2. Q. 62. art. ult. Toletus in Summa. lib. 5. cap. 24. & plures alii.

216. Pro majori tamen sublevamine PP. Confessariorum adducam hìc doctrinam Sylvestri verb. restit. 5. Q. 5. Petri Navarræ lib. 4. cap. 3. dub. 11. n. 55. & seq. & aliorum docentium, quòd, quando creditori vel nullum, vel valde leve sequitur damnum ex dilatione solutionis, debitori verò eadem dilatio est valde utilis,

possit absolvi : Idem agendum concludunt hi AA., quando Confessarius dubitat, pœnitentem non simul, sed successivè integrum debitum soluturum. Et consequenter secundùm hos Authores non peccat graviter pœnitens in hoc casu differendo solutionem; si enim graviter peccaret, esset incapax absolutionis, siquidem non haberet propositum adimplendi suam obligationem.

Ego cum hac limitatione doctrinam hanc approbarem, nempe, si creditor esset consanguineus, amicus, vel persona taliter constituta, ut à debitore posset prudenter præsumi, eamdem non fore invitam in dilatione solutionis; tunc non esset peccatum eam differre; quia furtum, aut detentio alienæ substantiæ in tantum est culpabilis, in quantum est contra rationabilem Domini voluntatem.

Indubitatum est, multùm referre, quòd Confessarius severè agat cum pluribus personis, quæ per integros annos debita solvere non curant, vel Testamenta sacra, aliásque obligationes negligunt; & cùm aliunde abundent pecuniâ ad fovendam propriam superbiam in conviviis, ludis, aliísque rebus superfluis; solùm pro solvendis debitis modum non inveniant : abstineant hi à tot inutilibus sumptibus, moderamine utantur in vivendo, aliàs sine absolutione dimittantur.

CAPUT XIII.

Exhortatio ad Fures, & Prædones non satisfacientes.

217. C. Quamvis apud omnes in confesso sit, nullum peccatum prodesse, sed nocere peccatori; peccatum tamen furti specialiter hoc sibi vendicat, quia obligationem restitutionis inseparabiliter secum affert: & cùm restitutio sit necessaria necessitate præcepti, nónne stultitia, & insania erit furari? Præterea hoc vitium est vile, sordidum, personam honoratam dedecens, ac solis sceleratis proprium. Præcipuè tamen considerandа est offensa Dei, per quam anima privatur ejus amicitiâ, & Jure, quod habet tanquam Dei filia ad gloriam: quàm deplorabilis ergo error propter modicum temporale lucrum æternam perdere gloriam, & æternæ Beatitudini bona caduca anteponere!

Quid, quæso, sunt terrena omnia, nisi lutum, stercus, pulvis, & nihil? Aurum, Argentum, Margaritæ, prædia, & aliæ hujusmodi Mundi substantiæ, quibus cor humanum afficitur, sunt vincula, & catenæ illaqueantes animam: sunt carceres vincientes animam : sunt carceres vincientes spiritum : pondera sunt gravissima, quæ prosternunt hominem, inquietum reddunt præ anxietate ea acquirendi, timore amittendi, ac cupidine multiplicandi. Si de libertate corporis vulgò dicitur, non bene pro toto libertas ven-

venditur auro, quantò magis hoc adagium verificatur de libertate animi; & tamen hæc ab homine avaro vinculis traditur, qui nimiùm sibi addictus, non vivit, sed moritur; quia continuam mortem civilem sustinet in servitute, qua ejus cor sordido auro velut Idolo dicatum est. O quàm crudeliter cruciabitur in hora funestæ mortis, videndo se expoliari omnibus tantâ curâ, & solicitudine in vita congregatis! Dicito mihi, ô homo, quid aliud tecum ex hac vita, quàm laceram vestem portabis? sperásne, quòd bona tua temporalia à falce mortis te defendere valeant? Fortè putas, quòd, quemadmodum in humanis Tribunalibus justitia pro pecunia venditur; ita pariter tuum aurum in justissimo Dei Tribunali à condemnatoria sententia te eximere queat?

Suspice Cœlum, cogitationes tuas ad altiora eleva, tua desideria, ô Christiane, nobiliora sint; Considera veras divitias in sempiterna gloria reperiri: Gloria, & divitiæ in domo ejus. Psal. 111. Ibi aurum magis defæcatum possidetur, ibi argenti lamina solidiora, ibi pretiosiores margaritæ, ibi denique ærarium, & fodina omnium desiderabiliū thesaurorum. Bona, quibus in Cœlesti illa Patria felices habitatores fruuntur, durabilia, firma, permanentia, & æterna sunt: non affligunt, non molestant, non aggravant animam, sed consolationem, gaudium, oblectamentum afferunt: nec veluti bona terrena anxietates, timores, sed pacem dulcissimam secum trahunt.

Magna dementia tanti pendere momentaneum hujus vitæ, & tam parvi æternum Paradisi! Deplorabilis error est, tot curis angi, tot labores subire, ad res perituras in hac misera vita congregandas, nil verò cogitare de merito cumulando pro cœlesti Gloria; ast deflendum est, quòd forum justitiæ per furta, rapinas, prædas, latrocinia violetur, & de restitutione, seu condigna satisfactione nulla habeatur cura, amando potiùs cœlestes divitias perdere, quàm cuilibet suum reddere.

Nimium detrimentum velle perdere amicitiam Dei, (qui æterno igne nos plectere, vel æterna coronâ præmiare potest) ne modicâ substantiâ privemur. Ne, quæso, V. D. cæcitatem hanc incurrat, sed de remedio animæ suæ sit solicita, restituendo ablata, & aliis debita solvendo; quod si negliget, cùm possit, crimina sibi à Deo remitti non speret; nec differat de die in diem, quia postmodùm restitutio ipsi nimis ardua, ne dicam moraliter impossibilis erit, ut ex sequenti casu patebit.

218. Vir fuit in quodam loco ex alienis dives effectus: extrema infirmitas hùnc invasit, & ne obligaretur ad restitutionem, à Confessione abhorrebat. Medicus eum curans tanquam vir valdè Christianus, cùm ad restitutionem alieni hortaretur, respondebat in-

infirmus : Et mei Filii, & mea uxor omnibus bonis expoliabuntur. Institit Medicus : & si ibit ad infernum, nunquid filii, & uxor eum inde extrahent ? Respondit infirmus : hoc nihil refert. Medicus filios, & uxorem ad se vocavit, dixítque eis : Efficax remedium inveni pro sanando vestro infirmo, sed cùm ad hoc executioni mandandum non modici sumptus necessarii sint, tale remedium applicare ex me non præsumo. Omnes unanimiter responderunt : V. D. de expensis non cogitet, quia licèt ad recuperandam Genitoris sanitatem proprii effusio sanguinis requireretur, libenter consentiemus : Ferant ergo (dicit Medicus) candelam accensam cum panno lineo lacero; quibus allatis subjunxit. Modò unus ex ipsis debet digitum ad flammam hujus candelæ apponere, usquedum cute venæ digiti combusta sanguis erumpat, quo deinde cor infirmi perunctum infallibiliter sanabitur. Ad hæc verba se se invicem aspicientes Filii, & uxor, consilium Medici exequi renuerunt, ac nemo digitum super flammam pro salute infirmi apponere tentavit. Tunc Medicus conversus ad infirmum, dixit ei : Non videt V. D. pro cujus amore æternæ damnationis periculo se exponit ? Nec sua uxor, nec sui filii pro salute V. D. digitum sibi comburi permittunt, & V. D. pro iis locupletandis & corpus, & animam æterno gehennæ igni tradere annuit ? Hac experientia infirmus in se reversus abjectâ uxore, cum filiis animæ suæ saluti seriò providit.

Indubium est, plurimos damnari ex neglectione debitæ restitutionis, & inter hos dinumerari non modicos Parentes, qui, ut filios post se divites relinquant, proprias animas pro tenui substantia diabolo in infernum eas detrudenti dedicant. V. D. si salutem animæ quærit, ad restituendum, quod suum non est, quantocyus se determinet, sícque pacificus erit suæ vitæ cursus ; magis enim interest, brevem hanc vitam ducere cum buccella panis, quàm in inferno æternis tormentis cruciari.

TRACTATUS VIII.

DE VIII. PRÆCEPTO.

Non falsum Testimonium dices.

HOc Præceptum imposuit *Deus*, ut conservationi famæ, & honoris proximi consuleret. Et quia læsio famæ extra judiciales actus per suspicionem, & judicium temerarium, detractionem, & contumeliam proximo irrogatur, ideò in sequentibus capitibus de his omnibus agam ; nec non de obligatione, ac modo restitutionis faciēdæ pro fama ablata: & licèt aliquiDD. hìc soleāt agere de ordine judiciali, ac obligatione Judicis, Advocati aliorúmque Justitiæ officialium ; hanc tamen materiam in Tractatum

deci-

decimum quintum secundæ partis praxis reservo, ut obligationes his Ministeriis annexas, cum cæteris ad alios status pertinentibus ibi discutiam, ac proponam.

CAPUT I.

De Suspicionibus, & Judiciis temerariis.

1. P. P. R. Confiteor: quòd, dum mihi una supellex domûs deesset, quamdam personam furto eamdem sustulisse judicaverim.

C. Tenuítne V. D. pro certo, quòd talis persona eam ipsi surripuerit?

P. P. R. Firmiter, & totaliter huic meæ cogitationi non adhæsi.

C. Erat ergo tantùm suspicio, quæ per hoc distinguitur à judicio, quòd judicium cum pleno assensu, & firmâ animi sententia feratur in objectum propositum; suspicio verò licèt inclinet ad id credendum, semper tamen suspicans manet cum aliqua perplexitate, an ita se habeat, vel non, res proposita.

2. Habuítne V. D. aliquod indicium, vel fundamentum suspicandi, quòd hæc persona dictam supellectilem surripuerit? v. g. quia secundùm communem hominum existimationem habetur pro fure, aut quia sola V. D. domum ingrediebatur.

P. P. R. aliquod fundamentum habui licèt leve, nempe, quòd huic personæ omnia latibula meæ domus fuerint nota, eámque frequenter ingrediebatur.

C. Ut suspicio, aut judicium sit temerarium, requiritur, quòd non adsit motivum suspicandi, vel judicandi; ad judicium ferendum requiritur majus fundamentum, quàm ad suspicionem; & posito levi fundamento suspicio non erit temeraria, ac per consequens nec peccatum. Quamvis autem Bannez Q. 6. art. 3. & alii asserant, quòd suspicio temeraria, id est, sine ullo fundamento habita sit peccatum mortale: Alii tamen sustinent, non excedere limites peccati venialis. Ita Petrus de Navarra lib. 2. cap. 4. num. 474. Navarrus, Cajetanus, & alii. Quia suspicio, cùm non sit assensus firmus, seu judicium propriè determinatum, non infert injuriam gravem proximo: sed ubi non est injuria gravis, nec est culpa mortalis: ergo suspicio temeraria non erit peccatum mortale.

3. P. P. R. Confiteor, quòd in quadam occasione determinatum formaverim judicium, personam aliquam malam ducere vitam.

C. Quo motivo V. D. ita judicavit?

P. P. R. quia adverti eam frequenter domum aliquam ingredientem.

C. In hac domo erátne aliqua fœmina effrons, & inverecunda?

P. P. R. murmurabatur de ea ac pro levi, & vana fœmina reputabatur.

C. Persona, quæ domum hanc frequentabat, erátne ipsi conjuncta sanguine, amicitia, aut honesto alio titulo?

P.

P. P. R. cum Domino domûs habuit aliquam amicitiam.

C. Certum est, judicium temerarium in materia gravi peccatum esse mortale, quia per illud gravis injuria infertur proximo, sæpius tamen excusatur à peccato gravi: primò, quando materia est levis: Secundò, quando non adest plena advertentia, & deliberatio: tertiò, quando est sufficiens fundamentum malè judicãdi de proximo: quartò, quando fundamentum sufficit ad ferendum judicium probabile, & intellectus progreditur ad ferendum quasi certum; quia à probabilitate ad judicium quasi certum non est talis distantia, ut constituat peccatum mortale: quintò: si quantumvis intellectus advertat se perperam judicare de proximo non advertit tamen, quòd fundamentum sit insufficiens pro pravo judicio ferendo, neque pro tunc erit peccatum grave taliter judicare; totum hoc colligitur ex doctrina Lessi lib. 2. de Justit. cap. 29. dub. 83. n. 28.

4. Pro directione Confessariorum ponam hìc doctrinam Dianæ, qui cum aliis DD. docet 3. part. tract. 5. res. 31. rarò contingere, quòd judicium sit temerarium, & peccatum grave; quia rarò contingit nullam adesse ex prædictis circumstantiis à culpa gravi excusantibus; & ut plurimùm in similibus judiciis semper est aliquis timor, seu dubium, quòd res non ita se habeat, sicut putatur de proximo; quare, ut docet S. Thomas, in nullo judicio citra certitudinem culpa gravis intervenit.

Si quis frequentet aliquam domum, in qua mulier infamis habitat, absque vinculo consanguinitatis, vel alterius honesti tituli, est sufficiens motivum judicandi, quòd prava intentio ad id illum moveat. Ex quo infertur, V.D. judicium non fuisse temerarium, nec peccatum mortale.

5. P. P. R. me accuso, quòd de quadam persona sinistrum formaverim judicium, nec postmodùm ab ea veniam petierim.

C. Erátne in materia gravi?

P. Ita P. R.

C. Et cum plena deliberatione?

P. Ita P. R.

C. Habuítne V. D. motivum, seu indicium aliquod taliter judicandi?

P. P. R. nullum habui motivum.

C. Præbuítne rei certum assensum?

P. Ita P. R.

C. Manifestavítne alicui hoc judicium?

P. Non P. R.

C. V.D. graviter peccavit formando hoc judicium, quod ex carentia sufficientis motivi fuit temerarium. Non tenetur tamen petere veniam ab illa persona, ut aliqui insipienter putant; quia tunc tantùm est petenda venia, quando proximus læditur in honore: atqui per judicium temerarium non læditur honor proximi, sed fama: ergo de judicio temerario non est petenda

tenda venia; quando verò proximus læditur per contumeliam, tunc quemadmodum læditur in honore, ita venia ab eo petenda est, ut mox dicam cap. 5. num. 34. & 35.

CAPUT II.

De Murmuratione.

6. Suppono, quòd Murmuratio, seu detractio sit injusta famæ denigratio. Dicitur injusta, quia, quando justè aufertur fama alicui personæ, v.g. quando Justitia per publicam punitionem denigrat alicujus famam : vel quando quis ex motivo Justitiæ, aut charitatis crimen alterius ad Superiorem defert, ut ab eo delinquens corrigatur, cùm ipsemet per suam correctionem nihil efficere possit, non erit detractio; quia hæc & similia ex justa causa fiunt, scilicet pro salute spirituali, & emendatione delinquentis. Dicitur famæ, quia murmuratio non opponitur honori, sed famæ, id est, bonæ opinioni, seu conceptui, qui habetur de proximo, ut cap. 5. in fine dicam. Murmuratio ex sua natura est peccatum mortale, licèt possit esse veniale ex parvitate materiæ, & aliis causis, ut in sequentibus interrogationibus resolvam.

7. P. P. R. me accuso, quòd murmuraverim de una puella, dicendo, eam esse prægnantem.

C. Loquebanturnè de hoc etiam alii habitatores loci illius?

P. P. R. ab aliis ego hoc audivi.

C. Audivitne hoc à pluribus?

P. A duobus, vel tribus.

C. Murmuratio de re, quæ jam est nota, & publica, non est peccatum mortale contra justitiam, licèt possit esse contra charitatem, nempe, si dum murmuratur, habetur complacentia de malo proximi. Quia quando res est publica, proximus jam perdidit Jus ad conservationem suæ famæ : ergo murmuratio de re publica non est contra justitiam. Publicum autem dicitur, quod majori parti populi notum est.

8. P. P. R. verè nescio, an res fuerit publica, vel non.

C. Erátne hoc jam notum personis, coram quibus V. D. murmuravit? hoc enim posito non erat peccatum grave coram ipsis murmurare. Navarrus cum communi.

P. P. R. non erat ipsis notum.

C. Erántne personæ taciturnæ, prudentes, quas factum nulli revelaturas præsumere poterat? quia manifestare gravem culpam proximi uni, aut alteri personæ taciturnæ, de cujus secreto non dubitatur, non est peccatum mortale. Ita docet Cajetanus 2. 2. Q. 73. art. 2. dub. 1. Reginaldus lib. 24 num. 75. Navarrus & alii; quia dicunt, non cedere in detrimentum notabile proximi, quòd id sciant duæ, vel tres personæ taciturnæ, ac pro certo aliis non revelaturæ. Nihilominus, contraria sententia est communior, & vera, ut cum Layman, Villalobos, & aliis dicit Diana part. 3. tract. 5. resol. 33. Et ra-

tio est, quia proximus magis ægrè ferret, quòd sua peccata nota fiant uni, aut alteri personæ seriæ, & prudenti, quàm uni, aut alteri inferioris sphæræ. Deinde, non est fidendum, quòd tales personæ sint servaturæ secretum, licèt seriæ, & taciturnæ sint; Etenim si V. D quæ talem se esse existimat, ad revelationem processit, probabiliter quoque dubitare potest de iis, quibus revelavit, aliis esse revelaturas hoc titulo, quòd sint taciturnæ, & hæ aliis; & sic ex uno ad alium infamia proximi divulgabitur.

P. P. R. parùm potui confidere de silentio illarum personarum, quibus factum revelavi.

9. C. Hæ personæ erántne ita constitutæ, ut dictum V. D. verum esse haud dubitarent? quia, quando præsumitur, quòd auditores non facilè fidem sint præstituri dictis, aut narratis, non sequitur gravis injuria proximo, & consequenter non est peccatum mortale. Scotus dist. 15. q. 4. Navarrus cap. 18. num. 50. & alii plures, quos citat Lessius lib. 2. cap. 39. dub. 15. num. 24.

P. P. R. imaginor, quòd fidem præstiterint.

C. Affirmavítne V. D. talem rem certam esse?

P. Non P. R. solùm dixi, me ab aliis eam audivisse.

C. Dixítne V. D. se eandem audivisse à personis fide dignis, vel ab aliis modicæ æstimationis?

P. P. R. primum asserui.

C. Quando affirmatur, quòd infamia proximi audita, & promulgata fuerit per personas vilis conceptus, non est peccatum mortale, quantumvis audientes ex levitate, & facilitate ad credendum assensum præbeant rei auditæ. Sylvester verb. Detractio Q. 4. Cajetanus Q. 73. art. 3. Navarrus cap. 18. n. 48. verùm quando affirmatur id auditum fuisse à personis fide dignis, graviter delinquitur contra *justitiam* cum obligatione restituendi famam. Sotus lib. 4. de Justit. Q. 6. art. 3. Bonacina tom. 2. de rest. disp. 2. Q. 4. part. 5. n. 5. & alii. Et ratio est; quia detractio, seu murmuratio in tantum est peccatum grave, in quantum per eam præbetur sufficiens fundamentum auscultantibus ferendi pravum judicium de proximo: atqui quando enarratur res tanquam audita à personis fide dignis, habetur sufficiens fundamentum malè judicandi de proximo, quod non habetur, quando refertur ut audita à persona vilis æstimationis: ergo enarrare rem tanquam auditam à personis fide dignis, erit peccatum grave, non verò, quando enarratur, ut audita à personis vilis æstimationis.

10. P. P. R. me pariter accuso, quòd in alio loco, ubi nota non erat infamia hujus personæ, id manifestaverim, pro tunc tamen in meo loco factum erat jam publicum.

C. Locus, in quo V. D. hoc manifestavit, erátne propinquus illi, in quo publi-

publicabatur hujus personæ infamia, ita ut, quàmprimum ad talem locum perventura fuisset rei notitia?

P.P.R. erat procul; & si ego factum non revelassem, nullo modo notum fuisset factum.

C. poterátne in illo loco haberi notitia personæ, de qua V. D. murmurabat? quia, si hujus notitia acquiri non potuisset, nec per hanc murmurationem injuria ipsi facta fuisset.

P.P.R. persona non erat nota, poterat tamen ejus notitia acquiri.

C. Duobus modis potest delictum esse notorium, nempe Juris & facti: notorium Juris, vel ut ajunt notoreitate Juris, dicitur id, de quo constat per ipsius rei confessionem in judicio, aut per testium depositionem, aut per Judicis sententiam: notorium facti, vel notoreitate facti dicitur id, quod plurium hominum conspectui expositum, vel notitia constat ita evidenti, ut nulla tergiversatione celari possit. Glossa in c. vestra de cohabit. clericorum & mulier. Idque notorium facti aliquando fit ab ipso criminoso, ut qui crimen admisit publicè coram multis in foro, aut in præsentia plurium. Aliquando fit à fama orta ex aliorum relatione, præsumptionibus, indiciis sufficientibus &c. Si alterutro ex his modis crimen sit notorium, non est peccatum mortale contra justitiam, nec onus restitutionis, quando manifestatur alibi, ubi nescitur, aut nunquam notum fuisset. Cajetanus & Navarrus apud Lessium ubi sup. cap. 11. dub. 13. n. 75. Etenim, cùm delictum sit notorium, proximus perdit jus naturale ad suam famam: ergo talis murmuratio non est contra justitiam.

Est tamen peccatum mortale contra charitatem, factum publicum in uno loco manifestare in altero, ad quem prudenter supponi poterat nunquam perventuram notitiam. Est opinio communis DD. Sairus in clavi Regia lib. 11. c. 6. n. 25. & 26. Et ratio fundatur in illo principio generali charitatis, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: quiscumq; enim non ægrè ferret suorum defectuum revelationem, ubi non sunt noti, nec facilè nosci possunt: ergo in hoc casu erit contra charitatem eosdem revelare.

11. Quamvis Diana part. 2. tract. 5. resol. 17. cum Azorio, & aliis dicat, non delinqui graviter contra justitiam, nec contra charitatem revelando in loco distanti factum notorium in altero, sive sit notorium Juris, sive facti, sive brevi tempore ad notitiam deveniatur, sive non: pro hac sua sententia Diana citat Fagundez, quæ tamen citatio non solùm accidentaliter, sine dubio ex errore typi, non est bona, verùm etiam essentialiter; quia Fagundez non docet hoc genericè, prout citatur à Diana, sed solùm ait, quòd, quando delictum est notorium notoreitate Juris, aut quando delinquens publicè deliquit, exponendo se periculo publicitatis, non sit grave

 pec-

peccatum contra charitatem, aut justitiam murmurare in alio loco, quantumvis spatio, & notitia distanti. Ita Fagundez in 8. Præcept. lib. 8. cap. 4. num. 11. Et expresse n. 10. ejusdem cap. reprobat opinionem, quæ tenet, licere, & non esse contra charitatem, quando res in uno loco notoria notoreitate facti revelatur in altero distanti, ad quem non ita facilè notitia pervenisset. Hæc opinio Fagundez est probabilis, non universaliter sumpta, ut eam refert Diana absque distinctione notoreitatis facti, nempe quando est notorium, quia hominum conspectui expositum: aut quando est notorium, quia criminosus commisit delictum in loco publico; In hoc enim secundo casu cessit suæ famæ, cùm se exposuerit evidenti periculo eam amittendi, quod non contingit, quando per famam ipsius crimen publicatum est.

12. P. P. R. me accuso, quòd suspicatus fuerim mulierem conjugatam malam ducere vitam, & hanc suspicionem meis amicis patefecerim.

C. Affirmavítne V. D. rem tanquam certam, vel tantùm tanquam rem suspectam?

P. P. dixi tantùm, me habere de re suspicionem.

C. Supposità opinione suprà relatâ quòd suspicio temeratia non sit peccatum mortale, quod præter jam citatos tuetur Layman lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 2. cap. 1. num. 6. & alii, quos citat, & sequitur Diana part. 2. tract. 5. resol. 31. inferri potest, quòd neque manifestare aliis suspicionem esset peccatum mortale. Quandoquidem ideò suspicio non est peccatum mortale, quia non determinatè, & firmiter malè judicat de proximo, sed tantùm ad id inclinat: atqui manifestans suam suspicionem non determinatè, & assertivè refert malum de proximo, sed ejus verba ad hoc tantùm *inclinant*: ergo si suspicio temeraria de proximo non sit peccatum grave, videtur; quòd nec ejus manifestatio erit.

13. Ego verò prædictum discursum nec probabilem, nec ad praxim reducibilem puto, nisi cum hac distinctione: aut quòd suspicio manifestetur personis sapientibus, qui sciunt inter suspicionem, & judicium esse differentiam, aut non: si primum, talis manifestatio non erit peccatum grave, quia vi verborum prolatorum poterunt tantùm suspicari malum de proximo, non verò ferre judicium certum: atqui quòd audientes malum suspicientur, non est culpa gravis: ergo nequit erit, dare causam id suspicandi per suspicionis manifestationem.

Si verò dicatur secundum, nempe quòd audientes nesciant distinguere judicium à suspicione, tunc opinor graviter delinqui suspicionem iis manifestando, attentâ enim modicâ eorum capacitate datur occasio, & fundamentum determinatum ferendi judicium de malo proximi: sed præbere

re occasionem malè judicandi de proximo, est culpa gravis: ergo etiam manifestare suspicionem personis ineptis ad distinguendam suspicionem à judicio. Et enim experientia docet, plures perdidisse famam ignoto Authore damni, cujus tamen principium fuit sola suspicio ab uno aliis referata, qui ignorantes discrimen inter suspicionem, & judicium id, quod audierunt tanquam suspectum, postmodùm affirmârunt velut certum.

14. Contra hanc doctrinam potest objici id, quod suprà relatum est, nempe, quòd referens aliis audita à personis vilis æstimationis, non peccet mortaliter, quamvis aliàs audientes non quidem ex vi narrationis, sed propria animi levitate sibi persuadeant, ac certum judicium ferant, verum esse, quod ipsis narratur: & præter DD. antè dictos hoc quoque alii affirmant, quos citat, & approbat Diana part. 2. tract. 5. resol. 28. Ergo neque grave peccatum erit referre suspicionem personis insipientibus, quæ ut tales sibi persuadent certum esse id, quod audierunt tanquam dubium. Consequentiam probo; in primo casu non est peccatū grave, licèt attentâ levitate audientium fides ab ipsis præbeatur dictis, & narratis; quia motivum ex se non est sufficiens pro ferendo hoc judicio: atqui suspicio ex se non est sufficiens ad hoc, ut audientes certum præbeant assensum rei auditæ: ergo licèt hi ob modicam capacitatem ferant judicium determinatum, non erit peccatum grave manifestare suspicionem.

15. Respondeo primò, quòd licèt non sit contra justitiam manifestare audita, ut talia reduplicativè, personis levibus, quæ facilè iis fidem præstabunt, est tamen peccatum contra charitatem, ita Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 5. num. 25.

Respondeo secundò, dato, quòd etiam in hoc casu charitas non læderetur, benè verò in altero. Et ratio disparitatis est, quòd audiens relata ab altero tanquam audita à personis modici conceptus, jam percipit, motivum non esse sufficiens pro determinato judicio ferendo de malo proximi, & si præbeat certum assensum, quando motivum nisi propositum non subsistit, suæ malitiæ imputandum est: at insipiens audiens suspicionem non percipit id, quòd audit tanquam suspectum (siquidem suppono eum ignorare discrimen inter suspicionem, & judicium) sed solùm percipit, & audit tanquam judicium, éstque minor distantia inter judicium, & suspicionem, quàm inter judicium & indicium, seu motivum consurgens ex referente rem, ut auditam; adeóque licèt hic non peccaret referendo audita à personis vilis æstimationis, peccabit tamen manifestans suam suspicionem personis non discernentibus judicium à suspicione, seu iudicium & suspicionem pro eodem sumentibus.

CAPUT III.

De Audiente Murmurationem.

16. P. P. R. Dico meam culpam, quòd aliquoties audiverim murmurationes, & murmurantes non correxerim.

C. Murmurantes eràntne famuli, filii aut subditi V. D.? quia hoc posito eorum garrulitatem compescere tenebatur.

P. P. R. non erant sub mea potestate.

C. Fortè erant Superiores V.D. v.g. Parentes, Domini, Judices? quia subditus regulariter loquendo non obligatur ad corrigendum Superiorem.

P. P. R. Murmurantes erant mihi æquales.

C. Materia murmurationis erátne aliquid pertinens ad honorem, & famam proximi?

P. P.R. interdum erat sermo, utrùm N. esset solicitus in suis negotiis. An alter esset hujus naturæ, & conditionis.

C. Manifestare defectus naturales proximi: v. g. quòd sit pauper, iracundus, ignorans, insipiens, audax, non est materia peccati mortalis, & Consequenter nec audire similes defectus, est materia gravis peccati. Idem esto judicium, quando de altero dicitur, quòd sit Spurius, aut illegitimus. Clavis Regia lib. 11. cap. 6. n. 8. cum aliis. Nec est materia gravis manifestare, aut audire de aliqua persona, quòd sit iracunda, ambitiosa, avara, aut superba, sic genericè referendo hos defectus. Petrus de Navarra, & cum aliis Bonacina tom. 2. de restit. disp. 2. Q. 4. part. 2. n. 7.

17. Neque est materia gravis referre, aut audire defectum, de quo gloriantur ipsimet delinquentes: v. g. quòd miles acceptaverit duellum, quòd vivat in concubinatu, aut quòd juvenis laxam gerat vitam. Ita DD. citati. Dicere, quòd N. sit Hebræus, aut ex Hebræis trahat originem, si hoc non esset notorium, peccatum mortale esset. Ita Molina, Azorius, & alii, quos citat, & sequitur Bonacina loco paulò antè citato num. 11.

18. Dicat mihi, habuítne aliquam complacentiam audiendo has murmurationes? quia si hanc habuit, esset peccatum contra charitatem, grave, vel leve pro ratione materiæ, seu mali proximi, de quo erat murmuratio.

P. P. R. licèt ego habuerim complacentiam, non tamen hæc ferebatur directè in malum mei proximi, sed in modum, & leporem, quo detractor idem malum narrabat.

C. Quando complacentia non est de malo proximi, sed solùm de gratia, & modo proferendi, aut quando solùm ex curiositate auditur murmuratio, non est peccatum grave. Lessius ubi supr. dub. 4. num. 24. §. Adverte. Rebellus, Navarrus, & alii, quos citat, & sequitur Bonacina ubi supr. part. 11. num. 5. quia complacentia sumit suam bonitatem, vel malitiam ab objecto,

ad

ad quod terminatur : atqui malum proximi est objectum prohibitum, non verò gratia proferendi: ergo complacentia de malo proximi erit peccatum, non verò de gratia, & modo proferendi.

19. Dicat mihi, erátne V. D. conscia de notoreitate rei, ad quam murmuratio tendebat?

P. P. R. hoc prorsus ignoravi.

C. Ordinariè loquendo, quando detractor excusatur à peccato in detrahendo, etiam audiens ita excusabitur. Et pro solatio Confessariorum, & personarum timoratarum ponam hìc doctrinam Bonacinæ, Rebelli, & Malderi, quam etiam approbat Diana part. 2. tract. 17. resol. 24. ubi docet, quòd audiens murmurationes etiam in materia gravi, non tamen sciens, an id de quo alter murmurat, sit notorium, vel non, aut justè, vel injustè relatum, non peccet audiendo ipsum, ac ejusdem conversationem non relinquendo.

Et addit Diana part. 2. tract. 5. resol. 35. illum, qui præ verecundia, pusillanimitate, aut negligentia detrahentem non corrigit, venialiter tantùm peccare. Consultum tamen est, quòd Christianus audiens similes discursus, in quibus læditur fama proximi, conetur ex charitate, quantū comodè facere potest, corrigere, & impedire, saltem indirectè, ostendendo suam aversionem, displicentiam, vel non consensum: v. g. discedendo à loco, sermonem aliò divertendo, aut tacendo, vultum torvum vel tristem ostendendo; nam ut dicitur Proverb. cap. 25. Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguas detrahentem.

Tota fermè doctrina hìc adducta ad correctionem fraternam servata proportione applicari potest.

CAPUT IV.

De Restitutione Famæ.

20. C. Id, quod V. D. confessa est paulò antè de illa puella, éstne modò publicum, & notorium?

P. Ita P. R.

C. Quòd factum sit notorium provenítne per medium licitum: v. g. quia delatum est ad Justitiam?

P. P. R. publicitas ortum habuit ex sola fama, & quia murmuratio huc, & illuc devenit.

C. Quando crimen alicujus occultum ab altero injustè evulgatum, posteà aliis mediis licitis independenter à prima detractione factum est publicum, seu notorium notoreitate Juris, vel facti, tunc omninò cessat obligatio restituendi famam primò læsam; ratio est, quia infamatus per illam publicationem sui occulti criminis amisit jus ad suam famam respectu illius criminis. Bonacina ubi supr. punct. 8. n. 8. ast quando publicatio procedit ex mediis illicitis, non excusat à restitutione famæ: v. g. quando per non interruptam murmurationem factum est notorium id, quod antecedenter erat occultum, quilibet obligatur ad

resti-

restituendam famam apud omnes immediatos audientes. Ita Turrianus disp. 53. dub. 4. n. 2. & alii. Et ratio est, quia quando plures cooperantur ad furtum unius vineæ, vel domus, quilibet obligatur ad restitutionem damni Domino illati; ergo pariter quando multi concurrunt ad damnificationem famæ proximi, quilibet tenebitur ad restitutionem damni ipsi illati.

21. Quamvis Sylvester verb. Detractio Q. 4. & alii eximant, à restitutione, quando delictum sive justè, sive injustè factum est notorium. Et hæc opinio potest sic probari; quia una ex causis excusantibus à restitutione est impotentia: atqui impossibile videtur, quòd, quando delictum est jam notorium, fiat occultum, ac infamia de memoria hominum deleatur: ergo in hoc casu nulla erit obligatio restituendi famam. Hæc opinio Sylvestri mihi non videtur tuta, licèt enim de facto non sequatur totalis effectus, nec infamia oblivioni tradatur, nihilominus pars aliqua obtinebitur: atqui ille, qui nequit totum resarcire damnum, si possit partem, ad hanc tenetur: ergo &c.

22. Dicat mihi, constátne, personas quibus V.D. aperuit hoc crimen, aliis quoque id aperuisse?

P. Ita P. R. scio enim, quòd postmodùm cum aliis de eodem murmuraverint.

C. Si personæ, quibus V. D. detexit crimen, fuissent graves, & taciturnæ, ita ut prudenter judicare potuisset, rem ulteriùs non evulgaturas, licèt postmodùm contra omnem suam opinionem aliis manifestarent, non teneretur restituere famam coram aliis mediatis audientibus, sed sufficeret, apud ipsos tantùm immediatos audiẽtes retractare; quia tunc respectu V.D. esset per accidens ipsorum revelatio, & infamia ulterior infamati ipsorum malitiæ, vel imprudentiæ imputanda est. Villalobos part. 2. tract. 11. diffic. 36. num. 11. in fine.

23. Cùm verò immediati audientes fuerint leves, garruli aliis facilè evulgaturi, omninò tenetur V. D. non solùm coram immediatis, sed etiam coram illis aliis mediatis auditoribus famam resarcire in defectu immediatorum audientium, & ulteriùs evulgantium. Petrus de Navarra lib. 2. cap. 4. num. 433. Ratio urgentissima est: quia tunc V. D. damnum prævidit, vel prævidere prudenter omninò debuit, ideóque indirectè saltem voluit, atque adeò totum illud damnum, & infamia ulterior subsequens est ex formali injuria detractoris primi: ergo tenetur resarcire apud omnes totum damnum, quippe cujus totius injusta causa fuit. Secundò, manifestare crimen garrulis est exponere evidenti periculo ejusdem promulgationem, quod non contingit, quando manifestatur taciturnis, & prudentibus: sed sic est, quòd exponens se periculo alicujus

cujus damni sibi imputare debeat secutum damnum: ergo detrahens coram garrulis, & leviculis auditoribus tenetur restituere famam, non solùm apud hos immediatos, verùm etiam apud alios mediatos audientes, ad quod non obligatur detrahens coram taciturnis, & prudentibus audientibus.

24. Quamvis Philippus Faber cum Ales apud Dianam part. 3. tract. 5. ref. 34. sentiat, quòd tantùm apud immediatos, non verò mediatos audientes sit obligatio restituendi famam, nec ullam distinctionem ponit inter audientes taciturnos, & garrulos, hac ratione ductus, quia (inquit) quòd audientes immediati postmodùm aliis, & aliis crimen detexerint, fuit merè per accidens, & fortuitum: atqui non est obligatio resarciendi damna fortuita, & casualia: ergo &c. Hanc opinionem admittit Diana cum distinctione supradicta de audientibus probis, & gravibus, quod eâdem limitatione, & ego sentio.

25. Dicat mihi, hoc crimen, quod V.D. propalavit, éstne progressu temporis apud audientes oblivione deletum?

P. P. R. hoc mihi non constat.

C. Audivítne V.D. aliquem de hoc loquentem?

P. Jam diu de hoc nihil audivi.

C. Si infamia illata oblivione omninò deleta sit, non est ejus renovanda memoria, nec est obligatio resarciendi famam, hoc enim esset renovare plagam jam curatam; sufficiens verò fundamentum dijudicandi, infamiam esse oblivione deletam, est, quando per longum tempus nulla prorsus de ea fit mentio, ut cum aliis DD. sentit Bocina ubi supr. part. 13. num. 2. quo casu prudentia maxima desideratur in Confessariis; quia aliquando, quod adhibetur tanquam medium restituendi famam, est causa excitandi rursus species consopitas, ita ut memoria simul cum infamia reviviscat: quapropter diligenter inquirant, singulariter, quando exaudiunt generales Confessiones, in quibus pœnitentes se accusant de infamia illata alicui personæ temporibus elapsis, de qua tamen nulla penitus viget memoria; esset enim magna imprudentia in tali casu obligare ad restitutionem famæ, utpote cum majori detrimento, quàm emolumento infamati.

26. Dicat mihi, ex hac detractione éstne damnum aliquod temporale illi puellæ secutum: v.g. quòd non potuerit honestè nubere, aut propter infamiam contractam opulentiori dote indiguerit?

P. Ita P. R.

C. Crimen evulgatum erátne verum vel falsum?

P. P. R. Erat verum.

C. Si crimen fuisset falsum, V.D. obligaretur ad resarcienda omnia damna temporalia, quæ ex hac infamatione passa est puella infamata:

quia omnium damnorum esset causa efficax, & injusta. Idem dicunt Navarrus cap. 4. num. 381. Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 19. num. 104. plerique alii: & pariter, si crimen est verum, sed occultum; quia dum crimen est occultum, licèt sit verum, persona est in possessione suae famae, adeóque qui injustè eam hoc bono sibi debito privat, est causa efficax damnorum, quae exinde ipsi sequuntur: ergo ea resarcire tenetur.

27. Quamvis Sotus lib. 4. de Justit. Q. 7. art. 3. ad 4. docet, quòd, quando delictum evulgatum est verum, non sit obligatio rasarciendi omnia damna fortunae, quae ex evulgatione secuta fuère, sed tantùm aliquam eorum partem arbitrio viri prudentis; quod sic probari potest; quia minus jus habet proximus ad suam famam, quando crimen est verum, quàm haberet, quando est falsum: ergo si imponens alicui crimen falsum obligatur ad resarcienda omnia damna ex falsa imputatione secuta, non obligabitur ad tantum detegens crimen verum.

Nihilominus opinio contraria est communis, & vera. Et ratio est; quia infamans proximum per revelationem criminis occulti, licèt veri, est causa principalis, & efficax damni exinde secuti: Ergo totum damnum secutum compensare debet. Confirmatur hac paritate; Ille, qui culpabiliter detegit ignem cineribus contectū, & est causa alicujus incendii, tenetur compensare totum damnum reale inde secutum, eodem modo ille, qui culpabiliter quoque transferret ignem ad locum, ubi antecedenter non dabatur, & incendium causaret: ergo pariter obligabitur ad compensationem omnium damnorum secutorum ille, qui manifestavit crimen, vel defectum occultum verum, ac ille, qui crimen falsum detexit, ex quo patet responsio ad rationem in contrarium.

28. P. P. R. haec eadem puella me infamavit, dicendo, me in concubinatu vivere.

C. Quemadmodum in bonis fortunae est licita compensatio concurrentibus circumstantiis suprà dictis, dum sermo fuit de hac materia in praecepto 7. cap. 4. p. 7. ita pariter licita est in infamia: ita ut, si duo vicissim se infament, possint in justam compensationem se continere à mutua famae restitutione. Sotus, Adrianus, Toletus, & alii, quos citat, & sequitur Lessius ubi supr. dub. 25. per totum. Ad justam tamen compensationem requiritur, ut servetur aequalitas: si enim Titus graviter infamet Cajum, qui sive antea, sive posteà eumdem leviter, vel non ita graviter infamavit, non potest Titius simpliciter uti compensatione, sed tenetur restituere excessum, seu id, in quo Titius superavit Caii infamiam etiam sibi illatam, ut sic utraque infamatio aequalis reddatur; in nostro ergo casu non est aequalitas inter infamiam, quam V. D. intulit puellae, & alteram,

retam, quam puella V. D. imposuit; quia majorem famæ jacturam incurrit puella per lapsum carnis, quàm vir.

29. Hìc necessariò notandum est Confessariis, non licere ita compensare famam per se directè, & præcisè per modum compensationis; ita, ut prior infamatus vicissim infamet alterum, à quo infamatus fuit; quia hæc esset vindicta, & non compensatio: solùm ergo hoc intelligitur, quòd, quando duo postquam se invicem infamârunt, possit quilibet omittere restitutionem famæ in compensationē, aut magis propriè loquendo tanquam in pignus, usque dum alter restituat famam sibi ablatam: v. g. Petrus dixit de Joanne, quòd sit fur, non licet Joanni dicere de Petro quid simile, sed casu quo hoc dixerit, potest Joannes differre restitutionem famæ ablatæ Petro, usque dum Petrus eidem Joanni eam restituat.

30. Dixi id non licere per modum compensationis præcisè, nam per accidens indirectè, & per modum defensionis id licere, libenter concedo, nempe manifestando defectus infamantis, ex quorum propalatione infamatus potest famam amissam recuperare, quando aliud medium eam recuperandi non obviat: v. g. Petrus vocavit Joannem furem, nec Petrus cogitat de restitutione famæ: potest licitè de Petro dicere, quòd sit mendax, dummodò sit verum, quòd Petrus in hoc casu mentiatur, ad enervandum, & extenuandum ejus fidem circa calumniam, qua ipsum infamavit, & propriam famam recuperandam.

Dixi, dummodò sit verum, quòd Petrus mentiatur, quia aliàs non licet Joanni hoc dicere pro sua fama recuperanda, & contrarium damnatur tanquam scandalosum ab Innocentio XI. in Propos. 44. in cujus explicatione tract. 10. ponam conditiones requisitas ad hoc licitè faciendum.

CAPUT V.

De variis modis assignatis à DD. restituendi famam.

31. Si crimen proximo impositum est falsum, modus restituendi famam est, apertè illud retractare apud audientes v. g. dicendo: in tali occasione dixi hoc, & illud de Paulo, sciant omnes hoc esse falsum, cùm viri probi, sapientes nullo modo defectum à me propagatum in eo deprehendant, quòd si audientes nollent credere simpliciter retractanti suum dictum, tenebitur detracto etiam adhibere juramentum: Ita Clavis Regia lib. 11. cap. 3. num. 27. Molina, Filliucius, & est communis.

32. Si crimen est quidem verum, sed occultum, modus restituendi famam est, laudare infamatum, honorem ei deferre, de eo honorificè loqui, vel cum eo honorificè agere coram aliis, apud quos diffamatus fuerat. Hunc modum docent Sotus lib. 4. de restit. q. 9. num. 3. ad 4. Navarrus in Sum. cap. 28. & alii, quos

 citat,

citat, & approbat Villalobos part. 2. tract. 11. diffic. 37. n. 5. §. alter modus. Hoc idem cum Valentia, & aliis sentit Diana part. 3. tr. 5. Miscellan. resol. 30. & in part. 11. tract. 6. Miscellan. resol. 56. ac plurimùm commendat Confessariis hunc modum reparandi famam, tanquam faciliorem, & suaviorem.

33. Alium modum assignat Magister Canus, Salon, & alii DD. citati à Villalobos ubi supr. nempe, si infamator dicat, se non rectè advertisse, errasse, deceptum esse &c. quamvis realiter vera esset res relata, nec erit mendacium hoc modo restituere famam. Duplex enim est veritas, una speculativa, altera practica: veritas speculativa consistit in conformitate verborum cum mente; veritas practica in conformitate operum cum dictamine rationis practico, & consequenter falsitas speculativa consistit in deformitate verborum cum mente; & falsitas practica in deformitate operum ad dictamen rationis practicum. Ex quo infertur, illum, qui alium infamavit, verum illius occultum crimen evulgando, quando postmodùm resarciendo famam dicit, se esse deceptum, non contradicere veritati practicæ; cùm ejus verba sint conformia dictamini rationis practico, & omnis peccans revera erret, vel decipiatur deceptione practica.

34. P. P. R. me accuso, quòd ex ordinatione Confessarii debuissem rogare veniam uni personæ, de qua murmuravi, nec unquam habuerim animum hoc adimplendi.

C. Putabátne V. D. se graviter peccare non rogando veniam illi personæ?

P. Et quomodò poteram non peccare non adimplendo id, quod Confessarius mihi imposuerat?

C. V. D. non obligabatur ad petendam veniam ab illa persona & Confessarius multùm erravit hoc ei præcipiendo, licèt V. D. ex conscientia erronea graviter peccaverit hoc omittendo. Obligatio V. D. solùm extendebatur ad restituendam famam illi personæ coram immediatis, vel etiam mediatis audientibus juxta supradicta.

35. Magnam ignorantiam in hoc genere adverti in aliquibus imperitis, & inexpertis opinantibus pœnitentem propter suspicionem aliquam, aut judicium temerarium, vel detractionem proximi obligari ad petendam veniam. Error valde perniciosus: primò quia, si proximum latet, me hoc cogitâsse, aut detraxisse de ipso, nónne insania est, quòd ego ipsemet id ei revelem rogando veniam; per per quod in eodem odium aliquod, aut malam voluntatem contra me excitem? secundò, quia pœnitentes animum non habent hoc exequendi; adeóque ex conscientia erronea dictante se peccaturos, nisi id adimpleant, multa peccata committunt. Et ultimò, quia petitio veniæ solùm requi-

quiritur in restitutione honoris, & non famæ: atqui nec judicium temerarium, nec detractio damnificant honorem, sed benè famam: ergo nec propter judicium temerarium, nec propter detractionem petenda est venia. Minor est certa; quia fama est bona opinio, quæ habetur de proximo, honor verò est externa veneratio, & reverentia, quæ exhibetur proximo: judicium temerarium, & detractio opponuntur tantùm bonæ opinioni, seu existimationi habendæ de proximo, non verò externæ reverentiæ eidem exhibendæ: ergo judicium temerarium, & detractio solùm opponuntur famæ, & non honori. Contumelia est, quæ opponitur honori, & de hac in sequenti capite agam.

CAPUT VI.

De Contumelia.

36. P. P. R. me accuso, quòd repetitis vicibus dixerim de aliquo, eum esse furem, Judæum, & alia injuriosa verba.

C. Dixitne hoc in ejus præsentia?

P. Ita P. R.

C. Est igitur hoc peccatum contumeliæ, mortale ex genere suo, oppositum virtuti Justitiæ, inducitque obligationem restituendi honorem, & specie distinguitur à detractione, & murmuratione, sicut rapina à furto; quia sicut furtum committitur clàm, inscio Domino, sic detractio fit in absentia personæ diffamatæ; & sicut rapina fit apertè, & in præsentia Domini rei, ita pariter contumelia.

37. Necesse non erat, quòd V. D. explicaret verba cōtumeliosa, quibus proximo injuriam intulit, dicendo, quòd ipsum appellaverit furem, Judæum &c. sed sat erat solùm dicere, se protulisse verba injuriosa, & contumeliosa contra proximum; quia contumeliæ, licèt in genere physico distinguantur, seu differant specie, non tamen in genere moris, ut affirmant Cajetanus, Sotus, Sanchez, Molina, & alii, quos citat, & sequitur Trullench. in Decalog. lib. 8. dub. 2. num. 2.

38. Idem dicendum de detractionibus, & judiciis temerariis, quòd non distinguantur specie in genere moris. Et ratio est; quia omnia judicia temeraria, & detractiones conveniunt in una, eadémque ratione formali infamandi proximum, sicut omnes contumeliæ conveniunt in una eadémque ratione formali inhonorandi: atqui motivum formale est id, quod specificat actus in ordine ad mores: ergo detractiones, & judicia temeraria non distinguuntur inter se specie ex diversitate defectuum, qui censurantur; sicut nec contumeliæ distinguuntur inter se specie propter diversitatem injuriarum contra proximum prolatarum.

39. Dicat mihi V. D. protulitne sæpius has injurias contra proximum?

P. Ita P. R.

C. Contigítne hoc in unica tantùm occasione, vel in pluribus ?

P. P. R. in unica.

C. Unum ergo numero peccatum commisit in hac occasione, quamvis plures protulerit contumelias, ut affirmant Castropalaus tom. 1. de peccatis tract. 2. disp. 3. punct. 3. num. 6. vers. Nihilominus, Trullench. ubi suprà num. 3. & alii, quia interruptio moralis, & non physica multiplicat numerum peccatorum: atqui, quando ex unico impetu iræ proferuntur contra proximum plures contumeliæ, licèt sit interruptio physica, non est tamen moralis: ergo etiam non, nisi unum numero peccatum.

40. Hic necessariò notandum, quòd vulgus soleat confundere verbum interdum, cum verbo occasio, ac si unum, & idem essent: quapropter necessarium est, quòd Confessarius ad ferendum judicium de numero peccatorum, quando pœnitens confitetur se interdum detraxisse, aut contumelias protulisse contra proximum, eundem interroget, an hoc contigerit in unica, aut pluribus occasionibus; quia si fuit in unica, licèt in hac sæpiùs verba injuriosa protulerit absque interruptione morali, unum erit numero peccatum. Idem advertendum, quando pœnitens se accusat de repetitis osculis, amplexibus, aut verbis obscœnis, nempe, quòd debeat interrogari ad ferendum judicium de numero peccatorum, an in unica, vel pluribus occasionibus id acciderit. Excipe tamen, quando actus sunt perfecti in suo genere, ut copula, mollities &c. Pro tunc enim, licèt in eadem occasione compleantur, quilibet actus est distinctum ab altero numero peccatum.

41. P. P. R. Verba contumeliosa contra hanc personam à me prolata omnibus nota erant.

C. Quamvis in detractione publicitas, seu notoreitas rei excuset à peccato gravi, non tamen in contumelia; quia cum publicitate persona perdidit jus tantùm ad famam, non verò ad honorem, ut ait Bonacina tom. 2. de restit. disp. 2. Q. 4. punct. 2. in fine: Atqui contumelia opponitur honori: ergo licèt res sit publica, peccatum mortale erit per eamdem afficere contumeliis proximum.

CAPUT VII.

De Restitutione honoris.

42. P. P. R. quomodo me gerere debeo in restituendo honorem huic personæ ?

C. Dicat mihi, hæc persona, quam V. D. contumeliis affecit, éstne filius, famulus &c. V. D. ? quia si talis *est*, sufficit pro satisfactione injuriæ, quòd V. D. familiariter eum alloquatur, honorificè salutet, ac extraordinariam ostendat benevolentiam. Hic modus satisfaciendi pro Superiore afficiente injuriâ, aut contumeliâ subditum videtur sufficiens Cajetano Q. 73.

num. 3. & Lessio lib. 2. de justit. cap. 11. dub. 27. n. 114. & aliis.

Ægidius Trullench ubi supr. n. 7. Vallentia, Filiucius, & alii, quos citat, & sequitur Bonacina loco cit. Q. 5. punct. 1. num. 4. ajunt, non peccare graviter Parentes, Maritos, Dominos, dum de corrigendo, & reprehendendo filios, uxores, famulos ex impatientia contumeliis afficiunt.

43. P. P. R. non est filius, nec subditus meus, cui contumeliam irrogavi.

C. Estne fortè ejus Genitor, aut Superior? quia si esset Genitor, contumelia præter malitiam contra justitiam aliam specie distinctam contra pietatem includeret; ut in 4. præcept. tract. 4. cap. 1. dixi; & si esset Superior, duas pariter contineret malitias, nempe, contra justitiam, & contra virtutem observantiæ, seu obsequii, ut pariter loco cit. dixi. Modus autem, quo inferior satisfacere debet Superiori pro contumelia, debet esse petendo humiliter veniam. Ita Lessius ubi supr. §. 2.

44. P. P. R. hæc persona non est meus Superior, sed æqualis.

C. Inter æquales modus magis efficax, & tutus restituendi honorem est petitio veniæ. Villalobos p. 2. tract. 11. diffic. 42. n. 6. quia per hunc actum sufficienter ostendit læsor, sibi displicere injuriam factam læso, & quòd, si antecedenter eum per contumeliam inhonoravit, dein per petitionem veniæ honoret, & revereatur.

Lessio tamen ubi supr. num. 144. §. 2. videtur inter æquales sufficere interdum pro restitutione honoris, ut offendens locum magis honorificum tribuat offenso, invitet ad convivium, aut ei propinet. Quia injuria illata per contumeliam consistit in omissione, vel potiùs negatione obsequii extrinseci, quo proximus honorandus est: atqui dando locum magis honorificum &c. exhibetur ipsi hoc obsequium extrinsecum, in quo antecedenter damnificatus fuit: Ergo per similia obsequia contumeliæ damnum ad æqualitatem resarcitur.

Si autem contumelia fuisset gravis, nec læsus his exterioribus signis contentus esset, sed insuper petitionem veniæ prætenderet, ait Lessius ibi in hoc casu petendam esse veniam.

45. P. P. R. obligabórne ad restituendum honorem ablatum, non solùm apud ipsum dehonoratum, verùm etiam apud alios, apud quos honor illius per meam contumeliam imminutus est?

C. Si læsus satisfactione privata contentus non est, V. D. obligabitur ad hanc præstandam, etiam coram illis, apud quos eundem dehonoravit, alioquin non esset æqualitas inter offensam, & satisfactionem.

46. Notandum primò, contumeliam non solùm committi verbis, sed etiam factis v. g. percutiendo aliquem baculo: & hæc contumelia est gravior.

vior, majorémque satisfactionem requirit.

Notandum secundò pro Confessariorum solatio ex doctrina Ægidii Trullench super 8. præcept. Decal. lib. 8. cap. 8. dub. 2. n. 7. & Bonacinæ de restit. disp. 2. Q. 5. punct. 1. num. 4. §. 3. excusari à mortali contumelias, & convitia, quibus mulierculæ, pueri, & homines infimæ sortis se se solent aspergere ex animi irati promptitudine; nisi ex gravi odio procederent, quod esset mortale contra charitatem.

Et consequenter non obligari ad mutuam veniæ petitionem, saltem sub gravi culpa: primò, quia injuria non est gravis: secundò, quia se se invicem contumeliis afficiunt, adeóque in justam compensationem possunt restitutionem omittere: & tertiò, licèt alii audiant, nihil de eorum fama perditur, quia noscunt ex motibus primò primis iræ convitia illa jacere.

47. In hoc præcepto disserui tantùm de detractione, & contumelia, quà talibus, nempe, ut malitiam injustitiæ præcisè continent, non verò de iis, ut malitiam odii frequenter eisdem annexam includunt; quare Confessarii de hac pœnitentes interrogent, cùm sit malitia specie distincta contra charitatem. Et quamvis subinde materia detractionis, aut contumeliæ sit levis, posset tamen graviter delinqui, si nimirum ex odio, & intentione graviter lædendi proveniant, ut patet in parvo furto, in quo licèt materia sit levis, si tamen adsit intentio notabilem quantitatem auferendi, peccatum mortale committitur.

CAPUT VIII.

Exhortatio ad Detractores.

48. C. Non adeò facilè est explicare damna, & mala, quæ à lingua detrahente derivantur. S. Jacobus Apostolus ait: linguam esse compendium universale omnium malorum, & quòd infernus eam inflammet ad comburendam alienam famam, suóque igne accendendam non refrenantis animam. Propheta David dicit, quòd vir detractor non prosperabitur super terram: vir linguosus non dirigetur in terra. Dominus DEUS noster Israëlitas contra Moysem murmurantes severè punivit, Aaronis sororem Mariam eâdem de causa leprâ mulctavit, plerasque alias pœnas vindex Justitia DEI hoc detractionis vitio laborantibus inflixit. De quadam fœmina refertur quòd morti proxima linguam spectantibus omnibus circumstantibus extraxerit, ac magno dolore has effuderit voces: hæc lingua meæ damnationis origo est.

Eadem animadversione plecti formidandum est V. D. nisi ab hoc vitio abstinere per veram emendationem conetur; adeóque si amat animam suam, seriò id faciat; siquidem ex detractione nullus percipitur quæstus. Et quandocumque in colloquiis famam proximi denigrari adverterit, illinc

sine abeat, similes conversationes fugiat; & si abire nequit, displicentiam suam, vel non consensum ostendat, sermonem aliò divertat, & hoc modo detrahentes corriget.

Non dubito, quin V. D. ægrè ferret aliorum detractiones de se, suisque actionibus: si ergo intendit Dei, & charitatis observare legem, coërceat linguam suam à detractionibus, quas nollet super se cadere. Advertat Fili mi, plures moderno tempore bonum nomen amisisse linguis nequam ad hoc cooperantibus, ac semper vigere onus restituendi famam proximo ablatam, quod valdè difficile est, cùm homines, ut plurimùm, inclinent ad credendum potiùs malum, quàm bonum; propterea detestabili hoc vitio abhorreat, & sic charitatis obligationem adimplebit, DEI legem observabit, pacem cum proximo habebit, ac à dæmonis unguibus se liberabit.

CAPUT Ultimum.

De nono, & decimo Præcepto.

49. Nonum, & decimum Præceptum, ad sextum, & septimum reducuntur, hæc duo ultima imposuit DEUS, ut indicaret non solùm opere per contrectationem rei, aut uxoris alienæ delinqui, verùm etiam per earum concupiscentiam: Et licèt in omnibus quoque aliis præceptis rei ab ipsis vetitæ desiderium sit peccatum; hæc duo tamen prava desideria prohibentia expressè fuere posita, tum quia per hæc sufficienter instrui possumus quoad alia præcepta, tum quia etiam in hæc objecta magis fertur appetitus hominis.

50. In hac materia notandum est, desideria bonorum fortunæ, si per media illicita, aut ex pravo fine, vel ex avaritia non procedant, non esse peccata saltem mortalia; & si hæc bona propter aliquem bonum finem intendantur: v. g. pro solvendis debitis, faciẽda eleemosyna cùm animo ab omni avaritia alieno, nullum est peccatum; quamvis laudabilius sit, Christianum esse conformem voluntati divinæ, nec ultra ejus placitum quidquam desiderare: Etenim, si hæc bona temporalia nobis necessaria essent, indubium est, à Divina Majestate nobis fore tribuenda, & quando ea denegat, signum est, non nobis profutura; Idcircò nos, & omnia nostra Divinæ suæ Providentiæ dispositioni remittamus, quæ si ipsamet volatilia nutrit, terram incultam vestit, à fortiori creaturas suas rationabiles alere non desinet; utinam nos ita soliciti essemus in eo amando, & serviendo, quemadmodum ipsi de nobis continua est cura.

TRACTATUS IX.

De Consequentibus Confessionem.

1. PRæcipua cura, & solicitudo Cõfessarii debet esse in excitãdo pænitẽtem ad dolorem, & detestationem peccatorum; siquidem integritas materialis Confessionis non sem-

semper sit necessaria ad percipiendum Sacramenti fructum, qui absque supernaturali dolore obtineri non potest. Quare advertat Confessarius, quàm plures accedere ad Confessionem sine dolore, & non paucos, qualisnam ad eamdem dolor requiratur ignorare; adeóque explicandum est pœnitenti, quid sit contritio, & attritio, & quòd attritio cum confessione sufficiat, ad validitatem Sacramenti, ac peccatorum veniam impetrandam. Pro Confessariis autem, qui rationes ad detestationem peccatorum impulsivas in promptu non habent, hìc motiva aliqua efficacia ponam, ad hoc, ut DEI Spiritu, & Zelo determinatâ Confessione Pœnitenti ea suggerant, modo sequenti.

CAPUT I.

De Exhortatione à Confessario facienda Pœnitenti finita Confessione.

2. C. Non sufficit Fili mi pro impetranda venia suarum culparum contra Divinam Bonitatem patratarum, easdem oretenus confessum fuisse, ulteriùs requiritur, quòd ipsum verè pœniteat, & doleat Divinam Majestatem suam offendisse cum proposito eandem ampliùs non offendendi.

Non dubito, quin, si V. D. ad amabilem Bonitatem Dei à se offensam reflectet, magnam quoque sit habitura displicentiam, & tristitiam de peccatis, quibus non hominem, non Angelum, sed ipsumet Deum, qui eam creavit, pretioso suo sanguine redemit, ad fidem catholicam constituit, ac innumerabilia alia præstitit beneficia, contempsit, & offendit. Et si per leges positivas, & mundanas meritò adeò practicatur, & commendatur lex gratitudinis, ac quilibet vir sapiens pro accepto beneficio, & mũeribus Benefactori se gratũ exhibere enititur, qua ratione Deus demerebitur id, quod infimus homo meretur? aut beneficia collata V. D. ingratitudine, & offensis persolvet?

3. Si V. D. in carceribus existens pro suis delictis extremum supplicium sustinere deberet, nec ullus daretur, qui eam ab hac sententia liberare posset, & ex Indiarum remotis confiniis Rex compareret, qui nullo præsupposito servitutis officio sibi præstito, V. D. redimeret, se se ad mortem super patibulum subeundam offerret, & de facto vitam cum sanguine funderet, quam mercedem pro tam eximio favore rependeret? quàm magnum obligationem huic Regi profiteretur? Et si V. D. tam crudelis, & inhumana esset, quòd post beneficium adeò singulare perceptum Regiam personam alapâ cæderet, nonne execranda impietas, & delictum horrendum esset? Hoc idem, quod contra hominem peractum summam sævitiam saperet, est rectè in terminis id, quod V. D. contra Deum suum patravit.

V. D. in antro carceris suorum scelerum condemnata erat, ad patibulum inferni, à quo nullus præter

Deum

Deum eam liberare poterat: infinita ejus Bonitas, & immensa Pietas cum detrimento (ut ita dicam) suæ Gloriæ è regione cælesti venit in terram, humanitatis carcerem intravit, mortem ignominiosam Crucis subiit, ut liberaret eam à sententia, & supplicio suis delictis debito. Beneficia hæc multiplicia Dei quibus gratiarum laudibus, & operibus persolvet, & de facto quomodo persolvit? ah horrendum dictu! tot colaphis eum percussit, quot crimina, & scelera patravit.

4. Hæc ingratitudo eò abominabilior, quò vilior est res, propter quam irritavit, & offendit Deum suum, nempe propter turpem voluptatem, propter sordidum interesse &c. Magis æstimando contemptibilia hujus mundi, quàm immensam magnitudinem Creatoris, & potiùs obtemperando dæmoni suggerenti peccatum, quàm Deo ad virtutem excitanti. Super cordis sui trutinam, seu bilancem positùs fuit ex una parte Deus gratiam, filiationem, & gloriam suam offerens, ex altera dæmon in peccato suam amicitiam, captivitatem, ac æternum infernum exhibens, & tamen V. D. potiùs diaboli servitutem, quàm Dei filiationem elegit, amicitiam dæmonis gratiæ Creatoris præposuit.

5. Ad summam peccati turpitudinem, & malitiam reflectat, quæ tanta est, ut, si omnes homines & Angeli aspera quæque, & ardua sufferrent pro unico tantùm peccato mortali, satisfacere non valerent; adeóque pro condigna satisfactione præstanda necessarium fuit Deum incarnari, pati, & mori.

6. Tam ingens est malitia peccati, ut, quandocunque homo peccat, Filium Dei spernat, percutiat, colaphizet, crucifigat diriùs, & crudeliùs, quàm ipsimet Judæi; hi enim, si crucifixerunt eum, nescierunt esse Deũ: Lucæ c. 23. non enim sciunt quid faciunt; & semel tantùm hoc fecerunt; V. D. autem, licèt noverit & Deum, & suum esse crediderit, toties tamen crucifixit, & occidit, quoties in eum peccavit.

Dicat Fili mi, fortè Deus malum aliquod, aut injuriam ipsi intulit? verè non; quinimò mille beneficia contulit, & majora conferre desiderat; quare ergo Deum tam bonum persequitur? Nónne satis pro sua redemptione afflictus, & vulneratus est Redemptor? cur ergo addit afflictionem afflicto, & vulnera vulnerato?

7. Et si amor Dei omni amore digni eam non movet ad sua scelera deflenda, ac vitam suam emendandam, Justitiæ ejus timor mores suos corrigat, & coërceat.

Recogitet Fili, multas in inferno animas cruciari, propter minora, quàm V. D. cōmiserit, peccata; & quòd absque ulla injustitiæ nota, postquam peccavit, imediatè ei Deus vitā auferre, & in infernũ eam detrudere poterat. Et quid modò de V. D. esset, si misera

hæc sors ei obtigisset ? si hìc digitum super candelam accensam brevi temporis intervallo sufferre non potest, quomodo V. D. habitare poterit in caverna illa obscura, catenis alligata, flammis undequaque circumdata, fame tabescens, siti exæstuans, doloribus intensissimis afflicta, super carbones ardentes volutata, & quod plus est, visione Dei in æternum privata, absque spe per totam æternitatem eo fruendi ? Omnes has pœnas V. D. promeruit pro suis peccatis, & tamen Deus concessit ipsi tempus pœnitentiæ, quod tot aliis denegavit; quinimo eò magìs hac gratia indignum se reddiderat, quò plura, & graviora erant ejus scelera, & flagitia.

8. Nónne summa erit dementia, se rursum damnationis periculo exponere, & gratiam acceptam contemnere? sciat Fili, statutum esse numerum determinatum peccatorum, & Deum signasse, ad quot peccata permissivè se habere velit, quo numero completo, sicut voluntas Dei est irrevocabilis, & decreta ejus immutabilia, ita infallibiliter sententiam damnationis exequitur. Ignotum est V. D. quot sua peccata Deus velit adhuc permittere, præfixum numerum ignorat, unicum potest deesse pro complemēto sui numeri, & si hunc complet, ô infelix ipsius anima propter infallibilem æternam damnationem secuturam.

9. Dicat, quæso, quid prodest ipsi offendere Deum ? Reflectat ad vitam suam præteritam, ad voluptates, gaudia, delectationes habitas, & fateatur, qualenam lucrum exinde perceperit? ubi nunc omnia sua oblactamenta ? transierunt, avolarunt in momento, & vitam quoque, qua adhuc vivet, finiet, sicut vitam, qua vixit, finivit. Nónne magna cæcitas est propter momentanea, vilia, transitoria, & inconstantia hujus sæculi bona animam in æternum perdere ? Et pro brevi duratura voluptate flammis inextinguibilibus cruciari non per unum, decem, mille, vel millionem annorum, sed per integram æternitatem ?

Comparet summam terrenarum voluptatum, ac temporalium deliciarum brevitatem cum infinita æternitatis duratione, & cogitet, an sit justum, & rationabile propter bona adeò frivola æternitatem omnium malorum incurrere.

Perpendat Fili mea dicta, consideret certam esse veritatem, & de fide, quòd vita hæc semel sit transitura, & tandem ventura dies, ac hora ultima suæ vitæ, in qua summè amara erit animæ culpa nunc à dæmone dulcedine operta.

Quando V. D. appropinquabit horæ mortis, ô quantum se non peccasse optabit ? ecce nunc tempus se ad bonam mortem disponendi, quo neglecto potest contingere adeò acceptabile non amplius venturum, licet summoperè id desiderabit.

10. Reflectat præsentem vitam insta-

stabilem esse, & quòd, si modò est inter vivos, cras possit esse inter mortuos. Multos haud dubiè audivit morte improvisâ absque confessione obiisse: idem accidere potest V. D. cùm de opposito nullam à Domino Deo securitatem habeat; & licèt de perceptione Sacramentorum esset certus, de multis tamen scimus, prævia etiam confessione, & communione defunctos in æternum periisse; qui enim malè vivit, Deo fortè sic permittente nec benè confitebitur in morte in pœnam suorum peccatorum.

Si hoc solum esset vitreum, & subtus fornax profunda ignea, auderétne V. D. deambulare super hoc vitrum? non profectò, quia prudenter argueret vitrum fore frangendum, & in flammas illas se præcipitem dandum.

11. Vitrum tam fragile non datur, sicut vita hominis, sub hac est ignea inferni profunditas: quomodo ergo V. D. audebit hoc fragile vitæ vitrum transmeare cum pondere culparum sine timore fractionis vitæ, & cadendi in profundum inferni? Fili mi, charta sit ipsi salus animæ, se emendare studeat; & sic vitam tranquillam ducet. Qui vivit Deo ejus mandata servando, nec timor mortis torquet eum, nec res aliqua hujus vitæ eum affligit; at qui in peccatis vivit, quomodo est possibile, quòd cordis lætitiam habeat, cùm sit certus, inter se, & infernum nihil aliud quàm respiramen mediare? quomodo placitum somnum capere potest, qui procumbit culpâ lethali gravatus, vi cujus forsitan non nisi in inferno se à somno excitabit?

12. P. P. R. cupio emendare, quod feci, hócque pro certo promitto, solùm propter gravitatem mearum culparum timeo, ne Deus mihi parcat.

C. Et hoc Fili ex ore suo prodire sinit? licèt plura haberet peccata, quàm mare habeat arenas, cœlum stellas, & aër atomos, veritas catholica est certior certitudine existentiæ hujus diei, quòd Deus omnium peccatorum indulgentiam tribuat animæ verâ cordis contritione eadem confitenti; cùm Deus verbi sui pignora dederit, quòd, quotiescumque peccator contritus veniam petet, Divina sua Majestas annuet, quamvis enormia sint ejus crimina.

Respiciat V. D. in David, Manassem, in Petrum, & Paulum, Magdalenam, Matthæum, aliósque quàm plures peccatores, quibus Deus adeò liberaliter pepercit perspectâ eorum cordis compunctione, ita ut postmodum ad excelsam sanctitatem, & Dei amicitiam pervenerint: Idemmet est Deus modò, qui antea erat, pro peccatore optante se alterum esse ab illo, qui anteà fuit.

Sequatur V. D. hos sanctos Pœnitentes, qui post conversionem ad Deum ad priora scelera non sunt reversi; quinimò ea continuò ponderantes amaris lacrymis detestabantur. Non aliter V. D. se gerere debet nunquam obli-

oblivioni tradendo sua crimina ad ea lugenda, & deflenda, ac pane quotidiano planctûs, & compunctionis se reficiendo.

In immensam Dei Pietatem ac infinitam ejus misericordiam confidat, & speret, qui est Pater amabilis, ut peccatorem prodigum ad se conversum benignè recipiat, nec unquam cor contritum, & humiliatum despiciat; præterea tanquam bonus Pastor ovem, quæ perierat, quærit, & si tali anxietate amissam, & errantem oviculam ad ovile reducere nititur, qua cordis sui exultatione sponte ad se venientem recipiet? Et immensus ejus amor non recusat itineris laborem pro impertienda gratia Samaritanæ in vitiorum cœno volutatæ, quantò magis V. D. confidere debet, dum voluntariè ad Divinos ejus pedes procumbit pro obtinenda peccatorum venia.

13. P. P. R. Nunc me accuso de peccato omisso in confessione.

C. Quale est hoc peccatum?

P. P. R. est peccatum valde grave.

C. Tantùm dicat Fili, non deterreatur, nec pudore tardetur; me enim nihil omninò terret, aut scandalum parit; non permittat se à dæmone decipi; si quod plus est, fecit, etiam minus adimpleat, de nulla re est ipsi formidandum, nec ego mirabor, quamvis V. D. ipsummet Crucifixum feriisset.

P. P. R. est peccatum Inquisitionis, & Hæresis.

C. Tantùm dicat Fili, qualenam peccatum est? est fortassis peccatum Bestialitatis?

P. Ita P. R.

C. Et hanc Bestialitatem confiteri erubescit? eja ergo, siquidem absque recursu ad inquisitionem ab hoc casu ipsum absolvam.

Dicat mihi, quoties peccatum hoc commisit, forsan centies millies?

P. Non P. R.

C. Bis millies?

P. Non tot vicibus P. R.

C. Quot vicibus ergo, parum plus, vel minus?

P. P. R. ter, vel quater.

C. In decursu hujus Confessionis, vel ante Confessionem habuítne intentionem confitendi hoc peccatum?

P. P. R. ex mero pudore non fui ausus cogitando, quòd ad manus Inquisitionis me tradere deberem.

14. C. Sciat se fefellisse, quia confessarius, licèt hæreses à pœnitente audiret, Inquisitioni eum tradere nequit, cùm sigillum strictissimè obliget ad nihil de auditis in Confessione revelandum: nec peccatum, quod modò V. D. confitetur, est hæresis, sed tantùm solet reservari ab Ordinariis in aliquibus Diœcesibus, & quilibet Confessarius approbatus in virtute Bullæ potest ab eo absolvere: Accusátne se modo de voluntate, & intentione reticendi hoc peccatum, & percipiendi indignè hoc Sacramentum Pœnitentiæ? in quo sacrilegium patrabat?

P. Ita

P. Ita P. R. de hoc pariter me accuso.

C. Et V. D. accessisétne ad sacram communionem retento hoc peccato?

P. Ita P. R.

C. Accusátne se quoq; de hac voluntate communicandi in malo statu, in quo novum sacrilegium cõmittebat?

P. Ita P. R. de omnibus me accuso.

C. Noviter etiam se accusat de omnibus antecedenter confessis?

P. Ita P. R.

C. Et de omnibus modò, & antea confessis iterum ex toto corde dolet, ac firmiter proponit emendationem?

P. Ita P. R.

C. Habétne aliquid aliud ad dicendum?

P. Non P. R. nihil aliud habeo.

C. Non erubescat, amore Dei dicat, si quid remanet? non sinat se à Diabolo vinci: novit enim, quòd perhumaniter, & non asperè secum egerim.

P. Hoc me induxit ad aperiendum nefas adeò turpe, & credat V. P. quòd si aliquid aliud conscientia dictaret, simpliciter faterer.

15. Hoc peccatum paulò antè confessum in alia quoque occasione fui confessus, & quia Confessarius dixit, necessarium esse, Romam adire, non fui ausus id ampliùs confiteri.

C. Non Fili, non est opus pergere Romam, ego ab hoc peccato ipsum absolvere possum. Advertat, quæso Confessarius circa hoc punctum; cùm plures adinvenerim animas diù reticentes peccata in Confessione ex eo, quòd Confessarius dixerit, non posse eas absolvi à peccato Bestialitatis, aut Sodomiæ, nisi Romam proficiscerentur; ignorantia nimiùm crassa, & culpabilis in uno Confessario; Etenim in Hispania quilibet Confessarius approbatus ab Ordinario potest virtute Bullæ absolvere ab omnibus censuris, & casibus reservatis, excepta Hæresi externa, à qua Tribunal Inquisitionis in Hispania absolvit, & cuicumque Confessario à S. Tribunali authoritatem petenti concedetur facultas absolvendi ab Hæresi. Sed, sicut dixi Bestialitas non est reservata Papæ, nec inquisitioni.

Et quando Pœnitens accedit cum similibus peccatis, necesse est eundem animare, interrogando, utrumnam multoties & excessivè: v. g. centies millies ea commiserit, ut sic pœnitens sumat animum, & putet, Confessarium non terreri, aut obstupescere de suis culpis.

16. Quod enixè commendo PP. Confessariis, &, ut benignè, & clementer agant cum pauperculis pœnitentibus, non asperè eos arguant, aut severè excipiant, nec eorum culpas mirari ostendant, sed summam fragilitatem miseræ naturæ humanæ perpendant, & quòd, si Deus nos sua protectione non fulciret, Dæmonibus deteriores omnes evaderemus: Consideret Confessarius, quòd, si ipsemet

in

in statu pœnitentis constitutus esset, optaret à Confessario benignè excipi; ergo, si hoc secum practicari vellet, idem cum proximo suo practicet, cùm proximum tanquam se ipsum Deus amari præcipiat.

Consideret pariter Confessarius, quòd in sacro Confessionis Tribunali Dei Personam repræsentet; & si Divina Bonitas in suo Tribunali magis ad pietatem, quàm ad severitatem prona est, id pariter Confessarius imitari debet, aliàs non erit vices gerens, ac Dei substitutus.

Potest quidem, & debet Pœnitenti repræsentari turpitudo culpæ, proponi gravitas peccati, & horror Dei offensæ; sed in hoc verba dulcia, & penetrantia sunt adhibenda, suaviter admonendo; non cum clamore reprehendendo: ostendat Pœnitenti suam deceptionem, sed non verbis exasperantibus: hortetur rationibus validis, sed non deterreat nimio rigore: illuminet luce eum collustrante, non obumbret tenebris, aut tonitruis perturbet: animam ejus sanæ, & Sanctæ doctrinæ rore uberet, & fœcundet, non grandinem jaciat eandem sterilem reddentem.

Demum fasciâ prudentiæ vulnera pœnitentis ligare studeat, miscendo vinum reprehensionis cum oleo amoris, & sic legem charitatis erga proximum adimplebit, Zelum Ministro Dei debitum exercebit, finem emendationis Pœnitentis obtinebit; & Deus sapientiâ ad cognoscendum verum, prudentiâ ad dirigendos peccatores illum replebit.

17. Frequenter contingit, quòd pœnitens sit habituatus in peccato, & in occasione proxima voluntaria constitutus; in quibus casibus deneganda est absolutio juxta declarationem Innocentii XI. In Propositione 60. damnata. Nihilominus sæpius potest absolvi concurrentibus circumstantiis in ejusdem Propositionis explicatione signatis. Sed pro tunc necessariò admonendus est, quòd per relapsum incapax fiat absolutionis, & pro tunc Confessarius cum Pœnitente se gerere debet modo sequenti.

C. Consideret statum miserabilem, in quo jacet anima ejus propter hos relapsus, qui talis est, ut incapacem reddat recipiendi absolutionem; cùm ex nulla emendatione à tanto tempore arguatur ipsum accedere ad Confessionem absque requisito dolore, & efficaci emendationis proposito, qua dispositione seclusa est incapax absolutionis juxta præscripta Confessariis à Sanctitate Innocentii XI. dicentis, à longo tempore recidivis in qualibet specie peccati non posse tribui absolutionem. Ratio fundamentalis hujus Decreti est; quia Confessario cor pœnitentis patere non potest. Nec ejus actus interni, nec utrùm verè proponat emendationem, & solùm à posteriori ex effectibus infertur causa latens

tens in corde; effectus veræ pœnitentiæ sunt emendatio morum: pœnitens post tot confessiones nunquam mores suos emendavit: ergo ipsum non verè pœnituit, nec de facto pœnitere rationabiliter præsumitur, & consequenter est incapax recipiendi absolutionem, & hujus Sancti Sacramenti fructum.

18. P. P. D. firmiter promitto me imposterum emendaturum.

C. Fili, modicam his verbis præsto fidem, quia quotiescunque fuit confessus, hoc idem promisit, nec unquam servavit; quo fundamento igitur debeo credere, quòd deinceps sit adimpleturus?

Volo, ut ipsemet sit judex in sua causa. Dicat mihi, si rem aliquam faciendam mihi imponeret, & ego in verbo viri id promitterem, promissis autem meis non starem, repetitis postmodùm vicibus me rogaret, & ego semper renovarem promissa, nunquam verò in iis manerem, nunquid præstaret fidem cæteris omnibus posterioribus meis promissis? non profectò, & rationabiliter. V. D. accedit ad confessionem semel, bis, & ultrà decursu temporis, à quo laborat hoc vitio, semper promissa emendationis confessario dedit, nunquam verò ea executioni mandavit, quomodo autem nunc credam executuram?

19. P. P. R. quid dicam? fragiles, & miseri sumus lutea vasa portantes; licèt in confitendo habuerim propositum non amplius Deum offendendi, postmodùm velut fragilis lapsus fui in eadem peccata.

C. Certus sum de inconstantia conditionis humanæ naturæ, quæ est ipsamet fragilitas, hæc verò fragilitas aliqualiter est reparanda, quod debet fieri per negationem absolutionis; cùm enim plaga sit adeò inveterata, ut medicinæ suaves non sufficiant ad eam curandam, necesse est uti combustione pro lethali hoc ulcere curando.

Non ignoro pariter, quòd physicè loquendo sit compossibile verum propositum in confessione cum posteriori ejusdem replicata fractione, moraliter tamen sunt incompossibiles tot relapsus cum efficaci, & vero proposito; nósque Confessarii regulari debemus non juxta id, quod physicè evenire potest, sed secundùm id, quod moraliter contingit, & communiter contingere solet.

Physicè possibile est, in occassione proxima constitutum non cadere; & hoc non obstante absolutio ei impertienda non est; quia in judicio morali, seu moraliter incompossibilis est emendatio constituto in proxima occasione, licèt in hoc non adsit repugnantia physica; itaque eat in Nomine Domini; quia nequeo eum absolvere.

20. P. P. R. per amorem Dei obsecro me absolvat, protestor enim me emendaturum.

C. Forsitan putat, me differre absolutionem ex mera mea voluntate? sciat hoc mihi plus, quàm ipsi displice-

re, sed cùm sit incapax, quid prodest eam absolvere? nec V. D. percipiet fructum Sacramenti, nec ego meæ obligationi satisfaciam, impertiendo ei absolutionem.

P. P. R. quid, quæso, tota gens præsens dicet, videndo, quòd me non absolvat?

C. Hoc impedietur per ceremoniam, quæ fit in absolvendo, & modò à me fiet impertiendo ei solùm benedictionem.

P. P. R. sincero corde protestor, & promitto emendationem.

C. Caveat; quia si putat me decipere, se ipsum decipit, si ex toto corde se non determinat ad emendationem, & depositionem veteris hominis cum omnibus actibus, & habitibus vitiosis.

P. P. R. sit certa, quòd ex toto corde prædicta confirmem, & quòd omnem possibilem conatum velim adhibere pro hac promissione adimplenda.

C. In verbo suo absolutionem ei impertiar, sciat tamen, hanc fore ultimam, nisi verè resipiscat, & redeat ad cor; & quòd, si relabetur in idem peccatum, nemo poterit eam absolvere. Et licèt aliquis hoc faceret, V. D. non percipiet fructum absolutionis, cùm ejus proposita sint meræ velleitates, verbúmque suum non mihi, sed Deo dat, méque tanquam hominem deludere quidem valet, non verò Deum, qui abscondita sui cordis noscit, & an verè proponat emendationem.

21. V. D. non aliter faciat, si amat animam suam; quia, si insulsum, & vile est, verbum homini datum non adimplere, quale dedecus erit, verbum Deo omnipotenti datum transgredi? Quia semel tantùm Ananias, & Saphira ejus uxor mentiti sunt D. Petro Actorum c. 5. improvisâ morte obierunt, dixítque ei D. Petrus: *non es mentitus hominibus, sed Deo. non me Dei Ministrum, sed Deum ipsum decipere voluisti.*

Hæc eadem punitio est ipsi formidanda, si fraudulenter, & non cordicitùs asserit, se emendationem proponere; Etenim non mihi, sed Deo, qui non poterit decipi, mentietur, si vitam, & mores verè corrigere non statuit. Fiat ergo, quod promittit, & Deus ter optimus parcet peccatis suis, à quibus omnibus mox eam absolvam.

CAPUT II.

De modo, quo Confessarius se gerere debet cum Pœnitente, qui jam diu non est confessus, & cum illis, qui doctrinam Christianam ignorant.

22. Quàm plures Christiani, sine ullo amore Dei, ac propriæ salutis obliti, SS. Sacramenta negligenter frequentant per annos integros interdum ea non recipiendo; & aliqui (sine timore Dei) adhuc diutiùs; nec desunt pluribus ex his excusationes, & prætextus ad colorandam, &

& obtegendam hanc adeò reprehensibilem negligentiam: hos Zelosus Confessarius efficacibus rationibus à tali sopore excitare, ac frivola eorum fundamenta convellere debet. Hoc tamen non est faciendum ab initio, sed in fine confessionis, quinimò, quando Pœnitens ab initio dicit, ab anno, & ultrà non fui confessus, Confessarius prudenter, & patienter pro tunc dissimulet, nec reprehendat, aut scandalum propter hoc pati ostendat, sed silentio prætereat; ne peccator confundatur, & peccata confiteri vereatur: postquàm verò totum è conscientia evomuerit venenum, objiciat ipsi, quàm periculosum, & perniciosum sit tam notabiliter differre, & procrastinare accessum ad Sacramenta, eúmque ad eorundem frequentiam rationibus sequentibus ad hunc finem positis animet.

C. Fili mi, non negligat imposterum frequentare Sacramenta, quæ sunt cibus animæ, antidotum suarum infirmitatum, remedium vulnerum, solatium pœnarum, levamen tribulationum, medium vincendi tentationes, arma suam fragilitatem à dæmone defendentia, & spes æternæ Gloriæ. Modicùm Deum suum amat Christianus, qui negligit eum in corde suo recipere, cùm tamen summum illud bonum sub speciebus panis apud nos manere dignatum fuerit ex abundantia amoris, & desiderii inhabitandi in cordibus nostris; ô quàm magna ingratitudo animæ rationalis Deo suo nolle uniri, eíque in corde suo hospitium parare.

Evidens quoque signum est modici amoris erga animam suam, dum ab hoc cœlesti alimento eam jejunare sinit. Dicat Fili, si sex, vel octo mensium, aut unius anni intervallo à quolibet cibo abstineret, nónne fame periret? Modò, si tanto tempore relinquit animam suam absque hujus Divini panis refectione, debilitari, infirmari, extenuari necessarium erit. Si per sex, aut octo menses indusium non mutaret, nónne fuligine, & carbonibus obscurius, & deformius appareret? si per tantundem tempus non abluit indusium suæ conscientiæ in aqua confessionis, quomodo puritas animæ suæ se habebit? turpissima, fœdissima, & luridissima erit. Videtur ipsi rationabile tantâ diligentiâ uti pro nutriendo corpore, & tam modica in alenda anima? Justúmne est, tanta solicitudine mundare vestem tegentem hoc corruptibile corpus & tam modica applicatione sordibus abstergere vestimenta pretiosa Spiritûs? Tanta diligentia adhibetur pro conservatione, & decentia hujus corporis, futuri pabuli vermium, in cineres, & pulveres convertendi, & quasi nihilum pro conservatione animæ suæ, quæ est gemma pretiosissima fabricata à Supremo Artifice; facta ad suam imaginem, & similitudinem immortalis, incorruptibilis, capax visionis, frui-

fruitionis Dei & æternæ Gloriæ ?

23. Si Hospes aliquis in platea compareret auri maximam copiam habēs, nuntiarétque universaliter omnibus pecuniæ cupidis eandem ad libitum largiendam absque obligatione restitutionis: daretúrne aliquis, qui renueret adesse ad percipiendum aurum gratis datum? Dives in omnes DEUS in Sanctis Sacramentis deposuit thesauros inæstimabiles sui amoris, suæ gratiæ, suæ misericordiæ, pretiosiores auro, argento, margaritis, ac divitiis hujus mundi, eósque gratis omnibus indifferenter offert: quàm magna ergo dementia, & insania nec oblatas opes appetere, nec eas à summa liberalitate Domini acceptare? Si quispiam Christianus mortifero morbo laboraret, ac Medicus peritus se sponte, & gratis ad eum curandum offerret, nunquid oblationem factam respueret, aut sanitatem ex boni Medici industriâ recuperare recusaret? Anima ejusdem gravi culpæ infirmitate cruciatur, Divinus Medicus salutem per suavissima Sacramentorum pharmaca infallibiliter obtinendam exhibet, & ingratissimus Christianus potiùs in infirmitate jacere, quàm curari decernit?

Reflectat pariter, memoriam hominis labilem esse, & oblivioni obnoxiam, & consequenter per longam Confessionis dilationem quomodo poterit recordari speciei, numeri, ac circumstantiarum suorum peccatorū? præterea se exponit innumeris scrupulis, quòd confessiones debito examine, & integritate, vel materiali, vel formali careant. Perpendat præsentem vitam ad instar vitri fragilem, & instabilem esse, improviso infortunio finibilem: quod, sicut pluribus accidit, ita V. D. accidere potest. Si mors adveniet, dum per confessionem erit benè disposita, felix ipsius sors erit; si autem ex dilatione confessionis absque hac Christiana præventione obibit, væ ipsi! propter hæc, & alia motiva rogo, hortor, admoneo, obsecro per Dei & sui ipsius amorem, ut deinceps magis sit solicita in frequentando Sacramenta: salutem animæ suæ quæro, negotium suæ salutis ago, quod magis sua, quàm mea interest; Eja Fili consilium meum ei placeat, & sic V. D. vitâ vivet pacificâ, corde tranquillo, & securo, eâque securitate, quam secum affert bona conscientia: è contra verò faciendo angustias, turbationes, ac animæ inquietudines experietur, præcipuè tempore mortis, in quo consilium meum neglexisse summè pœnitebit.

24. Alios pœnitentes comperiet Confessarius doctrinam Christianam, ac necessaria ad salutem ignorantes; hi & alii, in quibus prudenter supponitur adesse talis ignorantia, de summa credendorum interrogandi sunt, ut suprà dixi tract. 1. cap. 1. n. 1. nec est consultum, quòd Confessarius semper ab initio confessionis de prædictis in-

interroget; quia dantur plures personæ, quæ per has immediatas interrogationes turbantur, ac non rectè respondendo erubescunt, cui verecundiæ addita altera de revelatione peccatorum facilè ad aliquod reticendum inclinabunt: completa ergo confessione omnium peccatorum poterit Confessarius eos interrogare de Doctrina Christiana, compertóque peccatore ignorante ad absolutionem non procedat absque prævia notitia Mysteriorum SS. Trinitatis, & Incarnationis, cùm eorum fides explicita sit necessaria necessitate medii ad justificationem & salutem, & consequenter ad recipiendam absolutionem, ut constat ex Propositione 64. damnata ab Innocentio XI. ut videri potest in ejus explicatione tract. 10. seq. Unde Confessarius supposita ignorantia pœnitentis ante absolutionem tenetur eum instruere quoad Mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ mox sumendæ, imponendo, ut pariter addiscat alia, quæ sunt necessaria necessitate præcepti: quòd si post trinam, aut quartam admonitionem ea non didicerit, differre debet absolutionem, usque dum ea calleat, ut dixi tract. 1. cit. & pariter dicam tract. 10. seq. in explicat. Proposit. 64. damnatæ.

Ut autem Pœnitens non turbetur ex interrogatione rerum fidei, quæ aliquibus videtur impropria, ac pueris, non adultis facienda: Confessarius hos prudenter admoneat, non ex curiositate, aut verecundia causanda se hoc interrogare, sed quia talis notitia ad salutem Pœnitentis est necessaria, nec magis ad eam obligari pueros, quàm adultos, suæque conscientiæ teneri satisfacere, antequam ad absolutionem procedat, aliisque motivis suadeat Pœnitenti passivam, & voluntariam instructionem: & si Pœnitens erit Pater, aut Mater familiæ, interroget pariter, utrùm liberos, aut famulos erudierit ad Mysteria nostræ sanctæ Fidei, vel an eos erudiri in scholis, alióve modo tentaverit.

25. Alios etiam adinveniet Confessarius pœnitentiam in prioribus Confessionibus impositam non adimplevisse, vel tantùm ejusdem partem; tunc exactè interroget, quidnam desit ad eam complendam; & si fortè pœnitentia esset indiscretè imposita, alleviare, vel commutare in aliam magìs congruam pulchrè studeat absque murmuratione aliqua Confessarii præcedentis, vel aspera reprehensione Pœnitentis negligentis; sed oro tunc dissimulet, in finem confessionis reservando admonitionem de hoc peccato omissionis, ut in decursu operis sæpiùs dixi.

Dantur alii Pœnitentes negligentes in exequendis votis, & promissionibus; quapropter super secundum Præceptum eos interroget; & comperto aliquo defectu, omissione, vel negligentiâ, discutiat, utrùm possit,

vel expediat ab hoc onere Pœnitentem liberare per dispensationem voti, juxta principia tradita tract. 2. cap. 4. per totum.

CAPUT III.

Remedia præservativa pro habituatis peccato, & occasionibus involuntariis.

26. Unum ex principalioribus muneribus Confessarii est officium Medici spiritualis, vi cujus diligenter debet perquirere infirmitatem Pœnitentium; pulsum animæ sensim tangere; passiones animi inordinatas investigare, ac cognitâ infirmitate remedia opportuna applicare.

Remedium valdè proficuum, & efficax ad emendationem peccatoris in aliquo vitio habituati est renitentia, & difficultas Confessarii in eo absolvendo, modo, & formâ in antecedenti capite præscriptâ: cùm quilibet Christianus advertens propter sua peccata sibi claves cœli denegari posse, ita terrefiat, ut ad proposita valde efficacia exinde progrediatur.

Caveat tamen Confessarius, ne hanc difficultatem absolvendi ostendat cum clamoribus, verbis asperis, & acerbis, sed dulciter, & suaviter Pœnitenti repræsentet causam, propter quam renuit eum absolvere, nempe propter ejus inefficacia, & frivola proposita. Hoc remedio potest uti cum quolibet peccatore habituato; eadem enim ratio militat in omnibus habitibus vitiosis, quos omnes complectitur Propositio 60. damnata à Sanctitate Innocentii XI. Frequentiores habitus peccandi sunt sequentes.

27. Primus, est vitium ebrietatis, quod difficile à subjecto corrigi potest, ut experientia patet.

Secundus, Juramentum falsum, maledictiones, & imprecationes voluntariæ.

Tertius, non solvendi debita, aut malè acquisita non restituendi.

Quartus, piis legatis non satisfaciendi.

Quintus, injurias non remittendi, & non amandi proximum amore præcepto.

Sextus, non adimplendi promissa, aut vota Deo, & Sanctis præstita.

Septimus, est vitium turpe lasciviæ tam in propria, quàm in aliena persona, sive cogitationibus, sive verbis, sive operibus.

Octavus, non restituendi honorem, aut famam ablatam per detractiones coram personis audientibus easdem retractando, & in contumelia petendo veniam à persona inhonorata.

Nonus, est ignorantia culpabilis, & vincibilis doctrinæ, & Mysteriorum Fidei, de qua suprà egi tract. 1. cap. 1. n. 1. & cap. præc. n. 24. & adhuc agam tract. 10. seq. in explicatione Propositionis 64. damnatæ ab Innocentio XI.

Decimus, Inobedientia, arrogantia, & contemptus Parentum.

Un-

Undecimus, omissiones particularium personarum in officiis, & ministeriis sibi comissis, de quo fusè, & ex professo in secunda parte hujus operis ago.

Quotiescunque Pœnitens de his, & similibus consuetudinibus, seu habitibus vitiosis se accusabit, gerat se Confessarius modo suprà dicto in præced. cap. interrogando pariter, utrum nam ab aliis Confessariis fuerit admonitus de incapacitate exinde absolutionis; & si bis, vel ter fuerit admonitus, nec se emendaverit, nullo modo eum absolvat, nisi concurrentibus circumstantiis in explicatione Propositionis 60. positis.

28. Secundum remedium est objectio gravitatis peccati, juxta dicta cap. 1. hujus tr. 9. Certũ est enim in multis Pœnitentibus, quibus turpitudinem peccati objeci, extraordinarios effectus, ac mirabiles conversiones me deprehendisse; qui postmodùm solent ita fateri: P. R. si cæteri Confessarii ita illuminâssent oculos mei intellectus, nunquam obdormivissem in morte, nec vitam præteritam duxissem. Quod absque dubio credo, cùm voluntas hominis sit potentia cæca, & intellectus à bonis terrenis facilè se falli permittat; quare nisi Confessarius solidis, & evidentibus rationibus proponat motiva apta ad convincendum intellectum Pœnitentis, ejúsque voluntatem movendam ad vera bona amplectenda, & falsa detestanda difficulter relictâ lubricâ viâ vitii semitam virtutis ingredietur.

29. Tertium remedium est imponere Pœnitenti, ut singulis diebus per unum vel medium horæ quadrantem motiva, & rationes suprà cap. 1. positas discutiat, singulariter verò æternitatem pœnarum inferni maturè, ac vera fide ponderet. Et si Persona sit à curis, & negotiis immunis, maximè Ecclesiastica, injungat, ut bis in die manè, & vesperi orationi mentali incumbat, in qua fragilitatem, & brevitatem vitæ, mortis certitudinem, terribilitatem Divini Judicii, pœnas inferni horribiles sibi præparatas, nisi resipuerit, aliaque similia seriò perpendat.

Hæc tria remedia sunt utilissima, & efficacissima; teste enim Jeremia cap. 12. tot mala mundi ex defectu considerationis proveniunt: Quia nullus est qui recogitet corde; ipsemet quoq; Spiritus S. ait, efficacissimũ remedium peccati esse novissima meditari: Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccl. 7. & Moyses summoperè optabat, ut homines in eorum contemplatione exercerentur: Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. Deut. cap. 23. Hoc Cõfessariis debet esse in praxi familiare; quia intellectus pœnitentis objurgationibus, & increpationibus non captivatur in obsequium fidei, & Divinæ Legis; sed solidarum rationum pondere, & virtute.

30. Quartum remedium est frequentia SS. Sacramentorum plus, aut minus imponenda juxta majores, vel minores occupationes pœnitentis, quem rationibus supradictis cap. 2. num. 22. ad eandem hortari poterit.

31. Si relapsus procedant ex occasione vitanda: v. g. ex frequentia alicujus domûs, vel ex transitu per talem viam, imponendum est, ut domum illam ampliùs non ingrediatur, vel fores ejus non circumeat, per talem viam non transeat: & si occasio est proxima, nempe in eodem habitaculo, sed involuntaria: v. g. Filius familias habet illicitam correspondentiam cum aliqua persona domestica, quam expellere non potest, nec ipsemet de eâdem egredi, & de similibus; præcipiat Confessarius, ut ad posse à conversatione cum tali persona abstineat, nunquam cum ea solicitè agat, ab ejusdem aspectu caveat eâ diligentiâ, qua stramen, seu palea ab igne alienatur, cùm faciliùs sensuales flammæ accendantur in corde lascivo, quàm ignis in palea.

32. Si habitus non proveniat à causa extrinseca, sed intrinseca pœnitentis: v. g. quòd se polluat voluntariè, remedium est difficilius, cùm nemo possit fugere inimicum intrinsecum, & sibi annexum, & magis tamen efficax antidotum est incensum aromaticum considerationis; & quando adversarius hac viâ eum aggreditur, muniat se miles Christianus clypeo meditationis, ponderando, quòd voluptas à carne oblata illicò sit transitura, & quòd in ipso actu comissionis possit à Deo puniri morte temporali & æternâ; comparet mometaneam delectationem cum infinita duratione æternitatis culpæ debitâ: & moraliter impossibile erit, quòd suppositâ horum attentâ consideratione ad peccandum se determinet.

33. Suadeat pariter, ut interdum solitarius in cubiculo mortui figuram repræsentet, reflectendo, quòd tandem semel realiter in sepulchro mortuus jacebit; ut subinde digitum ad ignem, vel ad candelam accensam appōat tamdiu, quamdiu sufferre potest, & mente revolvat, quòd si impossibile est sustinere digitum propinquum flammæ unius candelæ per unum, vel alterum momentum, quomodo dein corpore, & anima habitare poterit cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis?

Si compotationibus est deditus, præcipiat, ut vinum abundanter cum aqua mixtum bibat, aut totaliter abstineat si absque nota, vel detrimento salutis fieri possit: *Quia venter vino æstuans citò despumat in libidines*: & ait Apostolus *ad Ephes. cap. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Ut pravas conversationes evitet, & honestis, ac timoratis personis se associet, à fœminarum consortio pro posse declinet, ad choreas, ac vana mundi oblectamenta non tendat.

Ut nunquam otio indulgeat, quia otium

otium est fons, & scaturigo vitiorum; cùm verò intellectus, & aliæ potentiæ hominis non quiescant, sed quasi semper sint in actu secundo; nisi honestis vacent occupationibus, tentationibus diaboli subjiciuntur.

Singulari devotionis affectu B. Virginem Mariam Dominam nostram prosequatur, humiliter deprecando, ut tanquam Mater puritatis omnem impurum affectum è corde suo eradicet; ut Rosarium Marianum devotè recitare non desinat, & quando tentationes impetunt, sub tantæ Matris præsidum confugiat, recitando Salve Regina, vel salutationem Angelicam; Etenim si humili, & reverenti corde adeò amabilis, & potentis Reginæ auxilium implorabit, securè confidere potest de secuturo suæ orationis effectu.

CAPUT IV.

De Pœnitentia satisfactoria Pœnitenti imponenda.

34. AD tria reducunt Theologi Pœnitentiam satisfactoriam Sacramentalem. Primum est jejunium, in quo comprehenduntur omnia opera pœnalia. Secundum est eleemosyna, ad quam reducuntur omnia opera Misericordiæ. Tertium est Oratio, ad quam revocatur totum id, quod fit ad Dei Domini nostri honorem, gloriam, & obsequium.

Certum est, quòd Confessarius regulariter loquendo teneatur imponere aliquam pœnitentiam satisfactoriam Pœnitenti, & quidem ejusdem peccatis moraliter proportionatam. Ita sancit Sacrum Concil. Trident. Sess. 14. cap. 8.

Dixi moraliter, quia impossibile est methaphysicè, seu arithmeticè ad æqualitatem mensurare satisfactionem cuicumque culpæ debitam: adeóque tantùm requiritur prudens, & rationabilis decisio absque nimia hæsitatione, vel scrupulo, an sit excessus, vel defectus in justa mensura.

35. Ut verò Confessarii absque scrupulis possint in hac materia procedere, adducam opinionem communem Theologorum apud de Lugo de Pœnit. disp. 27. sect. 3. num. 22. docentem, quòd, quando Pœnitens potest consequi aliquam indulgentiam plenariam, in hoc casu possit Confessarius dimittere pœnitentem absque pœnitenia precibus ipsis indulgentiæ pro pœnitentia inservientibus. Idem de Lugo disp. 8. sect. 4. num. 48. Caspensis tom. 2. tract. 24. disp 8. sect. 4. n. 28. in fine.

Ex quo infertur primò, quòd tempore Missionis, in quo Missionarii solent publicare Jubilæum, possint Confessarii absolvere absque Pœnitentiæ impositione, vel aliquam levem tantùm imponendo, præcipiendo nimirum pœnitenti, ut diligenter adimpleat requisita ad Jubilæum. Idem dicendum pro diebus primæ Dominicæ Mensis, in quibus multæ Ecclesiæ Jubilæo potiuntur, & universaliter pro

pro quolibet festo anni, in quo habentur similes Indulgentiæ plenariæ.

36. Infertur secundò, qualibet die, in qua est statio Romæ, posse Pœnitentem absolvi absque ulla pœnitentia, dummodò suppositâ Bulla visitet quinque Altaria; sic enim Indulgentiam plenariam consequetur. Diebus verò, in quibus non sunt stationes Romæ, poterit ei injungi jejunium unius diei, quod non sit de præcepto; & si non potest jejunare, ut aliud bonum opus perficiat ad arbitrium Confessarii, per quod stante Privilegio Bullæ quindecim annos, & 600. dies indulgentiæ lucrabitur, id est, remissionem pœnæ Purgatorii, quam consequeretur Pœnitens, si toto hoc tempore pœnitentias à sacris Canonibus assignatas persolveret. Et si pœnitens multis peccatis sit irretitus, nec detur tempore suæ Confessionis ulla Statio Romæ, aut aliud Jubilæum, potest Confessarius ei applicare Indulgentiam plenariam Bullæ, quæ annuatim semel in vita conceditur, sicque onus pœnitentiæ alleviare.

37. Si vera est opinio Remigii in Sum. tract. 7. cap. 1. §. 4. num. 2. dicentis, singulis anni diebus acquiri Indulgentiam plenariam per Privilegium Bullæ visitando quinque Altaria, quæ opinio fuit etiam alterius Doctoris, quem omisso nomine citat, & refutat Trullench in Bullam lib. 1. §. 6. dub. 1. n. 7. Sequeretur enim, quòd in quacumque anni die, in qua pœnitens confiteretur, dummodò orationes solitas ad quinque Altaria persolveret, pœnitentia ei debita posset imminui.

Censeo tamen, solum diebus, in quibus est statio Romæ, dictam Indulgentiam plenariam acquiri, ut constat ex verbis Bullæ, quæ dicit, in singulis diebus Stationum Almæ urbis. Hoc non obstante probabile mihi videtur, quòd singulis diebus in virtute Bullæ possit acquiri Indulgentia plenaria; quia arbitror, singulis quoque diebus dari stationes Romæ, ut infertur ex verbis additis in fine Bullæ Cruciatæ, quæ sic sonat, singulis aliis diebus anni acquiruntur Indulgentiæ Romæ, quia quotidie in ea datur Statio. Nec huic obstat Decretum reformationis Indulgentiarum à Sacra Congregatione Romæ emanatum 7. Martii Anno 1688. quod refert P. Magister Lumbier tom. 1. num. 976. pag. 741. ut patebit ex dicendis in 2. part. Praxis tract. 17. in explicatione Propositionis 37. damnatæ ab Alexandro VII.

38. Est pariter doctrina multorum Theologorum apud Dianam part. 3. tract. 4. resol. 96. & part. 6. tract. 7. resol. 5. Confessarium non peccare imponendo pro gravibus culpis leves pœnitentias additis in fine absolutionis illis verbis: *Quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum.* Dummodò admoneat Pœnitentem, quòd hac de causa modicam pœnitentiam

ei

ei injungat; cùm vi horum verborum bona opera facienda à Pœnitente induant rationem satisfactionis Sacramentalis; & partis integralis Sacramenti Pœnitentiæ.

39. Ex alio capite de Lugo excusat Confessarios imponentes leves Pœnitentias pro gravibus culpis, disp. 2. de Pœnit. sect. 4. num. 47. & num. 60. Nempe, ut fragilitati naturæ humanæ corruptæ fiat adaptatio: si enim gravis pœnitentia imponatur Pœnitenti, aut eam omittit, aut illibenter eam adimplendo modicum per ipsam satisfacit. Et ratio harum resolutionum est; quia Pœnitentia Sacramentalis debet esset salutaris Pœnitenti: atqui attenta fragilitate humana non est salutiferum pœnitentiis gravibus eum gravare: ergo &c. Minor probatur; quia pœnitentia salutaris non est, quæ laqueum parat Pœnitenti ad novas culpas incurrendas: sed homini fragili pœnitentiam gravem omittendi hæc eadem pœnitentia esset laqueus ad novum peccatum: ergo non erit salutaris.

Hæc doctrina est necessaria quàm pluribus Confessariis innumeris Rosariis, aliisque pœnitentiis sine discretione gravantibus pœnitentes, qui postmodùm aut tardè satisfaciunt, aut interdum eas omittunt, per quod ipsamet medicina in venenum transfertur.

40. Opera magis meritoria, & satisfactoria sunt eleemosyna, quæ communiter cuilibet debet imponi secundùm ejus possibilitatem, Auditio Sacri, Visitatio Sacrosanct. Sacramenti, jejunium personis robustis à negotiis liberis, non verò ordinariè laborantibus, ut imprudenter quidam Confessarius practicavit, qui pauperculo mercenario singulis diebus laboranti, & sub aratro agonizanti imposuit multa jejunia cum præcisa obligatione, aut abstinendi à labore, à quo suæ familiæ sustentatio dependebat; aut à pœnitentia exequenda, utrumque inconveniens magnæ consequentiæ.

In hoc capite solùm egimus de pœnitentia satisfactoria, non de medicinali semper imponenda juxta exigentiam infirmitatis pœnitentis, à qua nec Jubilæum, nec Indulgentiæ eximunt. Videatur caput præcedens, ubi de his medicinis est sermo.

TRACTATUS X.

Compendiosa Notitia, & Explicatio 65. Propositionum ab Innocentio XI. damnatarum Anno 1679. die 2. Martii.

Ne volumen nimiùm excrescat, & ut sit magis manuale, has Propositiones brevi explicatione perstringere conabor, procurando, omnia necessaria pro legentium intelligentia succinctè tangere; & hac de causa omitto hic explicationem Propositionum ab Alexandro VII. damnatarum, quæ aliundè in secunda parte tractat. 17. ponentur.

Generalis advertentia circa præsens Decretum Innocentii XI.

1. ADvertendum est primò, quòd, quicumque docet, vel defendit aliquam ex his 65. Propositionibus damnatis in hoc Decreto, incurrat ipso facto Excommunicationem majorem latæ sententiæ reservatam summo Pontifici; hanc censuram incurrunt etiam illi, qui eas prædicant, imprimunt, vel disputant, nisi forsan tales oppugnando.

2. Advertendum est secundò, quòd nullam ex prædictis Propositionibus in praxim deducere liceat; tum quia sunt damnatæ tanquam scandalosæ, & improbabiles, & practicè falsæ; tum quia Summus Pontifex præcipit sub formali obedientiæ præcepto, ut nullus tales in praxim deducere præsumat.

3. Advertendum est tertiò, quòd, qui tali aliqua Propositione damnata usus fuerit, non committat duo peccata; nimirum unum contra obedientiam suæ Sanctitatis violando hujus præceptum; alterum contra illam virtutem, cui opponitur opinionis materia, quæ practitatur: sed solùm committit unum peccatum contra illam virtutem, cui opponitur opinio damnata: v. g. qui usus fuerit opinione docente, quòd non sit illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori, solùm committit peccatum sacrilegii. Et ratio est; quia multiplicitas præceptorum præcisè non multiplicat peccata, prout docet communis sententia Doctorum in materia de peccatis, ubi de eorum distinctione feci mentionem in meis conferentiis moral. tract. 2. sect. 5. confer. 2. num. 2. & seq. Sed solùm quando finis Legislatoris est diversus, vel materia distincta: atqui Summus Pontifex in tantum hanc opinionem practicari prohibet, in quantum materia opinionis non excusat eos à peccato, qui eam tuentur: ergo tam Pontificis in hoc præcepto, quàm ipsius Propositionis damnatæ est unus idémque finis, & materia: ergo transgressio hujus non erit duplex peccatum.

4. Advertendum est quartò, quòd, quicunque aliqua ex his 65. Propositionibus damnatis usus fuerit, debeat denuntiari ad Tribunal S. Inquisitionis; pariter qui scit talem transgressorem, & non denuntiat, incurrit excommunicationem majorem latæ sententiæ fulminatam à Supremo Inquisitionis Tribunali in suo Decreto edito die 24. Julii Anno 1679.

5. Advertendum est quintò, quòd, quamvis hoc Decretum sit odiosum, debeat tamen strictè interpretari, ita ut in sua interpretatione non admittatur nimia relaxatio; quia hoc esset agere contra mentem suæ Sanctitatis, quæ mediante hoc Decreto voluit reformare nimiam in interpretando liber-

bertatem, quam Propositiones damnatæ continebant.

6. Advertendum est sextò, quòd in aliquibus opinionibus, quas in explicatione Propositionum refero, dum dico, quòd non sint condemnatæ; per hoc tamen non dico, quòd sint probabiles; siquidem possunt non esse condemnatæ per hoc Decretum Innocentii XI. possunt tamen aliàs esse improbabiles ex alia ratione.

7. Advertendum est septimò, quòd in aliquibus Propositionibus damnatis soleant adhiberi hæ sequentes voces, Non est illicitum, vel est permissum: vel aliæ his similes: & quamvis sit verum, quòd, quando sensus Propositionis in toto accipitur rigore, videatur solùm esse peccatum veniale vi hujus Decreti Innocentii XI. sequi, aut practicari Propositionem damnatam; quandoquidem, qui ea utitur, cogitando esse peccatum veniale, judicat eandem non esse licitam: Ego verò existimo, talem se debere regulare secundùm materiam in Propositione damnata contentam; quare si materia sit gravis, dicendum est, quòd per illud, non est illicitum &c. damnetur tanquam res gravis; si verò sit levis materia, tanquam res levis; Et si sit capax levis, vel gravis culpæ, declarandum est ex transgressione gravi, vel levi: v.g. in prima Propositione dicitur: Non est illicitum in conferendis Sacramentis &c. Cùm hæc materia sit gravis, de illo, qui utitur probabili opinione relictâ tutiore, & probabiliori in materia Sacramentorum, dicendum est, quòd vi hujus Decreti peccet mortaliter. Id ipsum accidit in Propositione 30. dicente: fas est viro honorato occidere invasorem &c. Hoc præcipitur sub peccato mortali, quia ejus materia est gravis. Idem dicitur in Propositione 34. de abortu, & in aliis.

Sunt etiam aliæ Propositiones continentes materiam peccati venialis, ut est Propositio 8. quæ loquitur de voluptate in comedendo, & bibendo, & 9. quæ tractat de usu Matrimonii ob solam voluptatem exerciti; dicendo, *opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ.* Totum hoc salvatur affirmando fore peccatum veniale. Sunt etiam aliæ Propositiones capaces materiæ gravis, & levis, ut est Propositio 24. loquens de juramento facto sine animo jurandi: Propositio 36. tractans de furto in gravi necessitate: & Propositio 37. de cõpensatione servorũ: has enim materias dico esse graves vel leves juxta parvam, vel magnam rei ablatæ quantitatem; & in his, si materia furto accepta sit gravis, furtum factum in gravi necessitate declaratur esse peccatum mortale; si verò materia sit levis, veniale.

Et ratio hujus est; quia, uti dicit Lex Civilis, Legis mens magis est attendenda, quàm verba, L. Scire leges ff. de legibus, L. Non aliter ff. de legat.

quia lex, & ejus mens pro eodem sumuntur. Lex enim, & legis mens idem sunt. Surd. decis. 43. num. 90. Ergo, quando materia Propositionis damnatæ est gravis, tunc sua Sanctitas eam damnat ut gravem; siquidem Legislatores secundùm materiam Legis obligationem aggravant, vel minuunt: ergò, cùm mens Legislatoris, & Legis sit damnandi materiam gravem, ut talem; licèt in rigore verborum aliæ possint accipi interpretationes, illis tamen attendendum non est. Deinde, quia Lex non dicitur disponere id, quod præsupponit. Leg. ex facto in 1. ff. de hæred. inst. Surd. decis. 195. num. 8. Ergo supponendo transgressionem unius materiæ gravis esse peccatum mortale, licèt sua Sanctitas non exprimat pro tali, cùm jam illud supponat, dicendum est, quòd illam transgressionem sub peccato mortali damnet: Hæc ne similibus hujus decreti interpretationibus detur locus, ita ut successivè iterùm omnes res quasi ad terminum redeant priorem; hìc notare volui.

PROPOSITIO I.
Damnata.

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

Nota, quòd secundam partem hujus Propositionis, quæ dicit: Hinc sententia probabili tantùm utendum non est &c. R. P. Fr. Emanuel à Conceptione tract. de pœnit. disp. 2. Q. 5. num. 101. nimiâ scrutetur diligentia, cui magis placet, ut dicatur sic: Hinc solùm eâ uti omittendum est &c. Attamen nostrum modum loquendi approbant Licentiatus Prado, & doctus Filgueira; cùm verò hæc res parvi momenti sit, illam hìc omitto; non tamen deinde in suis propriis locis aliquibus objectionibus à prædicto P. Fr. Emanuele mihi factis satisfacere omittam; nescio autem, an omnes sint cum sufficienti justificatione in substantia, & modo: Sed tempus loquendi nondum venit.

8. Suppono, alia esse Sacramenta vivorum, & alia mortuorum: Sacramenta vivorum sunt hæc sequentia: Confirmatio, Eucharistia, Ordo, Extrema unctio, & Matrimonium: ideò vocantur vivorum, quia, qui ea recipit, debet esse vivus in gratia, ut eadem dignè recipiat. Sacramenta verò mortuorum sunt Baptismus, & Pœnitentia: vocantur mortuorum ideò; quia ex sua natura sunt instituta ad conferendam vitam Spiritualem animæ per peccatum mortuæ. Quomodo Sacramenta mortuorum possint causare secundam gratiam per accidens & quomodo illa vivorum causent primam gratiam, explicabo in secunda parte conferentiarum tract. 4. de

de Sacramentis in genere. Dantur etiam Sacramenta ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii, uti eſt Baptiſmus ad delendum peccatum originale, & Pœnitentia ad auferendum peccatum mortale actuale. Alia verò ſunt neceſſaria neceſſitate Præcepti, ut eſt Euchariſtia, Extrema unctio in periculo mortis, & confirmatio ſecundùm opinionem communem. Alia reſidua non ſunt neceſſitate medii, nec præcepti, ſed ſolùm ſunt per modum conſilii, ut eſt Ordo, & Matrimonium.

Suppono ſecundò, hanc damnationem de omnibus loqui Sacramentis, tam vivorum, quàm mortuorum; & tam de iis, quæ ſunt neceſſitate medii, quàm de cæteris, & id, quod circa prædicta Sacramenta hìc damnatur, in ſequentibus concluſionibus explicabo.

9. Dico primò, ſolùm in materia, & forma Sacramentorum, & intentione Miniſtri damnatur uſus opinionis probabilis relictâ tutiore; quia ab iſtis tribus valor Sacramentorum pendet, ita eſſentialiter, quòd aliter ſuppleri non poſſit.

Hinc infertur, quamvis ſit opinio probabilis, lixivium, & aquam roſaceam eſſe legitimam materiam Sacramenti Baptiſmatis, nihilominus hæc opinio non poteſt practicari, quia eſt materia, à qua eſſentialiter dependet valor Sacramenti: ſed in caſu neceſſitatis, quando aqua naturalis haberi non poteſt, & infans ſine Baptiſmo mori deberet, niſi baptizetur lixivio, vel aqua roſacea, poteſt hoc caſu alterutro baptizari, prout advertit R. P. Fr. Martinus de Torrecilla in explicatione hujus Propoſitionis, tract. 1. concl. 2. num. 67. quia in caſu neceſſitatis cedit Sacramentum reverentiam ſibi debitam ob bonum proximi, ad quod fuit inſtitutum, ita noſter Capenſis tract. 11. de conſcientia diſp. 3. ſect. 5. n. 42.

10. Dico ſecundò, ſequi opinionem probabilem circa integritatem materialem confeſſionis, in præſenti non damnatur, prout R. P. Magiſter Lumbier dicit in ſua editione latina, exponendo hanc Propoſitionem obſerv. 3. §. num. 26. Ratio eſt, quia integritas materialis non requiritur eſſentialiter pro valore Sacramenti.

Hinc infertur primò, poſſe uti opinione probabili docente, circumſtantias aggravantes non neceſſariò eſſe in confeſſione explicandas. Secundò, opiniones probabiles circa dimidiationem confeſſionis, & circa peccata dubia non eſſe damnatas in hac Propoſitione.

11. Dico tertiò Nec damnatur opinio Thomiſtica concedens Sacramentum validum, & informe, ita Lumbier in Sum. n. 1200. & in obſervationibus Theologicis. obſerv. 3. §. 3. n. 25. & obſerv. 25. §. 3. num. 524. Et ratio eſt, quia Sacramentum informe non tangit valorem Sacramenti, ſed ſolùm fructum ejusdem: atqui ſolùm illud, quod

quod tangit valorem Sacramenti, hìc damnatur: ergo non damnatur opinio de Sacramento valido, & informi.

12. Addo, in hoc decreto non damnatur sententia: quòd Sacramenta cum opinione probabili relictâ tutiore facta sint valida, sed solùm, quòd hoc sit licitum; ut clarè exprimit hujus Propositionis textus: Non est illicitum, &c. Hinc est, quamvis damnetur, licitum fore cum sola intentione habituali confici Sacramenta, non tamen damnatur, Sacramenta cum intentione habituali facta fore valida, cujus opinionis erant Sotus, Navarrus, Henriquez, & alii, quos citat Macadus tom. 1. lib. 3. part. 1. tract. 1. docum. 5. n. 4.

13. Ex dictis infertur, quòd, qui multo tempore in aliquo habitu, vel occasione peccandi fuit, & semper in bona fide confitebatur, non sit obligatus confessiones illius præteriti temporis reiterare, quo confessiones fuerunt validæ, & informes. Secundò, qui ex ignorantia quamvis vincibili omisit in confessione aliquod peccatum, credendo erroneè, non esse peccatum, vel non esse mortale, non obligatur reiterare confessiones præteritas, in quibus illud omisit, sed sufficit, ut se accuset de illo omisso peccato, ita cum Navarro, Vasquez, & aliis Diana part. 3. tract. 4. resol. 108.

14. Doctrinam hujus secundæ illationis voluit reprobare R. P. Fr. Emanuel de conceptione in suo tract. de Pœnit. disp. 2. Q. 22. num. 265. pag. 123. dicendo, me malè citasse supradictos Authores in favorem doctrinæ in conclusione præcedenti relatæ; quod falsum esse demonstrabo referẽdo ipsa verba à Diana loco citato relata quæ sunt sequentia: *Cùm quis per ignorantiam aliquod peccatum mortale omisit in confessione, eò quòd erroneè putaret ipsum non esse tale, etiamsi error vincibilis fuerit, nec à mortali perpetrantem excusaret, excusaret tamen ab iteratione totius confessionis, ita ut sufficeret Pœnitentem ipsum in sequenti confessione peccatum omissum declarare.* Hæc Diana. Id ipsum tenet Navarrus *in cap. Fratres de Pœnit. disp. 5. n. 82.* his verbis *Infertur tertiò, aliquando excusari aliquem à confitendo peccatum ob ignorantiam, quia putat id non esse peccatum qui tamen ob eandem à peccato non fuit excusatus*, ita Navar. quod etiam affirmat *in Manuali cap. 9. num. 15.* his verbis: *Neque etiam tenebitur confessionem iterare, si omisit aliquod confiteri nesciens illud esse lethale. Nam quamvis ignorantia legis aliquando non excuset à peccato, excusat tamen, ne peccet, id non confitendo.* Id ipsum replicat in manuali idiomate Castilliano impresso, cap. 9. n. 12. & quòd Navarrus de vincibili loquatur ignorantia, clarum est, cùm loquatur de illa, quæ à peccato non excusat, à peccato non fuit excusatus.

Hoc etiam docet Sylvester verb. Confessio 1. Q. 3. ubi dicit similiter qui ex ignorantia, puta, quia non credit

dit esse peccatum, excusatur (à reiteratione confessionis) quia licèt aliquando non excuset hoc, quin talis peccet, dum talia agit contra Legem Dei, aut naturæ: excusat tamen, ne peccet non pœnitendo, vel non confitendo. Ponderet nunc P. Fr. Emanuel hæc verba ab Authoribus relatis originaliter accepta, utrùm hæc meis sint conformia, & videbit, an Authores in meæ doctrinæ favorem benè citem.

Addit R. P. Fr. Emanuel, prædictos Authores duas ponere ignorantias, unam circa peccatum, alteram circa obligationem illud confitendi; licèt enim dicant, ignorantiam peccati esse vincibilem, attamen de ignorantia circa obligationem tale peccatum confitendi non dicunt, quamvis sit vincibilis, & me attribuere huic ignorantiæ id, quod ipsi de errore culpæ dicunt. Sed P. Fr. Emanuel mea verba non considerat, quibus dico hoc modo: credendo erroneè, non esse peccatum, aut non esse mortale. Estne hoc dicere de errore sive ignorantia super peccatum, vel super confessionem?

Deinde dicat P. Fr. Emanuel, an in verbis prædictorum Authorum fiat distinctio inter ignorantiam peccati, & ignorantiam obligationis illud confitendi? Navarrus hoc non dicit, benè verò apertè contrarium in illis verbis: ob eandem (ignorantiam) à peccato non fuit excusatus, ubi æqualiter de utraque ignorantia loquitur. Diana, & Sylvester hoc non dicunt, nec exprimunt. Qui expressit, fuit Vasquez in 3. part. tom. 4. Q. 92. art. 3. dub. 1. ubi in num. 7. expressè asserit, quòd Navarrus excuset eum qui ob ignorantiam culpabilem peccatum confiteri omisit, ex ignorantia quoque culpabili commissum, explicat se postmodùm in num. 8. & 9. dum loquitur de ignorantia culpabili in omissione peccati, & invincibili circa confessionis obligationem. Quicumque enim desiderat ferre judicium de veritate, quam dilucidare exopto, quæso, videat Authores à me relatos, & cognoscet, qua fidelitate eos citem, & quàm malè P. Fr. Emanuel eos obliget.

Ulteriùs dicit P. Fr. Emanuel ibi, quòd eo ipso, quòd ignorantia sit vincibilis, non excuset à mortali omittentem confiteri peccatum. Hæc enim propositio sic in confuso est falsa; quia potest esse vincibilis venialiter, vel mortaliter, ut dicit Valentia in 2.2. tom. 2. disp. 6. q. 6. p. 3. §. sequitur ex his, his verbis: *Ignorantiam vincibilem posse magis, vel minus minuere gravitatem peccati, quo circa, si ignorantia sit tantùm venialiter, & imperfectè voluntaria, minuit etiam peccatum adeò, ut non sit mortale*, id ipsum dicit Thomas Sanchez *in sum. lib. 1. cap. 17.* his verbis. *Et quidem quando ignorantia, seu negligentia est tantùm venialiter culpabilis, constat ita minuere, ut reddat opus venia-*

veniale. Ergo falsum est dicere, quòd eo ipso, quòd sit culpabilis ignorantia, qua peccatum confiteri omittitur, sit etiam mortalis omissio, siquidem venialis esse potest; cùm ignorantia non sit graviter culpabilis.

15. Dico quartò, in hac damnatione opiniones, quæ sunt in favorem pœnitentium non comprehenduntur expressè, licèt virtualiter contineantur, nec fit mentio de ipsis, sed solùm de Ministris. Hanc conclusionem etiam affert cum Magistro Hozes, R.P. Torrecilla in hac Proposit. fol. 12. n. 95. Id ipsum etiam tenet R. P. Fr. Emmanuel de Conceptione in suo tractatu de Pœnit. disp. 2. q. 6. num. 123. quia opinio damnata dicit: in conferendis Sacramentis: quod solùm ad Ministrum, & non ad Pœnitentem spectat.

Unde infert Torrecilla, quòd pœnitens, qui ad confessionem cum sola attritione venit existimata pro tali, vel ille, qui pro materia unum peccatum vitæ præteritæ sine speciei explicatione & individui in confessione voluntaria deponit, non peccet, nec contra damnatam operetur sententiam; Hanc verò opinionem improbabilem judico.

16. Ex quo & ego infero, quòd expressè non damnetur licèt sit improbabilis opinio Tamburini in Methodo expedit. confess. lib. 1. cap. 13. §. 1. Sylvestri verb. confessio q. 11. Suarez de Pœnit. disp. 12. n. 9. & aliorum, quos citat P. Moya tract. 3. disp. 5. q. 5. §. 2. Qui dicunt, quando confessio solùm est de peccatis venialibus, sufficere solùm dolorem virtualem inclusum in voluntate recipiendi Sacramentum, tam pro valore, quàm fructu Sacramenti sine alio expresso doloris actu. Et ratio est, quia se tenet ex parte pœnitentis, & non ex parte Ministri, quòd pro valore sufficiat, est absque dubio secundùm opinionem admittentem Sacramentum validum informe, quòd autem pro fructu sufficiat, probatur; quia posito Sacramento valido, necessariò requiritur ejus effectus, quando in recipiente non est obex ad gratiam: sed peccatum veniale non est obex ad gratiam: ergo &c.

17. Infero secundò, neque damnari opinionem Joannis de Cruce, & Ledesmæ citatorum à Diana part. 3. tr. 4. resol. 116. docentium, quòd, si pœnitens alicujus peccati mortalis obliviscatur, & illicò secunda vice illud confessioni submittit, non sit necessarium novum doloris actum elicere; quia dolor confessionis præteritæ adhuc virtualiter perseverat. Nec damnantur aliæ doctrinæ, quas circa confessionem docebo in 2. part. hujus praxis tract. 17. in explicatione Propositionum 11. 38. & 39. damnatarum ab Alexandro VII.

18. Dico quintò, neque damnari usum opinionis probabilis circa jurisdictionem Confessarii relicta tutiori, ita

Lum-

Lumbier ubi ſupr. §.2. num. 30. Quia licèt valor Sacramenti à jurisdictione Miniſtri dependeat, non tamen ita eſſentialiter, ut non ſit ſupplebilis jurisdictio in Sacerdote, & defacto eam Ecclesia ſupplet.

19. Ex quo infertur, quòd non damnetur opinio, quòd Sacerdos approbatus in uno Epiſcopatu poſsit tempore Jubilæi, vel per Privilegium cruciatæ eſſe electus in Confeſſarium in quocumque alio Epiſcopatu absque nova approbatione, uti docent Henriquez, Valerus, & alii multi apud Dianam part. 1. tract. 11. reſol. 7. Neque damnatur opinio aliorum Doctorum quos citat, & ſequitur Diana ubi ſupr. num. 9. Dicentium, Confeſſarium cum limitatione approbatum ſolùm excipiendi confeſsiones virorum, poſſe etiam vi Bullæ excipere confeſſiones fœminarum.

20. Ex dictis pariter infertur, quòd æquè non damnetur opinio Villalobos 1. p. tract. 9. diffic. 53. n. 2. & R. P. Leandri à Murcia in exp. Regulæ S. P. Franciſci in 7. cap. q. 8. §. 1. num. 17. quæ dicit, Epiſcopos non poſſe Regularibus limitare approbationem non excipiendi confeſſiones fœminarum ſolumodo propter ætatem. Ratio hujus illationis eſt; quia omnes hæ opiniones loquuntur de jurisdictione, de qua ſuprà dictum eſt, quòd ſit ab Eccleſia ſupplebilis. Et ob eandem rationem per hoc decretum non damnatur opinio in favorem Regularium abſolvendi à caſibus reſervatis, in virtute Cruciatæ, licèt hæc opinio ſufficienter ſit damnata per Bullam Clementis 8. & Urbani 8. prout videri poteſt in meis conferen. Moral. part. 1. tract. 1. num. 5. & in 2. part. hujus praxis tract. 14. cap. 2. n. 14. ubi hanc opinionem ex Propoſito tangam.

21. Dico tandem, quòd non damnetur ſequi, quod eſt certum, relicto ſecuriori, & tutiori: v. g. ſecurior eſt intentio actualis, quàm virtualis pro Sacramento. Securior contritio, quàm attritio pro confeſſione: ſed ſicut eſt certum, quòd ſufficiat intentio virtualis ad conficiendum Sacramentum, & attritio ad confeſſionem, poterit agens licitè ſequi doctrinam aſſerentem, intentionem virtualem, & attritionem eſſe ſufficientem. Ratio eſt; quia opinio damnata dicit, eſſe licitum opinionem probabilem ſequi, at verò noſtra loquatur de doctrina certa.

PROPOSITIO II.
Damnata.

Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

22. Dico primò, non eſt damnatum, quòd Judex poſſit ſecundùm unam opinionem probabilem relinquendo alteram æquè probabilem judicare, quæ opinio fuit Valentiæ 2. 2. diſp. 5. q. 7. part. 4. dub. 3. Rodriquez tom. 1. Sum. cap. 6. num. 1. concl. 1. quia damnatio tantùm loquitur, quando

do opinio est magis, vel minùs probabilis, non autem, quando sunt opiniones æqualiter probabiles.

23. Dico secundò, hæc damnatio se extendit tam ad Judicem Superiorem, quàm inferiorem, & ad Judicem arbitrum, nec non ad omnem tam facti, quàm Juris probabilitatem; quia in omnibus Judicibus, & probabilitatibus eadem ratio pro fine damnationis verificatur.

24. Dico tertiò, in causis criminalibus potest Judex sequi opinionem, quæ est reo favorabilis, licèt sit minùs probabilis, ita Lumbier, Filgueira, Torrecilla super hanc Propositionem.

25. Dico quartò, hæc damnatio non loquitur de Procuratoribus, & Advocatis, qui possunt patrocinari sequendo etiam opinionem minùs probabilem, ita Lumbier observ. 4. n. 96. Torrecilla ubi supr. concl. 8. n. 161. fol. 21. Quia Advocati, & Procuratores non definiunt causas, nec sententiam ferunt: ergo non intelligitur de Procuratoribus & Advocatis: de reliquo, quod pertinet ad officium Judicum, Advocatorum, & aliorum Ministrorum Justitiæ faciam mentionem tangendo hanc materiam in 2. part. praxis tract. 15. cap. 1. 2. & seq.

PROPOSITIO III.
Damnata.

Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Suppono, quòd detur probabilitas intrinseca, & extrinseca. Intrinseca est fundamentum, vel ratio, in qua fundatur opinio: extrinseca verò est authoritas Doctoris, quæ patrocinatur opinioni, dum ambæ sunt tenues, damnantur.

26. Dico primò, illam opinionem fore tenuem, quæ solùm est probabiliter probabilis, & hæc est damnata: illa verò solidæ probabilitatis est, quæ certò est probabilis, & talis non damnatur, ita Lumbier in hac Propositione observ. 5. num. 202. & seq. Filgueira hìc. Et probatur; quia ut licitè operemur, requiritur, ut habeamus certitudinem subjectivam moralem de operatione licita, id est, quòd hunc Syllogismum formare possimus: qui operatur probabiliter securè operatur: sed ego hìc, & nunc operor probabiliter: ergo hìc, & nunc securè operor. Est doctrina Armilli, Navarri, & aliorum, quos citat, & sequitur Murcia tom. 8. disq. Moral. lib. 1. disp. 1. resol. 5. num. 3. cap. 8. Sed sic est, quòd sequendo opinionem solùm probabiliter probabilem non possimus operari cum certitudine morali subjectiva: ergo non erit licitum sequi opinionem solùm probabiliter probabilem. Minor probatur; quia consequentia non potest esse magis certa, quàm præmissæ, & sequitur præmissæ debilioris naturam: ergo si una ex præmissis solùm est probabiliter probabilis, consequentia non poterit esse dictamen

ctamen securum, quòd operatio sit licita.

27. Si autem quæratur, quæ opinio erit solùm probabiliter probabilis? Respondeo, eam esse, cujus fundamentum, & authoritas sunt ita levia, ut non reddant conscientiam operantis securam, & quietam. Ita Lumbier ubi supr. Pariter opinio solùm probabiliter probabilis est illa, quam Doctores communiter censurant, & de ejus probabilitate dubitant: ita Filgueira in hac Proposit. fol. 36. licèt unus, vel alter Author teneat ut probabilem: & hujusmodi probabilitas opinionis erit, si aliqua datur, quæ dicit, quòd Bulla pro absolutione casuum reservatorum juvet Regulares, cùm tamen multi, & graves Doctores censeant improbabilem, damnatam, & falsam esse talem opinionem. Sed notandum est, quòd Confessarii, qui ex professo materiis modo scholastico traditis non studuerunt, nec ponderare possunt, num fundamentum opinionis sit grave, vel tenue, nec cognoscere valent, an ejus Author sit Classicus, vel non, possint sequi opiniones, quæ in Summis casuum conscientiæ currunt ut probabiles, & quæ non sunt ab aliquo Decreto Pontificio damnatæ.

28. Dico secundò in casu alicujus urgentis necessitatis possumus uti opinione, licèt ejus probabilitas sit tenuis. Ita ex Sanchez, Soto, & aliis tradit Torrecilla tract. 8. concl. 2. num. 7. fol. 427. & sic potest moribundo absolutio dari, qui in Confessarii absentia signum doloris dedit; potest etiam dari absolutio moribundo sub Conditione, qui christianè vixit, licèt non dederit aliquod doloris signum, ut docent Homobonus, & alii 16. Doctores citati à Diana part. 3. tract. 3. resol. 8. de quo fusiùs ex professo tradam in 2. part. Praxis tract. 13. cap. 5. n. 51. & seq.

PROPOSITIO IV. damnata.

Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.

29. HÆc Propositio loquitur de omnibus quibuscumque infidelibus tam Gentilibus, quàm Hæreticis, & quod in præsenti damnatur, est, quòd Gentilis, vel Hæreticus judicando magis probabilem esse veram catholicam Religionem, & minùs probabilem esse veram suam sectam, possit permanere in sua secta, & non credere veritatem Catholicam, quam judicat esse magis probabiliter veram; quia, quamvis in aliis operationibus moralibus (exceptis Sacramentis) possimus sequi opinionem certò probabilem relicta probabiliori, non tamen in materia fidei; cùm hæc sit nostræ justificationis principium, & porta cœli.

PROPOSITIO V.
damnata.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

PROPOSITIO VI.
damnata.

Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

PROPOSITIO VII.
damnata.

Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus.

30. NOn possumus dubitare de existentia præcepti Divini per se obligantis ad faciendum actum amoris Dei; licèt tempus hujus obligationis nec Deus, nec Ecclesia determinaverint. Hoc præceptum etiam obligat per accidens: v. g. quando est medium vincendi aliquam tentationem, odii Dei, blasphemiæ &c. Vel quando Sacerdos culpa mortali aggravatus, & non habens copiam Confessarii celebrare necessitatur.

31. Dico primò, non satisfacit præcepto amoris Dei, qui una vice in vita sua tantùm eliceret actum amoris Dei; quia hoc est expressè damnatũ, sicut etiam tenere, ac dicere: quòd neque obliget omni quinquennio.

Hinc infertur, quòd accipiendo in omni rigorosa proprietate damnationem hujus Propositionis, qui à quinquennio in quinquennium eliceret unum actum amoris Dei, non esset in hac damnatione comprehensus; quia opinio hìc damnata dicit, neque à quinquennio in quinquennium obligare, extendendo ultra quinquennium hujus præcepti executionem: ergo non damnatur, quòd satisfiat eliciendo omni quinquennio actum amoris Dei.

Hoc non obstante dicendum est, hoc præceptum singulis annis semel obligare, ita P. Hurtadus à Mendoza 2. 2. disp. 174. sect. 6. §. 26. Petrus à Ledesma in sum. tom. 2. tract. 3. cap. 5. Sicut præceptum Confessionis etiam semel in anno obligat, vide circa hoc secundam partem hujus praxis tract. 17. Proposit. 1. damnata.

32. Dico secundò, quamvis homo se non sentiat aggravatum in conscientia aliquâ culpâ mortali, vel habitâ tali culpâ sit confessus, se justificando cum sola attritione, Pœnitentiæ Sacramento, per hoc tamen non adimplevit hoc præceptum amoris Dei, sed semper obligatur ad eliciendum actum amoris. Ratio est; quia in septima Propositione damnatur hæc sententia, quòd Præceptum amoris Dei solùm obliget tunc, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus: quod idem est, ac dicere, quòd solùm per accidens obliget actus amoris Dei, & non per se: atqui, quando, dum nõ adest aliqua culpa gravis, vel si est, deletur per attritionem cum confessione

fessione, non obligat hoc præceptum, obligatio esset solùm per accidens: ergo &c.

33. Dico tertiò, Præceptum amoris Dei sæpiùs per accidens obligat, primò semper, quando aliquod Sacramentum est administrandum, & Minister est in peccato mortali; si non confiteatur, quia non potest, debet elicere actum amoris Dei, vel contritionem. Secundò, in articulo mortis obligat per accidens, quando infirmus non potest confiteri: sic Azorius, & Sanchez apud Palaum tom. 1. tract. 6. disp. 4. part. 4. §. 5. num. 9. & alii, quos omisso nomine citat Caspensis tom. 2. tract. 17. disp. 4. sect. 3. num. 34. in fine. Tertiò, obligat per accidens, quando est aliquod Sacramentum vivorum recipiendum, & recipiens non confitetur, debet ad minimùm elicere actum amoris Dei, vel contritionem, si est in peccato mortali, excepto Sacramento Eucharistiæ, ante quod debet præcedere confessio, si in recipiente sit peccatum mortale, & habeat copiam Confessarii.

PROPOSITIO VIII.
damnata.

Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

34. Dico primò, Si ex comestione, vel potu saluti notabile damnum resultaret, esset peccatum mortale, si verò resultaret leve damnum, esset peccatum veniale; quia nemo est Dominus suæ salutis, nec suæ vitæ; propria charitas enim obligat ad sui conservationem: ergo, qui eam cum sua gula destruit, verè peccabit, vel leviter, vel graviter secundùm gravitatem, vel levitatem damni, quod inde resultat.

Dico secundò, comedere, & bibere usque ad satietatem, si nullum causat damnum saluti, erit peccatum veniale; in præsenti enim Propositione damnatur, nec fore peccatum veniale comedere, & bibere usque ad satietatem, sic Torrecilla tract. 9. in hac Proposit. concl. 1. Non est tamen peccatum mortale; quia vitium gulæ ex genere suo non est grave: erit ergo veniale; cùm talis actio magis bestiæ, quàm homini conveniat.

35. Objicies. Saltem modò se saturare, etiamsi non causet grave damnum, erit peccatum mortale; quia est transgressio Præcepti formalis Sanctæ obedientiæ, quo sua Sanctitas præcipit, ut nulla damnatarum Propositionum practicetur; cùm etiam hæc una sit ex illis damnatis. Respondeo, negando reassumptum: quia prout communis Theologorum sententia in materia de Legibus docet, Legislatorem in materia levi nunquam obligare sua lege ad culpam mortalem. Respondeo secundò, quòd duobus modis hæc Propositio practicari possit: primò, cre-

credendo, quòd adhuc sit probabilis, & se saturare non sit peccatum veniale: & hoc esset peccatum mortale, & actus ad Hæresim proximus: esset enim credere, Pontificem non fuisse benè operatum in damnatione hujus Propositionis: secundo modo potest practicari, credendo, esse peccatum veniale saturare, & opinionem contrariam esse improbabilem, & hoc non obstante passione ductus faceret aliquem excessum; in hoc enim casu dico fore solùm peccatum veniale. Ita ex Lumbier tradit Torrecilla in proëmio diffic. 5. n. 5. 6. & 8. id ipsum dicendum est in sequenti Propositione, & aliis, quæ de materia peccati venialis agunt.

PROPOSITIO IX.

Damnata.

Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ, ac defectu veniali.

36. Dico primò, hujus Propositionis damnatio non dicit, uti matrimonio ob solam voluptatem esse peccatum mortale; sed de veniali tantùm loquitur, quod constat ex ipsa damnata Propositione.

37. Dico secundò, si cum fine voluptatis simul etiam alius finis honestus adsit: v. g. procreatio prolium, sedatio concupiscentiæ, salus, vel demonstratio affectûs erga consortem, vel mutua novi amoris, & unionis animorum reconciliatio, non est peccatum veniale. Sic Torrecilla hic; quia opinio damnata dicit de solo matrimonii usu ob voluptatem: ergo, quando non utitur ob solam voluptatem, sed ob prædictos honestos fines, non erit peccatum veniale. Quando verò sit illicitus usus matrimonii; & quando quis teneatur reddere debitum, exposui jam superiùs in Decalogo tract. 6. cap. 8. part. 11. num. 127. pag. 178.

PROPOSITIO X.

Damnata.

Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

PROPOSITIO XI.

Damnata.

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

38. Suppono primò, quòd in amore proximi duo distincta includantur præcepta; unum positivum, nempe desiderare illi bonum, & eum amare; alterum negativum, scilicet, nõ abhorrere illum, nec illi desiderare malum, vel de suo bono non ægrè ferre: hoc obligat semper, & pro semper, illud verò temporibus determinatis.

39. Suppono secundò, quòd præceptum positivum amandi proximum duo includat, unum est, actus interior amoris, quo ipsi desideratur bonum; alterum est, actus exterior, quo illi subvenitur in suis necessitatibus.

40. Dico primò, in his duabus Propositionibus damnatur, quòd solùm per succursum exteriorem in proximi ne-

necessitatibus, vel per solam cum eo conversationem, etiamsi nunquam aliquis actus internus ipsi desiderandi bonum fieret, præcepto amandi proximum satisfiat; hoc constat ex ipso textu Propositionum damnatarum.

41. Dico secundò, hìc non determinari, quando talis amor erga proximum obliget; quare non damnatur hìc, quòd solùm semel in vita, vel semel omni quinquennio amor proximi obliget; quia hoc totum datur loquendo de amore Dei. Hoc non obstante dicendum est, quòd ad minimum omni biennio, vel ad plurimum omni triennio præceptum positivum amandi proximum obliget, ita Torrecilla hìc concl. 3. num. 6.

42. Dico tertiò, nos non obligari ad amandum positivè unumquemque proximum per se, sed sufficit ad satisfaciendum huic præcepto, amare omnes in genere, & desiderare illis omne bonum, ita ex Villalobos docet Torrecilla, ibid. num. 7.

43. Dico quartò, amor proximi obligat per accidens semper, quando aliqua occasio, vel tentatio exponit hominem periculo eum odio habendi, & nec habet aliud medium ad evitandum odium, nisi exercitium actûs amoris erga proximum; quia actus omnium virtutum per accidens obligant semper, quando sunt necessarium remedium ad evitandum peccatum illis oppositum: ergo idem dicendum est de amore proximi. Sed notandum est, quòd nomine proximi intelligatur omnis homo, tam infidelis, quàm Catholicus, tam amicus, quàm inimicus.

PROPOSITIO XII.
Damnata.

Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

44. Dico primò; in hac Propositione unum supponi, & alterum damnari. Damnatur, vix in sæcularibus inveniri aliquid eorum statui superfluum, hoc est falsissimum; quia plurimi multa habent supellectilia, ornamenta superflua, & multum de pecunia, quam malè expendunt, nimirum in luxu, conviviis, vanis ostentationibus, superbiâ, & fastu, & hæc, ut superflua, pauperibus fuissent dispensanda: quare manet damnata opinio Dianæ part. 1. tract. 16. resol. 18. & part. 5. tract. 8. resol. 20. Cajetani, Navarri, & aliorum, quos citat, sed non sequitur Moya tom. 1. tract. 6. disp. 6. q. 4. §. 4. num. 7. Dicentium, illud non posse dici superfluum statui, quod est necessarium, & reservatur pro ulteriori augmentatione statûs, & familiæ, vel etiam ad pertingendam sphæram, & statum superiorem sibi à Deo assignatum: ex qua opinione evidenter infertur, quòd nullus habeat superfluum suo statui (hoc enim est damnatum) quia quilibet posset dicere: illud esse ei necessarium, quod possidet, ad magni-

gnificandum, ampliandum, & extollendum suum statum.

45. In opinione damnata supponitur, quòd de superfluo statui debeat fieri eleemosyna, & indubium est, quòd de superfluo statui debeat fieri eleemosyna, nō solùm in extrema proximi necessitate, sed etiam in necessitate gravi, est communis: videatur P. Moya ubi supr. §. 2. n. 5.

46. Dico secundò, hìc non damnari opinionem asserentem: nullam esse obligationem dandi eleemosynam etiam in necessitate extrema ex necessariis ad statum, quando talis status ob dictam eleemosynam totaliter destrui deberet: v. g. si ad redimendum captivum in extrema necessitate constitutum esset necessarium dare mille Imperiales, ex quarum largitione largitori totaliter destrueretur ejus status, talis non tenetur dare has mille Imperiales. Ita plures, quos citat Leander à S. S. tom. 6. tract. 5. disp. 1. q. 17. & alii, quos citat, & approbat Moya ubi supr. §. 5. num. 24. & 25. & cum aliis Caspensis tom. 2. tract. 17. disp. 5. sect. 2. num. 14. Et ratio est; quia sententia damnata dicit: vix in saecularibus aliquid statui superfluum inveniri; haec verò solùm dicit, quòd de necessario ad statum non sit obligatio dandi eleemosynam etiam in extrema necessitate, quando dictus status destrueretur: quae sunt valde diversa.

47. Dico tertiò, neque damnari opinionem Vasquez opusc. de Eleemos. cap. 3. Ledesmae, Navarri, & aliorum apud Moyam ubi supr. §. 2. num. 5. & 6. Qui docent, quòd de necessario ad suum statum non sit obligatio faciendi eleemosynam in gravi necessitate; benè verò censerem damnatam opinionem S. Antonini 3. part. tit. 1. cap. 24. ubi docet, quòd in communibus pauperum mendicorum necessitatibus non sit obligatio dandi eleemosynam etiam de superfluo suo statui. Nec damnatur opinio Caspensis ubi supr. num. 17. quae dicit, quòd nullus (exceptis Praelatis, & Magistratibus) teneatur inquirere, & investigare, an dentur pauperes, qui gravem, vel extremam patiuntur necessitatem, sed quòd sufficiat, aliquem ita esse dispositum, quòd, si sciret tales adesse, paratus sit eis succurrere. Minùs damnatur opinio Lessii lib. 2. de just. cap. 19. dub. 1. quae asserit, quando quis obligatur ad eleemosynam faciendam, eum satisfacere dando mutuum illi pauperi indigenti, ut ei in sua necessitate succurrat. Et ratio est; quia omnes istae opiniones, ut patet, sunt valdè diversae à casu Propositionis damnatae.

PROPOSITIO XIII.
Damnata.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia per-

personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

PROPOSITIO XIV.

Damnata.

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

48. Suppono desiderium distingui à complacentia, vel gustu; quia hæc duo versantur circa objectum præsens, & jam possessum, desiderium verò circa objectum absens.

49. Suppono secundò, quòd desiderium mortis possit esse directum, vel indirectum; directum erit, quando primariò mors desideratur, & secundariò utile ex illa sequendum: indirectum verò erit, quando primariò desideratur utile proprium, & secundariò mors, quæ est medium ad proprium emolumentum consequendum. Tam unum, quàm aliud desiderium in his duabus Propositionibus damnatut.

50. Suppono tertiò, quòd detur desiderium efficax, & inefficax; desiderium efficax est, quando non tantùm mors desideratur, verùm & per aliquod medium procuratur: inefficax verò, licèt habeat pro objecto mortem, illam tamen non procurat, nec utitur mediis, ut succedat. Desiderium efficax nunquam est licitum, nisi quando sit in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel quando mors per publicam imponitur authoritatem.

51. Suppono quartò, quòd desiderare inefficaciter mortem cuicumque nostro proximo sit peccatum mortale; eam verò desiderare Parenti sit duplicatum peccatum; unum contra charitatem, cùm sit proximus, & aliud contra pietatem, cùm sit Parens. Sic Lumbier observ. 7. num. 194.

52. Dico primò, in his propositionibus damnatur desiderium inefficax, vel complacentia mortis proximi, vel Parentis ob aliquod emolumentum temporale, quale est inferioris æstimationis vita. Ita Torrecilla tract. 8. concl. 1. num. 2. fol. 439. constat ex ipso Propositionum textu.

53. Dico secundò, hic non damnari, esse licitum desiderare, vel complacere de morte propria, vel proximi ob motivum, quale est æqualis, vel majoris æstimationis vita: v. g. desideraret sibi, vel proximo mortem, ut liberetur ab una longa, & mortali infirmitate. Sic Lumbier ubi supr. num. 190. & cum aliis Torrecilla ubi supr. concl. 2. & 3. n. 8. 11. & seq. quia vita non est digna tanto dolore.

Ex quo infero cum Torrecilla ibi, quòd sit licitum desiderare, vel sibi complacere, ut Justitia ad patibulum condemnet, aut castiget malefactores, dummodò non fiat ex odio, vel vindicta. Licitum est etiam desiderare mortem scandalosorum, ad hoc, ut non sint causa ruinæ animarum. Licitum pariter est Parenti scienti, filium ejus debere à Justitia ignominiosè puniri,

 niri,

niri, desiderare, & petere à Deo, ut eum in carcere vita privet. Demùm etiam licitum est desiderare mortem proximi, de cujus damnatione, si viveret, timetur: quapropter à Deo peti potest, ut rapiat eum, ne malitia mutet intellectum ejus. Hoc idem dicit Lumbier ubi suprà de Matre, quæ desiderare potest mortem filiæ periclitantis in honore ex eo, quòd eam non possit ad statum aliquem reducere.

54. Dico tertiò, etiam loquendo de emolumento temporali v. g. de hæreditate, licitum est hæreditatem desiderare, & hac consecuta sibi in ea complacere absque respectu ad mortem proximi, quando talis hæreditas vel emolumentum poterat sine morte obtineri: v. g. Pater in vivis facit filio illius rei donationem, quàm hæreditate debet. Hanc conclusionem quantùm ad complacentiam tenet cum Navarro & Trullench, Torrecilla loc. cit. concl. 4. num. 11. & Filgueira fol. 71. §. Quod perinde in fine. Ego quoque judico, etiam extendi posse ad desiderium inefficax; & probo; quia, quando est licitum sibi complacere de objecto, etiam est licitum illud inefficaciter desiderare: v. g. quia licitum est pro salute sibi complacere de pollutione naturaliter in somnis proveniente; etiam licitum est eam antecedenter desiderio inefficaci desiderare; ut docet Layman, Filiucius, Villalobos, & alii, quos citat, & sequitur Diana part. 3. tract. 5. resol. 87. & alii viginti duo Doctores, quos citat, & sequitur Thomas Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 1. cap. 2. n. 18. sed sic est, quòd, quando utile temporale alio modo evenire potest, quàm per mortem, sit licitum sibi complacere de tali effectu non habito respectu ad mortem: ergo in hoc casu erit etiam licitum talem effectum inefficaciter desiderare sine respectu ad mortem. Deinde, quia desiderium inefficax, & complacentia habent idem objectum, & solùm distinguuntur respectu præsentis, vel absentis: atqui hæc differentia quoad mores nihil obest: ergo &c.

55. Ex quo infero, si effectus, vel utile temporale non possit obtineri per aliam viam, quàm per mortem proximi: v. g. Coadjutor non potest consequi officium, nisi moriatur officialis; aut Clericus non potest obtinere beneficium, nisi moriatur aliquis beneficiatus, in hoc casu non est licitum, nec inefficaciter desiderare, nec sibi complacere de tali effectu, quia est necessarium, ut tale desiderium, vel complacentia saltem indirectè habeat pro objecto mortem proximi; siquidem finis desiderari non potest, nec haberi de eo complacentia absque mediis necessariis ad eum consequendum. Attamen adhuc in hoc casu, si mors intellectui non occurrat, sed solùm utile temporale, non erit peccatum desiderare tale utile, vel in eo

ſibi complacere. Ratio eſt; quia omne peccatum debet eſſe voluntarium: & voluntarium eſt à principio intrinſeco ſingula cognoſcente, id eſt, debet eſſe cum cognitione Juris & facti: Juris cognoſcendo illud eſſe malum, quod committitur: & facti cognoſcendo malitiam, vel circumſtantiam vitiantem objectum: atqui in caſu, de quo loquor deeſt cognitio mortis, quæ eſt circumſtantia, quæque vitiare debebat hoc deſiderium, vel complacentiam: ergo hoc deſiderium non erit voluntarium: conſequenter nec peccatum.

56. Dico quartò, neque damnatur opinio, quam cum Navarro tenet Sanchez in Sum. lib. 1. cap. 2. n. 30. quòd non ſit peccatum deſiderare mortem proximi, ſi erit voluntas Dei, ut moriatur, quando noſtræ voluntati voluntas Dei anteponitur, prout accidit, quando non deſideratur, ut Deus mortem proximi velit, ſed caſu, quo Deus illam vellet, monſtratur affectus conformis cum voluntate Divina. Et ratio, cur hæc opinio non ſit damnata, eſt, quia caſus damnatæ ſententiæ non loquitur de deſiderio conditionato, qualis eſt iſte. Ita Torrecilla citando me in ſua ſecunda impreſſione fol. 446. concl. 5.

Ex quo infero, nec damnari opinionem Vasquez, Sayri, Rodriquez, & aliorum apud Sanchez ubi ſupr. n. 22. qui dicunt, eſſe licitum deſiderare objectum malum ſub conditione, ſi eſſet licitum: v. g. ego deſiderarem, ut Petrus moreretur, ſi hoc non eſſet malum. Ratio eſt eadem, quæ ſuprà, verum quidem eſt, omnia hæc deſideria eſſe valde periculoſa; quia facilè charitatem deſtruunt.

PROPOSITIO XV.

Damnata.

Licitum eſt Filio gaudere de patricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

57. Dico primò, hæc damnatio non loquitur de præviſione patricidii ante ebrietatem tanquam in cauſa, nec de omiſſione reparationis mediorum, quæ in tale patricidium influere poterant, quia hoc erat intrinſecè malum, ideóque non erat neceſſarium illud damnare. Solùm enim loquitur de patricidio caſualiter, & inculpabiliter in ebrietate patrato; quare damnatur, quòd, poſtquam filius fuerit à vini lethargo liberatus, poſſit ſibi complacere, & gaudere de patricidio ob emolumentum temporale hæreditatis per illud conſecutæ.

Ex quo infertur, quòd, ſi complacentia patricidii non eſſet ob hæreditatem, ſed ob aliud motivum ita æſtimabile, quantum vita Patris; uti in caſibus relatis in Propoſitione antecedenti, concluſione ſecundâ dictum eſt; non eſſet peccatum: nec ſimile quid damnatur.

Infertur ſecundò, quòd gaudere de morte in ebrietate, vel ſomno incul-

pabiliter causatâ, quando mortuus non est Pater, non damnatur in hac Propositione; licèt sufficienter in Propositione 13. damnetur.

58. Dico secundò, non damnatur opinio, quam ut Paludano, & aliis tenet Sanchez in Sum. lib. 1. cap. 1. n. 16. Quòd sibi complacere de transgressione præcepti humani quæ est immunis à culpa ob inadvertentiam, vel ignorantiam, non sit peccatum: v. g. qui immemor diei Veneris comedit perdicem, non peccat, licèt posteà advertens, fuisse diem prohibitum, gaudeat de comestione perdicis, non in quantum ab Ecclesia est prohibita, sed in quantum est utile pro corpore; quia opinio damnata de hoc casû non loquitur, nec per identitatem rationis huc extendi potest.

PROPOSITIO XVI.

Damnata.

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

PROPOSITIO XVII.

Damnata.

Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

59. Dico primò, in his duabus opinionibus, licèt damnetur, quòd præceptum Fidei non obliget per se, vel quòd solùm obliget semel in vita, non tamen determinatur, quando obliget hoc præceptum: quapropter hæ opiniones adhuc manent cum sua præcedenti probabilitate circa tempus obligationis hujus præcepti.

60. Dicendum igitur est, quòd obliget per se omni anno semel, ut dixi de actu amoris Dei in explicatione Propos. 5. supr. sic sentit M. Lumbier observ. 6. n. 132.

Actus Fidei obligat etiam per se, quando infideli sufficienter proponitur; pariter & Christianum, dum pervenit ad usum rationis, & ei Mysteria fidei explicantur. Sic Torrecilla tract. 8. sub. concl. 2. num. 9. & 10. fol. 441. Optimè etiam advertit dictus P. Torrecilla n. 17. quòd communiter, qui recipit Sacramenta, vel exercet aliquam virtutem supernaturalem, sufficienter huic præcepto satisfaciat.

61. Dico secundò, licèt hæc damnatio non loquatur, an sit necessarium elicere actum fidei, vel non, quando recipitur Sacramentum Pœnitentiæ; hoc non obstante est necessarium, ut actus fidei tunc temporis eliciatur; quia nullus potest accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ absque dolore de peccatis, sed hic dolor non est possibilis, nisi præcedat actus fidei, ut dicit Torrecilla ubi supr. num. 4. ergo non potest dignè recipi Sacramentum Pœnitentiæ sine actu fidei, quo creditur Deum posse peccata condonare; verum enim est, quòd actus fidei includatur in attritione, vel contritione; uti dicetur in fine hujus tractatûs n. 310.

PRO-

PROPOSITIO XVIII.
Damnata.

Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & Fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

62. Suppono, quòd præceptum Fidei affirmativum non solùm obliget ad credenda sua Mysteria internè, sed etiam ad ea confitenda externè, quandò esset necessarium; & quòd præceptum negativum non solùm obliget ad non credendum aliquid contra fidem internè, sed etiam ad eam non negandam externè, hoc tanquam negativum obligat semper, & pro semper; aliud verò non.

Dico primò, in hac opinione damnatur, quòd, si Catholicus à Judice, Magistratu, vel alia persona publica interrogetur, an sit Catholicus, vel non, an nostra Religio sit vera, possit tacere; quia tunc tenetur confiteri, & externè profiteri fidem, licèt sit cum periculo vitæ. Sed si interrogans est homo privatus, licèt non possit negare fidem, potest tamen tacere, vel respondere dicendo, quis ipsi hanc authoritatem tribuit? vel quid sua intersit hoc scire? quia Propositio damnata, ut ex ea patet, non loquitur, quando interrogans est persona privata, sed publica.

63. Dico secundò, non damnatur opinio dicens: esse licitum Catholico se abscondere, & fugere, ne à Judice tyranno de fide interrogetur. Sic Torrecilla fol. 442. concl. 5. num. 9. quia Propositio damnata loquitur supposità jam interrogatione: & fugiens non supponitur interrogatus. Deinde, quia per suam fugam sufficienter confitetur se esse Christianum; siquidem non fugeret, nisi talis esset.

PROPOSITIO XIX.
Damnata.

Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

PROPOSITIO XX.
Damnata.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.

64. Suppono, quòd, ut homo actum supernaturalem eliciat, requiratur gratia excitans, & cooperans Constat ex Concil. Trident. Sess. 6. Can. 3. & ex Conc. Arausicano 2. Can. 9. quale dicit: Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, cooperatur: Et est communis Theologorum. Suppono secundò, quòd hæc gratia excitans, & adjuvans non solùm reperiatur in intellectu mediante illustratione, lumine, vel inspiratione; sed etiam in voluntate mediante aliqua pia affectione, cum qua voluntas ad bonum movetur supernaturaliter.

65. Ex hoc infertur falsitas harum duarum Propositionum; quia decima nona piam affectionem voluntati denegat, & omnem ejus motionem attribuit

tribuit rationibus intellectûs: & vigesima supponit, quòd motivum assensûs supernaturalis sit fallibile. Hoc est falsissimum quia hoc motivum est revelatio Divina, quæ certissima, & infallibilis est.

PROPOSITIO XXI.
Damnata.

Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.

66. Hujus opinionis falsitas facilè demonstratur; quia assensus supernaturalis, & utilis ad salutem debet esse certissimus: atqui non potest esse certissimus cum notitia solùm probabili, vel formidine revelationis Divinæ: ergo requiritur certa notitia illius, quòd Deus revelavit. Major est certa; quia assensus fidei supernaturalis fundatur in veracitate Divina, qua quid certius? Minor est etiam firmissima; quia certitudo assensûs fundatur in certitudine objecti motivi: ergo si hoc est probabile, non poterit illud esse certum.

PROPOSITIO XXII.
Damnata.

Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

67. Hæc opinio expresè opponitur illi textui S. Pauli: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se Remunerator sit: ad Hebræos cap. 11. per quod S. Paulus declarat, quòd, qui in hac vita ad Deum per gratiam, & in futura per gloriam vult accedere, debeat credere, quòd sit unus Deus, qui ipsi servientes remunerat.

68. Hìc tamen non damnantur opiniones, quæ dicunt, fidem explicitam Mysterii SS. Trinitatis, & Incarnationis non esse necessariam necessitate medii: neque illæ, quæ loquuntur de fide implicita, nec de necessitate præcepti, videatur id, quod in Decalogo dixi tract. 1. cap. 1. num. 1.

PROPOSITIO XXIII.
Damnata.

Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

69. Hujus Propositionis falsitas facilè demonstratur; quia fides necessaria ad justificationem debet esse supernaturalis: atqui illa, quæ in motivo creaturarum fundatur, non potest esse supernaturalis: ergo nec sufficiens ad justificationem. Major est certa: quia inter dispositionem ad gratiam & ipsam gratiam debet esse proportio: sed gratia est supernaturalis: ergo &c. Minor est clara; quia actus specificatur ab objecto formali: ergo si testimonium creatum erit motivum fidei: cùm illud sit naturale, non potest hæc esse supernaturalis. Quapropter error Manicheorum manet damnatus, qui dicebant, sufficere ad justificationem fidem naturalem, ut testatur S. Augu-

ſtinus lib. de utilitate credendi cap. 2. remanet etiam damnata, ut benè probat Filgneira fol. 108. §. Num verò, opinio Cipaldæ de Fide diſp. 17. ſect. 10. &c. Affirmantis, dari unam fidem latam, quæ non ſit fides Theologica; licèt dixerit, quòd ſit ſupernaturalis, ſed quód procedat ex motivo creaturarum. Videatur etiam R. P. Torrecilla ſupra hanc Propoſitionem num. 24. & ſeq.

PROPOSITIO XXIV.
Damnata.

Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

70. Peccatum ex genere ſuo mortale poteſt fieri ex accidenti veniale tribus caſibus, quos explico in conferentiis moralibus tract. 2. ſect. 4. conſ. 1. §. 2. num. 9. Inter quos unus caſus, quo peccatum ex ſua natura mortale ex accidenti fit veniale, eſt parvitas materiæ, quæ regulariter admittitur in præceptis naturalibus, Divinis & humanis; dantur tamen aliqua præcepta, quæ non habent parvitatem excuſantem à culpa gravi ejus transgreſſionem; ut eſt præceptum ſigilli confeſſionis, & alia, quæ refero in loco citato conferentiarum §. 4. num. 33. videatur ibi.

71. Unum non excuſans ob parvitatem à culpa gravi eſt juramentum falſum; quia in illo non attenditur tantum ad materiam juratam, quantum ad reverentiam Veritati infallibili Dei debitam: atqui eſt gravis irreverentia vocare in teſtem rei falſæ eum, qui eſt ſuprema veritas: ergo licèt materia ſit levis, & juramentum ſit per modum riſûs, erit ſemper peccatum mortale, jurare falsè. Imò ut dicit S. Thomas 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2. Major eſt irreverentia Nominis Divini, & conſequenter majus peccatum falsum jurare in materia levi, quàm in materia gravi.

PROPOSITIO XXV.
Damnata.

Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

72. Suppono, quòd jurare ſine animo jurandi ſit dicere talia verba, quæ in communi acceptione ſumuntur ut juratoria abſque animo jurandi: v. g. per Crucem, per animam meam hæc res ita ſe habet. Ex quo infertur, quòd, ſi quis ſine intentione jurandi dicat verba, quæ non ſumuntur pro juratoriis, v. g. per fidem meam, per vitam meam, non peccet, ſi dicat verum etiam ſecluſa neceſſitate; ſi enim dicat mendacium leve, erit peccatum veniale, ſi verò mentiatur in re gravi, erit peccatum mortale, non contra juramentum, quia tale nec verbis, nec intentione fecit, ſed quia materia eſt ex ſe graviter mala. Vide Sanchez ubi ſupr. n. 11.

73. Dico primò, ſi ille, qui jurat ſine intentione jurandi, mentiatur, peccat mortaliter, Hæc aſſertio eſt certa, ut benè dicit Leander à S.S. part. 2.

tr. 18 disp. 45. ubi de juram. amphibologico, & contrarium damnatur in hac Propositione. Et ratio est; quia est gravis irreverentia invocare Nomen Domini, licèt fiat solùm verbaliter, ad confirmandum aliquod mendacium, licèt etiam sit in materia levi.

74. Dico secundò, in hac Propositione non damnatur opinio Soti, Aragonii, Petri Ledesmæ, & aliorum, quos citat Thomas Sanchez in Sum. lib. 3. cap. 6. num. 9. Qui dicunt, quòd jurare absque animo jurandi solùm sit peccatum veniale, non mortale, quando juramentum est cum veritate, & necessitate. Ratio est; quia opinio damnata dicebat, hoc esse licitum: atqui opinio horum Authorum non dicit, esse licitum, siquidem dicit, esse peccatum veniale: ergo hæc opinio non damnatur. Ratio, ob quam est peccatum veniale, est, quia jurare absque animo jurandi est mentiri, quia, qui talia verba profert, videtur jurare, ipsius intentio tamen non est jurandi: ergo mentitur: quia mentiri est contra mentem ire.

75. Dico tertiò, nec damnatur opinio, quam cum Suarez, Lessio, & aliis tenet R. P. Leander à Murcia tom. 2. disq. Moral. lib. 4. disp. 4. resol. 2. num. 8. quæ dicit, quòd, qui jurat absque intentione jurandi, si in veritate jurat, solùm peccet venialiter, quamvis seclusa necessitate: & ratio est eadem, quæ suprà. Confirmatur; quia ut docet communis Doctorum, quando juramento solummodò deest necessitas, est tantùm peccatum veniale. Hæc, & antecedens conclusio limitantur, quando nimirum juramentum juridicè exigitur, vel fit ad formandum aliquem contractum, tunc enim, licèt juretur verum, erit peccatum mortale jurare absque animo jurandi: non contra Religionem, sed contra justitiam ob injuriam Judici, vel comparti contractûs illatam non jurando verè, dum ex justitia id debuisset. Est communis inter Doctores.

76. Dico quartò, remanet quoque damnata opinio Valentiæ, Sanchez, quos citat, & sequitur Murcia ubi supr. num. 7. asserens, quòd, qui jurat sine animo jurandi, & sine animo verbis significandi id, quod jurat, sed solùm indicandi aliam rem disparatam, non peccet venialiter. Quia Pontifex damnat, esse licitum, verba juramenti proferre absque animo jurandi: hoc idem dicit præsens opinio: ergo est damnata.

77. Dico quintò, non est damnata opinio Sanchez in Sum. lib. 3. cap. 10. num. 8. Fagundez in Decalog. tom. 1. præcept. 2. lib. 2. cap. 9. num. 9. Dianæ p. 9. tract. 8. resol. 17. Qui docent, quòd, qui jurat cum animo jurandi absque intentione tamen se obligandi ad juramentum, ad illud non teneatur; quia opinio damnata loquitur de eo, qui jurat sine intentione jurandi, hæc verò solùm de intentione obligationis.

tionis. Attamen, licèt hoc juramentum non obliget, erit saltem peccatum veniale; & mortale, si est juridicum, ut suprà dictum est.

78. Dico sextò, juramentum promissorium sine intentione jurandi factum, erit peccatum mortale, si desit veritas de præsenti; si verò hæc adsit, erit peccatum veniale (excepto semper juramento de Contractibus) tale juramentum tamen non obligat etiam post damnationem, sic sentit cum S. Thoma, Cajetano, & aliis R. P. Fr. Martinus à Torrecilla fol 366. num. 261. Et ratio est; quia juramentum sine intentione jurandi non est juramentum: ergo non potest aliquam obligationem inducere; nihilominus, si ex hoc juramento sequi deberet aliquod scandalum vel damnum tertii; obligaret in conscientia, ac etiam in foro externo ad illius executionem, ut dicit Lumbier observ. 8. num. 209.

PROPOSITIO XXVI. Damnata.

Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

PROPOSITIO XXVII. Damnata.

Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

79. Suppono primò pro meliori intelligentia harum Propositionum (quæ magnam in hominibus doctioribus explicandi difficultatem causarunt) quòd restrictiones mentales, seu amphibologiæ tanquam mendacia damnentur; & si addatur juramentum, pro perjuriis habeantur. Ita dicit Propositio 26. damnata: non mentitur, nec est perjurus; Et consequenter in nullo casu, nec pro vita, nec pro honore, nec pro bono temporali, aut alio quocunque fine licitum est dictis amphibologiis, aut restrictionibus uti: colligitur ex Propositione 27. damnata. Probatur; quia mendacium in nullo casu est licitum; atqui amphibologiæ habentur pro mendaciis: ergo in nullo casu licitæ erunt.

80. Suppono secundò, quòd, si quis amphibologiâ sine juramento utatur, solùm committat peccatum veniale non interveniente proximi damno, sicut est mendacium. Si verò amphibologia fiat cum juramento, erit peccatum mortale: atqui amphibologia est mendacium: ergo si fiat cum juramento, semper erit peccatum mortale, sive materia sit levis, sive gravis. Tota difficultas, quod non sit peccatum, consistit in cognoscendo, & decidendo, qualesnam amphibolo-

bologiæ habeantur pro mendaciis, & ut tales damnentur, & quales non, quod pro majori intelligentia in sequentibus conclusionibus resolvam.

Prima Conclusio.

81. Dico primò, in his Propositionibus solùm damnantur restrictiones purè mentales: Ita tenet M. Lumbier, Filgueira, Hozes, & Torrecilla supra hanc Propositionem. Et probatur ex eodem textu Propositionis damnatæ, qui dicit: si quis intra: si quis intra se, vel internè restrictionibus uteretur: ergo sola restrictio interna, vel mentalis damnatur. Restrictio mentalis dicitur tunc, quando nec verbis æquivocis, nec aliis circumstantiis exterioribus significatur, sed solùm restrictio mentis habetur: v. g. sum interrogatus, an hodie viderim Petrum, quem revera vidi; quia autem eum manifestare nolo, dico: non vidi eum hodie, intelligendo intra me, non vidi, ubi tibi eum manifestarem: hæc vocatur amphibologia, & restrictio purè mentalis, & interna; hæc enim est illa, quæ ut mendacium damnatur.

Secunda Conclusio.

82. Dico secundò, restrictiones, vel amphibologiæ sensibiles, & externæ non damnantur in hac Propositione, sic sentiunt DD. citati in conclusione præcedenti. Ratio est; quia multoties est licitum occultare veritatem, imò etiam ex obligatione: v. g. quando Confessarius interrogatur de aliquo peccato in Confessione audito: atqui mendaciũ numquam est licitũ; ergo debet dari aliquis modus pro occultanda veritate in multis casibus, Subsumo: sed sic est, quòd non possit fieri cum amphibologia mentali, cùm sit mendacium: ergo debet fieri cum externa.

83. Et si à me quæratur, quænam dicatur amphibologia sensibilis, vel externa? Respondeo, quòd sit illa, quæ in ipsis verbis, vel circumstantiis temporis, loci, aut personæ dicentis reperitur.

Pro clariori intelligentia harum restrictionum externarum advertendum est, dari verba ex se æquivoca, hoc est, diversas res significantia; v. g. hæc vox, Canis, est æquivoca, per quam intelligi potest canis terrestris, marinus, & cœlestis: hæc vox, Gallus, est æquivoca quæ significat unum in Gallia natum, & Gallum Gallinaceum; hæc vox Libra, est æquivoca, quæ significat libram, vel bilancem, qua res ponderantur, & signum cœleste: & hæc vox, proprium, significat id, quod est proprium unius personæ, & etiam ipsam personam: v. g. Religiosus interrogatur, an Breviarium, quod habet, si illud idem, quod ipsi fuit datum? Respondet, non est proprium; hæc responsio est æquivoca; quia potest significare, quòd non sit idem, quod ipsi fuit anteà datum, potéstque significare, quòd non habeat supra illud dominium vel proprietatem.

Aliæ voces sunt æquivocæ ex parte per-

personæ eas pronuntiantis: v. g. Confessarius; qui interrogatur, an sciat, quòd Petrus fuerit furatus octo regales Joanni, & hoc scit ex confessione. Respondet nescio: Hæc responsio secundum se significat, quòd nullo modo sciat: sed circumstantia interrogationis eam facit æquivocam, & quòd significat, nescio eo modo, quo tibi dicere possem. Alia verba facit æquivoca Politica, Ironia, Eutropelia &c. Alia verò modus interrogandi, de quibus loquar in quinta, & sexta conclusione.

Tertia Conclusio.

84. Dico tertiò, uti amphibologia: dum verba sunt æquivoca, & habent duplicem sensum, non est mendacium, nec pro tali damnatur, sic Hozes, & cum ipso Torrecilla hìc, & alii, quos iste citat fol. 344. regul. 1. num. 116. Et probatur; quia mentiri dicitur, quando verba menti non conformantur, atqui ille, qui utitur amphibologia æquivoca, conformat verba sua menti: ergo non mentitur. Minor probatur hoc exemplo: sum interrogatus, an Antonius sit in mea domo, ubi habeo unam picturam dicti Antonii, Respondeo affirmativè intendendo ejus picturam: hìc non est mendacium; quia mea mens intelligit Antonium depictum, & mea verba eam significant; cùm enim hæc vox, Antonius, sumatur pro Antonio vero, & depicto: ergo in amphibologia æquivoca conformantur verba menti: consequenter non est mendacium.

85. Ex hoc infertur, quòd tales amphibologiæ æquivocæ ex se, si confirmentur cum juramento, nullo modo habeantur pro peccato, dummodò concurrat necessitas, & justitia, quæ necessariò debent adesse, ad hoc, ut sit licitum; Si verò proferantur sine necessitate, erit peccatum veniale: quia quando juramento non deest veritas, nec justitia, sed solùm discretio, vel necessitas, solùm est peccatum veniale, atqui in amphibologia æquivoca non deest veritas, ut dixi, nec justitia, ut suppono: ergo si sola desit necessitas, erit tantùm peccatum veniale.

86. Infertur secundò, quòd, si Petrus quæratur in domo, uxor, vel filius, vel servus, si velint eum occultare, possint respondere sine mendacio, quòd Petrus domo exiverit, ac pro majori fide tribuenda, si est necessarium, possint jurare; quia hæc verba, domo exivit, sunt æquivoca, & significant, quòd Petrus exiverit domo vel paulò antè, vel ante multum tempus: ergo, si per hæc verba velint dare ad significandum, quòd ante multum tempus domo exiverit, non erit mendacium, licèt aliàs audiens decipiatur intelligendo per ea, Petrum actualiter non esse domi.

Quarta Conclusio.

87. Dico quartò, non est mendacium, nec pro tali damnatur uti verbis amphibologicis; quando vel status personæ, vel circumstantia temporis,

 vel

vel loci, vel modus interrogandi ea faciunt ambigua: sic tenet Moya, Sanchez, & Hozes, Torrecilla ubi supr. regul. 2. num. 739. probatur eadem ratione, qua probatæ sunt duæ præcedentes conclusiones, & declaratur exemplo.

Inquisitor interrogatur, an ceciderit in suum Tribunal Folanus: Medicus, aut Chirurgus, an fæmina quam curant sit infirma ex stupro ei illato: Custos camporum, an invigilet, & eos custodiat. Omnes possunt absolutè respondere, se nescire; quia circumstantia personæ reddit verba æquivoca, & hoc verbum, nescio, si pronuntiatur ab alia communi persona, significat, quòd nullo modo illud sciat; Si verò pronunciatur ab Inquisitore, Medico, Chirurgo &c. significat, quòd non sciat eo modo, quo illud dicere possit.

Mercator interrogatur, quantum pro tali mercatura dederit; si dedit pro illa octo, respondet, quòd dederit decem, intelligendo expensas factas in vectura, vel quatenus unita est cum aliis mercaturis: hic non mentitur; quia ob circumstantiam sui officii indiget responsione æquivoca, ut veritas in similibus casibus occultetur.

88. Judex interrogat testem, vel reum non observando ordinem judicialem, vel non habendo semiplenam probationem, vel in alio quocumque casu, quo testis, vel reus licitè occultare potest veritatem; potest respondere testis, quòd nihil sciat de tali delicto; & reus, quòd illud non commiserit: hæc enim responsio sic absolutè pronunciata ob circumstantiam illegitimationis, qua Judex interrogat, fit ambigua, & significat; non scio taliter, ut debeam illud manifestare.

89. Ob eandem rationem potest ille, qui scit rem quamdam sub sigillo, vel secreto naturali, respondere, se nescire; imò, licèt sit interrogatus de ea in judicio, & Judex instaret interrogando num sciat illam rem in secreto, potest respondere, quòd non sciat, ita expresè Aragonius 2. 2. q. 70. art. 1. fol. 373. §. Sed est dubium.

90. Confessarius interrogat pœnitentem, an habeat aliquid, de quo se accusare posset circa sextum præceptum; licèt pœnitens unum peccatum contra illud habeat; quia tamen ex ejus confessione posset Confessarius venire in cognitionem complicis; potest pœnitens respondere, quòd non habeat, de quo se circa hoc præceptum accusare posset.

91. Ex dictis infertur, quòd ille, qui in omnibus dictis casibus, vel multis aliis similibus ita respondet, & juramento confirmat, peccet venialiter, si jurat absque necessitate, nempe, quando ipsi daretur fides absque additione juramenti; non erit tamen mortale, nisi deesset justitia; quia tunc non deerit veritas, sed solùm discretio, quod est veniale.

Quinta Conclusio.

92. Dico quintò, non est mendacium, nec damnatur ut tale, uti amphibologia; quia attentis legibus politicæ hyperbolis, Eutropelia, Ironia, Parabola, & aliæ figuræ Rhetoricæ sunt veræ, licèt secundùm rigorem verborum tales non sint. Ita Lumbier observ. 8. num. 236. Torrecilla ubi supr. regul. 3. num. 182. quia hæc amphibologia non est interna, sed externa, ut in sequentibus casibus videbitur.

93. Petrus dicit uni suo amico: V. D. habeat me pro suo servo, me subjicio ad ipsius pedes, potest de mea persona, & bonis disponere, sicut de re sua propria &c. hæc verba in toto rigore accepta non sunt vera; quia nec Petrus est servus sui amici, nec subjacet suis pedibus; sed secundùm politicam sunt vera, quia, qui hæc profert, solũ per ea desiderat significare, quòd sit promptus ad inserviẽdũ suo amico.

94. Joannes habet unum equum, vel aliam rem, quam multùm æstimat; & dicit, pluris æstimo hunc equum, quàm omnia alia, quæ habeo: hæ voces rigoroso modo sunt falsæ, quia Joannes pluris æstimat suam consortem, filios, Patrem, vel fratres, quàm equum: sed in sensu hyperbolico sunt veræ; quia solùm vult cum illis monstrare magnam æstimationem, quam habet de illo equo.

95. Franciscus dicit Antonio pauperi per ironiam, V. D. potest emere hunc pretiosum tapetem, siquidem pecuniis abundat: hoc in rigore supposita paupertate Antonii est falsum: sed cùm illud dicat solùm per ironiam, non est mendacium.

96. Quatuor amici sunt in honesta recreatione, unus eorum est aliquantùm tenax, alii dicunt; Dominus Folanus, qui est splendidus, & liberalis, nos invitabit ad prandium: ita loqui in rigore supposita conditione avaritiæ subjecti, est falsum: sed per ironiam, & eutropeliam, quæ permittit aliquod honestum sublevamen, est verus hic modus loquendi.

97. Quatuor personæ in invicem colloquentes murmurant, & enarrant modò hujus, modò alterius defectus; unus præsentium timoratus, licèt sit notum, quòd ille, de quo est sermo, habeat tales defectus, nihilominus charitate motus eos cooperit, dicendo, ut ab hac enarratione abstineant; quia nullus præsumitur his defectibus implicatus: hoc modò in rigore, supposità notitiâ quam habet hic timoratus de defectibus sui proximi, est falsum; secundùm christianitatem verò, & prudentiam, est verum. Hoc modo possunt alii multi similes casus exemplificari.

98. Ex dictis infertur, quòd, si in suprà dictis casibus adhiberetur juramentum absque necessitate, esset peccatum veniale, si verò esset necessitas, nullum esset peccatum; quia non sunt juramenta falsa: pariter suppono, quòd juramento non desit justitia.

Sexta

Sexta Conclusio.

99. Dico sextò, uti metaphorâ ad occultandam veritatem non est mendacium, nec pro tali damnatur; & sic probat S. Augustinus in libro contra mendacium cap. 10. Ubi affirmat, quòd Jacob dicens Patri suo Isaac, eum esse suum primogenitum Esau, non fuerit mentitus ob mysticam, & metaphoricam significationem, quam hæc verba habebant; *Quæ si mendacia dixerimus*, dicit Sanctus, *omnes etiam parabolæ, ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendũ, dicentur esse mendacia: quod absit omnino &c.* Cardenas in hac Proposit. cap. 4. num. 46.

100. Multi homines spirituales invitati ad comedendum cibos delicatos hac doctrina instructi respondent absque mendacio, tales cibos nocere eorum saluti, sumendo hanc vocem salus metaphoricè, & in quantum significat salutem spiritualem.

101. Quæritur, quomodo se debeat gerere mulier, quæ post commissum adulterium cogitur à Marito ad fatendum, utrùm commiserit adulterium; quia, si fatetur, se infamat, & se exponit periculo vitæ, ad cujus conservationem jus habet; si verò negat se commisisse, mentitur.

102. Respondeo, quòd in adeò urgenti vitæ periculo possit se eximere à manifestatione sui delicti cum metaphora, dicendo, quòd non adulteraverit; quia hoc verbum adulterare metaphoricè significat committere idololatriam, ut constat ex Ezechiele cap. 23. vers. 37. ubi loquendo de idololatriis Populi Hebræi dicit: Quia adulteratæ sunt, & sanguis in manibus earum, & cum idolis suis fornicatæ sunt.

103. Respondeo secundò, quòd, ut dixi in Conclusione 3. possit se eximere à manifestatione, si respondeat verbis æquivocis: v. g. Maritus eam interrogat, an ipsi fregerit fidem; potest illa respondere, non fregi habendo in mente fidem, quam ut Christiana profitetur; quia hoc verbum, fides, est commune tam fidei Christianæ, quàm fidei conjugali.

104. Respondeo tertiò, quòd ad occultandam suam fragilitatem possit respondere: non commisi adulterium eo modo, quo sim obligata illud tibi manifestare, ut dixi num. 88. loquendo de teste, & reo. Quia sicut Judex non observando ordinem judicialem non habet jus interrogandi, nec reus, vel testis obligatur circa rem occultam respondere; Sic Maritus non habet jus interrogandi, nec uxor suum delictum manifestare tenetur.

105. Probatur ulteriùs nostra responsio, prudens interrogatio semper includit hanc conditionem, dicas mihi, utrùm hoc feceris casu, quo possis, & debeas mihi dicere; & sic quando Confessarius interrogatur; an sciat, quòd Petrus fuerit furatus, interrogatio

tio est, an illud sciat extra confessionem: ergo etiam prudens responsio habet inclusam eandem conditionem: non scio illud eo modo, quo possim, & debeam tibi dicere.

106. Confirmatur à paritate: Petrus in extrema necessitate constitutus accipit aliquam rem Joanni: hic prudenter, & rationabiliter non debet esse invitus, quòd Petrus suæ extremæ necessitati de suis bonis succurrat; & si esset invitus, per hoc tamen Petrus non peccaret accipiendo illam rem; quia licèt sit contra voluntatem Joannis, non est tamen contra voluntatem rationabilem: ergo eodem modo discurrendum est in nostro casu.

107. Franciscus durus in solutione, petit ab Antonio mutuò centum Imperiales; & Antonius considerando difficulter posse sua recuperare, & necessarium fore cum eo litigare, respondet, non habeo tantum, quantum V.D. à me petit; in hoc casu non mentitur Antonius, ut cum Sanchez, Palao, & aliis dicit P. Torrecilla ubi supr. num. 18. quia Franciscus petendo prudenter, & rationabiliter ab Antonio hanc pecuniam, petit cum hac conditione; nisi exinde ipsi aliquod damnum evenerit: & consequenter responsio Antonii est, non habeo in modo, quo tibi dare possem sine meo incommodo.

108. Et si quis interrogat, an uxor coacta à Marito possit jurare, se non commisisse adulterium: dico, quòd, si illa respondeat modis supradictis, possit licitè jurare; quia juramentum est licitum, quando nec justitia, nec veritas, nec judicium deest; sed in hoc casu, & in modis supradictis non deest aliqua harum conditionum; ergo &c.

109. Ex dictis in his conclusionibus infertur, quòd, qui amphibologicè loquitur, nisi simul concurrant circumstantiæ officii, personæ, eutropeliæ, ironiæ, metaphoræ &c. Vel nisi sint verba ex se æquivoca, mentiatur; & si juramento confirmet, erit perjurus, peccabítque mortaliter. Probatur; quia quando verba non sunt ex se æquivoca, nec circumstantia personæ, vel officii, nec ironia, vel alia figura Rhetorica facit ea ambigua, sunt mendacia: sed sic est, quòd jurare supra mendacium sit perjurium, & peccatum mortale: ergo etiam erit loqui amphibologicè, quando verba non sunt ex se æquivoca, nec ob circumstantiam vel aliam figuram Rhetoricam ambigua.

Advertentiæ circa praxim, & usum Amphibologiæ.

110. Advertendum est primò, quòd, qui amphibologiis uti vult, debeat in mente habere conceptum sensui proportionatum, in quo verba profert; aliàs mentiretur, quia ejus verba essent contra mentem: v. g. sum interrogatus, an viderim Petrum, quem antecedenter vidi, non autem modò, respondeo, me eum non vidisse intendendo,

quòd ipsum nunc non viderim: ad hoc, ut hæc responsio non sit mendacium, necessarium est, quòd, sicut mea verba solùm dant ad intelligendum, me eum modò non vidisse, habeam intentionem cum illis significandi, quòd modò eum non viderim; quia si dicere intenderem, quòd nunquam Petrum viderim, committerem mendacium. Est doctrina Thomæ Sanchez in Sum. lib. 3. cap. 5. n. 15. in fine.

111. Advertendum est secundò, quòd non sit opus, ut conceptus mentalis sit specificus, sed sufficit, ut sit genericus singulariter in rustico, qui cum præcisione non scit operari: sufficit enim, quòd proferat verba, retinendo in mente intentionem, ea pronuntiandi in sensu ipsi licito, vel juxta modum, quem DD. docent, esse licitum. Est etiam doctrina Sanchez, & Leandri à S. S. quos citat, sed non attentat sequi Lumbier ubi supr. n. 206. eam tamen sequitur cum eodem Sanchez, Suarez, & Palao, Torrecilla ubi supr. fol. 352. num. 175. quod sequentibus exemplis declaratur.

112. Petit aliquis à fœmina mutuò quamdam suppellectilem, quam non potest mutuò dare, vel quia sola eâ indiget, vel quia rationabiliter dubitat, eandem debere deteriorari, vel quia, si mutuò daret, Maritus eam increparet & rumoribus totam conturbaret domum, quapropter respondet, non habeo talem suppellectilem; ad hoc, ut hæc responsio non sit mendacium, sufficit, quòd illa intentionem habeat pronunciandi hæc verba in sensu, vel modo quem DD. docent esse licitum.

Petrus, qui scit aliquam rem sub secreto naturali, de eadem interrogatur, respondet, nihil scio de tali re, ad hoc, ut hæ voces non sint mendacium, sufficit, quòd intendat eas proferre in illo sensu, in quo DD. docent quòd licitè dici possit.

113. Maritus interrogat uxorem utrùm filius audiverit Sacrum, vel utrùm domo exiverit, vel hoc, vel illud fecerit: & uxor ad evitandum disgustum, quem timet debere oriri, si secundùm mentem Mariti responderet, quare ad impediendas dissensiones respondet, non exivit ex domo: ut hæc responsio excusetur à mendacio, solùm requiritur, ut uxor in mente intentionem concipiat loquendi in sensu à Confessario sibi proposito, vel in quo dicunt DD. esse licitum ita loqui.

Conclusio totius assertionis.

114. Compendium in hoc paragrapho integræ doctrinæ superiùs dictæ. Restrictiones mentales damnātur pro mendaciis, & si illis addatur juramentum, habentur pro perjurio, quapropter in nullo casu practicari possunt. Restrictiones externæ non sunt mendacia, nec pro talibus damnantur. Restrictiones externæ sunt, vel quando verba ex se sunt æquivoca habentia duplicem significationem; vel quando illa facit ambigua circumstantia

per-

personæ, officii, ironia, eutropelia, hyperboles, vel metaphora. Si amphibologiis, quæ fiunt verbis ex se, vel ex circumstantia, vel figura rhetorica æquivocis, utamur sine aliqua necessitate, erunt peccata venialia, non quia sunt mendacium, sed quia sunt contra præceptum affirmativum manifestandi veritatem, quando non habetur justa causa eam occultandi; licèt modica causa sufficiat, ad hoc, ut non sint peccata venialia: v. g. diversio vel recreatio honesta &c. (Loquor secluso damno tertii) & si hæ amphibologiæ confirmentur juramento ex necessitate, & justitia, nullum erit peccatum: Si verò absque necessitate, erunt duo peccata venialia, unum contra veritatem, quæ dictat loqui ingenuè, & aliud contra virtutem Religionis, cùm fiat juramentum absque judicio: sed verba, quæ nec ex se, nec ex circumstantiis, nec ex figuris Rhetoricis sunt ambigua, sunt mendacia; si verò addatur juramentum, erit perjurium, & peccatum mortale.

PROPOSITIO XXVIII.

Damnata.

Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

115. Hæc Propositio, ut dicit Lumbier in explicat. latina, observ. 3. num. 247. solùm est veluti exemplar duarum Propositionum antecedentium: tam in hac, quàm in illis duabus prohibetur usus amphibologiæ purè mentalis, non verò externæ, sicut cum eodem Lumbier dicit P. Torrecilla hìc fol. 363. n. 273. & seq.

116. Ex hac, & relatâ doctrina in Conclusione sexta Propositionis antecedentis infertur, quòd ad evitandam suam infamiam poterit ille, qui muneribus, & recommendationibus consecutus est aliquod officium, vel Magistratum, respondere vel jurare, cum metaphoris, vel æquivocationibus veritatem occultando; quia urgens necessitas facit licitam metaphoram vel æquivocationem: sed si per veritatis manifestationem non eveniret notabilis infamia, pro tunc non esset licitum illam occultare.

PROPOSITIO XXIX.

Damnata.

Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

117. Dico primò, per hanc Propositionem indicari, quòd, si unus Hæreticus Sacerdoti Catholico minaretur, nisi totum panem in foro existentem consecret, se velle eum occidere; in hoc casu posset Sacerdos proferre verba consecrationis absque intentione consecrandi; quod esset simulare Sacramentum, & hæc assertio est hìc damnata; pariter damnatur, quòd, si

si pœnitens malè dispositus minaretur mortem Confessario, nisi eum absolvat, possit Confessarius verba absolutionis proferre sine intentione absolvendi. Et generaliter omnes simulationes in Sacramentis, id est, applicare formam sine legitima intentione, est damnatum.

118. Ex hoc infertur, quòd, si Pater minaretur suæ filiæ mortem, vel aliud grave damnum, nisi nuberet, non sit ipsi licitum contrahere externè Matrimonium coram Parocho, & testibus sine animo suum in illud præbendi consensum; quia hoc esset fingere administrationem Sacramenti Matrimonii: posset tamen hæc ex gravi metu contrahere cum vero consensu, quantum est ex parte sua, licèt aliàs tale matrimonium esset nullum ob impedimentum dirimens metûs, nec posset consummari: Sic cum Sanchez Torrecilla supra hanc Propositionem fol. 9. n. 75. & seq.

119. Dico secundò, non damnatur opinio S. Thomæ in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. & 2. Suarez, & aliorum dicentium, quòd Confessarius, qui reperit pœnitentem indispositum pro absolutione, possit super eum facere signum Crucis, & dicere aliqua verba, quæ non sunt forma absolutionis, ne circumstantes nullitatem absolutionis advertant; Sic Filgueira supra hanc Propositionem fol. 146. §. neque, & cum M. Bernardo Hozes, Torrecilla fol. 171. sub num. 29. §. adverto, & seq. tum quia hìc non est fictio Sacramenti, siquidem verba formæ non proferuntur: tum quia sic Sigillum Confessionis, & conservatio famæ Pœnitentis requirit.

120. Ex hoc infertur, non damnari opinionem, secundùm quam licitum est administrare Eucharistiam peccatori occulto publicè eam petenti, quando Sacerdoti aliquod grave damnum minatur; Sic Torrecilla ibid. §. Adverte secundò, quia hìc non fingitur Sacramenti administratio, sed administratur verum Sacramentum. Quando autem debeat negari communio peccatori publico, explicabo in 2. part. hujus praxis tract. 13. cap. 5. p. 2. n. 74.

PROPOSITIO XXX. Damnata.

Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, & ictum fustis fugiat.

121. Dico primò, duo sunt contenta, & damnata in hac Propositione. Unum est, quòd, si vir honoratus verbo injurioso afficeretur, possit apprehendere gladium, & occidere eum, qui ipsi contumeliam, & injuriam intulit, si aliter hæc ignominia evitari nequit. Quod falsissimum; quia infamia, quam causat contumelia, sufficienter verbis absque apprehensione gladii resarciri potest: ex hoc

hoc colligitur, quòd maneat damnata opinio Soti, Covarruviæ, & multorum aliorum, quos citat, & sequitur Leander à S. S. tom. 5. tr. 2. disp. 14. q. 1. dicentium, esse licitum cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere illum, qui proprium honorem contumeliis offendit. Sunt etiam aliæ opiniones damnatæ, quos refert idem Leander ibid. q. 12. & q. 28. & q. 34. & seq. & in disp. 14. q. 27. 28. & seq. ut optimè. Filgueira dicit supra hanc Prop. fol. 148. & 149.

122. Secunda pars contenta in Propositione manet etiam damnata, asserens, quòd vir honoratus percussus alapâ, vel fuste, arundine &c. Percussore fugiente possit eum sequi, & occidere; quod etiam est falsissimum; tum quia rixæ actuales per fugam percussoris jam cessarunt: tum quia etiam secundùm leges duelli per eandem offensoris fugam manet injuriatus satisfactus de injuria ipsi illata; verum quidem est, quòd, si aggressor se sisteret in eodem loco non capiendo fugam, imò gauderet de facto, & injuriam continuare intenderet, possit offensus eum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ; nempe, si non subsit aliud medium ad se defendendum ab injusto aggressore. Ita Lumbier observ. 9. num. 108. & Torrecilla supra hanc Proposit. fol. 424. n. 27.

PROPOSITIO XXXI.

Damnata.

Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

123. Dico primò, in hac Propositione damnata est opinio statuens, quòd, si fur mihi unum aureum furaretur, nec haberem aliud medium eundem recuperandi nisi occisione, possem illum occidere; quod à ratione valde alienum est; quia vita hominis tam parvi non æstimatur, quòd possit tolli propter unum aureum.

124. Dico secundò, si hic aureus esset ita necessarius suo Domino, quòd sine illo deberet in extremam, vel gravem necessitatem incidere, vel hunc aureum conservaret pro solvendo debito: propter quod deberet ad carcerem detrudi, ibique multis permanere diebus; in hoc casu non esset peccatum eum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita Torrecilla in Proposit. 31. fol. 425. num. 76. quia Propositio damnata dicit, regulariter esse licitum occidere furem pro conservatione unius aurei: atqui hic casus propositus non est regularis, sed irregularis: ergo hic casus non est in damnatione comprehensus.

125. Dico tertiò, licèt regulariter sit peccatum mortale occidere furem pro conservatione duorum, vel trium aureorum, hoc tamen non est damnatum; ut cum M. Hozes dicit P. Torrecilla ubi supr. n. 28. quia opinio damnata solùm de uno aureo loquitur: nostra conclusio verò non de uno, benè verò de duobus, vel tribus.

126. Dico quartò, si fur esset nocturnus, vel licèt de die veniret, veni-

ret tamen armatus, ejúsque intentio non patet; imò ex modo, quo venit, præsumitur, eum venire cum determinatione occidendi, in hoc casu non erit peccatum prævenire, & eum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, licèt sit solùm pro conservatiōe unius aurei. Ita cum Hozes, Torrecilla ubi supr. num. 80. & 81. quia opinio damnata solùm loquitur pro conservatione unius aurei: hæc verò pro conservatione vitæ.

PROPOSITIO XXXII.
Damnata.

Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quo actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

127. Hæc opinio dicebat, quòd non solùm possim eum occidere, qui injustè bona mea usurpare vellet: v. g. domum, facultates, pecunias &c. sed etiam, si legatum, officium, vel beneficium ex munificentia alicujus amici me possessurum sperarem, possim occidere quemcumque, qui consecutioni boni sperati obstaret. Hæc secunda pars est damnata, & rationabiliter; quia nullus habet jus defendendi, quod suum non est, atqui id, quod sperat, non est suum, ergo non potest illud actualiter defendere, maximè occisione. Verùm pro notitia primæ partis, quam hæc opinio supponit: v. g. id, quod actualiter possidetur, potest defendi occidendo eum cum moderamine inculpatæ tutelæ, qui tentat furari quantitatem excedentem unum aureum, videatur explicatio Propositionis antecedentis.

PROPOSITIO XXXIII.
Damnata.

Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

128. Hæc Propositio est illatio præcedentis; tam una, quàm altera erant Patris Amici tom. 5. disp. 36. sect. 8. num. 131. & 132. dicentis, sperantem hæreditatem, legatum, Cathedram, vel Præbendam posse occidere dictorum bonorum consecutionem injustè impedientem. Hoc justissimè damnatur, cùm multa homicidia causare possit, siquidem quivis sibi persuaderet, quòd ejus Patruus, vel consanguineus ipsi in testamento sit relicturus hanc, vel illam Summam; & quòd alius ex suspicione tentaret eum privare gratiâ, Cathedrâ, vel Præbendâ, posset omnes occidere, quos putat, debere consequi id, quod ipse sperabat.

PROPOSITIO XXXIV.
Damnata.

Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

129. Certum fuit inter DD. quòd nunquam sit licitum directè procurare abortum, quando fœtus est animatus:

tus: utrùm autem licitum ante animatum fœtum, fuit varietas opinionum, & de præsenti jam est improbabilis, & damnata opinio tanquam scandalosa statuens, esse licitum fœminæ ob timorem infamiæ, vel occisionis abortum fœtûs inanimati procurare.

130. Dico primò, hìc non damnatur, quòd sit fœminæ licitum indirectè procurare abortum fœtûs inanimati; id est, sumere medicinas, balneis, & aliis uti remediis, quarum necessitatem habet pro sua salute, licèt aliàs præter intentionem abortus sequatur. Ita cum Lumbier Torrecilla hìc fol. 423. num. 57. quia propositio damnata loquebatur de timore infamiæ, vel mortis proveniente ab extrinseco: hæc autem loquitur, quando fœtus est aggressor, qui ab intrinseco intentat Matri mortem.

131. Dico secundò, neque damnatur, quòd licitum sit consulere fœminæ gravidæ se se occidere paratæ, ut potiùs sibi procuret abortum. Sic tenet cum Hozes P. Torrecilla ubi supr. n. 51. & seq. Quia opinio damnata loquitur de procuratione abortûs, hìc verò de consilio: tum etiam quia licitum est dare consilium ad minus malum illi, qui est determinatus ad majus: majus malum est, quòd fœmina se occidat, & cum ejus morte etiam pereat fœtus, quàm fœtus solus: ergo &c. Videatur pro hac materia c. 5. tract. 5. supra quintum præceptum.

PROPOSITIO XXXV.
Damnata.

Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

132. Hæc Propositio est ampliatio, & extensio præcedentis; quia si juxta illam ob timorem mortis, vel infamiæ licitum est procurare abortum ante animatum fœtum; & si juxta hanc fœtus non animatur in utero Matris, nisi in ipso ortu; sequitur, quòd omnis abortus ob timorem mortis, vel infamiæ licitè procurari posset. Doctrina semper magis absurda, & contraria tam bonis moribus, quàm bonæ rationi, & integræ Philosophiæ.

PROPOSITIO XXXVI.
Damnata.

Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

133. Dico primò, in extrema necessitate licitum est accipere rem alienam; in hoc conveniunt omnes Doctores. In necessitate gravi existimarunt esse licitum, Sylvester, Navarrus, & alii, quos citat, & sequitur Diana part. 2. tract. 17. resol. 29. Sed hæc opinio est jam intolerabilis, & hìc formaliter damnata.

134. Dico secundò, non est damnata opinio, quam cum Molina, & Bonacina refert Diana ubi supr. resol. 3. quòd Pœnitens, qui per aliquod tempus differt solutionem debitorum

cum

cum intentione tamen solvendi, & absque detrimento, vel damno creditoris, non peccet mortaliter, nec neganda sit ei absolutio. Ratio est; quia opinio damnata loquebatur de furto rei alienæ solùm titulo gravis necessitatis; hæc verò tantùm dicit, quòd possit differri solutio, quando exinde nullum causatur creditori nocumentum.

135. Ex quo infertur, quòd nec sit damnata opinio, quam ex Navarro, Angelo, Antonino, & Petro à Navarra refert Diana part. 3. tract. 6. resol. 5. quòd possit absolvi ille, qui potens statim solvere debita, vel restituere rem alienam, non tamen vult, nisi successivè ob aliquam utilitatem, quam exinde habet, si ex hoc nullum damnum creditori sequitur; & Confessarius credit probabiliter, negando ei absolutionem eum nunquam, vel non cum tanta utilitate restitutionem facturum. Notetur tam una, quàm altera opinio, quæ sunt magnæ utilitatis ope sublevandis Confessariis à scrupulis.

De furto ex professo tractavi suprà in septimo Præcepto. tract. 7. cap. 1. Et de restitutione cap. 4. ejusdem tractatus; & de necessitate excusante à restitutione etiam tradidi in eodem loco part. 9. num. 90 videatur ibi.

PROPOSITIO XXXVII.
Damnata.

Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

136. Pater Filgueira supra hanc Propositionem §. Sed licèt, judicat, hìc solùm damnari, famulos, & famulas posse aliquid surripere ad compensandam operam suam, quando soli judicant, quòd salarium, quale promerentur, excedat salarium, quod recipiunt: adeóque non damnari, quòd possint sibi compensare, quando confessarius pius, doctus, & prudens judicat, salarium respectu servitutis esse modicum; quia, ut ille dicit, Propositio damnata dicebat, quòd possint sibi compensare, quando ipsi soli tanquam Judices in propria causa judicaverint, stipendium eorum esse modicum: ergo in hac damnatione non comprehendetur, quando Confessarius non interessatus de hoc fert judicium.

137. Ego tamen huic opinioni non præberem assensum, nisi cum limitatione, quando famuli essent ad serviendum violentati. Videtur, hanc limitationem sequi P. Torrecilla hìc fol. 328. sub. conc. 1. num. 21. licèt num. 17. in conclusione assertionem Filgueiræ absolutè concedat. Ratio ad nostrum intentum est, quia scienti, & volenti nulla fit injuria: ergo si servus voluntariè, & absque ulla violentia se exhibeat ad serviendum suo Domino pro tanto stipendio, Dominus non facit ipsi injuriam negando ei majus stipendium. Deinde: vel famulus potest

test alium Dominum invenire, vel non? si potest, & Dominus, cui inservit, nullam ei, ut supponitur, infert violentiam ad sibi serviendum, sibi imputet, si alium non quærit Dominum. Si verò non invenit occasionem ad serviendum aliis, signum est quòd sit multitudo famulorum & paucitas Dominorum; adeóque ob horum paucitatem, & illorum abundantiam minùs, quemadmodū aliæ merces, æstimentur. Ita Villalobos tom. 2. Sum. 3. tract. 1. disp. 13. n. 6.

138. A. R. P. Martinus de Torrecilla in secunda impressione suarum consult. Moral. fol. 320. Postquam totum id, quod diximus, refert in num. 56. adjungit in num. 57. & 58. id, quod sequitur. Respondeo, quòd nec doctus Filgueira: nec ego dictam sententiam in dictis locis defendamus, (sed quòd solùm ab illa abstrahamus, id est, an debeat in praxi teneri, vel non) sed solùm dicimus, quòd dicta sententia non sit contra censuram Innocentii supra dictam Propositionem 37. contra quam nihil probant rationes à Corella allegatæ, ut ex se manifestum; nec illud, quod dico in dicto numero 21. opponitur generalitati numeri 18. sed solùm pro probatione conclusionis assigno evidentem rationem, ex qua inferri possit, non esse verisimile, quòd velit sua Sanctitas Confessario prohibere dictarum compensationum examen: & judicium æqualitatis inter laborem, & pretium servorum, uti prohibet istis, ne sint Judices in propria causa.

Imò: illi, qui fundarunt dictam sententiam, (quam Lumbier, & ego dicimus comprehendi in dicta censura) respondebunt ad primam rationem Corellæ; nullum servum voluntariè consentire, ut detur minus salarium justo, & ordinario, saltem infimo: & ad secundam rationem dicent, quòd, licèt opinio Soti, Navarri, Rebelli, Villalobos, & aliorum sit probabilissima, pariter & illa, quam ego sequor; hoc tamen non impedit, quin contrarium sit probabile in foro conscientiæ respectu venditoris, & magis respectu servi in præsenti casu: usque modò dixit Torecilla, nunc verò ego.

139. Fateor, quòd nec doctus Filgueira, nec R. P. Torrecilla absolutè asserant, quòd servi possint sibi compensare, quando Confessarius doctus, & pius judicat esse licitum; sed solùm, quod dicant, hoc non esse contra damnationem Innocentii. Verùm nec ego aliud illis imputo; siquidem illud, quod dico, est, quòd doctus Filgueria velit judicium ferre, solùm damnari, famulos, & famulas posse sibi compensare, quando illi soli judicant suum laborem excedere salarium, quod recipiunt, non verò damnari posse sibi compensare, quando Confessarius pius, doctus & prudens judicat salarium esse modicum respectu famulatûs. Hæc sunt formalia verba, quæ Filgueiræ attribuo, ut videri potest in nu-

numero 136. Sed sic est, quòd hoc idem dicat Filgueira in loco, in quo eum cito, ut dicit; Sed *licèt hæc omnia vera sint, hodieque indubitata, forsitan alicui non improbabile videtur, & ego quoque Doctorum hominum judicio submitto, non esse contra censuram Innocentianam, quòd famuli, & famulæ domesticæ possint occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quæ est major salario, quod recipiunt, dummodò hanc majoritatem, & excessum (attende) ipsi non judicent, ipsi non æstiment, ipsi demum non librent &c. Idcircò attentis circumstantiis personarum, negotiorum, laboris, & salarii poterit aliquando Confessarius doctus, prudens, ac pius in foro animæ aliquam compensationem Pœnitenti permittere, ut opera, & salarium in æquitate consistant.* Quibus in verbis, ut clarum est, vult dicere, quòd servi possint sibi compensare, quando doctus, & pius Confessarius sic judicat: ergo nihil docto Filgueiræ attribuo, quod solus non dicat.

140. Et ex hoc evidenter cognosci poterit, quòd nec R. P. Torrecillæ attribuam quidquam, quod ipsemet non dicat; siquidem meum assertum est, quòd Torrecilla in conclusione dictū Filgueiræ ponat, & quòd dictum Filgueiræ inclinet ad opinionem, quòd non damnetur, servos posse sibi compensare, quando Confessarius doctus, & pius judicat esse licitum: ergo dico, Torrecillam pariter ad hoc inclinare, quòd non damnetur, servos posse sibi compensare, quando Confessarius doctus, & pius judicat esse licitum; quòd enim Torrecilla hoc dicat, solus in suprà relatis, & in loco, ubi eum superiùs cito, fatetur, uti videre poterit ille, qui desiderat.

141. Dixi etiam, quòd videatur Torrecillam sequi fol. 328. (in prima impressione) sub concl. 1. num. 21. limitationem, cum qua opinionem de compensatione servorum protego. Et quòd hoc sit verum, constat ex verbis sequentibus, positis à dicto Torrecilla loc. citato: & deinde, quia, ut manet dictum in secundo supposito, & doctrina plana, quòd Dominus damnum inferret servo dando ei minus salarium infimo: sed sic est, ex suppositione, quòd Dominus servo manifestum gravamen inferret secundùm judicium non interessati docti, pii, & prudentis Confessarii; & quòd servus defectu alterius famulatus, aut ob alios respectus eidem famulari deberet, interveniret timor, violentia, respectus, aut preces æquivalentes violentiæ, aut similia, non videtur verisimile, velle suam Sanctitatem damnare, quòd huic Confessarius permittat in foro conscientiæ compensationem talis damni, & injustitiæ &c. hucusque Torrecilla: Ecce nunc, an appareat, hæc verba sequi limitationem, cum qua opinionem de compensatione servorum refero. Et quòd P. Torrecilla dicat hæc verba ad inferendam suam consequentiam, vel ob aliquid aliud, parum

refert, dummodò verificetur, quòd ſint ſua, & hoc ſolùm eſt id, quod ipſi attribuo: ex quo evidenter cognoſcitur, me nec docto Filgueiræ, nec R. P. Torrecillæ quidquam adſcribere, quod ipſimet non dicant.

142. Pariter R.P. Torrecilla dicit in numero 57. relato, meas rationes nihil probare contra opinantem ſententiam, quæ ſervis compenſationem permittit, quando Confeſſarius doctus, & pius judicat, non eſſe contra cenſuram Innocentii; Hoc enim eſt verum; quia nunquam tentavi probare quidquam contra hunc: benè verò contra ſententiam dicentem, eſſe licitum ſervis ſibi compenſare, quando Confeſſarius doctus, & pius ſic judicat. Utrùm autem contra hoc aliquid, vel nihil probent meæ rationes, cognoſcet, qui earum gravitatem conſiderabit.

143. P. Torrecilla in num. 58. ſolvit rationes, quibus num. 138. meum aſſertum probo. Ad meam primam rationem reſpondet, nullum ſervũ conſentire voluntariè, quòd ipſi detur minus ſalarium juſto, & ordinario, ſaltem infimo. Ad hoc Reſpondeo, me non dixiſſe, ſi ſervi voluntariè in hoc conſentiant, vel non: meum aſſumptum fuit, quòd caſu, quo ſervis violentia inferretur, haberet locum compenſatio; valdè enim diverſum eſt abſolutum à conditionato: magna diverſitas eſt dicere: nunc eſt dies, & affirmare, quando ſol lucebit, erit dies: ergo pariter valdè diverſum eſt affirmare: ſervi non conſentiunt in minus ſalarium, quod eſt dictum Torrecillæ: quàm affirmare: in caſu, vel ſuppoſitione, quòd conſentiant, & hoc eſt meum aſſertum.

Reſpondeo ſecundò, quòd ſtante eodem caſu, quo ſervi ad ſerviendum non ſint violentati cognoſcendo illorum ſalarium eſſe modicum reſpectu laboris, voluntariè conſentiant, ut illis minus ſalarium detur. Quia voluntarium eſt à principio intrinſeco cognoſcente ſingula. Ex quo ſic arguo; Servus cognoſcit tenuitatem ſui ſalarii, & conſentit ſine violentia ad inſerviendum: ergo conſentit, ut ipſi detur minus ſalarium: vel ſaltem ita debet judicare doctus, & prudens Confeſſarius; & conſequenter etiam juxta opinionem, quæ dicit, non eſſe damnatam ſervorum compenſationem, quando Confeſſarii eam licere judicant, non poterunt ſibi compenſare, quãdo ſine violentia conſentiunt in famulatũ habitâ notitiâ tenuitatis ſalarii.

Ad meam ſecundam rationem reſpondet doctiſſimus Torrecilla, quamvis opinio à me relata, quæ etiam fuit Soti, Navarri, Villalobos ſit probabiliſſima; contrarium tamen etiam eſt probabile in præſenti caſu. Non impugno, an ſit probabile, vel non, ſed relinquo, ut id librent docti ad conſpectum cenſuræ Papæ Innocentii XI.

144. Dico ſecundò, quando Domini famulo, vel famulæ non dant neceſſa-

cessarium alimentum ad se congruè sustentandum, possunt occultè sibi compensare, & accipere necessarium pro congrua sustentatione: huic opinioni inclinat P. M. Lumbier observ. 10. num. 313. quamvis ob condemnationis metum non audeat se resolvere in integrum: eodem cum metu loquitur eruditissimus P. Torrecilla supra hanc Propositionem sub num. 29. §. Et ego credo in fine, in prima impressione; licèt posteà cum Hozes, citando me, se conformet meæ assertioni secluso metu in sua impressione secunda fol. 312. sub num. 80. Ego verò nullum haberem scrupulum supra hunc casum supposito, quòd servis sufficiens alimentum non præberetur, quia Propositio damnata loquitur de salario: atqui sub nomine salarii non intelligitur alimentum, ergo &c. Minor constat ex modo communi, quo servi cum Dominis conveniunt ratione pecuniæ, vestium, & aliarum rerum; & alimentum supponitur, quasi res jam necessariò stabilita. Deinde; quia, quamvis fiat pactum de alimento, & hoc titulo salarii tribuatur, debet intelligi de alimento necessario: ergo, quando est necessarium, poterit servus sibi compensare. Et confirmatur: Si enim Dominus non solveret servo debitum salarium, absque omni dubio potest servus clàm accipere illam portionem, quam Dominus aufert de solutione, absque transgressione Decreti Suæ Sanctitatis, dicit R. P. Torrecilla ubi supr. num. 17. & est res certa: ergo etiam, quando servo alimentum necessarium non daretur, sit hoc deinde sub nomine stipendii, vel non. Cæterùm, quod scitu necessarium est circa materiam compensationis; dictum est in tract. 7. cap. 4. part. 7. num. 67. & seq. ubi videri potest.

PROPOSITIO XXXVIII. Damnata.

Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

145. Duo in materia de parvulis furtis considerari possunt: primum est, culpa furti, aut primæ usurpationis: secundum est peccatum retentionis, aut omissio restitutionis. Et quamvis retentio ut plurimùm sit una continuata usurpatio; est tamen compatibile, quòd in acceptione rei alienæ non sit culpa, benè verò in ejusdem retentione; usurpatio enim est peccatum veniale, retentio verò mortale, ut patet in illo, qui rem aliquam invenit, in cujus acceptione non peccavit, si autem posteà Dominum illius sciat, peccabit eam retinendo contra ejus voluntatem. Et in illo, qui hodie sartori furando unam acum nullum damnum ipsi infert, crastina die autem perdendo alias acus, quas habuit, furtum hujus acus ipsi causat notabile damnum; in hoc casu usurpatio fuit solùm culpa levis, retentio verò pec-

peccatum mortale. Confirmatur hæc doctrina cum eâdem parvulorum furtorum materiâ, in qua ultimum furtum, quod pervenit ad constituendam materiam gravem, non est peccatum mortale; quando fur hoc ultimum parvulum furtum absque recordatione præcedentium committit. Ita communiter Theologi apud Moyam tract. 4. disp. 4. § 1. n. 1. Et hoc non obstante, qui commisit hæc parvula furta, & recordatur illorum, obligatur sub peccato mortali ad restitutionem: ergo est compatibile: quòd retentio sit peccatum mortale, non autem prima usurpatio.

146. Hoc supposito, dico primò, Propositio damnata non loquitur de peccato, quod committitur res parvas furando, quare relinquo cum sua probabilitate varias opiniones, quas DD. circa hoc tuentur, & alias à me relatas supra 7. Præceptum cap. 2. Videantur ibi. Hæc damnatio solùm loquitur de culpa non restituendi id, quod per parvula furta ablatum est. Ita Torrecilla citando me in 2. impressione fol. 25. num. 18. Constat ex eodem textu Propositionis damnatæ, quæ dicebat non adesse obligationem gravem restituendi per parvula furta ablatum, quamvis quantitas sit notabilis, sine mentione aliqua de culpa primariæ usurpationis: ergo cùm damnatio sit strictè interpretanda, non erit ratio eam extendendi ad id, quod expresse non dicit.

147. Dico secundò, casus condemnationis non solùm intelligitur, quando illæ parvitates uni soli Domino, sed etiam quando multis auferuntur, ut dictum est in loco suprà citato.

148. Dico tertiò, in hac Propositione damnata non comprehenditur opinio Sanchez in Sum. lib. 7. cap. 21. Dianæ 1. part. tract. 6. resol. 24 §. Notandum, qui citat Aragonium, Navarrum, & alios, nec opinio Vasquez, Fagundez, & aliorum quos citat, & sequitur Moya ubi suprà §. 3. num. 13. qui dicunt, quòd illi, qui per parvula furta usurparunt notabilem quantitatem, si restituant quantitatem constituentem materiam gravem, non remaneant cum obligatione cæterùm restituendi sub peccato mortali, sed solùm sub veniali: v. g. Petrus est furatus Joanni octo regales per parvula furta, quæ, ut suppono, constituunt materiam gravem: si deinde restituat duos regales, eximitur ab obligatione restituendi sub mortali, & solùm sub veniali manet obligatus ad restitutionem aliorum sex. Ratio est; quia sex regales per parvula furta ablati uni viro utcumque diviti non sunt materia gravis: ergo non erit obligatio gravis illos restituendi. Quòd verò hæc opinio non sit damnata, probatur; quia Propositio damnata asserebat, non esse obligationem gravem restituendi summam considerabilem; hæc verò tantùm de levi, quæ remanet, loquitur: ergo &c.

149. Dico quartò, neque hìc damnatur opinio Dianæ ubi suprà, quòd ad hoc, ut parvula furta constituāt materiam gravem, requiratur duplô major quantitas illâ, quæ sufficeret, si surriperetur tota simul; si surripiatur multis, etiam major requiritur quantitas, quàm, si surriperetur uni, nec opinio, quam ipse Diana refert ubi suprà, damnata est, quòd parvula furta non constituant materiam gravem, quando non continuantur moraliter. Ita Torrecilla citando me ubi supr. fol. 326. num. 25. & 26. nec opinio, quam cum Sanchez defendit Diana ubi supr. n. 14. & alii, quòd furta servorum, & filiorum familias de rebus comestibilibus non continuata non constituant materiam gravem, licèt haberent animum continuandi dicta parvula furta, quando hæ reculæ solùm pro comestione accipiuntur. Torrecilla citando me ubi suprà num. 30.

Aliud esset, si similes res ad vendendum, vel dandum aliis furarentur; quia tunc moraliter unitæ constituerent materiam gravem. Ratio horum omnium est; quia opinio damnata ajebat, quòd etiam supposita materiâ gravi nulla esset restitutionis obligatio absque decisione, quando, vel quomodo, verificaretur, hanc materiam esse gravem, vel non, de hoc solo, non verò de primo loquuntur opiniones relatæ.

Cætera ad parvula furta spectantia explicui suprà tract. 7. cap. 2. n. 12. & seq. quare hìc omitto.

PROPOSITIO XXXIX.

Damnata.

Qui aliam movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.

150. Dico primò, in Propositione hac damnatur, eum non esse obligatum ad restitutionem, qui consilio, aut alio modo movet aliquem ad inferendum Proximo grave damnum. Quod est falsissimum; quia non solùm causa physicè damnificans, sed etiam moraliter concurrens ad furtum tanquam causa efficax obligatur ad restitutionem; quare pro explicatione causarum moralium Theologi hos versus posuerunt. Jussio, consilium, consensus &c. qui videri possunt suprà in Decalog. tract. 7. cap. 4.

151. Dico secundò, non solùm in materia bonorum fortunæ, sed etiam famæ, & honoris obligatur ad restitutionem, qui efficaciter induxit ad detractionem, vel contumeliam; quia æqualiter tam offendendo famam, vel honorem, quàm auferendo rem alienam violavit justitiam.

152. Dico tertiò, in hoc Decreto Sua Sanctitas non determinat, nec definit, quòd ille, qui præbet consilium, aut inducit ad furtum, sit obligatus, ut causa primaria, ad restitutionem: imò primò obligatur ille, qui rem ablatam possidet, & eâ utitur: secundò ille qui imperavit, & demum qui præbuit con-

consilium, laudavit, & approbavit &c. quia Propositio damnata dicebat, quòd inducens non teneatur ad ordinem restitutionis.

153 Dico quartò, ad hoc, ut inducens teneatur ad restitutionem, est necessarium, ut damnum secutum sit contra justitiam. Ita Torrecilla supra hanc Proposit. fol. 315. num. 21. nec sufficit, quòd damnum sit contra charitatem, alias virtutes. Ratio est, quia etiam ipsemet damnificans non obligatur ad restitutionem, nisi gravamen contra justitiam inferat: ergo multò minùs ille, qui inducit.

154. Ex hoc infertur, quòd, qui alteri consilium præbet, ut fornicetur, aut non audiat Sacrum, non obligetur ad restitutionem. Secundò sequitur, quòd, qui precibus, aut suasionibus induxit Petrum volentem legatum, hæreditatem, vel officium Joanni gratis relinquere, ut relinquat uni alteri, non teneatur Joanni restituere quidquam; quia ad talia bona nullum habuit jus. Ita Torrecilla ibi num. 22. 23. & 24. Si verò fraude, dolo, aut violentia induxit Petrum, ne hæc dona Joanni tribueret, obligaretur ad restitutionem, ut est communis inter DD. videatur Diana part. 3. tract. 6. resol. 33. v. 34. quia licèt Joannes non habeat jus ad illa bona, habet tamen, ne ullus fraude, aut dolo impediat largitionem doni sibi præparati: ergo, qui similibus mediis id impedit, peccat contra justitiam cum restitutionis obligatione. Vide suprà dicta tract. 7. cap. 4. num. 56.

155. Dico quintò, ad hoc, ut inducens ad damnum obligetur ad restitutionem, requiritur, ut inductio sit causa efficax dicti damni; id est, ut inductus per inductionem alterius moveatur. sic Torrecilla ubi suprà num. 46. si enim per ejus inductionem non movetur, damnum ei imputari non debet.

Ex hoc infertur, quòd, si inductus jam erat determinatus ad inferendum damnum, inductor non teneatur ad restitutionem; quia non fuit causa efficax. Ob eandem rationem, si ille, qui jubendo, aut consilium præbendo induxit ad damnum, posteà retractet jussionem vel consilium datum, & persuadeat efficaciter ad suum posse inducto contrarium, ut desistat ab inferendo damno; & tamen hoc non obstante illud patravit, non teneatur ad restitutionem, licèt antecedenter eum induxerit. Videatur hoc, & alia corollaria in R. P. F. Martino de Torrecilla ubi supr. n. 43. & illud, quod dixi suprà tract. 7. cap. 4. n. 53. & 54.

PROPOSITIO XL.

Damnata.

Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

156. Dico primò, Contractus Mohatra dicitur, quando Mercator vendit mercem emptori cum pacto, ut

statim

statim eam ipsi retrovendat pretio infimo, licèt eandem emerit à mercatore pretio medio, vel supremo: v. g. Mercator mercem vendit, quinque vel sex florenis, qui sunt pretium medium, & supremum, & eam emit ab eodem emptore quatuor florenis, quod est pretium infimum. Et hic contractus justissimè in hac Propositione damnatur: tum quia est in se iniquus; tum quia multis fraudibus, & dolis portam aperit.

157. Dico secundò, si hic contractus non fiat cum pacto retrovenditionis, sed mercator liberè suam mercem consignat emptori; licèt hic posteà sponte Mercatori retrovendat mercem pretio infimo, quam hic anteà vendidit pretio rigoroso, vel medio, non esset contractus iniquus, nec damnatus in hoc decreto: non enim esset iniquus, quia Mercator emit pretio infimo, quod est justum absque eo, quòd emptori imposuerit onus de retrovendendo; nec esset damnatus; quia casus damnationis loquitur, quando pactum retrovenditionis præcedit, quod non est in nostro casu. Sic Lumbier, Torrecilla supra hanc Proposit. fol. 229. num. 5. & 6. Quomodo, aut quo pretio Mercatores merces suas vendere possint, & quæ Monopolia eis sint licita, dicam in 2. part. hujus praxis tract. 16. cap. 7.

PROPOSITIO XLI.
Damnata.

Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

158. Suppono tanquam certum, quòd in mutuo dominium à mutuante in mutuatarium transferatur; constat ex mutui definitione recepta inter DD. quod ex meo fit tuum, ut dico suprà tract. 7. cap. 5. num. 99.

Suppono secundò, quòd de intrinseca ratione mutui sit, quòd mutuans per aliquod tempus pecuniâ, vel materiâ mutuatâ maneat privatus.

Suppono tertiò, quòd propter id, quòd est de intrinseca ratione mutui, non possit quidquam accipi supra sortem.

159. Ex his tribus suppositis certis infertur falsitas opinionis damnatæ; quia cùm sit de ratione mutui privatio pecuniæ, & ejus dominii, & non possit aliquod utile ex illo, quod est de intrinseca ratione mutui, percipi; sequitur, quòd creditor non possit quidquam à mutuatario exigere ob solam privationem, vel carentiam pecuniæ mutuatæ. Deinde; quia nullus potest aliquod utile ex eo, quod suum non est, accipere: atqui mutuum non est mutuantis, sed mutuatarii ob dominii translationem: ergo &c.

160. Notandum est tamen, hic non damnari opiniones probabiles, dicentes, quòd ob lucrum cessans, damnum emergēs, recuperationis difficultatem,

&

& alios titulo possit mutuans à mutuatario aliquid ultra sortem exigere. Videatur id, quod dico suprà tract. 7. cap. 5. part. 2. num. 100. & seq.

PROPOSITIO XLII. Damnata.

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm, si exigitur tanquam ex justitia debitum.

161. Suppono, quòd usura sit lucrum ex mutuo, id est, est lucrum, quod ex mutui contractu acquiritur. Una usura est manifesta, altera palliata. Manifesta est illa, quæ expresse in mutuo continetur: v. g. quando Petrus Joanni mutuat centum regales cum obligatione, ut ipsi restituat centum, & decem. Palliata est illa, quæ dolo in aliquibus aliis contractibus palliatur, ut dico suprà tract. 7. cap. 5. p. 2. num. 104. Usura potest esse mentalis, & realis. Mentalis est, quando externè non manifestatur, nec verbis, nec signis, sed in interno habetur animus acquirendi ex aliquo contractu lucrum usuraticium. Realis est, quando fit cum pacto expresso, vel implicito, manifestato verbis, aut signis recipiendi aliquod lucrum illicitum in mutui contractu, vel in alio. Spectantia ad hanc materiam videri possunt suprà tract. 7. cap. 5. p. 2. per totum. Nunc verò solùm, quod pro intelligentia hujus Propositionis necessarium est, tangam; & in 2. part. hujus praxis Prop. 42. damnata tangam necessarium pro intelligentia alterius Propositionis, quam supra hanc materiam Papa Alexander VII. damnavit.

162. Dico primò, in hac Propositione damnatur; quòd mutuans possit cum mutuatario pactum inire, ut ipsi aliquid ultra fortem ex titulo gratitudinis tribuat. Doctrina nimis præjudicialis & contra omnem justitiam; quia (etiam dato & non concesso) quòd gratuidò sit aliquo modo de ratione mutui attenta humana convenientia, & bonâ correspondentiâ; pactum verò inire est contra rationem intrinsecam mutui: ergo usura: Præterea, quia hoc pactum, vel onus, licèt non sit ex titulo justitiæ, sed gratitudinis, tamen respectivè ad homines ingenuos est strictissimum vinculum; & homo honoratus magìs cavet, ne incurrat aliquam ingratitudinis notam, quàm, ne solvat debitum ex justitia; de quo sufficientem nobis dat experientia probationem.

163. Dico secundò, secluso omni pacto non erit usura, quòd mutuans à mutuatario aliquid speret, vel intentionem habeat eum incitandi ad aliquid ipsi dandum ultra sortem ex mera gratia, & benevolentia, sic sentit cum Lumbier Torrecilla supra hanc Prop. fol. 284. n. 2. & 4. quia hìc solùm damnatur exigere aliquid ultra sortem tanquam debitum ex benevolentia, quod multum differt à sola spe, desiderio & intentione.

Ex hoc infertur, quòd, si mutuatarius

rius aliquid ultra ſortem mutuanti daret, non tanquam debitum vi gratitudinis, ſed merè gratis, non peccaret contra hanc damnationem nec mutuatarius dando, nec mutuans recipiendo; id enim conſideratur ſolùm tanquam effectus liberalitatis mutuatarii.

164. Dico tertiò, non damnatur opinio, quòd ſit licitum mutuare cum pacto reciproci mutui de præſenti: v. g. Joannes dans mutuò Antonio 50. Coronatos, poteſt ab Antonio petere, ut ipſi de præſenti 50. menſuras frumenti remutuet. Sic ſentit. P. Torrecilla ubi ſuprà fol. 285. num. 8. Et ratio eſt; quia quod eſt damnatum, eſt exigere ultra ſortem aliquam rem pretio æſtimabilem: ergo in hac Prop. hoc non comprehenditur, quando mutuum de præſenti non eſt pretio æſtimabile, ſed non eſt pretio æſtimabile: ergo &c. Subſumptum minoris probo; Quia propter mutuum nihil exigi poteſt ultra ſortem: ergo mutuum non eſt pretio æſtimabile: dare verò mutuò cum pacto, ut tempore futuro mutuatarius remutuet, erit uſura; quia ipſi imponitur onus pretio æſtimabile: v. g. ut pro tali tempore ſit promptus ad mutuò dandum. Videatur Diana part. 2. tract. 8. reſ. 59. & 60.

PROPOSITIO XLIII.
Damnata.

Quidni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falso crimine elidere?

PRPOSITIO XLIV.
Damnata.

Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

165. Dico primò id, quod dicebant Authores harum opinionum, quarum primam tenuit Banez, & ſecundam Joannes de Cruce, Ledesma, & alii apud Dianam part. 3. tract. 5. reſ. 4. Et id, quod in his reprobatur, eſt, quòd, ſi Petrus vir alicuius authoritatis murmuraret contra Joannem, aut ei aliquam inferret calumniam, poſſet Joannes Petro aliquod crimen falſum imponere, ut hoc modo ſuam famam aut honorem recuperaret, & hoc eſſet tantùm peccatum veniale: quæ doctrina præterquam, quòd ſit periculoſiſſima, nullum habet fundamentum, facileque convincitur; quia mendacium in re gravi eſt intrinſecè malum, & peccatum mortale, in nullóque caſu cohoneſtabile: atqui proximo falſum crimen imponere, quo ejus authoritas proſternatur, eſt mendacium in re gravi: ergo erit peccatum mortale.

166. Dico ſecundò, non damnantur doctrinæ à me relatæ in Dialogo tract. 8. cap. 4. quòd per modum compenſationis poſſim de proximo, qui de me murmuravit, aliquod verum delictum dicere, ita tamen, ut hoc medium ſit unicum ad recuperandum meum honorem: vide locum cita-

citatum. Ratio est; quia Propositio damnata loquitur de impositione delicti falsi, nostra verò doctrina de manifestatione delicti veri.

167. Dico tertiò, neque damnatur opinio Lessii, Valenzæ, & aliorum dicentium, esse licitum Advocato, aut reo invalidare testem, eumque infamare manifestando aliquod occultum ejus delictum verum. Ratio est; quia opiniones damnatæ loquuntur de delicto falso, hæc autem de vero.

168. Ad hoc autem, ut hoc sit licitum, debent concurrere quatuor conditiones. Prima, ut testis non sit violentatus, sed voluntarius: secunda, ut solùm illi defectus, qui ad infamandam testificantis authoritatem conducunt, aperiantur: v. g. quòd sit mendax, aut quòd aliis vicibus fuerit perjurus &c. Tertia, ut reus non habeat aliud medium ad se defendendum: quarta, ut damnum testi eventurum ob ejus defectûs manifestationem sit proportionatum Rei damno; & ut uno dicam verbo, hæc defensio debet esse cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita Filgueira supra hanc Prop. fol. 192. §. Nihilominus, & §. Quare: & ex illo. Torrecilla hìc fol. 449. Concl. 4. n. 13. & seq. Videatur id, quod supra hoc dico in 2. part. hujus praxis tract. 15. cap. 7. n. 85.

PROPOSITIO XLV.
Damnata.

Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra,

PROPOSITIO XLVI.
Damnata.

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

69. Explicationem harum Propositionum de materia simoniæ præcedat doctrina Caramuelis in Theologia morali lib. 2. n. 864. *Si Scriptor scrupulosus sit* (dicit ille) *nulla erit circumstantia ab hoc contagio libera*; *Si autem audentior, ipsius simoniæ conceptus erit idea Platonica, ut dicitur, quæ non reperitur in rebus*: si tractando de hac materia procedatur scrupulosè, non erit casus, qui non cum simonia pugnat; & si scriptor fuerit in suis opinionibus animosus, reducet simonias ad meras chymeras similes ideis Platonicis, quæ in rerum natura non dantur; & ut breviter concludam, nullus in peccatum simoniæ impinget. Faxit Deus! ut in materia adeò metaphysica pro speculativa, & adeò periculosa pro praxi sciamus tenere medium, quod est unica bonitas operationum moralium.

170. Suppono pro intelligentia harum Propositionum, quòd 45. duo in se contineat: primum est, non esse si-

moniam dare temporale pro ſpirituali, quando temporale datur tanquam motivum conſequendi ſpirituale: alterum eſt, nec eſſe ſimoniam, quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

171. Propoſitio 46. etiam duo in ſe continet: unum eſt, non eſſe ſimoniam dare temporale pro ſpirituali, licèt temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale: alterum eſt, nec eſſe ſimoniam, licèt temporale eſſet motivum dandi ſpirituale, æſtimando hoc minùs, quàm temporale. Hæc quatuor puncta ſunt damnata tanquã ſcandaloſà, & practicè improbabilia. Et earum falſitas probatur à priori. Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, & vendendi pretio temporali rem ſpiritualem, vel ſpirituali annexam. Nimirum, ut explicat Palaus part. 3. diſp. 3. part. 4. num. 5. Eſt voluntas deliberata, qua tanti æſtimatur temporale, quanti ſpirituale: atqui dare ſpirituale ob motivum temporalis, vel in ejus compenſationem, vel tanquam ob cauſam principalem, aut finalem, eſt æſtimare tanti, & commenſurare temporale cum ſpirituali: ergo erit ſimonia.

172. Suppono ſecundò, motivum unum eſſe intrinſecum, & aliud extrinſecum: intrinſecum eſt illud, quod eſt objectum formale ſpecificans actum: extrinſecum verò eſt id, quod inducit, vel excitat ad eliciendum illum actum: v. g. in actu amoris Dei motivum formale, & intrinſecum eſt bonitas Dei; motivum verò excitans eſt actus intellectûs, qui proponit illam inæſtimabilem bonitatem tanquam omni amore digniſſimam. Idem patet in hoc, & aliis multis caſibus: Chriſtianus audiendo ſermonem de turpitudine peccati mortalis (nunquam ſufficienter ponderata) & abominabili culpæ horrore percepto ad ejusdem deteſtationem movetur: motivum intrinſecum, vel formale hujus deteſtationis eſt deformitas peccati: extrinſecum verò ſunt verba concionatoris, quæ auditorem ad hunc actum deteſtationis peccati moverunt. Hoc ſuppoſito, claritatis gratiâ doctrinam hanc in concluſiones dividam.

Prima Concluſio.

173. Dico primò, in Propoſitione 45. damnatur dare ſpirituale pro motivo intrinſeco. Ita Lumbier, & cum illa Torrecilla ſupra hanc Propoſitionem fol. 243. concl. 1. n. 26. & ſeq. Ratio eſt; quia hæc Propoſitio ſolùm loquitur de motivo proprio & rigoroſo: atqui motivum intrinſecum eſt rigoroſè tale, non verò extrinſecum: ergo ſolùm de illo, non autem de hoc loquitur propoſitio damnata.

174. Ex hoc infertur, quòd Canonicus, vel Beneficiatus non frequentans chorum, cùm diſtributiones non fiant, non ſit ſimoniacus; quia diſtributiones ſunt ſolùm motivum extrinſecum, & impellens, motivum verò ſpe-

ſpecificativum eſt laudare Deum in Templo ſuo.

Infertur ſecundò, quòd nec Pater, qui filio ſuo dat pecuniam, aut aliam rem, ut eum ad frequentanda Sacramenta animet, committat ſimoniam; quia hæc dona ſunt motiva extrinſeca.

175. Infertur tertiò, quòd, ſi Petrus Joanni BeneficiumEccleſiaſticum conferat, cui alio modo non dediſſet, *niſi* Antonius amicus ejus pro illo non interceſſiſſet, non committat ſimoniam: quia illa interceſſio eſt ſolùm motivum extrinſecum, non verò intrinſecũ. Infertur tandem quartò ex Lumbier, Torrecilla ubi ſupr. ſub concl. 5. num. 40. quòd nec eſſet ſimonia, ſi Franciſcus mutuò daret Domino beneficii cum intentione eum reddendi gratum, & propenſum ad ſibi, aut alicui ſuo filio conferendum beneficium.

Secunda Concluſio.

176. Dico ſecundò, dare ſpirituale in compenſationem temporalis gratuitam, id eſt, in ſolutionem obſequiorum, aut ſervitiorum, eſt damnatum pro ſimonia in Propoſitione 45. v. g. Si Epiſcopus Capellano, Secretario, vel Ephebo ei inſervienti conferret beneficium, ut remaneret hoc modo liber ab obligatione ſolutionis ob ſua obſequia promeritæ, eſſet ſimoniacus. Conſtat ex ipſo Textu dictæ Propoſitionis. Verùm ſi beneficium daretur ob merita, & ſervitia eſſent ſolùm motivum impellens, & extrinſecum, non eſſet ſimonia, ita etiam ſi motivum ſolum impellens eſſet affectus, vel conſanguinitas, quam Dominus beneficii habet cum tali perſona, cui de beneficio providet, dummodò merita ſubjecti ſint cauſa intrinſeca, vel motivum formale. Ita Torrecilla ubi ſuprà fol. 346. ſub concl. 2. num. 49. & 50. Et probatur ex doctrina concluſionis præcedentis.

177. Ex hoc infertur, Capellanos, & Ephebos non committere ſimoniam, quando Epiſcopis inſerviunt eâ ſolùm intentione, ut eorum voluntatem diſponant, & inclinent ad ſibi conferendam aliquam Præbendam. Ita Thomas Sanchez tom. 1. conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 28. n. 7.

Infertur ſecundò, quòd non ſit ſimoniæ ſubjectus ille, qui dat aliquod donum temporale, vel offert aliquod munus Collatori beneficii ſolùm ex gratitudine, ſi tale donum non ſit magni valoris, ut dicit P. M. Lumbier obſerv. 12. §. 2. n. 510. quia dare ſpirituale in compenſationem gratuitam temporalis vel è contra, damnatum eſt, non verò damnatur animus ob beneficium receptum gratus.

Tertia Coucluſio.

178. Dico tertiò, redimere injuſtam vexationem non eſt ſimonia, quando ille, qui eam redimit, habet jus in re. Ita Lumbier obſerv. 12. §. 2. n. 401. Torrecilla ubi ſuprà concl. 8. num. 52. Ratio eſt; quia in hoc caſu non datur temporale in pretium ſpiritualis, ſed

solùm ad auferendum de medio obicem, qui impedit spirituale: atqui tollere de medio obicem est quid temporale: ergo solvere pretium pro illo non erit simonia.

179. Unde infertur, quòd Parocho, qui injustè negat Sacramenta supposita necessitate ea recipiendi, possit dari pecunia (non, ut desistat ab hac injustitia; quia hoc esset dare pretium pro Sacramento, saltem virtualiter, ut benè dicit Palaus part. 3. disp. 3. punct. 7. sub num. 3.) sed solùm ad inclinandam voluntatem, captivandum animum, satiandam ejus avaritiam, & movendum eum ad administrandum Sacramentum.

180. Infertur secundò, eos non committere simoniam, qui in susceptione Ordinum aliquam pecuniam pro litteris dimissoriis tribuunt, aut in collatione beneficiorum pro Bullis; quia hoc modo redimunt vexationem, ut dicit Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 10. num. 62. nec sunt simoniaci, qui recipiunt pecuniam; quia quamvis Tridentinum sess. 21. cap. 1. de reformat. decernat, ut Ordines omninò gratis conferantur; nunc verò consuetudo praevaluit in contrarium. Lessius ubi suprà, Castropalaus loco suprà cit. punct. 5. sub num. 5. §. Secundò adverto.

Quarta Conclusio.

181. Dico quartò, Propositiones 45. & 46. non loquuntur de commutatione temporalis pro temporali, uti constat ex ipsismet Propositionibus; & per consequens non erit simonia, dare quamdam rem temporalem pro alia temporali.

Unde infertur primò, non esse simoniam redimere pensiones merè temporales: v. g. illa, quae datur saecularibus, & illa, quae clerico pauperi, vel seniculo pro suo alimento, aut pro obsequiis praeteritis data est. Non verò poterit redimi pensio, quae in titulo spirituali fundatur: v. g. illa, quae Coadjutori Episcopi, vel Parochi datur. Ita Sanchez tom. 2. opuscul. lib. 2. cap. 3. dub. 46. num. 19. Ratio constat ex dictis.

182. Infertur secundò, quòd pensio, quae reservatur in commutatione pinguioris beneficii, possit redimi absque simoniae nota: v. g. qui habet beneficium ferens fructus 200. Imperialium, idem commutat authoritate Superioris in aliud, quod solùm fructificat centum & quinquaginta reservatâ sibi pensione quinquaginta Imperialium: haec inquam posteà potest redimi absque eo, quòd sit simonia. Sanchez uti suprà. Diana part. 4. tract. 4. resol. 153. Imò, non damnatur opinio Valenzae, Suarez, Lessii, Toleti, & Cajetani apud Dianam part. 11. tract. 5. resol. 5. qui dicunt, pensiones temporales posse redimi propria authoritate. Hoc idem sentit Castropalaus ubi suprà punct. 33. num. 10. Et probatur; quia redimere pensionem nihil est aliud, quàm anticipa-

ta ſolutio fructuum ſingulis annis ſolvendorum: atqui fructus quolibet anno propria authoritate vendi poſſunt: ergo etiam redimi. Videatur R.P. Fr. Martinus de Torrecilla concl. 11. per tot. fol. 248. & 249.

183. Infertur tertiò, quòd pariter dari poſſit pecunia pro capellaniis non collativis, quæ ſcilicet fuerunt inſtitutæ ſine authoritate Ordinarii, vel alterius Superioris Eccleſiaſtici. Ratio eſt; quia dictæ capellaniæ non ſunt beneficia Eccleſiaſtica, nec habent annexam obligationem recitationis Divini Officii, ut dicit Palaus part. 2. tract. 13. diſp. 1. punct. 6. num. 5. & ſeq. ſed ſunt quid merè temporale: ergo &c.

184. Infertur quartò, quòd pro labore extrinſecè annexo rebus ſpiritualibus poſſit pretium temporale, percipi: v. g. pro cantata Miſſa, vel pro itinere medii, vel unius milliaris ad eandem celebrandam, vel pro concione &c. Ita Suarez, Valentia, & alii, quos citatos ſequitur Caſtropalaus part. 3. diſp. 3. punct. 11. num. 3. quia hic labor extrinſecus eſt pretio æſtimabilis, & quid temporale: ergo &c.

185. Infertur quintò, quòd nec ſit ſimonia recipere rem temporalem pro defatigatione intrinſecè annexa rebus ſpiritualibus, non ut pretium dictæ defatigationis (quidquid in contrarium ſentiant Aragonius, Leſſius, & alii) ſed ſolùm, ut ſtipendium pro ſuſtentatione. Palaus ut ſuprà punct. 11. num. 1. & 2. Suarez, Sotus, Sylveſter, & alii, quos citat, & ſequitur Diana part. 11. tract. 6. reſol. 34. in fine §. Sed ſi quæras; & ſic pro labore celebrandi Sacrum, Concionandi, Baptizandi, Ordinandi, aut adminiſtrandi Sacramenta poteſt recipi aliquid temporale per modum ſtipendii. Limitant dicti Doctores hanc ſententiam, quando actiones ſpirituales non ſunt aliunde debitæ ex juſtitia; & ob hanc rationem Parochus non poteſt accipere ſtipendium pro adminiſtratione Sacramentorum, vel inſtructione Doctrinæ Chriſtianæ; quia ex juſtitia obligatur.

Quinta Concluſio.

186. Dico quintò, non damnatur pro ſimonia permutatio rei ſpiritualis, pro ſpirituali (exceptis beneficiis Eccleſiaſticis, quæ, ſi permutentur abſque Ordinarii, vel illius Prælati, ad quem talis beneficii collatio ſpectat, authoritate, erit ſimonia de Lege Eccleſiaſtica) noſtra aſſertio ex ipſo Textu opinionis damnatæ conſtat, quæ loquitur de contractu inter temporalem, & ſpiritualem: ergo non damnatur permutatio rei ſpiritualis pro ſpirituali; & ita tenet P. Torrecilla cum Lumbier ubi ſuprà concl. 4. n. 37.

187. Ex quo infertur eſſe licitam permutationem Crucis, numiſmatum, imaginum &c. ejuſdem vel diverſi generis pro aliis rebus ſpiritualibus,

bus. Sunt etiam liciti illi contractus amicabiles: v. g. legas pro me sex Sacra, & ego legam pro te alia sex: exaudias pro me quatuor personarum Confessiones, & ego pro te tot exaudiam &c.

188. Infertur secundò, quòd permutare beneficium cum pensione laicali, vel temporali, aut capellaniam collativam cum alia non collativa, aut beneficium cum commendis militaribus, sit simonia de Jure Divino; quia beneficium, & capellania collativa sunt res spirituales, pensio verò laicalis, Capellania non collativa, & Comendæ militares sunt res temporales: atqui permutatio rei spiritualis pro temporali est simonia de Lege Divina: ergo &c.

189. Concludo dicendo, non esse damnatam opinionem Lessii de Just. lib. 2. cap. 35. dub. 15. num. 91. Dianæ part. 10. tract. 16. resol. 17. & aliorum dicentium, esse licitum partibus de permutatione unius beneficii cum alio inter se modum permutationis tractare cum conditione dispensationis Superioris; quia hoc non est permutare, sed solùm disponere modum ex hypothesi, quòd Superior consentiat; Hoc, ut patet, est valdè diversum à casu damnationis.

PROPOSITIO XLVII.
Damnata.

Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo: vel secundò, locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.

190. Dico primò, in hac Propositione rigorosè sumpta solùm damnatur electio minùs digni relicto digniori in electionibus Cardinalatuum, Episcopatuum, & Prælaturarum; quia solùm de illis loquitur Tridentinum loco cit. in hac Propositione, cap. eos alieni peccati, & sess. 24. cap. 1. de reform. Præter hoc manet etiam damnata interpretatio supra particulam digniores, quam Tridentinum ibi ponit, dum dicitur, quòd per digniores Concilium solùm intelligat dignos positivè, aut solùm indignos excludat, aut solùm loquatur, quando fit concursus: quod totum est falsum: dicendũ est ergo, quòd in electione Episcoporum, Cardinalium, & Prælatorum, licèt non fiat concursus, sit obligatio eligendi digniorem.

191. Dico secundò, etiam Reges tenentur eligere digniores ad Episcopatus aut alias Prælaturas, & contrarium est damnatum, ut benè colligit P. M. Lumbier observ. 12. num. 425. Ratio est; quia concilium, ubi suprà, loquitur de omnibus illis, qui à Sede Apostolica jus promovendi ad Episcopatus &c.

patus &c. habent nemine excluso: ergo loquitur etiam de Regibus, quidquid in contrarium dicat P. Torrecilla hìc fol. 450. num. 2. Concl. 2. & in Examine Episcoporum tract. 5. sect. 5. diffic. 1. num. 13. & seq.

192. Dico tertiò, in beneficiis curatis, quæ per concursum conferuntur, est obligatio eligendi digniorem; & contrarium, licèt non sit formaliter, est tamen æquivalenter damnatum, ut dicit, & probat Lumbier ubi suprà num. 458. vide illum; licèt enim non esset damnatum, est saltem peccatum mortale eligere per concursum ad beneficium curatum minùs dignum. P. Torrecilla hìc num. 11. tenet, talem electionem nullam fore in foro externo.

PROPOSITIO XLVIII.

Damnata.

Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

193. Ea, quæ Lex positiva prohibet, sunt mala, quia sunt prohibita: v. g. non jejunare, non audire Sacrũ &c. solùm est malum, quia est prohibitum. Sed id, quod Lex naturalis prohibet, est prohibitum, quia est malum: v. g. occidere, furari &c. est prohibitum, quia est malum: quare, cùm fornicatio sit contra Legem naturalem (quia est bono prolis opposita) est necessarium, quòd sit prohibita, quia est intrinsecè mala: & non mala: quia prohibita, ut dicebat Propositio damnata, quæ explicatione non indiget.

PROPOSITIO XLIX.

Damnata.

Mollities jure naturæ prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

194. Quamvis DD. varient in assignandis rationibus, ob quas semper illicitum manet procurare directè seminis effusionem, sicuti econtra licitum est abscindere brachium, aut aliud membrum ad conservandum individuum: omnes tamen unanimiter conveniunt, semper esse peccatum mortale, & intrinsecè malam, non solùm Lege divina, non mœchaberis, sed etiam lege naturali; & contrarium tenere jam est damnatum. Non tamen damnatur eã desiderare inefficaciter, aut de ea sibi complacere, quando in somnis naturaliter evenit nulla posita ejus causa per se efficaci, & secluso periculo consentiendi in delectationem. Videatur Thomas Sanchez in Sum. lib. 1. cap. 2. num. 17. & seq. & id, quod fusè dico supra hanc materiam in meis conferentiis tract. 2. sect. 1. confer. 1. num. 21.

PROPOSITIO L.

Damnata.

Copula cum conjugata, consentiente Marito, non est adulterium: adeóque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

195. Quòd copula cum conjugata sit adulterium, licèt Maritus consentiat, probatur primò; quia est injuriosum statui Matrimonii, & contra justitiam legalem, ut dicit P. Moya in select. tr. 3. cap. 6. §. 2. num. 62. Secundò, quia Maritus non habet dominium supra uxorem ad usum, & placitum alterius, sed solùm sui ipsius: ergo erit contra justitiam, licèt Maritus consentiat. Probatur consequentia: quia, si comm odatarius consentiret, ut alius rem commodatam acciperet, tam unus, quàm alter peccaret contra justitiam; quia commodatarius solùm habet jus, & non dominium, nec facultatem alienandi rem commodatam: atqui Maritus non habet dominium, nec facultatem concedendi alteri usum propriæ uxoris: ergo &c.

196. Ex quo infertur, quòd ille, qui cognovit conjugatam consentiente Marito, non satisfaciat confessioni dicendo, se esse fornicatum; quia adulterium est specie distinctum à simplici fornicatione; & circumstantiæ mutantes speciem debent in confessione explicari; ut constat ex Tridentino.

PROPOSITIO LI.

Damnata.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

197. Dico primò, non esse licitum famulo ob timorem, ne malè à Domino tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur, cooperari ad peccatum deferendo scalam, aperiendo januam domûs concubinæ, quæ venit ad patrandum peccatum cum Domino; & contrarium est damnatum in hac Propositione. Et ratio est, quia etiamsi tales actiones ex se sint indifferentes; hìc, & nunc tamen sunt determinatæ, & proximè ad peccatum cooperantur: ergo &c.

198. Dico secundò, neque licitum est servo ob supradictum timorem præparare cubiculum, servire mensæ, portare concubinæ munuscula, ducere eam ad domum heri sui, deferre ipsi litteras profanas, aut nuntia amatoria &c. Et contrarium etiam comprehenditur in hac damnatione; quia non solùm deferre scalam, aut aperire concubinæ portam est damnatum, sed etiam his similes operationes: atqui servire mensæ, portare ipsi munuscula, aut litteras &c. est cooperatio similis peccato apertionis portæ domûs: ergo tam unum, quàm aliud est expresè damnatum. Quidquid diversimodè de his operationibus sentiat Torrecilla hìc fol. 88. n. 31.

199. A. R. P. Martinus de Torrecilla respondet ad hanc materiam in 2. impress. Consult. Moral. fol. 80. sub

num. 31. Concedendo verum esse; quòd non solùm damnetur, licitum esse servo deferre scalam, aperire portam concubinæ, sed etiam his similia; negat tamen, quòd servire concubinæ in mensa, portare munera heri, novalia amatoria, & similia sint quid simile, ac portare scalam, adjuvare ejus ascensum per fenestras, aperire portam &c. Quia dicit, elevare, & dirigere scalam, aperire portam concubinæ, adjuvare ad ascensum Domini per fenestras sunt actiones, quæ hìc, & nunc respiciunt executionem: quia sunt conditiones sine quibus Dominus non posset suum intentum consequi.

200. Sed contrà. Quamvis Dominus posset suum pravum consequi intentum intrando per portam domûs amasiæ, vel alio modo, exinde tamen non sequeretur, nunc non esse damnatum, quòd possit famulus humeros submittere, aut portare scalam, & adjuvare, ut Dominus intraret per fenestras ad patrandum suum perversum intentum; & hoc non obstante, tunc hæ actiones famuli non essent conditiones, sine quibus Dominus non posset exequi suum intentum: ergo hæ actiones, nempe adjuvare submissis humeris, deferre scalam, & aperire januam non damnantur, nec sunt cooperationes morales ad peccatum tanquam conditiones, sine quibus Dominus non potest consequi suum intentum: Ergo adhuc datô, quòd amasiæ munera, & dona portare, servire ipsi in mensa, præparare ipsi cubiculum non sint conditiones, sine quibus Dominus non posset consequi suum pravum desiderium, per hoc tamen non sequitur, quòd hæ actiones similes prioribus non comprehendantur in casu damnationis.

201. Deinde, quia in Propositione damnatur cooperatio, quæ est similis apertioni portæ amasiæ aperiendo januam, aut quid simile operando: Sed sic est, quòd aperire portam amasiæ damnetur, quamvis sit actio remota ad peccatum: ergo licèt portare litteras amatorias, & munera, servire in mensa sint actiones remotæ ad peccatum, erunt similes apertioni portæ; consequenter damnatæ manebunt.

202. Dices ad hoc cũ Torrecilla, esse verum, quòd aperire portã secundùm se sit cooperatio remota ad peccatum, non verò, quando fit in subsidium, & scienter ad stuprandam Virginem: contrà: Etiam portare dona, litteras amatorias, servire in mensa, præparare cubiculum, dicam & dico, quòd secundùm se sit cooperatio remota ad peccatum; & si aperire portam amasiæ sit cooperatio proxima, quando fit scienter ad stuprandam Virginem; erunt etiam munera, litteræ &c. cooperatio proxima, quando fiunt scienter ad stuprandam Virginem. Et solùm in hoc sensu reprobantur actiones indifferentes, quæ ad peccatum cooperantur; quia nemo ait, quòd secun-

cundùm se sint malæ; neque dicitur, quòd famulus portando scalam, submittendo humeros peccaret, si pravam heri intentionem ignoraret: Hoc solùm hìc dicitur, quòd, si aperire portam amasiæ habitâ notitiâ conversationis turpis inter ipsam, & herum sit damnatum pro peccato; erit pariter præparare cubiculum, servire ipsi in mensa, eam ornare, & portare munera, & litteras amatorias cognita mala conversatione, & illicitâ correspondentiâ inter ipsam, & herum.

203. Dico tertiò, aliæ operationes magis remotæ ad peccatum non damnantur: v. g. quòd Auriga concubinam de uno loco ad alium in suo curru ducat; vel quòd Nauta navim suam conscendere permittat; vel quòd Hospes diversorium, aut domum concedat meretrici, vel usurario; quia hæ, & similes operationes respiciunt peccatum tantùm à longinquo, ideóque non dicuntur illius causæ morales.

PROPOSITIO LII.
Damnata.

Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

204. Dico, Præceptum observandi Festa tam audiendo Missam, quàm non laborando obligat sub mortali, licèt nullum scandalum, vel contemptus Præcepti esset; & dicere contrarium est formalissimè damnatum. Probatur; quia omne Præceptum Ecclesiasticum in materia gravi obligat sub peccato mortali: atqui audire Missam, & non laborare in die festo, est Præceptum Ecclesiasticum, & in materia gravi: ergo obligat sub peccato mortali.

Ex hinc manet damnata opinio Angeli verb. Feriæ num. 42. Rosellæ verb. Missa num. 18. & aliorum dicentium, quòd omittere Missam in die Festi sine causa, dummodò non sit ex contemptu formali, aut tacito, non sit peccatum mortale: Probatur, quòd hæc opinio sit damnata; quia damnatum est dicere, quòd Præceptum observandi festa non obliget sub mortali, nisi adsit contemptus: ergo erit etiam damnatum dicere, quòd, si absit contemptus, non erit peccatum mortale non audire Missam in die Festi. Probo consequentiam; quia Præceptum observandi Festa obligat ad Missam audiendam: ergo si Præceptum obligat, obligabit etiam auditio Missæ: ergo si damnatur, quòd Præceptum non obliget citra contemptum, hoc idem de audienda Missa dicetur.

PROPOSITIO LIII.
Damnata.

Satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

205. Dico, in hac Propositione damnatur, quòd satisfiat Præcepto audiendi Missam, audiendo medietatem

tem ab uno Sacerdote, & aliam medietatem ab altero; v. g. si, quando unus Sacerdos est in elevatione Sanctissimi, alter incipit Missam, & quando hic pervenit ad elevationem Hostiæ consecratæ, alter jam finivit, non satisfiet huic Præcepto audiendo simul has duas partes; quia in re, qui taliter Missam audit, solùm dimidio Missæ assistit; Si verò has duas medietates audiret successivè: v. g. si audit à primo ab elevatione usque ad finem, & finitâ hac Missâ alterius Sacerdotis incipientis Missam audiat usque ad elevationem, talis satisfaciet Præcepto: nec ad hoc se extendit damnatio, ut affirmant Lumbier, Hozes, & Torrecilla super hanc Propositionem. Et ratio est; quia in hoc casu physicè, & moraliter audivit Missam integram: ergo &c.

PROPOSITIO LIV.
Damnata.

Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

206. Suppono pro explicatione hujus Proposit. dari aliquas materias divisibiles, alias verò indivisibiles moraliter. Materia divisibilis est illa, in cujus unaquaque parte salvatur ratio formalis totius: v. g. Jejunium quadragesimale est materia divisibilis; quia in unaquaque suarum dierum salvatur ratio formalis jejunii, quod est abstinentia à carnibus, & unica comestio. Materia indivisibilis est illa, in cujus partibus cessat ratio formalis jejunii, quod solùm unicam concedit refectionem.

207. Suppono secundò, quòd, quando materia est divisibilis, ille, qui non potest totum, obligetur ad illam partem, quam potest v. g. qui non potest jejunare per integram quadragesimam, potest tamen per aliquot dies, tenetur jejunare illis diebus, quibus potest. Quando materia est indivisibilis, qui non potest totum, non obligatur ad partem: v. g. si loco collationis necessariò cœna facienda esset, non esset jejunii obligatio residuo diei tempore, quod cœnam præcedit. Videatur Sanchez in Sum. lib. 1. cap. 19. per totum.

208. Suppono tertiò, quòd ille, qui sæpiùs transgreditur Præceptum, cujus materia est indivisibilis, non committat, nisi unum numero peccatum: v. g. qui sæpiùs in die jejunii pisces comedit: ille veró, qui transgreditur præceptum in materia divisibili, toties peccat, quoties illud transgreditur: v. g. qui sæpiùs die prohibito carnes comedit. His positis.

209. Dico primò. Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest tamen alias horas, ad has recitandas obligatur; & contrarium est casus damnationis: Imò, si unicam horam recitare potest, ad hanc tenetur. Probatur; quia horæ canonicæ sunt materia divisibilis: ergo qui non potest

 totum

totum, obligatur ad illam partem, quam potest. Probatur antecedens: in qualibet hora salvatur ratio formalis Officii Divini: ergo est materia divisibilis.

210. Dico secundò, infirmus, aut quivis alius, cui ob moralem necessitatem est impossibilis recitatio Matutini, & Laudium; & dubitat, an possit recitare reliquas horas, vel non, non tenetur eas recitare. Ita Lumbier, Filgueira, & Torrecilla supra hanc Propositionem. Quia casus Propositionis damnatæ est de eo, qui cùm non possit recitare Matutinum, & Laudes, est tamen certus, quòd possit reliquas horas, & excusatio ab illis fundatur in hoc, quòd major pars trahat ad se minorem: atqui in nostro casu est dubium de cæteris horis: neque ideò ab illis excusatur, quia major pars trahit ad se minorem; benè verò propter dubium, an possit, vel non eas recitare, in quo casu decidendum est in favorem libertatis: ergo &c. Et confirmatur; quia quando Medicus dubitat, an infirmo ob recitationem Officii eventurum sit aliquod damnum, vel non, est probabile, quòd non obligetur ad hujus recitationem. Ita Bonacina, & cum eo Diana part. 2. tract. 12. resol. 28. Ergo pariformiter in nostro casu.

211. Dico tertiò. Non damnatur opinio Sanchez ubi suprà num. 7. dicentis, quòd, qui non potest recitare lectiones, & responsoria Matutini, eò quòd Breviarium non habeat, & officium sit novem lectionum, non teneatur recitare Psalmos Matutini, licèt eos memoriter sciat: Et probatur; quia quælibet hora est materia individua, nec salvatur ratio formalis Matutini solùm in Psalmis: ergo &c. Addit tamen dictus Sanchez ibi, quòd, si officium esset de Feria, vel Sancto simplici, licèt non possit recitare lectiones, & responsoria, potest tamen Psalmos, ad hos obligetur: quia in dictis officiis per tres lectiones cum suis responsoriis habetur parvitas materiæ respectu totius Matutini. Attamen dicta prima opinio meo judicio est falsa: quia, si reprobatur, quòd major pars trahat ad se minorem, reprobatur etiam, quòd una pars trahat ad se partem sibi æqualem.

212. Ex quo infertur, quòd, qui in horis minoribus non scit Antiphonas, Capitula, Orationem &c. teneatur recitare Psalmos, si sciat eos memoriter; quia Antiphonæ, Capitula, Oratio &c. sunt parvitas materiæ respectu horæ: ita etiam, qui comedit quid parum cibi in die jejunii, obligatur ad jejunium, quamvis hoc sit materia individua: ergo &c.

213. Dico quartò, non damnatur opinio Navarri, Rodriquez, Ledesmæ, Valenzæ, Suarez, & aliorum, quos citat, & sequitur Diana part. 2. tract. 12. resol. 5. qui dicunt, præceptum recitandi septem horas Canoni-

cas

cas esse unicum, & per earum omissionem unicum tantùm peccatum mortale committi, non verò tot, quot sunt horæ omissæ; & huic opinioni se conformant Confessarii, & Pœnitentes, & est praxis communiter recepta in Ecclesia, ut dicit P. Filgueira supra hanc Propositionem fol. 229. §. videtur. Videatur etiam id, quod circa hoc dicam in 2. part. hujus praxis tract. 12. cap. 3.

214. Dices: Ergo qui omittit unam horam canonicam de minoribus, solùm peccat venialiter. Probatur consequentia; quia omnes septem horæ sunt materia unius solius Præcepti: atqui una hora minor est materia levis respectu septem: ergo non erit peccatum mortale illam omittere: quod est contra doctrinam in prima conclusione positam.

Respondeo negando, quòd una hora canonica sit parvitas materiæ respectu totius officii, sequendo etiam opinionem Caramuelis in Theologia fundamentali fundam. 53. §. 4. num. 190. dicentis, ad parvitatem materiæ non sufficere, quòd debeat esse pars octavæ partis: atqui una hora Canonica est pars totius officii, & non pars octavæ partis: ergo una hora Canonica non est parvitas materiæ, sed materia gravis.

215. Dico ultimò, non damnari opinionem Oliverii Bonacii apud Dianam part. 4. tract. 4. resol. 219. dicentis (licèt meo judicio sit falsa) quòd ille, qui sæpiùs in die proponit, & repetit voluntatem non recitandi officium, unum numero peccatum committat: quia omnes hæ volitiones in exteriori recitationis omissione uniuntur: quòd hæc opinio non sit damnata, licèt aliàs, ut dixi, æstimem esse falsam, clarum est, quia, ut patet, est magna diversitas inter hanc, & opinionem damnatam.

PROPOSITIO LV.
Damnata.

Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

216. Dico primò, qui in peccato mortali communicat, non satisfacit præcepto communionis annuæ, & contrarium est damnatum: idem dicendum de aliis temporibus, quibus est comunionis obligatio: v.g. in periculo, vel articulo mortis: in his enim casibus, qui sacrilegè communicat, committit duo peccata mortalia unum contra Præceptum commuionis, alterum contra reverentiam Sacramenti.

217. Dico secundò, qui in Paschate sacrilegè communicavit, tenetur deinde benè dispositus communionem sumere. Ratio est; quia, qui obligatur ad satisfactionem alicujus rei, aut non satisfecit, tenetur satisfacere, quando potest: atqui Christianus obligatur ad communionem semel in anno, cui non satisfecit per communionem sacrilegam: ergo &c. Hoc non obstante opi-

opinio contraria (licèt non judicem esse veram) non est damnata, quam referrunt Granata. S. Antoninus, Valenza, & alii, quos citat, & sequitur Diana p. 3. tract. 4. res. 61. ita sentit P. Torrecilla supra hanc Propositionem fol. 198. Concl. 3. num. 29. Quia quamvis præceptum obliget tempore determinato, cessat tamen, si non sit satisfactum tali tempore: v. g. qui culpabiliter non audivit Missam die Festi, aut in vigilia alicujus Sancti non jejunavit, non tenetur audire Missã, aut jejunare alia die quæ non est de præcepto, ad supplendum defectum antecedentem. Quando verò præceptum determinat tempus ad satisfaciendum, ut est præceptum communionis annuæ, non cessat elapso tali tempore; ergo qui tunc non satisfecit, manet obligatus de præcepto ad satisfaciendum posteà; videatur id, quod dico in principio Dialogi num. 2.

PROPOSITIO LVI.

Damnata.

Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

218. Non solùm improbabile, verùm & temerarium est dicere, quòd frequens confessionis, & communionis accessus sit signum prædestinationis in eo, qui vitam adeò relaxatam ducit, ut pro tali non sit alia Lex, quàm ejus appetitus, nec alius Deus, quàm vitium; quique non ut Catholicus, sed ut Paganus vivit. Certius signum prædestinationis est vita composita; hæc est via, quæ ducit ad Cœlum: Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: ergo, qui per viam latam perditionis currit, habet in se signum præsciti: Qui verò mala, in ignem æternũ.

219. Obiter notare volo Decretum N. D. Papæ Innocentii XI. circa communionem quotidianam, quod tamen ad litteram brevitatis gratiâ non perpendam; sed solùm quatuor puncta in eo contenta notabo.

Primum est, quòd circa communionem quotidianam non determinet rem fixam, & stabilem, sed relinquat Parochorum, & Confessariorum discretioni, qui attenta solitudine, oratione, & virtute personæ, eam permittant communicare secundùm proportionem dispositionis, quam in ea vident.

Secundum, quòd communio quotidiana non sit de Jure Divino.

Tertium, ut non communicent die Veneris Sancto; nec sani communicentur in cubiculo, portando eis occultè ex capella domestica Sacramentum; nec minùs portetur in occulto ex Ecclesia; & nulli detur particulæ, aut in majori numero, aut majori magnitudine, quàm cõmuniter consuetum est.

Quartum, ut non confiteantur simplici Sacerdoti peccata venialia. Verum quidem est, quòd dictas confessiones non invalidet, malè tamen agerent tam Sacerdos simplex hoc permittendo, quàm Pœnitens id facien-

ciendo. Qui dictum Decretum videre desiderat, per extensum inveniet in tom. 2. P. M. Lumbier pag. 1081.

PROPOSITIO LVII.
Damnata.

Probabile est, sufficere attritionem naturalem modò honestam.

220. Dico primò, Attritio naturalis quantumvis honesta non sufficit ad percipiendum Sacramenti Pœnitentiæ fructum; multò minùs ad justificationem sine confessione; contrarium enim asserere est damnatum. Probatur; quia inter dispositionem, & formam debet esse proportio: atqui gratia est forma supernaturalis: ergo attritio naturalis non potest esse dispositio ad gratiam. Utrùm autem attritio naturalis sufficiat ad valorem Sacramenti, licèt non sufficiat ad fructum, pro dubio tenent Filgueira, & Lumbier; Hozes negat, affirmat verò Torrecilla super hanc Propositionem fol. 455. concl. 2. num. 7. & seq. ubi defendit, quòd Propositio damnata loquatur de valore, & fructu simul: ergo non damnabitur assertum, quòd sufficiat solùm ad valorem, non verò ad fructum. Ego verò teneo cum sententia Hozes; quia Sacramentum Pœnitentiæ est unum opus supernaturale: ergo ejus partes debent esse supernaturales: atqui dolor est pars materialis proxima Sacramenti Pœnitentiæ: ergo hic dolor debet esse supernaturalis, qui tanquam pars debet totum hoc opus validum constituere.

221. Dico secundò, per hoc non damnatur celebris opinio Thomistarum, qui admittunt Sacramentum validum, & informe, ex defectu extensionis doloris ad omnia peccata mortalia, vel ob dolorem inefficacem, vel ob carentiam integritatis materialis ex defectu examinis. Sic Lumbier, Hozes & Torrecilla; quamvis huic opinioni non consentiat, affirmat tamen, non esse damnatam concl. 4. num 21. Videatur id, quod dictum est in explicatione primæ Propositionis.

222. Doctissimus, & R. P. Fr. Martinus de Torrecilla meæ Sacræ Religionis, Author magnæ eruditionis, & ingenio clarus in secunda impressione suarum consult. Moral. & explic. Proposit. damnatarum fol. 461. sub. num. 81. dicit, me eum citare pro opinione, quòd attritio naturalis ad valorem Sacramenti sufficiat, licèt non ad fructum, quam tamen non defendit, sed contrariam; & quòd in loco, ubi eum cito, in mea prima impressione num. 221. solùm dicat, hanc opinionem de Sacramento valido, & informi cum attritiõe naturali non esse damnatam, magnam quoque esse diversitatem inter affirmare, quòd sufficiat attritio naturalis ad valorem Sacramenti, & inter affirmare, quòd non damnetur sententia, quòd attritio naturalis ad valorem Sacramenti sufficiat.

223. Sed noster R. P. Torrecilla sensum meorum verborum facilè intelligere poterat solùm attentè reflectentem-

ctendo ad id, quod dico n. 220. & 221. siquidem utrobique loquor de sensu, in quo damnata est Propositio 57. & ex utroque textu colligitur, quod ei attribuo, esse solum id, quod dictus P. Torrecilla asserit, nempè, non damnari assertum, quòd attritio naturalis ad Sacramenti valorem sufficiat.

224. Quia num. 220. dico Torrecillam defendere, quòd Propositio damnata loquatur de valore, & fructu simul, & inferendo statim consequentiam, quam ei attribuo, dico: ergo non damnabitur, quòd solùm sufficiat ad valorem; non verò ad fructum. Notentur verba antecedentis, propositio damnata, & alia consequentis, non damnabitur; & videatur, an hoc sit id, quod attribuo P. Torrecillæ; nihil enim ipsi adscribo, quàm, quòd idemmet affirmaverit: non damnari, quòd attritio naturalis sufficiat ad valorem, licèt non sufficiat ad fructum.

225. In num. 221. dico, quòd Torrecilla, quamvis opinioni de Sacramento valido, & informi non assentiat, affirmet tamen non esse damnatam: ergo sufficienter exprimo distinctionem inter adducere simpliciter opinionem, & affirmare, quòd non sit damnata: cùm enim ita evidenter num. 221. dixerim, quòd P. Torrecilla opinionem de Sacramento informi, & valido non referat; debuissemne num. 220. antecedenti asserere contrarium?

226. Non nego R. P. Torrecillam habuisse aliquod fundamentum ob id, quod dixi illis in verbis num. 220. positis (utrùm autem attritio naturalis ad valorem Sacramenti sufficiat, licèt non sufficiat ad fructum, dubitant Filgueiræ & Lumbier; Hozes negat, affirmat verò Torrecilla) majori enim claritate mea intentio explicata fuisset, si dixissem: utrùm damnetur, quòd sufficiat attritio naturalis ad valorem Sacramenti, licèt non sufficiat ad fructum &c. Attamen, sicut in textu antecedenti, & consequenti de damnatione loquor, & explicando sensum non dubitavi, quòd aliquis crederet, me fuisse locutum in sensu differenti à damnatione; si enim aliquis hoc dubitasset, inculpet me, quòd potuerim ei præbere fundamentum dubitandi omittendo hoc verbum, utrùm damnetur, & non damnet adeò gravem Authorem, ut est noster R. P. Torrecilla.

PROPOSITIO LVIII. Damnata.

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

227. Dico Pœnitens non tenetur confiteri consuetudinem peccandi, quando Confessarius de hoc non interrogat; quia nemo obligatur ad idē peccatum bis confitendum, sed si pœnitens à Confessario interrogatur, an peccatum sit reincidentiæ, vel habitûs, pœnitens tenetur fateri veritatem, & dicere contrarium à sua Sanctitate dam-

damnatur. Probatur; quia dolor confessionis debet esse sensibilis, & Confessario notus: atqui, quando peccatum est consuetudinis, multùm de dolore dubitari potest: ergo pro hujus certitudine Confessarius habet jus interrogandi, an sit consuetudinis peccatum; & consequenter pœnitens verum respondere tenetur.

PROPOSITIO LIX.

Damnata.

Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursûs Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.

228. Dico, solus magnus concursus non est sufficiens causa pro dimidianda confessione, & contrarium est improbabile, & damnatum tanquam scandalosum, cùm integritas confessionis sit de Jure Divino, solus magnus concursus est modica causa pro ea dimidianda.

229. Non damnatur tamen, quòd in multis casibus sit licitum dimidiare confessionem: v. g. quando infirmus non potest absque gravi molestia omnia sua peccata enarrare, & Confessarius, antequam confessionem finiat, timet ejus mortem; & hoc, & aliis similibus casibus potest confessio dimidiari. Quia propositio damnata solùm assignabat pro causa magnum concursum, cæteri verò casus alias causas magis urgentes adducunt. Videatur Diana p. 3. tract. 4. resol. 131.

PROPOSITIO LX.

Damnata.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

230. In hac materia de consuetudine peccandi duo sunt certa. Primum est, quòd, si pœnitens cum vero dolore, & emendationis proposito veniat, possit dari absolutio; quia est benè pro Sacramento dispositus. Alterum est, quòd, si Confessarius non judicet, eum verum dolorem, & emendationis propositum habere, non possit ipsi absolutionem dare, quamvis pœnitens dicat, se habere dolorem, ac se velle emendare; Et contrarium est practicè improbabile, & casus condemnationis hujus Propositionis 60. Ex frequentia autem relapsûs debet Confessarius se regulare ad formandum judicium, an pœnitens verum dolorem, & propositum habeat. Ratio hujus est; quia Confessarius non videt pœnitentis cor, ut possit cognoscere, an ibi sit, vel non verus dolor, & verum propositum; minùs ipsi sufficit, quòd pœnitens ore proferat, se dolere, & emendationem proponere: ergo ad ferendum de hoc judicium non est aliud medium, quàm, ut ad opera pœnitentis recurrat: atqui, quando est consuetudo peccandi, hæc sunt contraria suis verbis: ergo &c. Deinde; quia,

quia, si pœnitens in una, duabus, quatuor, decem, & pluribus confessiōibus idem promisit, & nunquam adimplevit, signum est, quòd sua proposita sint meræ velleitates, & Confessarius ita judicare potest, & debet.

231. De hac doctrina nullum est dubium post Decretum Innocentii XI. quapropter pluribus rationibus eam probare, & objectionibus in contrarium factis satisfacere omitto. Solùm pro sublevamine Confessariorum, qui in hoc puncto nimis frequenti magno cum timore operari solent, proponam aliquos casus, in quibus non obstante consuetudine potest impertiri absolutio, eósque in sequentes conclusiones dividam.

232. Suppono primò, quòd consuetudo peccandi sit habitus, vel facilitas acquisita ex repetitis actibus inclinans animum ad continuandos relapsus, & est difficile mobilis à subjecto.

233. Suppono secundò, quòd hæc damnatio de omni specie habituum graviter peccandi loquatur; tam de positivis: v. g. pejerandi, blasphemandi, maledicendi ex corde, odio habendi, mœchandi, polluendi, tactus, & oscula exercendi, cogitationibus pravis consentiendi, murmurandi &c. quàm etiam de privativis: v. g. diuturnæ negligentiæ in restitutione famæ, rei alienæ, in executione testamentorum, Legatorum, Missarū &c.

234. Suppono tertiò, quòd occurrente aliquo peccandi habitu Confessarius non possit absolvere, ut dictum est, nisi habeat probabile fundamentum in contrarium, nempe, quòd pœnitens verum propositum se emendandi habeat, ad cujus indicium non sufficit sola pœnitentis attestatio; sufficiet tamen concurrente aliqua ex circumstantiis, quas mox proponam.

Prima Conclusio.

235. Dico primò, potest dari absolutio pœnitenti, qui ter, vel quater à Confessario in confessionibus antecedentibus de malo suo statu non fuit admōitus, nec de periculo animæ suæ, nec ab eodem Confessario suavibus admonitionibus, & vivis suæ malæ vitæ reprehensionibus non fuit præventus, nec ad hujus emendationem ipsi congrua suggessit media. Ita docet cum Sanchez, & Palao, Diana part. 6. tr. 7. res. 30. & cum Fagundez tr. 7. res. 49. cum Azorio, & Hozes, P. Torrecilla super hanc Propositionem fol. 98. n. 155. Ratio est, quia mirum non est (attentâ humanâ fragilitate) quòd passio per fraudis tenebras obcæcet potentias, & animæ lucem occultet, ne videat execrabilia culpæ damna: nisi enim Confessarius suavi suæ doctrinæ zephyro dirumpat tenebras illas, ac per veritatis claritatem oculum considerationis vivificet, mirum inquam non est, quòd habitus malæ consuetudinis in alios prorumpat actus: ergo spes benè fundata haberi potest, quòd pœnitens cum lumine

mine à Confessario ipsi porrecto exeat ex obscura culpæ voragine; & per consequens, cùm non præcesserint similes Confessarii admonitiones, potest ei dari absolutio.

236. Ex quo infertur, quòd Confessarius, detectâ aliquâ peccandi consuetudine à pœnitente, debeat eum interrogare, an in antecedentibus confessionibus fuerit ipsi proposita peccati sui gravitas, & fuerint ad hoc vincendum subministrata media; si negativè respondet, præmissâ sui mali status ostensione ac efficacibus rationibus pro emendatione propositis, absolvat eum; quamvis hæc omnia fuerint duabus vicibus ipsi proposita, potest adhuc tertia vice absolvi: Si verò ter vel quater jam fuerit admonitus, & nulla fuerit secuta emendatio, dimittatur sine absolutione; nisi forsan concurreret aliqua ex circumstantiis in sequentibus conclusionibus positis.

Secunda Conclusio.

237. Dico secundò, si Pœnitens etiam post factam tertiam admonitionem veniat cum extraordinariis lacrymis, suspiriis, & signis doloris, potest ei dari absolutio. Ita cum Lumbier Torrecilla ubi suprà num. 110. Quia tunc fundamentum credendi habetur, quòd Pœnitens cum firmo proposito se emendandi veniat: Adverto tamen, quòd aliquando lacrymæ maximè fœminarum à terreno motivo originem trahere soleant: v. g. ab aliquâ tribulatione, & angustiâ Confessario relatâ: non loquor in conclusione de his lacrymis, quæ sunt lacrymæ Esau, de quo dicit Apostolus: Non invenit locum pœnitentiæ, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. Ad Hebræos cap. 12. quia plangebat ob motiva temporalia, ut dicit S. Thomas: Non dolebat de peccato, sed de damno &c.

238. Ex quo infertur, quòd tempore Missionis majori cum facultate, & fundamento possit impertiri absolutio, quàm aliàs; quia vix invenitur anima, quæ audiendo minas punitionum Dei, horrorem culpæ, rigorem horribilissimi, & severi Tribunalis Supremi Judicis terrorem æternitatis illius sulphureæ, & ardentis flammæ infernalis, non compungatur, conteratur, malum suum statum non apprehendat, ac emendationi studeat, de quo tanquam testis experientiæ possem multa adferre exempla; hoc tamen intelligitur, quando post auditas conciones Pœnitentis emendatio appareat, secùs verò, si in malo habitu adhuc persistat.

Tertia Conclusio.

239. Dico tertiò, si Pœnitens post tertiam admonitionem adhibuerit aliquam diligentiam pro sui emendatione, & in aliquo se emendaverit, ita, quòd relapsum, vel numerum peccatorum minuerit, potest ipsi dari absolutio. Ita Layman ubi suprà; quia Confessarius jam habet fundamentum sibi suadendi, quòd Pœnitentis propo-

 posi-

positum non sit ore prolatum, sed verum, & ex corde.

240. Ex hoc infertur, quòd, si Pœnitens in omnibus confessionibus portet diminutum peccatorum numerum, & in qualibet earum aliqua modica videatur emendatio, argumentari liceat, quòd ad confessionem benè dispositus accedat, & absolvi possit toties, quoties venit emendatus.

241. Infertur secundò, quòd, licèt realiter non sit emendatus, adhibuit tamen omnia media à Confessario ordinata, & omnes occasiones ad culpam ducentes devitavit, possit etiam absolvi. Ita Layman lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 10. §. Verùm tamen, Lugo de Pœnit. disp. 14. sect. 18. num. 166.

Quarta Conclusio.

242. Dico quartò, si Pœnitens veniat ad confessionem ab aliquo casu infausto inductus: v. g. quia præsens fuit morti repentinæ, vel audivit singularem Dei vindicis punitionem adversus peccatorem; vel quia complex sui peccati obiit, vel ob aliud accidens funestum, potest absolvi absque eo, quòd contrà agatur præsenti condemnationi. Torrecilla citando me in 2. impressione fol. 90. num. 117. Quia hæc reprobat, quòd Confessarius possit absolvere præcisè, quia Pœnitens dicit, se velle emendare: atqui in hoc casu non absolvitur præcisè propter hoc, sed fundatus in spe, quam talis casus infaustus promittit: ergo &c. in facti contingentia contingit mihi casus in quodam inveterato in aliquo diuturno habitu, qui motus morte cujusdam sui socii venit ad me horâ impropria pro confessione facienda, quem absque ullo scrupulo absolvi (non ignorando casum eum ad confessionem moventem) & in re secuta est ejus vitæ emendatio.

Quinta Conclusio.

243. Dico quintò, si Pœnitens veniat ad confessionem ex sua propria voluntate, & non vi Præcepti confessionis annuæ, aut respectu Parentum, nec vi obligationis ad confessiōem singulis octo, aut viginti diebus, aut tali, & tali tempore peragendam, sed solùm ex desiderio se per gratiam justificandi, potest etiam ipsi dari absolutio. Ita Layman ubi suprà. Quia Confessarius habet sufficiens motivum credendi, quòd Pœnitens, qui ad Confessionem accedit nullâ eum movente extrinsecâ causâ, veniat cum animo faciendi bonam confessionem, & meliorandi suam vitam. Advertat Confessarius, hanc regulam non esse universalem; quia multi sponte veniunt absque obligatione ad confessionem impellente, & tamen non habent animum meliorem instituendi vitam: quare consultum est, ut reperto aliquo peccandi habitu in Pœnitente, eum interroget, quo motivo ad confessionem venerit, ut possit hoc medio de ejus dispositione judicium ferre.

Sexta Conclusio.

244. Dico sextò, in articulo, vel periculo mortis potest, imò debet absolvi non obstante peccandi consuetudine; quia nobis persuadere debemus, quòd quivis Christianus in simili casu habeat verum dolorem, & propositum non ampliùs peccandi.

Septima Conclusio.

245. Dico septimò, quotiescumque Pœnitens dat fundamentum credendi, quòd cum dolore extraordinario veniat cum lacrymis excedentibus ordinarias vel motus à quodam infausto casu, vel si in aliquo se emendaverit, adhibueritque diligentiam vincendi suam malam consuetudinem, vel si confiteatur in articulo, vel periculo mortis; in his casibus per dolorem, & propositum extraordinarium interrupit consuetudinem anteà habitam, & debet pro eo ferri judicium respectu confessionum futurarum, ac si tunc inciperet consuetudo. Torrecilla citando me ubi suprà num. 118. sic sentit in simili, loquendo de occasione proxima eruditissimus Moya tom. 1. tract. 3. disp. 7. q. 5. num. 8. cum Layman, Navarra, & aliis, & in simili quoque de occasione proxima Cardinalis Lugo disp. 14. sect. 10. num. 151. Ratio est; quia sicut habitus virtutum corrumpuntur per actus contrarios: v. g. habitus Fidei per formalem actum Hæresis; sic habitus vitiosi per actus virtutum contrariarum: atqui actus Pœnitentiæ, aut doloris est contrarius habitui, aut consuetudini vitiosæ: ergo &c.

246. Ex quo infertur, quòd Pœnitens qui venit prima vice ad confessionem absque eo, quòd fuerit admonitus de suo malo statu, possit absolvi duabus, vel tribus vicibus, licèt prima, & secunda vice una cum admonitione non se emendaverit: sic pariter, qui mediante dolore extraordinario præcedentem consuetudinem interrumpit, poterit, postquam fuerit admonitus, absolvi secunda, & tertia vice, licèt in his non se emendaverit: supposito enim, quòd vi talis doloris extraordinarii interruperit consuetudinem, reputatur, ac si nunquam eam habuisset. Et si post tertiam absolutionem veniat alia vice vi ejusdem doloris interrumpendo iterum consuetudinem, poterit iterum absolvi tribus vicibus &c. Sic pariformiter, quandocumque taliter ipsum pœnitebit. Hanc doctrinam, quam citat, & approbat doctissimus P. Torrecilla, impugnat non cum debita moderatione P. Fr. Emanuel de Conceptione in suo tract. de Pœnit. disp. 2. q. 13. num. 206. & seq.

247. Cùm igitur necessarium sit purgare, defendere, & confirmare hanc doctrinam, respondebo objectionibus hujus Authoris incipiendo eo modo, quo se introducit ad ei contradicendum dictus P. Fr. Emanuel de Conceptione, qui in suo tract. de Pœnit. disp. 2. q. 13. num. 201. dicit, quòd,

quòd, quamvis doctrinam, quam docui in prima conclusione (ubi affirmavi, quòd Pœnitenti, qui ter, vel quater non fuit admonitus de suo malo statu, & animæ periculo, possit dari absolutio) conatus fuerit piè interpretari, non potuerit tamen benignè interpretari id, quod docui in septima conclusione superiùs relata. *Tertiò ad dendum est*, ait, *quòd quamvis prædictam doctrinam à P. Corella in prima conclusione benignè interpretari studuerim, & posse ad nostram reduci, insinuaverim, non tamen ita benignè interpretari possum eam, quam tradidit in septima conclusione num. 214. & 215. Quare eam cogor impugnare.* Hoc dicit *n. 201.* Addit verò *n. 206.* quòd mea probatio, aut fundamentum incipiens ab illis verbis: Ratio est; plures contineat falsitates, quàm clausulas.

248. Si ex suppositione pii interpretis meæ doctrinæ P. Fr. Emanuel cum hoc rigore loquitur, dicendo, quòd mea probatio plures contineat falsitates, quàm clausulas, quid dixisset, si judicem rigorosum egisset: non respondebo his verbis, minùs ejus personam redarguam; sed solùm mea doctrina respondebit objectioni suæ doctrinæ, ut S. Hieronymus se gessit cum S. Augustino in tertia Epistola ipsi scripta: *Simúlque obsecro, ut ignoscas pudori meo: Nec ego tibi, sed causa causæ respondet: Et si culpa est respondisse, quæso, ut patienter audias, multò major est provocasse.* Ita sentiunt, & loquuntur viri magis cordati: Putat P. Fr. Emanuel, quòd mea doctrina plures falsitates, quàm clausulas contineat; ego verò existimo, nullam clausulam habere falsitatem, quod probabo incipiendo ab una mea clausula dicente id, quod sequitur.

249. *Sicut habitus virtutum corrumpuntur per actus contrarios, sic habitus vitiosi per actus virtutum contrariarum.* Hoc impugnat his verbis: *In recta Theologia falsum omninò est, quia habitus non contrariantur actibus, nec actus habitibus. Sed solùm actus cum actibus, & habitus cum habitibus contrariari dici possunt. Et ratio est 1. quia contraria debent esse in eodem genere, cùm definiantur communiter sic: quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuo se expellunt.*

250. Primò non est necessarium, ut actus contrarientur habitibus contrarietate Physica secundùm definitiõem contrariorum, quam allegat P. Fr. Emanuel, ut ipsemet affirmat in suo cursu Trinitario tom. 1. tract. 2. disp. 8. q. 1. num. 1079. ub dicit: *Virtus autem, & vitium contraria dici debent in genere moris, quia summè in eo genere distant; non tamen in genere Physico juxta hanc definitionem; quia in eo non maximè distant.* Nec ego dixi, habitum vitiosum, & actum virtutis oppositæ habere contrarietatem rigorosissimam; sed solùm, quòd unum per aliud destruatur, quod verificari potest absque eo,

quòd

quòd contrarietas sit rigorosissima, ut dicit in suo cursu Trinitario ibidem num. 1080. Ergo potest verificari mea assertio absque eo, quòd habitibus, & actibus conveniat contrarietas, quam definitio contrariorum exigit.

251. Secundò, quia, ut dicit Philosophus 2. Ethic. cap. 3. habitus destruuntur per id, per quod producuntur: Habitus ab iisdem à quibus fiunt, augeri, & corrumpi. Sed sic est, quòd habitus producuntur per actus: ergo habitus corrumpuntur per actus: ergo non fuit falsa mea clausula, quæ dicebat, quòd habitus vitiorum corrumpantur per actus virtutum oppositarũ.

252. Insuper actus est causa generationis habitûs: sed sic est, quòd habitus corrumpat immediatè habitum, ut P. Fr. Emanuel fatetur: ergo actus destruet habitum, si non immediatè per se, saltem mediante habitu, quem generat. Pariter immediatè corrumpit effectivè actus virtutis habitum vitii, ut dicit P. Gregorius de Valenza tom. 2. in 1. 2. disp. 4. q. 5. punct. 2. §. sed omninò, his verbis: *Sed omninò sentiendum est, habitum per actum quoque immediatè & effectivè corrumpi.* Idem sentit Suarez in sua Metaphysica tom. 2. disp. 44. sect. 12. num. 31. ubi dicit: *In genere ergo efficientis dicendum est actum immediatè expellere contrarium habitum.* Consideretur hæc vox immediatè, & vox contrarium, ex quo constabit, quomodo Suarez loquatur iisdem terminis formalibus, quibus loquor ego appellando actum contrarium habitui.

253. Et P. Azorius in Moral. Just. part. 1. lib. 3. cap. 23. q. 2. defendit apertè nostrum assertum sequentibus verbis: *Sed dicendum est absolutè cum Majore* 3. dist. 32. q. 7. & Almain tr. 1. Moral. 1. 18. *habitum acquisitum, ut actus contrarii, perire: Nam unus actus gignit ex parte habitum, & ex parte tollit habitum contrarium.* Et non solùm effectivè, sed etiam formaliter actus corrumpit habitum contrarium secundùm sententiam Gregorii in 1. dist. 17. q. 3. art. 2. ad 10. ubi affirmat: unum habitum non minui per oppositum habitum tanquam per formam oppositam inductam ab agente, sed per actum contrarium. Ejusdem opinionis sunt aliqui moderni, quos citat Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 82. cap. 1. num. 4. §. Demum, & §. Allegantur, quod tenet pro probabili ipsemet Vasquez; quia contrarium, quod ipse sequitur, nominat solùm magis probabile, ibidem cap. 2.

254. Confirmatur authoritate Doctoris Angelici S. Thomæ 1. 2. q. 53. art. 3. in Corpore, ubi dicit, quòd habitus, sicut ex eadem causa augentur, ex qua generantur, ita ex eadem causa diminuuntur, ex qua corrumpuntur. Secundùm S. Thomam habitus corrumpuntur per causas, per quas diminuuntur: atqui habitus diminuntur per actus: ergo habitus corrumpuntur per actus. Minor probatur: habet aliquis

quis habitum intemperantiæ; elicit actum temperantiæ, per quem aliquantùm illum malum habitum diminuit, elicit alium, & alium temperantiæ actum, & per quemvis actum paulatim diminuit primum habitum: ergo habitus diminuuntur, & per consequẽs corrumpuntur per actus contrarios.

255. Confirmatur ulteriùs cum doctrina P. Fr. Emanuelis in suo cursu Trinitario tom. 2. tract. 1. disp. 1. q. 13. num. 2519. Ubi docet, quòd intensio fiat per additionem gradus ad gradum. Et in q. 14. num. 2531. affirmat, quòd gradus intensionis sint homogenei, & ejusdem speciei. Pariter 2542. dicit, quòd in eodem subjecto uno eodémque tempore possint dari gradus contrariæ qualitatis mediocriter intensi: nunc sic: supponamus subjectum affectum habitu intemperantiæ octo graduum intensionis, quod per quatuor actus temperantiæ destruxit quatuor gradus illius habitus intemperantiæ; nunc quæro in hoc casu, vel tale subjectum habet habitus temperantiæ, & intemperantiæ, vel non? si habet: ergo verificabitur, quòd in eodem subjecto possint dari simul vitium acquisitum, & virtus acquisita. Probo consequentiam; quia vitium est habitus vitiosus, & virtus est habitus virtuosus: ergo si possent dari simul in uno subjecto habitus vitiosus acquisitus, & habitus virtuosus acquisitus, daretur etiam simul in uno subjecto vitium acquisitum, & virtus acquisita, quod nequit esse; ut dicit S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 4. ad 2. ubi affirmat: quòd vitium directè contrarietur virtuti --- & ideò vitium excludit virtutem. Et in terminis magis terminantibus dicit Dominus Tapia in sua Cat. tom. 1. lib. 3. q. 1. art. 2. num. 6. his verbis: virtus, & vitium, quæ directè opponuntur; non possunt esse simul in eodem subjecto.

256. Si dicatur, illo subjecto, quod per quatuor actus temperantiæ destruxit quatuor gradus habitûs intemperantiæ, nec temperantiæ, nec intemperantiæ habitum adesse. Quæro nunc: quis destruxit habitum intemperantiæ? habitus temperantiæ non: quia defacto eum adhuc nõ habet: ergo necessariò actus eum destruxerunt: Consequenter non habitus habitibus, benè verò actus iisdem contrariantur.

257. Ad hoc, videtur, posse responderi, quòd illi quatuor actus temperantiæ non corrumpant per se quatuor gradus habitus intemperantiæ, sed quòd illi quatuor actus temperantiæ quatuor gradus habitûs temperantiæ generent, qui gradus alios quatuor gradus habitus intemperantiæ destruant, sicque quatuor gradus habitus temperantiæ, & alii quatuor gradus habitus intemperantiæ simul in subjecto concurrant. Attamen hæc responsio potest habere locum in opinione illorum, qui dicunt quòd gradus intensionis sint heterogenei, vel diversæ speciei, & quòd primus gradus calo-

ris v. g. opponatur octavo frigoris, secundus septimo, tertius sexto, & quartus quinto, & sic primus octavum, & nullum alium expellit, secundus solum septimum, & sic de reliquis. Verùm hæc responsio non habet locum in doctrina P. Fr. Emanuelis concedentis, & affirmantis, gradus intensionis esse homogeneos, & primum gradum caloris non opponi determinatè octavo, nec septimo, nec sexto, nec quinto, nec quarto, nec tertio, nec secundo, nec primo frigoris, sed omnibus octo collectivè sumptis. Sic affirmat, cursus Trinit. suprà num. 1541. Ex quo sic arguo; secundùm te unus gradus temperantiæ opponitur omnibus gradibus habitus intemperantiæ, & est omnibus contrarius: ergo nullus gradus temperantiæ potest introduci in subjectum habens aliquem gradum intemperantiæ. Probo consequentiam: unum contrarium formale non potest concurrere cum alio contrario formali in eodem subjecto, sed secundùm te unus gradus temperantiæ est contrarium formale cuicumque alteri gradui intemperantiæ; ergo unus gradus temperantiæ nõ potest in eodẽ subjecto cum alio quocũque gradu intemperantiæ concurrere.

258. Ex quo infero, quòd si nullus gradus temperantiæ in subjectum introduci possit, usque dum omnes gradus habitus intemperantiæ destruantur: ergo antequam habitus temperantiæ introducatur, jam habitus intemperantiæ erit destructus: atqui non potuit eum destruere habitus temperantiæ, nec gradus intensionis hujus habitus; quia subjectum eos habere non potuit: ergo necessarium est, quòd actus temperantiæ eum destruxerint: Consequenter non fuit falsa mea prima clausula, quæ dicebat, *sicut habitus virtutum per actus contrarios corrumpuntur: sic habitus vitiosi per actus virtutum contrariarum.* Quare non solùm benignè, sed etiam rigorosè eã interpretando reperitur esse verũ, quòd actus corrumpant habitus mediatè, & etiam immediatè efficienter secundùm communem opinionem Theologorum, imò formaliter in opinione Gregorii, & aliorum, adeóque probatum manet, quòd habitus per actus oppositos corrumpantur.

Mea secunda clausula dicebat hoc modo: v. g. habitus fidei per actum formalem Hæresis: cui P. Fr. Emanuel num. 208. contradicit his verbis: *Secundò exemplum, quod adducit de fide, extra rem est. Nam in hac doctrina loquitur, aut loqui debet de habitibus acquisitis virtutum, aut vitiorum.* Dicit enim, me extra propositum adduxisse habitum fidei pro probatione meæ doctrinæ; quia supponit, me in ea loqui de habitibus acquisitis. Ex quo constat, me loqui, vel loqui debuisse de habitibus acquisitis tractando eo loco de modo destruendi vitiũ per virtutem pœnitentiæ; cùm hæc virtus non sit acquisita, sed infusa; ut di-

dicit Angelica penna S. Thomæ 3. p. q. 85. art. 5. in corpore, ubi affirmat: *Dicendum, quòd de Pœnitentia loqui possimus dupliciter uno modo quantum ad habitum; & sic immediatè à Deo infunditur.* Hoc idem tenet Cajetanus ibi. Et affirmat tanquam rem constantem P. Fr. Joannes Puteamus ex Inclito Ordine Augustiniano tom. 2. in D. Thomam q. 85. art. 4. dub. ult. in fine, non dari habitum acquisitum Pœnitentiæ: *an detur* (interrogat) *qualitas aliqua acquisita ex actibus Pœnitentiæ, per quam detestemur peccata commissa, quemadmodum id facimus per virtutem infusam Pœnitentiæ. Cæterùm res hæc videtur plus satis nota: nam quemadmodum non datur in nobis qualitas aliqua acquisita mediis actibus fidei, aut spei; ita neque admittenda est qualitas in voluntate rationali acquisita mediis actibus virtutis Pœnitentiæ.* Quibus in verbis reperitur conformitas inter habitum Fidei, & pœnitentiæ, de qua loquebar de casu relato; me enim non fuisse locutum, nec debuisse loqui de habitibus acquisitis, dum de pœnitentia tractavi, quæ est habitus infusus.

259. Sed posito, quòd fuissem locutus, aut loqui debuissem de habitibus acquisitis, dico, quòd non fuerit extra rem habitum fidei adducere pro probatione: Et ratio est; quia ex actibus supernaturalibus fidei potest generari habitus supernaturalis acquisitus fidei distinctus ab infuso in sententia Petri Hurtadi de Mendoza de anima disp. 16. sect. 8. §. 64. 69. & seq. & in §. 70. Pro sua opinione citat Molinam, Vasquez, & Petrum Bergomensem. Hoc idem sentiunt Linze, Arriaga, & alii moderni, quos citat P. Fr. Emanuel de Concept. in suo cursu Trinit. tom. 3. tract. 1. disp. 3. q. 23. num. 3365. in fine. Et Coninch, Molina, Azorius, & Bacon apud Ripaldam de ente supernaturali tom. 1. disp. 53. num. 2. affirmant, ab actibus supernaturalibus posse unum habitum acquisitum naturalem generari; pro quo asserto citat Azorum, Henricum, Durandum, Ochan, Gabrielem, & alios, idem judicant pro probabili Vasquez, & Salas apud eundem Pipaldam ibid. Secundùm hos Doctores præter habitum infusum fidei potest dari alius acquisitus; vel supernaturalis, ut aliqui dicunt; vel naturalis, ut volunt alii: ergo, quando habitum fidei allegavi pro probatione meæ doctrinæ, potui de habitu acquisito loqui, non verò de infuso: ergo loquendo de habitu acquisito fidei non esset extra rem allegare hunc habitum agendo de aliis habitibus acquisitis.

Vel vult dicere me fuisse locutum de habitu infuso fidei, vel de acquisito? si dicat de infuso; Respondeo, me extra rem eum non adduxisse pro probatione virtutis pœnitentiæ, quæ est infusa: Si intelligat de acquisito, de quo P. Fr. Emanuel supponebat me lo-

loqui in mea habituum acquiſitorum probatione: non fuit extra rem tunc allegare habitum acquiſitum fidei; quare clarè liquet, meam ſecundam clauſulam non fuiſſe falſam, in qua pro probatione meæ aſſertionis habitum fidei adduxi.

260. Tranſeo ad tertiam clauſulam, in qua dico, atqui actus pœnitentiæ vel doloris eſt contrarius habitui, aut conſuetudini vitii: ergo &c. quod impugnat P. Fr. Emanuel hoc modo: difficilius adhuc intelligitur: indicat enim, & quidem manifeſtè, aliàs ratio non convinceret intentum, quòd omni vitio opponitur, quod falſiſſimum eſt. Dixi nunc, & modò expreſsè repeto, quòd pœnitentia opponatur cuicumque vitio, vel peccato; & hoc non eſt falſiſſimum; ſed ita verum, ut clarè docuerit ſecura penna Angelici S. Thomæ Aquinatis 3. part. q. 85. art. 2. ad 3. ubi Sanctus ita loquitur: quòd quælibet virtus ſpecialis formaliter expellat habitum vitii: ſicut albedo expellit nigredinem ab eodem ſubiecto: Sed pœnitentia expellit omne peccatum effectivè: ergo non eſt falſiſſimum, quòd pœnitentia, aut dolor omni vitio, vel peccato opponatur, & non ſolùm effecti-ctivè, ſed etiam formaliter pœnitentia, aut contritio opponitur omni peccato, ut tenent Vasquez, Janſenius, Vincentius, Ochagavia, Hurtadus & alii, quos citat R. P. Leander de SS. & tenet pro probabili opinionem horum Authorum; ſiquidem contrariam, quam ipſe ſequitur p. 1. tr. 5. diſp. 1. q. 28. ſolùm vocat probabiliorem; poſſem in probationem hujus doctrinæ authoritate, & ratione me magis explicare, ſed cùm abundanter mihi faveat dictamen S. Thomæ, nolo pro ejuſdem confirmatione plus temporis perdere, ſufficienter enim ex hoc patet, non eſſe falſiſſimum, quòd pœnitentia omni vitio opponatur.

261. Addit P. Fr. Emanuel num. 206. quòd unus actus doloris extraordinarius non ſufficiat ad deſtructionem habitus vitioſi: * "Sed non minùs "diſplicet, *ait*, illa conſuetudinis, ſive "habitûs tam facilis extinctio, aut interruptio. Sentio enim tanquam ve"riſſimum in caſibus aſſignatis à P. "Corrella, non deſtrui priorem con"ſuetudinem.,,

262. Suppono, ex uno actu intenſo poſſe unum habitum generari, ut de habitibus ſcientificis dicit S. Thomas 1. 2. q. 51. art. 3. in corpore * *Habitum autem ſcientiæ poſſibile eſt cauſari ex uno rationis actu.* * Idémque de habitibus corporalibus ſentit S. Doctor ibid. * *Habitus autem corporales poſſibile eſt cauſari ex uno actu, ſi actus fuerit magnæ virtutis.* * Pariter de habitibus voluntatis pro certo tenet P. Petrus Hurtadus Mendoza diſp. 26. de Anima ſect. 5. §. 35. his verbis: * *Nunc agendum eſt de habitibus voluntatis: ac primum certum eſt uno ſolo actu*

*effici habitum perfectissimum, nam actus valde intensus habet virtutem æqualem pluribus actibus remissioribus: Sed hi efficiunt habitum perfectum: ergo & ille.**

263. His positis argumentor sic. Per te unus habitus destruit alium habitum contrarium. Sed sic est, quòd unus actus intensus possit unum habitum generare: ergo unus actus intensus potest unum habitum contrarium destruere: atqui, quando dixi in mea septima conclusione, quòd unus actus doloris corrumpat habitum vitiosum, fui locutus de actu intenso extraordinarii doloris: ergo per eum potest tolli, & destrui habitus, vel consuetudo vitii.

264. Ulteriùs dicit P. Fr. Emanuel n. 205.* "Displicet tamen magis hæc "septima conclusio P. Corellæ, quam "1. quia hæc clariùs indicat, quòd se-"mel, iterum, ac tertiò possit absolvi "Pœnitens, si priùs non fuerat admo-"nitus, & etiam, si affert aliquam em-"endationem, vel aliud signum ad pru-"dendenter judicandum habere do-"lorem; unde, & clarè indicat, quòd "illis tribus vicibus, etiam sine funda-"mento ad dolorem prudenter præ-"sumendum absolvi possit.,,*

265. Ad hoc pacificè respondeo, me non dixisse, & dicere potuisse, *quòd illis tribus vicibus etiam sine fundamento ad dolorem prudenter judicandum absolvi possit.** imò expressè contrarium asserui num. 230. his formalibus verbis ibi à me positis:* "Si Con-"fessarius non judicet, eum verum do-"lorem, & emendationis propositum "habere, non potest ipsi dare absolu-"tionem, quamvis dicat, se habere "dolorem, velléque se emendare, & "contrariū est practicè improbabile, "& casus condamnationis in Proposi-"tione 60.,,* Hoc expressè dixi num. 230. & num. 234. addidi id, quod sequitur:* "Suppono tertiò, quòd oc-"currente aliquo habitu peccandi "Confessarius non possit absolvere, ut "dictum est, nisi forsan probabile fun-"damentum habeat ad sibi persuaden-"dum, quòd Pœnitens verum propo-"situm se emendandi habeat.,, Estne hoc dicere, *quòd illis tribus vicibus possit absolvi sine fundamento ad dolorem prudenter judicandum?*

266. Neque dicere, quòd Pœnitens, qui nondum fuit à Confessario tribus, vel quatuor vicibus admonitus, possit absolvi, est affirmare, quòd illis tribus, vel quatuor vicibus absolvatur sine fundamento, quo judicari posset, eum habere dolorem; quia absolutio daretur sine fundamento, quando non esset spes emendationis, sed sola prolatio Pœnitentis de dolore suorum peccatorum, atqui, dum non fuit tribus, vel quatuor vicibus à Confessario admonitus, est spes mediantibus admonitionibus, & consiliis debitæ emendationis: ergo non datur sine fundamento tribus, vel quatuor vicibus absolutio, donec non dentur dictæ admonitiones. Ita tenet cum

Azorio, & Hozes P. Torrecilla supr. Proposit. 60. num. 115. Et cum his Lumbier, Sanchez, Palaus, Diana; & Fagundez, quos parit. supr. num. 235. Concl. 1. citavi. Hanc doctrinam Hozes, Torrecillæ, & meam refert P. Emanuel num. 197. his verbis: *M. Hozes in dicta Propositionis explicatione num. 9. P. Corella ibid Concl. 1. num. 268. (non dicit num. 207. primæ impressionis, & hujus num. 235.) ac Torrecilla num. 115. asserunt, utendum non esse remedio denegationis absolutionis, & posse eam conferri, donec Pœnitens ter, vel quater sit admonitus de suo statu, de gravitate, & fœditate suorum peccatorum &c. Secundùm hos Authores potest dari absolutio tribus, vel quatuor vicibus, si Pœnitens anteà non fuerit admonitus: atqui nullus horum Authorum dicit, posse dari absolutionem sine fundamento ad dolorem prudenter præsumendum: ergo dicere, quòd Pœnitenti possit dari absolutio, qui non fuit tribus, vel quatuor vicibus admonitus, non est affirmare, *quòd illis tribus vicibus etiam sine fundamento ad dolorem prudenter præsumendum absolvi possit.*

267. Postquam P. Emanuel etiam doctrinam impugnavit, concludit suam probationem num. 209. his verbis: *Nec multum miror, quòd in multis brevis probatio deficiat, quia ut communiter dicitur, malæ causæ malum solet esse patrocinium. Miror tamen ampliùs, quòd P. Torrecilla in 2. suarum consultationum editione, tum malam Corellæ causam, tum malum ejusdem causæ patrocinium referat, & approbet in Consul. 17. num. 118. Sed valeat uterque. Justissimè nobis Venerabilis Sanctitas Domini nostri Papæ Innocentii XI. in quodam suo Decreto 2. Martii, Anno 1679. edito imposuit, ut injuriosæ altercationes à Scriptoribus tollantur; necessarium igitur est tam Sanctis Legibus obedientiam præstare; Licèt enim hæ non essent, addidici tamen, quòd gloriosiores victoriæ potentissimis Christianæ patientiæ armis reportentur, juxta Euripidis dictum: Certamen patientiæ tale est, ut qui vincitur, ipso victore sit melior. Quapropter ad hæc verba mei P. Fris Emanuelis nihil respondeo.

268. Qui absque passione id, quod superiùs dictum est, lecturi sunt, poterunt formare judicium, an mea doctrina plures contineat falsitates, quàm clausulas. Credo, quòd sibi sint persuasuri Lectores, eas esse saltem probabiles, cùm tot Doctorum authoritate, & rationibus allegatis authenticatæ sint. Ut autem affirmari possit, doctrinam aliquam esse falsam, necessarium est hoc per demonstrationem probare, ut dicit Caramuel in sua Theologia fundam. lib. 2. fund. 58. num. 2616. ubi affirmat. * Paritatem fore probabiliter veram, quamdiu non demonstretur, & evidenter probetur

betur esse falsam. Hoc idem hic ingeniorum Heros docet in Theologia intentionali ep. 8. lib. 1. n. 12. prop. fin. fol. (mihi) 21. Ubi loquendo de quodam subjecto eum impugnante sic dicit.

"Dum etiam ipse, vel suam opinio-"nem tuetur vel Caramuel eam oppe-"tit, ut servaret rigorem dialecticum, "desiderarem, & hanc consequen-"tiam eliceret, ergo probabile est, "quòd affirmat Caramuel; ut hac "consequentia nascatur (*nota*) debet "demonstratio præcedere, nam ut "sciunt omnes, qui percallent diale-"lecticam, ut improbabilitatem per-"suadeant, elumbes, & impotentes "sunt rationes universæ probabiles.

Idem eruditissimus Vir tenet in suis positionib. select. q. 9. §. 1. num. 476. ubi dicit: * Quòd unius Auctoris opinio, quæ rationibus fulcitur, probabilis est, nisi evidenter ostendatur; ut indicarem duo, primum non sufficere, quòd probabiliter rationes convincantur de falsitate, quia probabilitas non facit rationes oppositas non esse, & probabiliter veras.* Hoc idem docet N. R. P. Torrecilla in suis Consult. tract. 2. cons. 5. num. 143. His verbis: * Nec hæc probabilitas convelli potest, nisi evidenter demonstretur falsa esse dicta fundamenta.

269. His positis, argumentor ita. Ut aliqua doctrina pro falsa condemnetur, necessarium est, ut demostrationibus convincatur: Sed sic est, quòd rationes, quibus P. Fr. Emanuel meam impugnat doctrinam, non sint demonstrationes: ergo meam doctrinam pro falsa condemnare non potest. Probo minorem: Demonstratio est Syllogismus, in quo ex præmissis evidentibus sequitur evidenter conclusio, ut dicit Philosophus in cursu Trinitario tom. 1. disp. 2. q. 1. num. 1203. Sed sic est, quòd Syllogismi, vel argumenta P. Fr. Emanuelis non sint evidentia: ergo nec demonstrationes. Minor est certa; quia id, quod est evidens non admittit solutionem, nec responsionem, ut constat ex supradictis: ergo non sunt evidentia, nec demonstrationes: ergo, si necessarium est ad dicendam, & ostendendam falsam aliquam doctrinam uti demonstratione, & evidentia, & clarè sequitur, nec debere condemnari tanquam falsam, sed ad minimum in sua probabilitate relinqui.

270. Ego eam pro tali teneo, & noviter dico, quòd, quotiescumque Pœnitens habens consuetudinē peccandi accedit ad confessionem cum actu intenso, & extraordinario doloris, illum malum habitum per extraordinarii doloris intensionem interrumpat; sicut affirmat de occasione proxima R. P. Matthæus de Moya in suis select. tom. 1. tract. 3. disp. 7. q. 5. n. 8. his verbis * *Imò addo posse in prædicto casu Pœnitentem absolvi ratione propositi non peccandi de cætero, licèt non proponat ejicere, quam ut concubinam*

binam habuerat. Pro hoc asserto, me Judice, militat Card. de Lugo disp. 14. sect. 10. num. 151. Ubi ex communi Doctorum asserit, extraordinarium dolorem, & propositũ non peccãdi cum fœmina domi retenta, facere, quòd hæc retentio non censeatur in posterũ occasio proxima peccãdi.

271. Pro fine hujus controversiæ advertendum est ad rectam meæ opinionis intelligentiam, qua dico, unum actum intensum doloris extraordinarii interrumpere, & destruere malæ consuetudinis habitum, hoc debere intelligi, quando intensio doloris est proportionata consuetudini, vel intensioni habitûs; quia, si habitus haberet octo gradus intensionis, & dolor solùm quatuor, hic dolor non sufficeret ad destruendum habitum intensum ut octo; & quamvis hoc sit clarum, & quivis ita judicare debeat; attamen cùm libri, & volumina ad manus diversas perveniant, bonum mihi visum fuit, hoc notare. Sic pariter advertendum, quando dixi in mea 7. Concl. num. 245. numerando casus, in quibus Pœnitens motus ab aliquo infausto casu confessioni se submittere potest, vel quando in aliquo se emendavit, & diligentiam adhibuit ad vincendam suam malam consuetudinem, &c. Studiosè addidi hæc verba: in his casibus per dolorem, & propositum extraordinarium interrumpit consuetudinem anteà habitam. Hoc posui, ut dico, cum singulari advertentia, iterùmque de novo adverto; quia facilè contingere potest, quòd Pœnitens ad confessionem accedat ab aliquo infausto casu motus, vel in aliquo infausto casu motus, vel in aliquo emendatus, & tamen non sit affectus extraordinario dolore, vel intensione in eo gradu, in quo ejus mala consuetudo erat; & cùm non sit tanta sui doloris intensio, quanta est consuetudinis, licèt pro tunc cum his circumstantiis Confessarius habeat fundamentum eum absolvendi; attamen habitus, aut consuetudo non destruetur, nisi actus doloris sit tantæ intensionis, quantæ erat ejus habitus; sed tantum destruet de habitu, vel consuetudine, quantum erat de intensione sui doloris, & non plus: omnia hæc necessariò notanda sunt; imò & plura; quia potest quidam Lector parùm benignus dari.

Octava Conclusio.

272. Dico octavò, licèt in omnibus relatis casibus possit Confessarius Pœnitentem absolvere; nihilominus consultum erit, si modica est emendatio, una aut altera vice ei differre, aut negare absolutionem; ad hoc, ut, cùm suavitas olei, & dulcedo Confessarii ad eum sanandum non sufficiat, sanet eum mordacitas vini, & rigoris. Ita docet Suarez, Villalob. Thomas Sanchez, plerique alii citati à Diana part. 1. tract. 7. res. 55. & noviter doctissimus P. Torrecilla supra hanc Propositionem fol. 98. num. 11. Quia licèt Confessarius secundùm Judicis officium debeat pœnitenti benè disposito ab-

absolutionem impertiri, poterit etiam ut Medicus prudens eandem differre, adhoc ut plagam curet ignis activitas, quam curare nequit lenitas.

273. Advertit tamen, & benè, Lugo de pœnit. disp. 14. sect. 10. num. 168. quòd, si Confessarius prævideat, dilationem absolutionis futuram fore magis in damnum, quàm profectum pœnitentis, qui ob hoc perterritus à confessione abhorrescit, si aliàs est benè dispositus, dummodò concurrat aliqua ex supradictis circumstantiis, in quibus verum propositum fundatur, non possit differre, aut negare absolutionem; siquidem tunc non daretur theriaca contra culpæ venenum, sed apponeretur novum venenum ad eum occidendum.

Nona Conclusio.

274 Dico nonò, quamvis Confessarius judicet Pœnitentem ex sua fragilitate lapsurum in suas culpas, & in nullo se emendaturum, poterit eum absolvere concurrente aliqua ex circumstantiis assignatis in conclusionibus 2. 3. 4. 5. & 6. Quæ credendi fundamentum præbent, Pœnitentem pro tunc accedere cum proposito se emendandi. Ita Lugo ubi supr. n. 168. & cum Thoma Sanchez, & Palao Diana p. 6. tract. 6. resol. 30. & tract. 7. res. 94. Ratio est; quia cum judicio, quòd Pœnitens non sit se emendaturus, est compatibile verum emendationis propositum, cùm sint diversi temporis, nam propositum est de præsenti, relapsus verò de futuro: atqui, dum Pœnitens cum proposito se emendandi accedit, potest absolvi: ergo &c.

275. Dices. Hoc videtur esse damnatum à Sua Sanctitate in hac Propositione; quia in ea damnatur, quòd pœnitens possit absolvi, quamvis nulla emendationis spes appareat: etsi emendationis spes nulla appareat.

Respondeo: non damnari, quòd possit absolvi præcisè, quia nulla emendationis spes appareat, sed simul cum opinione, quòd solùm sufficiat, pœnitentem ore proferre se dolere, & se velle emendare, dum oretenus proferat se dolere, & proponere emendationem: atqui nostra conclusio non fundatur solùm in eo, quòd pœnitens ore proferat, sed in aliis motivis, quæ pro tunc ejus propositum pro vero manifestant, licèt posteà in praxim non dirigat: ergo &c. Hanc doctrinam citat, & tenet pro probabili P. Emanuel supr. num. 196. fol. 85.

276. Ex quo infertur, quòd etiam, quando idem pœnitens de sua fragilitate timet, & sibi persuadet, quòd non sit se emendaturus, possit absolvi, si concurrat aliquod motivum ex suprà relatis indicans ejus adventum pro tunc esse cum vero proposito. Ratio est; quia cum vero dolore, & proposito est compatibilis imaginatio, quòd impòsterum non sit se emendaturus; ut cum Lopez, Henriquez, & aliis dicit Layman. lib. 5. tract. 6. cap.

4. num. 8. quia dolor & propositum sunt actus voluntatis, judicium verò, & opinio relapsûs sunt actus intellectûs, ut benè ait Sylvester verb. Confessio 1. q. 21. &c.

Decima Conclusio.

277. Dico decimò, si habitus, seu consuetudo est de peccatis venialibus; v. g. consuetudo maledicendi materialiter, aut jurandi verum sine necessitate, aut mentiendi, aut murmurandi de rebus levibus: Si hæc consuetudo est materia remota totalis Sacramenti, id est, quòd pœnitens non confiteatur aliud peccatum, quàm consuetudinem incidendi in peccata venialia; in hoc casu idem dicendum est, & applicandæ eædem doctrinæ, quæ dictæ sunt respectu consuetudinis peccatorum mortalium; quia tam una, quàm altera per se Confessario tribuunt fundamentum judicãdi, pœnitentem non verè dolere, & proponere emendationem: atqui absque judicio de vero pœnitentis dolore, & proposito non potest eum Confessarius absolvere: ergo &c.

278. Dices. Peccata venialia sunt materia voluntaria confessionis, possuntque in confessione absque peccato omitti: ergo videtur res valde dura, quòd possit negari absolutio pœnitenti confitenti sola peccata venialia consuetudinaria.

Respondeo; verum esse, quòd peccata venialia sint materia voluntaria confessionis; sed cùm sint peccata ex habitu, non negatur absolutio propter peccata venialia, sed propter defectũ doloris de iis: quia, quamvis possint in confessione omitti, nihilominus eo ipso, quòd confiteantur, requiritur dolor eorum, quando cum iisdem non adest alia materia remota necessaria, vel voluntaria: atqui, cùm sint ex consuetudine, Confessarius judicium formare non potest, eum de illis dolere (exceptis casibus in præcedenti conclusione positis) ergo, cùm sint peccata venialia consuetudinaria, & nulla alia materia necessaria, vel voluntaria concurrat, neganda est absolutio, non propter peccata, sed propter illorum habitum, cùm exinde appareat defectus veri doloris; sicut, si aliquis unũ, aut plura peccata venalia confiteretur, licèt nõ essent ex habitu, sed nullatenus de illis doleret, non posset dignè absolutionem recipere; quia deficeret materia proxima: ergo hoc idem dicendum est in nostro casu.

279. Verùm si pœnitens præter habitum peccatorum venialium confiteatur aliud peccatum veniale, aut mortale vitæ præteritæ, aut præsentis, cujus consuetudinem non habeat, potest absolvi. Ratio est; tum quia, sicut potest condonari unum peccatum veniale absque aliorum condonatione, sic potest haberi dolor de uno absque dolore de aliis; tum quia, sicut peccata venialia sunt materia voluntaria confessionis, sic etiam sunt doloris. Et tandem; quia ad valorem,

rem, & fructum Sacramenti non requiritur dolor, & propositum evitandi omnia peccata venialia. Ita Diana p. 1. tract. 4. resol. 117. & cum Henriquez, & Dicastillo idem Diana part. 11. tract. 5. resol. 22. salvo tamen dolore, & proposito circa aliud peccatum veniale, aut mortale: ergo &c.

280. Concludo hanc materiam admonendo Confessarios, ut, quando deprehendent pœnitentes longo tempore consuetudinarios, studeant toto cordis Spiritu, & Zelo admonere eos de illorum malo statu, objiciendo eis turpitudinem culpæ, demonstrando crudelem ipsorum in Filii Dei vitam machinationem, repræsentando pergrandem hujus boni Dei amorem, & esse contra omnem rationem, tot beneficia, quæ abundanti manu suis creaturis quotidie largitur, ingratitudine solvere, aliisque rationibus in Dial. tract. 9. cap. 1. positis. Etenim indubium est, si Pœnitentes sunt adeò in vitiis habituati, id multorum Confessariorum negligentiæ imputandum esse, qui non perpendunt, se de anima coram eorum pedibus procumbente strictissimam rationem ad Dei Tribunal reddituros &c. Hoc idem recommendo in occasionibus proximis, de quibus sequentes Propositiones agunt.

PROPOSITIO LXI.
Damnata.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

PROPOSITIO LXII.
Damnata.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

281. Suppono, occasionem peccandi aliam esse proximam, aliam remotam. Remota dicitur illa, ex qua certò moraliter non sequitur peccatum: v. g. vivere in hoc mundo præcisè, dicitur occasio remota peccandi, cùm in eo sint tot pericula allicientia ad peccatum. Hanc occasionem remotam nullus tenetur fugere, nec de hac Propositiones damnatæ loquuntur, sed solùm de occasione proxima, quæ ea dicitur, ex qua attentis circumstantiis personæ, temporis, loci, vel experientiæ propriæ, vel aliarum personarum similium conditionum certò moraliter sequitur peccatum. Circumstantia personæ est, quando talis persona est multùm inclinata vel ex propria natura, vel ex malo habitu ad peccatum: v. g. ad avaritiam, luxuriam &c. Circumstantia loci est, quando quis in propria domo habet aliquam amasiam, aut quantumvis eam à foris teneat, habet tamen semper libertatem ad placitum cum ea conversandi, vel quando ex ejusdem detentione in domo, aut frequenti visitatione extra domum sequitur murmur in populo opinante

cum

eum malè vivere, licèt aliàs in re non ita sit.

282. Ob circumstantiam experientiæ erit occasio proxima illa, in qua homo sæpiùs peccare solet, vel quamvis non habuerit hanc experientiam, cùm nunquam in similibus fuerit periculis, nihilominus scit, quòd alii suæ naturæ, aut conditionis homines in tales occasiones incidant.

Ob circumstantiam temporis erit occasio proxima, quando homo intra modicum tempus sæpiùs cadit: v. g. si quis intra mensem viginti vicibus tentatus, omnibus his viginti vicibus tentationi succumbit, vel paulò minùs; verùm, si intra annum solùm viginti vicibus peccabit, tunc circumstantia temporis non erit occasio proxima; si per integrum annum in dicta occasione maneat.

283. Suppono secundò, occasionem proximam posse reperiri in omni genere peccatorum, & non solùm in peccatis operis, verùm & verborum, & cogitationum: v. g. si ex consortio alicujus personæ semper, vel sæpiùs sequeretur furtum, murmuratio, omissio Sacri, juramentum &c. In hoc casu consortium talis personæ esset occasio proxima. Si ex visitatione alicujus fœminæ, ut plurimùm, oriretur pravum desiderium erga illam, visitationes essent occasio proxima. Si ex lusu ut plurimùm, prorumperetur in juramenta, blasphemias, aut maledictiones, lusus esset occasio proxima juramentorum, blasphemiarum, aut maledictionum.

284. Suppono tertiò, occasionem distingui ab habitu; quia hic procedit ab intrinseco, & homo intrinsecè est eo affectus: v. g. habitus jurandi, blasphemandi, polluendi &c. Occasio verò procedit ab extrinseco: v. g. à consortio talis personæ, ab exercitio talis officii, & frequentatione talis domûs.

285. Suppono quartò, occasionem proximam unam esse voluntariam, aliam involuntariam. Involuntaria est illa, quam homo absque suo notabili detrimento evitare non potest: v. g. Filius familias habens amicitiam cum famula domûs quæ discedere non potest, nec fugere absque notabili damno: Occasio voluntaria est illa, quam homo absque notabili nocumento evitare potest: v. g. Dominus, qui vivit in concubinatu cum sua famula, quam domo ejicere potest absque suo notabili damno, aut famulæ. His prænotatis.

Prima Conclusio.

286. Dico primò, non solùm, qui ex proposito, & directè occasionem peccandi quærit, sed etiam, qui occasionem voluntariam omittere non vult, non potest absolvi; & contrarium est damnatum in Propositione 61. Et ratio est; quia talis non confitetur cum vero dolore, & proposito, cùm non velit media necessaria, & ad emendationem possibilia adhibere.

Secunda Conclusio.

287. Dico secundò, quamvis non sit damnata opinio Medinæ, Cordubæ, Tabienæ, Suarez, & aliorum, quos citat, & sequitur Joannes Sanchez in select. disp. 10. num. 14. qui dicunt, quòd possit ter, vel quater absolvi, qui vivendo in occasione proxima promittit Confessario eam evitare, & tamen non facit; quia Propositio damnata loquitur de eo, qui non vult occasionem fugere, aut de eo, qui ex proposito occasionem quærit; hæc verò loquitur de eo, qui proponit occasionem evitare, licèt aliàs non evitet.

288. Verùm prudens Confessarius rarò absolvere debet, usque dum Pœnitens occasionem voluntariam non absciderit. Ita Rodriquez, Navarrus, & Margarit. Conf. apud Moyam tom. 1. tract. 3. disp. 7. q. 5. n. 5. Sylvester, Chapeabilla, & Fernandez, quos citat, sequitur Diana part. 5. tract. 14. resol. 107. novissimè Filgueira super hanc Proposit. fol. 259. §. Nihilominus, & P. Torrecilla fol. 96. num. 89. & noviter P. Emanuel de Concept. me citando approbat suprà disp. 2. q. 14. num. 211. Ratio est; quia propositum verum debet esse efficax, ut dicit Layman lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 7. atqui propositum, aut desiderium efficax adhibet media ad finem necessaria: ergo, cùm fuga occasionis proximæ sit medium ad emendationem necessarium, qui eam non fugit, cùm possit, non habet propositum efficax se emendandi; Subsumo: sed non potest absolvi, qui non habet propositum efficax se emendandi: ergo &c.

289. Deinde, quia, qui vivunt in occasione proxima voluntaria, ut plurimùm sunt personæ vitæ relaxatæ, quæque multo tempore confessionem differunt; adeóque, si semel absque præcedenti occasionis derelictione absolvantur, differendo per longum tempus secundam, & tertiam confessionem in multa peccata labuntur: ergo erit necessarium ad ea evitanda, ut Confessarius ante absolutionem eos obliget ad reliquendam occasionem, & hac relictâ pro absolutione redeant.

Tertia Conclusio.

290. Dico tertiò, Sua Sanctitas in hac damnatione non loquitur de occasione proxima involuntaria. Ita Torrecilla fol. 63. Concl. 3. num. 63. Probatur; quia Propositio damnata loquitur de occasione proxima voluntaria, nempe de ea, quam homo potest absque suo notabili detrimento evitare: atqui occasionem involuntariam nequit homo absque suo notabili detrimento evitare, ut dictum est suprà num. 285. Ergo præsens condemnatio de ea non loquitur. Sic sentit cum Torrecilla, & mecum P. Emanuel suprà fol. 102. num. 238.

291. Ex quo infero, quòd Medicus, aut Chirurgus, quibus cura fœminarum infirmarum est occasio proxima,

non

non teneantur ab executione eorum officii abstinere, & attentâ solùm damnatione harum Propositionum 61. & 62. possunt absolvi. Ratio est; quia hæc occasio est involuntaria: ergo &c.

292. Dixi attentâ solùm damnatione Propositionum 61. & 62. Quia si hæ culpæ ortæ ab occasione involuntaria jam essent consuetudinariæ, tunc neganda esset eis absolutio, non propter occasionem, sed propter habitum; præter illos casus, de quibus in explicatione Propositionis antecedentis diximus, quòd possit absolvi habens consuetudinem peccandi. Vide ibi. Et generaliter loquendo, debet Confessarius cum omnibus in occasione involuntaria viventibus se gerere in ordine ad absolutionem eo modo, quo se gerere debet cum habentibus habitum peccandi, ut dicit P. Torrecilla fol. 63. n. 106.

Quarta Conclusio.

293. Dico quartò, Ad hoc, ut occasio dicatur involuntaria, non sufficit tantùm, ut detur causa utilis, aut honesta eam non fugiendi. Et contrarium est damnatum in Proposit. 62. Causa utilis, & honesta erit, tenere in domo amasiam; quia cum solicitudine, & affectu inservit, vel eam visitare extra domum ob convenientiam, & mundi observantiam.

Ad hoc, ut occasio dicatur involuntaria, debet esse causa urgens, & talis, ut sine gravi inconvenienti v. g. perdendi vitam, honorem aut quantitatem bonorum temporalium nequit evitari. Sic cum D. Basilio, D. Thoma, Soto, Navarro, & multis aliis P. Torrecilla fol. 93. Concl. 4. num. 64. & 65. & me citato P. Emanuel de Pœnit. disp. 2. q. 19. num. 246.

294. Ex relata doctrina infertur; quòd moribundus habens in propria domo concubinam, ut in infirmitate ei assistat, non possit absolvi, nisi eam domo ejiciat, propter scandalum tam activum, quàm passivum eam retinendo. Ita Lumbier super Propositionem 41. damnatam ab Alexandro VII. fol. 446. num. 828. Ratio est; quia non habet causam necessariam detinendi concubinam in domo, cùm aliæ ad talia servitia facienda facilè inveniantur. Hoc idem dici debet de concubinario visitante suam amasiam infirmam cum nota, & admiratione populi, licèt extra suam domum moretur. Ratio est; quia visitare est solùm causa utilis, aut honesta, non verò necessaria.

295. Infertur secundò, quòd minùs debeat absolvi nolens expellere amasiam, aut perseverans in ejusdem visitatione, solùm ex eo, quòd videatur, ipse aut fœmina infamiam pati. Ratio est: quia hæc causa est solùm utilis non reddens occasionem involuntariam, estque tantùm fictio quædam ad fovendam passionem per infamiæ imaginationem; quia nihil frequentius accidit,

cidit, imò ordinariò contingit, Dominum cum famula altercari, & exinde eandem domo ejici, & tamen tunc cessat respectus infamiæ, & humanæ garrulitatis: ergo, quando agitur de salute animæ, ridiculum erit, simili respectu duci, & vitium velamine fictæ necessitatis cooperire. Sic novissimè tradit, me citato, P. Emanuel suprà q. 12. num. 185.

296. Infertur tertiò, quòd, si Confessario non Parocho exauditio confessionum sit peccandi occasio, debet hoc officium relinquere. Ita Joannes Sanchez in select. disp. 10. n. 18. Quia talis Confessarius non habet urgentem causam exaudiendi confessiones, sed ad summũ utilem, & honestam: ergo ejus occasio erit voluntaria. Quo ad Parochum verò est disparitas; quia, cùm ex officio suis Parochianis Pœnitentiæ Sacramentum administrare debeat, in eo occasio peccandi per confessiones oblata non erit ampliùs voluntaria, & per consequens poterit absolvi, licèt officium non relinquat, nec ab exaudiendis Confessionibus desistat.

Juxta hunc modum possunt alii multi similes casus exemplificari. Ita Emanuel citando me, ibid. q. 14. n. 216.

Quinta Conclusio.

297. Dico quintò, si vivens in occasione proxima voluntaria veniat cum dolore extraordinario causato ab admonitionibus Confessarii, aut ab aliqua concione, aut viso aliquo infortunio, poterit absolvi cum proposito evitand occasionem, licèt aliàs in aliis occasionibus non observaverit hoc propositum, ut suprà dictum est de habitu peccandi num. 242. Ita cum Layman, Lugo, Tamburino, & aliis P. Matthæus Moya tom. 1. tr. 3. disp. 7. n. 8. Ratio est; quia, quamvis Pœnitens in aliis occasionibus suum propositum fuerit transgressus, illud tamen non fuit ita efficax, quale est hoc de præsenti: ergo Confessarius poterit judicare eum habere verum propositum, & paratum esse ad observandum, consequenter absolvi potest.

Sexta Conclusio.

298. Dico sextò, quando res jam sunt taliter mutatæ, ut non sit ampliùs occasio id, quod anteà talis erat, poterit Pœnitens absolvi, v. g. si amasia jam sit facta deformis: aut senicula, aut idem Pœnitens multis orationibus, & mortificationibus incumbat. Ita cum Sanchez, Leandro, & aliis Torrecilla fol. 97. num. 102. Hoc idem dicendum, quando commune domicilium cum amasia, aut frequens solius Pœnitentis ad eam accessus erat ipsi occasio peccandi: nempe, si postmodùm alios secum in societatem ducat, jam occasio proxima cessavit, adeóque absolvi poterit; nisi fortè peccata hujus Pœnitẽtis essent meri consensus in cogitationes, tunc enim, sicut ab his eum non potest societas præservare, sic nec occasio proxima ob societatẽ cessaret.

Ad-

Advertentia.

299. Admoneo PP. Confessarios, ut cum aliquo rigore in ordine ad absolutionem procedant cum viventibus in occasione voluntaria, quia indubitatum est, quòd plurimæ animæ in diaboli retibus obstrictæ maneant ex eo, quòd Confessarius eas non obliget ad amasiæ fugam; quo Dœmon homines ad innumerabilia allicit peccata. Viventibus verò in occasione proxima involuntaria media salutifera ad emendationem conducentia suggerant, quæ videri possunt suprà in fine Dialogi tract. 9. cap. 2.

PROPOSITIO LXIII.
Damnata.

Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

300. Aliud est quærere occasionem peccandi directè, & aliud indirectè. Quærere directè est, quando primò, & per se occasio quæritur, & secundariò, aut quasi per accidens quæritur bonum spirituale, vel temporale: v. g. qui haberet amicitiam illicitam cum quadam fœmina, ad satiandum suum venereum appetitum, & præter hunc ad succurrendum ipsi cum alimentis necessariis; talis diceretur occasionem quærere directè, indirectè verò sustentationem fœminæ. Quærere occasionem indirectè tunc dicitur, quando primò intenditur aliquod bonum spirituale, vel temporale, secundariò verò occasio: v. g. Paterfamilias assumens quamdam famulam pro servitio domûs cum periculo vivendi cum ea luxuriosè, hic directè quærit servitium famulæ, indirectè verò occasionem peccandi. R. P. Fr. Emanuel loc. cit. q. 20. num. 281. Non consentit huic explicationi modo, qui est inter directè, & indirectè quærere occasionem. Et num. 261. & 263. assignat alium modum, qui minùs mihi placet, ut dicam in 2. part. hujus praxis super Propositionem 41. damnatam ab Alexandro VII. Hoc supposito,

301. Dico, quærere occasionem proximam directè, damnatur in hac Propositione, non autem quærere eam indirectè, constat ex ipso Propositionis textu: & probatur, quia quærere occasionem directè, est quærere formaliter peccatum; quærere autem eam indirectè est solùm ejusdem permissio, quando eam evitandi non est obligatio: atqui nunquam est licitum quærere formaliter peccatum, benè verò illud permittere, quando illud evitandi non est obligatio: ergo &c.

302. Dico secundò, quamvis quærere indirectè occasionem peccandi non sit damnatum in hac Prop. 63. erit tamen peccatum mortale quærere eam indirectè, quando nulla urget necessitas, sed solùm utilitas, aut honestas. Et dicere contrarium est contradicere damnationi Prop. 61. & 62.

62. in quibus damnatur assertum, quòd constitutus in occasione proxima peccandi, quam potest, & deserere tenuit, possit absolvi, & quòd ad eam non deserendam aliqua causa utilis, aut honesta sufficiat: ergo non interveniente causa urgente multò minùs licitum erit quærere indirectè occasionem peccandi.

Ex hoc infertur, non esse licitum pergere inter infideles pro officio prædicationis exercendo cum suæ eversionis periculo, nec inter meretrices cum periculo violandi castitatem, quando hoc munus concionandi non competit ex obligatione. Probatur; quia talis solùm habet causam utilem, aut honestam ad hoc exercitium subeundum, non autem urgentem, ut diximus in explicatione Propositionis præcedentis concl. 4. num. 296. de eo, qui solùm ex devotione cum periculo incontinentiæ confessiones exaudit.

303. Infertur secundò, quòd Parochus possit adire infirmos ad Sacramenta iis administranda, aut instruendos in doctrina Fidei, licèt in eorum domibus obviaret ipsi aliqua occasio & periculum peccandi; quia hic primò quærit solùm indirectè illam occasionem, secundò talis occasio est ipsi involuntaria ratione suæ obligationis, & officii.

304. Infertur tertiò, quòd Mercatores, Notarii, aut alii Officiales non obligentur ad relinquendum suum officium quando necessitatem habent illud exercendi pro eorum, & propriæ familiæ sustentatione, licèt talia officia ipsis sint occasio peccandi. Ita cum Suarez Hurtado, Sanchez, & aliis Torrecilla fol. 49. num. 80. Quia similes directè intendunt exercere eorum officium, indirectè verò occasionem, quæ illis est involuntaria ratione officii. Si verò cum hac occasione involuntaria etiam haberent habitum peccandi, tunc debet observari, quod dictum est in Prop. 60. videantur etiam aliæ doctrinæ circa occasionem proximam in 2. part. hujus praxis Prop. 41. damnata.

PROPOSITIO LXIV.
Damnata.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri JESU Christi.

PROPOSITIO LXV.
Damnata.

Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

305. Suppono, quòd necessitate medii teneamur expressè credere Deum unum esse, & Remuneratorem esse. Et in opinione probabiliori (quamvis contraria non sit damnata) etiam Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis, ita ut, qui ignorat id, quod est necessarium necessitate medii

dii (licèt inculpabiliter ignoret) non possit salvus fieri. Necessitate præcepti tenemur credere fide explicita omnia in Symbolo Apostolorum contenta; & qui hæc inculpabiliter ignorat, potest salvari: hoc supposito,

306. Dico, qui culpabiliter ignorat Mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis, & alia in Symbolo Apostolorum contenta, est incapax absolutionis, & contrarium est damnatum. Probatur conclusio; quia ignorare culpabiliter id, quod necessitate medii credendum est, ut sunt Mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis, est peccatum mortale: atqui Pœnitens in peccato mortali perseverans, dum confitetur, est incapax absolutionis: ergo &c.

307. Ex quo infertur, quòd si Confessarius Pœnitentem Mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis in confessione instruere potest, poterit eum absolvere cum firmo proposito apprehendendi cetera. Verùm, si Pœnitens, cui Confessarius in aliis confessionibus cætera fidei Mysteria addiscenda imposuit, id neglexit, dimittendus est absque absolutione, usque dum ea addiscat, sicut dimittitur ille, qui consuetudinem peccandi habet, aut culpabiliter restitutionem omittit. Ita Torrecilla supra hanc Prop. fol. 459. concl. 3. num. 6.

Et ratio, cur ad absolutionem necessarium sit, ut expressè sciat Mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, & sufficiat, ut cetera addiscenda sibi proponat, est; quia prima duo sunt necessaria necessitate medii, alia verò non. Quòd autem requiratur, ut cetera addiscendi propositum habeat, probatur; quia eorum ignorantia culpabilis est peccatum mortale: atqui pœnitens omnia peccata mortalia evitandi propositum habere debet: ergo &c.

308. Dico secundò, Prop. 65. duos sensus habere potest; unus sensus est; quòd sufficiat se scivisse semel in vita Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis; licèt posteà eorum fuerit culpabiliter oblitus; alius est, quòd tantùm semel in vita expressum fidei actum elicuisse sufficiat, licèt posteà non ampliùs eliciatur, & in utroque hoc sensu est damnata; ut cum Hozes, & Lumbier dicit Torrecilla fol. 461. num. 2.

309. Dico tertiò, quamvis ignorans Mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis sit incapax absolutionis, ut dictum est; nihilominus non est necessarium, ut, quandocumque Pœnitentiæ Sacramentum frequentat, expressum actum Fidei eliciat, sed sufficiat horum Mysteriorum fides virtualis, ut cum Trullench, & aliis dicit P. Torrecilla ubi supr. num. 5. quia aliud est ignorare illa Mysteria, & aliud est ea credere actualiter, & expressum actum Fidei elicere; eorum ignorantiam (declarat sua Sanctitas) obstare absolutioni, non tamen dicit,

esse necessarium, ut actus expressus eliciatur.

310. Dico tandem, quantumvis semper ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum fides explicita requiratur, unum Deum esse, & Remuneratorem esse: attamen hic actus Fidei includitur in contritione, aut attritione: & sic sufficit elicere actum attritionis, vel contritionis absque directa elicitione actus Fidei de uno Deo remuneratore, ut dicit Ripalda de ente supernat. tom. ult. num. 461. & me citato sequitur P. Emanuel in suo tract. de Pœnit. disp. 2. q. 24. num. 300. Circa hoc punctum, & quando actus fidei per se obliget, videatur id, quod dico in explicatione Prop. 16. & 17.

TRACTATUS XI.

APPENDIX.

In qua compendiosè tractatur de casibus aliquibus Episcopis reservatis per leges particulares.

§. I.

Præmittuntur aliquæ advertentiæ generales spectantes ad casuum reservationem.

1. ADvertentia 1. Reservatio casuum nihil est aliud, quàm subtractio jurisdictionis Confessarii ab eis absolvendi. Ex his casibus aliqui sunt reservati cum censura, & tales sunt omnes casus Summo Pontifici reservati; alii verò sunt reservati sine censura, qui per leges particulares sunt Episcopis reservati.

2. Advertentia 2. Casus Episcopis reservati aliqui sunt reservati per jus commune, & alii per jus particulare. Per jus commune sunt Episcopis reservati omnes casus Papæ reservati, quando sunt occulti; ut dicit Sacrum Concil. Trid. *Sess. 24. cap. 6, Liceat Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua in foro conscientiæ gratis absolvere.* An autem vi hujus facultatis possint modò Episcopi absolvere à casibus occultis Bullæ Cœnæ, & ab Hæresi, dictum est in Dial. tract. 1. cap. 1. Et utrùm vi Bullæ Cruciatæ absolvi possint, toties, quoties, videatur in eodem loco Dialogi ubi etiam decisum fuit, utrùm à Regularibus vi suorum Privilegiorum absolvi possint.

Alii casus sunt per legem particularem Episcopis reservati: & hi sunt illi, qui in Synodo cujuscumque Episcopatus reservantur, à quibus per Privilegium Bullæ possunt Pœnitentes absolvi, toties, quoties; attamen, qui Bullam non habent, non possunt à dictis casibus absolvi absque speciali Episcopi commissione.

3. Advertentia 3. Episcopi possunt sibi reservare casus in synodo, & extra synodum. Reservatorum in synodo durat reservatio, licèt moriatur, aut

cedat suo officio Episcopus, quia hi reservantur per modum statuti, vel constitutionis: Reservatorum verò Episcopo extra synodũ, in vel extra visitationem, cum, vel sine censuris cessat reservatio mortuo Episcopo, aut ejus Sede vacante; quia isti reservantur non per modum statuti, sed per modum præcepti particularis. Ita Fagundez, Sanchez, & alii, Diana p. 6. tr. 6. res. 41. quamvis ejus reservatio sit postmodum permansura, si succedens Episcopus reservationem sui prædecessoris confirmet.

4. Advertentia 4. In articulo mortis quivis Sacerdos simplex potest absolvere ab omnibus censuris, & casibus tam Papæ, quàm Episcopo reservatis, etiam ab Hæresi, licèt infirmus nullam habeat Bullam: cum hoc tamen discrimine, quòd, si peccatum fuit reservatum cum censura, & pœnitens ab infirmitate liberetur, teneatur se præsentare Superiori, cui est reservata censura, nisi vi Bullæ fuisset absolutus, tunc enim se præsentare non tenetur. Qui verò in articulo mortis fuit absolutus à casibus reservatis absque censura, ad se præsentandum Superiori non obligatur: Suarez, & alii citati à Diana p. 4. tr. 4. resol. 199.

5. Advertentia 5. Qui incurrit aliquem casum reservatum, advenit autem causa impediens recursum ad Ordinarium, si instat præceptum communionis, aut necessitas communicandi, vel celebrandi, ad evitandum scandalum potest indirectè absolvi à casibus reservatis à quocumque Confessario ab Ordinario approbato. Ita Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 10. n. 304. fol. mihi 202. ablato verò impedimento obligatur pœnitens ad præsentationem. Ita Avila de Censuris 2. part. cap. 7. disp. 3. dub. 4.

6. Advertentia 6. Pro priori Regulares absolvere poterant ab omnibus casibus per jus particulare Episcopis reservatis vi Bullæ Pauli III. quæ incipit inter cunctos. Concessæ PP. Societatis Jesu: quam testatur vidisse authenticam in Collegio Societatis Valentiæ P. Fr. Emanuel Rodriquez ad finem Bullæ Cruciatæ. Et hæc fuit opinio ejusdem Rodriquez, Villalobos, Suarez, & aliorum quos citat, & sequitur R. P. Leander à Murcia Capucinus super lib. 7. Regulæ N. P. S. Francisci, q. 8. select. num. 28. Modò verò hæc opinio practicari nequit; quia est damnata ab Alexandro VII. sub die 14. Septembris, Anno 1665. in Propositione 12.

7. Advertentia 7. Aliqui casus reservantur in odium, & pœnam peccati; alii in medicinam animarum: respectu reservatorum per modum pœnæ, non incurit reservationem, qui ignorat esse reservatos, licèt sit ignorantia culpabilis, dummodò non sit crassa, vel supina. Ita Murcia in disq. Moral. tom. 3 lib. 2. disp. 4. resol. 20. n. 29. Eorum verò, qui reservantur per modum medicinæ, incurrit reservationem

 nem

nem, qui ignorat esse reservatos, licèt ignorantia sit invincibilis, secundùm communem Theologorum opinionem apud Moyam in select. tom. 1. tract. 3. disp. 8. q. 3. num. 2. Licèt etiam secundùm aliquos sit probabile, omnem reservationem esse pœnam, & eum, qui aliquod peccatum reservatum committit, si ignorat ejus reservationem, hanc non incurrere. Ita cum Navarro, Grafis, & Januario, Diana part. 10. tract. 14. resol. 63. Etiam Moya eam ut probabilem tenet, quamvis ipsemet contrariam sequatur ubi supra n. 5.

8. Advertentia 8. In casu dubio, an casus sit reservatus, vel non, censendum est, non esse reservatum; quia reservatio est odiosa, & ad solos casus certos restringi debet. Ita Barbosa de potest. Episc. part. 3. alleg. 51. sub. num. 3. §. Jure igitur, in fine. v. g. abortus est casus reservatus, Petrus dat fœminæ Consilium ad faciendum abortum, dubitat, an per suum consilium fuerit secutus abortus vel non: in casu dubio Petrus reservationem non incurrit.

9. Advertentia 9. Quandocumque peccatum non est mortale ob defectum deliberationis, ignorantiæ, aut ob parvitatem materiæ, non est reservatum; quia peccata venialia nunquam reservantur, neque peccata merè interna actuum intellectus, aut voluntatis.

10. Advertentia 10. Omnes Confessarii ad exaudiendas confessiones expositi debent habere notitiam casuum Episcopis reservatorum; quia potest aliquis Pœnitens cum aliquo casu reservato ante eorum pedes comparere; & si Confessarius eum ignoret, procedet ad absolutionem absque habita jurisdictione. Nec valet dicere, communiter ab omnibus haberi Bullam, & vi hujus posse absolvi; quia falsum est, omnes habere Bullam; ego enim reperi multos eam non habentes; & sufficit, quòd contingere possit, aliquos eam non habere, ut Confessarius eorum ignorantiâ laborare non debeat.

11. Casus Episcopales in cujuscumque Episcopatûs Synodis haberi possunt. Diligentiam adhibui habendi notitiam casuum in Episcopatibus vicinioribus reservatorum, eósque hìc ponere ad auferendum laborem perquirendi Synodos non semper eos ante manus habentes unà cum eorum explicatione bonum duxi.

§. II.

Casus reservati in Episcopatu

Pampelonensi in ultima Synodo ab Illustrissimo Domino Domino Bernardo Roxas Anno 1591. celebrata, quos etiam Synodalis refert lib. 5. cap. 15. fol. 145. & sunt sequentes.

1. *Hæreticus habens aliquam opinionem hæreticalem, aut sentiens malè de fide, quo ad peccatum tantùm.*

Nota 1. Dicitur quo ad peccatum tan-

tantùm; quia Hæresis habet annexam excommunicationem majorem Papæ reservatam in primo Canone Bullæ Cœnæ: & in Hispania est Tribunali Inquisitionis reservata: Hoc, quod hìc sibi reservat Episcopus, est peccatum seclusa censura, prætereà notandum est, quòd, si hæresis non sit externa, non sit reservata, nec per eandem excommunicatio incurritur.

2. *Sortilegus, aut Incantator, aut Necromantes faciens circulos, aut invocans Dæmones; ut compareant animalia, res perditæ, aut propter alia.*

Nota 2. Sortilegus dicitur ille, qui per usus sortium res occultas præteritas, aut futuras divinat, de quo Lex Canonica loquitur in tit. de sortileg. in Decretalib. & in cap. non observatis 26. q. 7. Videatur Azorius in instit. Moral. part. 2. lib. 9. cap. 21. Incantator vocatur ille, qui per artem magicam decipit transmutando res, & sensus, sanando superstitiosis orationibus &c. Ut videri potest in 2. Murcia super 7. cap. Regulæ N. P. S. Francisci cap. 8. num. 3. Necromantes vocatur ille, qui per umbras, aut cadavera casus venturos prosperos, aut adversos divinat. de quo tradit Martinus de Rio in disq. magic. lib. 2. q. 26. sect. 1. & seq. & lib. 4. cap. 1. q. 6. sect. 2. Omnes hi reservationem hujus casus incurrunt.

3. *Abutens chrismate, aut Sacramento Eucharistiæ, aut alia re sacra ad faciendum aliquod malum.*

Nota 3. Abuti SS. Eucharistiæ Sacramento per artes magicas est delictum, quod sapit hæresim; ut clarè dicit Glossa verb. saperent, in cap. accusatus §. Sanè de hæret. lib. 6. Tam iste, quàm alius cujuscumque rei sacræ abusus ad faciendum malum cum arte magica comprehenditur in casu, de quo hìc Synodus loquitur.

4. *Sepeliens in Ecclesia, aut cœmeterio aliquem, quem scit esse excommunicatum, aut interdictum, aut publicum usurarium.*

Nota 4. Sepeliens excommunicatum, aut interdictum declaratur excommunicatus in Clementina 1. de sepult. Nomine sepeliens non intelliguntur illi, qui cadaver portant, nec clerici cantantes, nec alii associantes; ita Caspensis tom. 2. tract. 25. disp. 2. sect. 6. num. 65. sed solùm ille, qui id ad sepulchrum ponit, nec incurrunt censuram, & consequenter nec reservationem imperantes, ut sepeliatur; ut contra Suarez docet Avila cap. 6. disp. 6. Per publicum usurarium intelligitur ille, qui per Judicem competentem declaratur, aut pro tali punitur: vel quando major Populi pars scit, eum esse usurarium. Hoc vocatur notorium facti, illud autem Juris.

5. *Missam celebrans in excommunicatione, quo ad absolutionem à peccato.*

Nota 5. In excommunicatione celebrans præter peccatum incurrit etiam

etiam irregularitatem ex cap. de Clerico excom. ministrante.

6. Missam celebrans, aut persolvens aliud officium Divinum in præsentia pro excommunicato declarati, quo ad peccatum.

Nota 6. Præter peccatum incurrit talis excommunicationem majorem. Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 50. num. 88. Ubi videntur conditiones ad hanc excommunicationem incurrendam necessariæ.

7. Excommunicatus à Judice nolens egredi de Ecclesia, ubi Divina officia celebrantur.

Nota 7. Excommunicatus, qui recusat egredi de Ecclesia, quando Divina officia celebrantur, incurrit præter hujus casûs reservationem etiam excommunicationem, ut videri potest in Synodo hujus Episcopatûs lib. 5. cap. 3. fol. 147.

8. Qui sciens Ecclesiam esse interdictam in eâdem celebrat, quo ad peccatum.

Nota 8. Qui hoc facit, incurrit etiam irregularitatem. Caspensis tom. 2. tract. 25. disp. 4. sect. 3. n. 41. Si verò ignorat interdictum, licèt sit cum ignorantia crassa, non incurrit irregularitatem, nec reservationem; quia ad hoc verbum sciens requiritur certa scientia, ut dicit Caspensis ubi supr. disp. 1. sect. 8. n. 12.

9. Celebrans non jejunus.

Nota 9. Hic casus non loquitur de sæculari, qui non jejunus communicat: licèt gravissimè peccet, si cum advertentia faciat, casum reservatum tamen non incurret.

10. Celebrans in Altari non consecrato, aut sine vestibus benedictis.

Nota 10. Celebrare in Altari non consecrato sine dubio est culpa gravis, & ut talis reservata in Episcopatu Pampelonensi; etiam celebrare sine stola, manipulo, aut cingulo non benedicto absque necessitate, ut dicit Bonacina disp. 4. de Sacram. q. ult. punct. 9. num. 27. Sed in casu gravis necessitatis potest quis celebrare sine aliqua ex prædictis, aut cum non benedictis; ut cum Suarez, Ledesma & aliis dicit Diana part. 2. tract. 15. resol. 57. Henriquez pariter ait lib. 9. de Missa 1. num. 2. quòd sine necessitate absque cingulo celebrare sit solùm peccatum veniale ob parvitatem materiæ. Hoc idem est, si cingulum sit fractum, aut colligatum: Et Villalobos part. 1. Sum. tract. 8. diffic. 28. num. 3. dicit, stolam posse adhiberi pro manipulo, & manipulum pro stola: In his enim casibus, in quibus non est peccatum celebrare absque aliquo dictorum ornamentorum, aut cum non benedictis, vel est solùm peccatum veniale, non erit casus reservatus; quia peccata venialia nunquam reservantur: ut dictum est supra §. 1. Advertentia 9. num. 9.

Videatur id, quod circa materiam Missæ fusè tradam in 2. part. hujus praxis tract. 12. cap. 4. per totum.

11. Baptizans proprium filium, aut filiam

filiam sine necessitate, aut ipsi assistens in Baptismo, vel Confirmatione tanquam Patrinus.

Nota 11. Qui sine necessitate proprium filium baptizat, aut est ejus Patrinus in Baptismo, vel Confirmatione, præter peccatum reservatum privatur etiam potestate petendi debitum à sua consorte.

12. Recipiens Ordines ab Episcopo extraneo absque licentia proprii, quo ad peccatum.

Nota 12. Qui ordinatur ab extraneo sine legitimis dimissoriis manet suspensus ab Ordine suscepto ad arbitrium sui proprii Episcopi, ex Trident. Sess. 23. cap. 8.

13. Recipiens Ordines per saltum omittendo aliquem Ordinem intermedium.

Nota 13. Qui per saltum est ordinatus, manet etiam suspensus ab usu Ordinis suscepti, & inhabilis ad suscipiendum alium Ordinem superiorem, ex cap. Solicitand. disp. 52.

14. Violans libertatem, aut immunitatem Ecclesiasticam.

Nota 14. Qui faciunt Leges, aut Statuta, quæ immunitati Ecclesiasticæ præjudicant, incurrunt excommunicationem majorem Bullæ Cœnæ. At hic casus non loquitur de his, sed de illis, qui absque Lege, aut Statuto libertatem Ecclesiasticam violant: v. g. qui reum ex Ecclesia abripit sine legitima authoritate. Barb. ubi supra alleg. 51. num. 72.

15. Committens simoniam quocumque modo, quo ad absolutionem à peccato; quia dispensatio, aut habilitas ad Papam pertinet.

Nota 15. Qui committunt simoniam in suscipiendo Ordine, aut Beneficio, incurrunt excommunicationem majorem reservatam Papæ per extravagant. Martini, Eugenii, Pauli 2. & receptio simoniaca Beneficii nulla est, quæ pœnæ ipso facto non incurruntur, quando simonia est solùm mentalis, aut conventionalis, sed quando est realis, ut cum Covarruvias, & Navarro docet Rodriquez in Sum. cap. 58. fol. 155. & 156. Hoc idem dicitur de reservatione, quòd solùm in simonia reali incurratur. Quia hic casus loquitur de simonia, propter quam dictæ pœnæ incurruntur, ut constat ex ipso Textu: atqui, ut dictum est, hæ pœnæ solùm incurruntur in simonia reali: ergo propter hanc solummodò incurritur reservatio. Deinde etiam, quia ad incurrendam reservatiõem requiritur peccatum completum juxta tenorem Legis sibi eam reservantis, ut docet Sylvester verb. Casus q. 5. Henriquez in Sum. lib. 6. c. 14. num. 5. Atqui sola simonia realis est completa: ergo solummodo hæc erit reservata.

16. Excommunicatus ab Episcopo, aut suis Ministris.

Nota 16. Hoc intelligitur, quando Episcopus, aut ejus Officiales hanc excommunicationem sibi reservarunt.

 Quia

Quia si non est reservata, quivis Confessarius approbatus potest ab ea absolvere; si tamen excommunicatio sit imposita per sententiam generalem; quia si imponitur per sententiam particularem, solùm ille, qui eam imposuit, ab ea absolvere poterit. Videatur P. Caspensis tom. 2. tract. 25. disp. 2. sect. 12. num. 131. P. Emanuel est opinionis contrariæ num. 895. dicendo, quòd, quamvis Episcopus non sibi reservet excommunicationem, maneat tamen reservata: quod mihi nimis durum videtur, si de excommunicatione per sententiam generalem fulminata intelligitur.

Dices cum P. Emanuele, si Episcopus excommunicationem sibi reservat, jam erit reservata: ergo otiosus erit casus reservatus, in quo ponitur excommunicatio fulminata ab Episcopo, aut suis Officialibus. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam: solutio enim est clara juxta modò dictum; quia Episcopus, aut ejus officiales possunt excommunicationem fulminare per sententiam generalem, aut particularem, si per sẽtentiam generalem fulminetur, & nulla fiat mentio de ejus reservatione, reservata non erit, nec ob hunc reservationis casum, nec ob suam fulminationẽ: Si verò fulminetur per sententiam particularem, manebit reservata (quantumvis in impositione non fuerit expressum) vi reservationis hujus casus, ex quo clarè patet, hunc casum reservatum non esse otiosum.

17. *Falsificans aliquod instrumentum vel testimonia.*

Nota 17. Hunc casum reservatum non incurrunt, qui præbent consilii, aut imperant, ut instrumenta, aut testimonia falsificentur; neque hic casus loquitur de illis, qui faciunt sigilla falsa, sed de illis, qui eis utuntur, & falsas scripturas obsignant: nec incurrunt hunc casum, qui falsificant Secretariorum scripturas, sed tantùm, qui falsificant eorum sigillum. Ita Palaus tom. 2. tract. 24. disp. unic. punct. 14. num. 20. Quia scriptura sine sigillo non facit fidem, nec est fide digna.

18. Vulnerans Patrem, Matrem, aut Avum, vel ponens manus violentas in eos.

Nota 18. Ad incurrendum hunc casum reservatum requiritur, ut percussio sit peccatum mortale. Ut autem censeatur, percussionem esse peccatum mortale, non solùm ad gravitatem actionis, sed etiam ad circumstantiam reverentiæ Genitoribus debitæ attendi debet: Illa enim actio, quæ respectu alicujus extranei esset levis, gravis erit respectu Genitorum. Attamen non sufficit ad hunc casum reservatum incurrendum, ut filius solùm elevet manus ad infligendum ictum suis Parentibus; licèt aliàs hæc actio sit peccatum mortale. Ita Gambarupta de casibus reservat. fol. 211. num. 2. Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 51. num. 133. Neque incurrit hunc

hunc casum reservatum qui Genitores suos verbis malè tractat; licèt tunc peccet mortaliter ; quia percussio est reservata, malè loqui autem non est percutere.

19. Homicidium voluntarium, consilium, & auxilium ad illud, quo ad peccatum.

Nota 19. Si homicidium in effectu sequitur, manet irregularis, tam occidens, quàm ad occisionem cooperans. Sed morte non secutâ non incurritur irregularitas, nec reservatio. Et si dans consilium ad mortem illud revocavit, dissuasítque occisori, antequam mors sequeretur, non incurrit hunc casum reservatum, nec irregularitatem. Caspensis tom. 2. tract. 15. de Censuris disp. 1. sect. 3. n. 60.

20. Qui occidit aliquam prolem, aut suffocavit eam opprimendo, aut alio modo ex negligentia, eam non custodiendo, aut non quærendo.

Nota 20. Ad incurrendum hunc casum reservatum est necessarium, ut ex culpa, aut negligentia, quæ sit peccatum mortale, mors creaturæ sequatur; quia ubi non est culpa gravis, ibi non est reservatio. Et si cum inadvertentia invincibili non prævisa nec culpabili mors sequeretur, non incurritur reservatio hujus casus. Sic docet me citato P. Emanuel suprà n. 896.

21. Procuratio, aut cooperatio ad abortum, vel ad sterilitatem in se, vel in alia persona.

Nota 21. Procurantes abortum per consilium, auxilium, potum, aut alio modo, incurrunt excommunicationem latam à Xisto V. in Bulla, quæ incipit, Et frænatam, quæ moderata fuit in aliquo à Gregorio 14. Videatur in Dialogo tract. 5. cap. 5. num. 34.; à qua excommunicatione absolvi potest vi Bullæ Cruciatæ. Dictam excommunicationem non incurrunt procurantes, aut dantes consilium, vel auxilium ad reddendam sterilem fœminam, quamvis reservationem hujus casus incurrant procurantes tam sterilitatem, quàm abortum. Ad incurrendam reservationem non requiritur, ut abortus sit in effectu secutus, sufficit enim, quòd fœmina in hunc finem suam adhibuerit diligentiam, qua adhibita tam ipsa, quàm illi, quorum consilio eam diligentiam adhibuit, dictam reservationem incurrunt; ut dictum est in Dialogo loco cit. num. 35. & advertit P. Murcia in 7. regul. cap. 13. num. 4.

22. Qui quærit occidere suam uxorem animo ducendi aliam: aut suum Maritum, animo nubendi alteri.

Nota 22. Qui occidit propriam consortem animo, & verbo sibi desponsandi aliam, incurrit impedimentum Criminis, de quo dictum est in Dialogo tract. 6. cap. 8. part. 5. num. 86. verùm ad incurrendum hunc casum reservatum non est necessarium, ut mors in re sequatur; sufficit enim, quòd adhibeantur ad illam media,

per quæ completur effectus ſolicitationis ad mortem, de quo reſervatio loquitur.

23. Inceſtus cum conſanguinea, aut affine intra quartum gradum.

Nota 23. Ad incurrendam reſervationem hujus caſus non ſufficit ſolùm ſolicitare conſanguineam, aut habere cum ea tactus, oſcula, nec copula inchoata, ſed requiritur copula conſummata.

24. Copula cum Moniali, aut Religioſa, & cum Religioſo, aut Monacho.

Nota 24. Ad hoc ut peccatum ſit reſervatum, requiritur pariter, ut copula cum Moniali ſit conſummata. Et quivis ſæcularis habens copulam cum Moniali incurrit reſervationem. Attamen, ut eandem incurrat Monialis, neceſſarium eſt, ut ejus Monaſterium ſit Epiſcopo ſubjectum; ſi enim eſſet ſubjectum alicui Ordini Regularium, non incurrit hunc caſum reſervatum; quia Epiſcopus non poteſt ſibi reſervare caſus reſpectu eorum, qui non ſunt ejus ſubditi: Sed poſſunt Prælati Ordinum ſibi reſervare hunc caſum, ut communiter reſervari ſolet.

25. Peccatum contra naturam, maximè cum beſtiis.

Nota 25. Nomine peccati contra naturam intelligitur ſodomia, pollutio, & beſtialitas. Quidquid quo ad pollutionem aliter ſentiat P. Emanuel diſp. 6. q. 11. num. 884. Et ad incurrendam hanc reſervationem non ſufficit tantùm tentare pollutionem, ſodomiam, & beſtialitatem, ſi in effectu non ſequitur ſeminis effuſio: ſic ſentit mecum P. Emanuel ibid. Notandum eſt, non eſſe reſervatam pollutionem, licèt voluntariam, quando procedit ſolùm à cogitatione, aut voluntate laſcivâ; ſed requiritur, ut à cauſis extrinſecis, aut tactibus in ſe ipso, aut cum tertia perſona proveniat. Ita Leander de Murcia in explicat. Regulæ Seraphicæ ſupra cap. 7. cap. 16. n. 1. Emanuel de Concept. citando me ibid. num. 885.

Quamvis dictus P. Fr. Emanuel n. 884. probabilius eſſe cenſeat, quòd in hoc caſu non intelligatur reſervata pollutio voluntaria externè procurata, in quo meæ opinioni favet approbando eam probabilem, quando ſuam contrariam appellat tantùm probabiliorem. Sed ſalva pace, & bonâ tanti viri veniâ fateor, ejus opinionem notabilem generare difficultatem, quam enucleabo in ſequentibus propoſitionibus, in quibus refutabo fundamenta ſuæ opinionis cui aſſentiri non poſſum.

Probat num. 880. Suum aſſertum ex Decreto Clementis 8. edito anno 1602. 26. Novembris, quod refert Barboſa part. 3. de poteſt. Epiſcopal. alleg. 50. num. 288. in quo Decreto deciditur, ne Epiſcopi tam facilè ad reſervationem caſuum procedant, & ut ſolùm ſibi reſervent atrociores, & graviores, prout judicaverint bono com-

communi convenire, taliter, ut reservatio non sit in destructionem, sed ædificationem.

Quapropter per hujus Decreti allegationem intendit probare, quòd Episcopi non possint sibi reservare pollutionem voluntariam, aut quòd de facto reservata non sit. Existimo tamen, eum nolle probare, quòd pollutio voluntaria reservari non possit: primò; quia est delictum sufficienter grave, ut Episcopi sibi reservare possint. Secundò; quia in Episcopatu Calahorrensi, Archiepiscopatu Burgensi, & in Episcopatu Pampelonensi reservatur in casu 23. Incestus cum quacumque consanguinea infra quartum gradum, in casu 26. Stuprum, & in casu 28. copula cum filia spirituali ex confessione (est enim valde probabile, quòd hæc circumstantia non mutet speciem, ut notavi super hunc casum in Nota 28. Appendice citata) Sed sic est, quòd pollutio sit his enormius peccatum, & gravius quàm Incestus, ut expresse tenet S. Thomas 2. 2. q. 244. art. 12. in corpor. his verbis: *Quia ergo in vitiis, quæ sunt contra naturam, transgreditur homo id, quod est secundùm naturam determinatum circa usum venereum, inde est, quòd in tali materia hoc peccatum est gravissimum. Post quod est Incestus*: Ergo cùm Incestus reservetur, licèt minus quid grave quàm pollutio, poterit à fortiori hæc reservari tanquam quid gravius, ex quo P. Emanuel inficiari non poterit, quòd pollutio reservari possit, sed neque dicere, quòd de facto non sit reservata: quod probatur; quia supposito, quòd possit reservari, ut pateat, an de facto sit reservata, examinanda sunt verba, per quæ casus reservatur, quæ sunt sequentia: peccatum contra naturam, maximè cum bestiis: quibus in verbis pro indubitato teneo comprehendi pollutionē, & probo sic: quia verba sunt interpretanda secundùm propriam significationem Surd. decis. 288. num. 27. quamvis hoc sit in materia odiosa, ut dicit una decisio Rotæ apud Farnacium *tom. 1. p. 1. decis. 352. In materia quantumvis odiosa, non receditur à proprietate verborum*: Deinde: *Quia verba debent intelligi secundùm communem usum loquendi, leg. librorum, §. Quod tamen casus, ubi Bart. ff. de leg. 3.* Sed sic est, quòd hæc verba, *peccatum contra naturam* in toto rigore, & secundùm communem loquendi modum significent pollutionem, sodomiam, & bestialitatem: ergo, licèt reservatio sit materia odiosa, non potest pollutio excludi, ut in suis verbis non comprehendatur.

Confirmatur ex illo Glossæ arg. in cap. ad audientiam de Decimis: A forma verborum sine certa scientia non est recedendum. Sed sic est, quòd ad comprehendendam pollutionem, sodomiam, & bestialitatem forma verborum sit nominare pecca-

tum contra naturam: ergo, cùm synodus in reservatione hujus casus usa fuerit hac verborum forma, quæ propriè significant pollutionem, sodomiam, bestialitatem, nulla ex his debet excludi sine certa oppositæ partis scientia: atqui talis scientia non datur ad excludendam ab iis verbis pollutionem, ergo absque ullo fundamento à reservatione excluditur.

Potest aliquis objicere, quòd, cùm Synodus expresse, & in specie nominaverit bestialitatem, dicendo in casu reservato, maximè cum bestiis, eadem videatur, excludere pollutionem. Respondeo negando assumptum; quia si hoc esset verum, sodomia quoque excluderetur à reservatione, siquidem eam non exprimit; Sed nemo dicit, nec dicet, quòd sodomia excludatur à reservatione, in hoc casu comprehensa: ergo neque dici debet, nec potest, quòd excludatur pollutio.

Deinde, hoc verbum maximè non est exclusivum, sed ampliativum, ut cum decis. Rotæ, quam allegat Farinacius, notavit Augustinus, Barbosa *tract. de dictionib. verb. Maximè, tract. 197. num. 5. in impressione Leonensi* his verbis: *Statutum loquens, vel disponens aliquid, per verba expellentia genus, includit omnes species sub genere comprehensas, etiam quando enuntiatio aliquarum specierum fuit facta, modo fuerit facta cum hac dictione maximè, quæ ampliat*: Sed sic est, quòd verba statuti synodi Pampelonensis in præsentis casus reservatione genus exprimant, dicendo, peccatum contra naturam: ergo in iis comprehendi debet pollutio, sodomia, & bestialitas, quæ sunt species sub hoc genere contentæ, quamvis aliqua illarum expressa fuerit per hoc verbum maximè, ut exprimitur bestialitas.

Ex dictis patet, pollutionem sufficientem gravitatem, & deformitatem habere, ut possit ab Episcopis reservari; & secundùm textum verborum reservationis de facto esse reservatam in hoc Episcopatu Pampelonensi; ex quo ruit principale fundamentum opinionis P. Emanuelis n. 880. & 881. dicentis, hoc peccatum non esse reservatum in Episcopatu Pampelonensi.

Probat secundò P. Emanuel suam opinionem, dicendo, quòd in aliis Episcopatibus sint expresse reservata peccata bestialitatis, & sodomiæ, & in nemine pollutionem reservari; Sed hoc fundamentum non minus est ruinosum, quàm præteritum: primò; quia in nullo Episcopatu mihi noto tot casus sunt reservati, quot sunt in hoc, & in Calahorrensi, ejúsque Metropoli, ambæ enim Diœceses (excepto uno) habent eosdem casus reservatos numero 31. ergo non erunt verè reservati omnes 31. negatur consequentia; quia, sicut reservatio pendet à voluntate rationabili Prælatorum, multitudo casuum reservatorum in

uno Episcopatu non infert eorundem reservationem in aliis; & casus, cujus reservatio non convenit in una Provincia, necessaria erit in altera. Deinde in aliis Episcopatibus reservatur Incestus in primo, & secundo gradu, ut in Episcopatu Tarraconensi casu octavo, in Archiepiscopatu Toletano casu quarto, in Archiepiscopatu Cæsaraugustano casu septimo; in Episcopatu verò Pampelonensi reservatur Incestus usq; ad quartum gradum in casu 23. ergo, licèt in aliis Episcopatibus solùm bestialitas, & sodomia reservetur, potuit in hoc etiam reservari pollutio. Nec valet dicere, quòd in reservatione hujus casus in Episcopatu Pampelonensi non exprimatur pollutio; quia neque exprimitur sodomia, tamen hoc non obstante tenet eam pro reservata P. Emanuel, & cum ratione: ergo, licèt non exprimatur pollutio, debet pro reservata haberi.

Confirmatur, quia hæc verba peccatum contra naturam tantum significant, & ita sunt communia pollutioni, sicut sodomiæ: Sed sic est, quòd, cùm hæc verba significent sodomiam, eam teneat pro reservata P. Emanuel, quamvis non sit in casus reservatione expressa: ergo cùm etiã hæc verba significent pollutionem, debet pro reservata haberi, licèt non exprimatur suo proprio nomine: Deinde, *diversitas circa eandem rem non debet induci, quia una, & eadem res non debet diverso Jure causari, Lege cum quis ædes ff. de usucap.* & hoc tenet Barbosa *in axiomata juris, axioma 74. verb. Diversitas num.* 4. atqui verba generica: v. g. *peccatum contra naturam:* sunt eadem, & non diversa ad significandam pollutionem, & bestialitatem: ergo non debet fieri diversum judicium, dicendo, quòd significent in nostro casu sodomiam, non verò pollutionem.

Addit P. Fr. Emanuel num. 885. *Quia nullus, quam viderim, excepto P. Corella expressè asserit sub nomine peccati contra naturam, reservari mollitiem:* Potest esse, quòd P. Emanuel non viderit alium Authorem, quàm P. Corellam, qui typis mandaverit explicationem casuum reservatorum hujus Episcopatus Pampelonensis, nec alterius, in quo reservatur peccatum contra naturam eâdem formâ, qua reservatur in hoc Episcopatu. Ego saltem fateor, me vidisse aliquos tractantes de casibus reservatis in communi, in particulari tamen non vidi quemquam explicantem hanc speciem casûs, peccatum contra naturam, maximè cum bestiis; nec P. Emanuel citat doctrinam expressam super hunc casum; si enim inveniret Authorem ad suum favorem, ejusdem allegationem puto, non prætermitteret.

Solùm refert, quòd, cùm in Salamanca R. P. Tyrsum Gonzales (dignissimum Præpositum Generalem Illustris Instituti Societatis JESU) &

Pa-

Patrem Valoys consultaverit, eorum responsum fuerit, quòd sub nomine peccati contra naturam non intelligatur pollutio, & hoc idem, ait, tenere dictum Patrem Valoys in M. S. Credo, & consentio, sicut justum est, quòd P. Emanuel in hoc casu verum dicat.

Ego verò pariter dicam hos Reverendos Patres fuisse locutos non de pollutione externè procurata, sed de pollutione voluntaria procedente à solo interno consensu, quæ, ut dixi in principio, non est reservata, siquidem mihi non videtur verisimile, quòd, dum hæc verba contra naturam tam pollutionem, quàm sodomiam, & bestialitatem significant, affirmâssent hi Doctores, pollutionem externè procuratam in iis non comprehendi.

Dices: Hæc verba significant etiam pollutionem voluntariam procedentem à consensu interno, licèt externè non sit procurata: ergo pollutio voluntaria procedens ab interno consensu habebitur pro reservata, licèt externè procurata non sit; quod est contra nostram doctrinam.

Respondeo, Quamvis hæc verba possent comprehendere pollutionem voluntariam externè non procuratam, nòn ideò est concludendum, per ea verba reservari; quia verba restringuntur ex verisimili mente disponentis, lege Lucius 3. §. Lucius 2. ff. de legat. 2. leg. creditor §. Lucius ff. mandat. Sed sic est, quòd mens verisimilis reservationis non sit, velle comprehendere pollutionem externè non procuratam: ergo non debet teneri pro reservata. Probatur minor: quia, ut dicit P. Emmanuel ibi num. 885. Quidquid datur externum in hoc casu (quod intelligitur de pollutione voluntaria externè non procurata) non solùm mortale non est seclusa relatione ad consensum internum verùm eâ seclusâ, nullum peccatum est. Sed sic est, quòd mens Ecclesiæ sit, solùm reservare peccata mortalia non interna, sed quæ externè sunt gravia: ergo, cùm pollutio voluntaria secluso consensu interno non sit talis, dicendum est, non esse verisimile, in iis verbis eam comprehendi, quamvis eorum significatio ad eandem extendi posset.

26. Vi violans Virginem.

Nota 26. Si illa spontè consentit, & permittit absque vi se violare, probabiliter non committitur stuprum, ut dictum est in Dialogo tract. 6. cap. 4. num. 23. nec incurritur hujus casûs reservatio.

27. Copula cum Æthiopissa, aut Hebræa.

Nota 27. Qui habet copulam cum Æthiopissa, aut Hebræa præter peccatum contra sextum Præceptum peccat contra virtutem Religionis. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 5. n. 12. & alii, non verò ille, qui peccaret

caret cum Hæretica, nec talis incurreret reservationem hujus casûs.

28. Qui habet copulam cum ea, quam baptizavit, aut cujus confessionem exaudivit.

Nota 28. Propter cognationem spiritualem, quæ contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, comittitur Incestus per copulam cum tali persona, & est circumstantia mutans speciem in confessione necessariò explicanda. Attamen, licèt aliqui velint, idem sentiendum de habente copulam cum ea, cujus confessionem exaudivit; nihilominus est probabile, solùm esse circumstantiam aggravantem non necessariò in confessione explicandam. Ita cum Vasquez, & aliis tradit Diana part. 1. tract. 7. resol. 12. Verùm indubium est, talem incurrere reservationem hujus casûs; sicut etiam ille, qui habuit copulam cum ea, quam baptizavit: per nomen baptizans non intelligitur Patrinus, qui, quamvis habeat copulam cum illa, quam ex baptismo elevavit, non incurrit reservationem, benè verò administrans Sacramentum; quia reservatio est materia odiosa, adeóque non amplianda, sed restringenda.

29. Incendiarius, antequam denuntietur, & publicetur pro tali; quia post publicationem Papæ reservatur.

Nota 29. Incendiarii vocantur illi, qui subministrant ignem, & accendunt messes, campos, possessiones, domus &c. Et similes juxta communem DD. contra Bonacinam apud Dianam p. 9. tract. 8. resol. 10. non incurrunt ipso facto excommunicationem majorem, sed Episcopi eos excommunicare tenentur, & declarando eos excommunicatos censura manet Papæ reservata: Si enim Episcopi eos non excommunicant, incurrunt pœnam suspensionis à Pontificalibus per integrum annum ex cap. pessimam 23. q. 8. Incurrunt tamen ipso facto Incendiarii reservationem hujus casûs; non illi, qui ex negligentia (quamvis culpabili) accendunt domus, messes, possessiones &c. Nec qui arbores ad transplantandum, & sibi proficiendum furantur. Ita Barbosa 3. p. alleg. 51. num. 84. Palaus tom. 3. tract. 23. disp. unica punct. 15. num. 8. Solùm ergo illi, qui ex malo fine, & ex proposito sunt incendarii, reservationem hujus casûs incurrunt.

30. Furtum rei sacræ, vel ex Ecclesia.

Nota 30. Res sacra dicitur illa, quæ cultui divino est dicata: v. g. vasa Altaris, vestes sacræ &c. In hoc casu dubium est, utrùm furari in Ecclesia rem non sacram, nec sub Ecclesiæ custodia depositam sit casus reservatus; videtur enim durum, hoc affirmare, cùm sit probabile, non esse Sacrilegium furari in Ecclesia rem non sacram, nec sub ejus custodia depositam. Ita Fagundez in 2. præcept. lib. 4. num. 9. & 42. Plerique alii. Nihil-

hilominus manendo in ſensu textûs casûs reſervati, qui cum particula disjunctiva dicit, furtum rei ſacræ, vel ex Eccleſia, dicendum erit, quòd quodcumque furtum commiſſum in Eccleſia, ſive ſit rei ſacræ ejusdem Eccleſiæ, ſive non ſacræ, & ad particularem aliquem ſpectantis, pro reſervato intelligatur: Deinde; quia in ſequenti casu reſervatur furtum bonorum Eccleſiæ: ergo reſervatio hujus casus, qui eſt diſtinctus à ſequenti, loquitur de quocumque furto in Eccleſia commiſſo, ſive ſit res Eccleſiæ, ſive non. Inſuper; quia eſt etiam probabile, quòd furari in Eccleſia rem ad eandem non ſpectantem ſit ſacrilegium. Ita Layman lib. 5. tract. 10. cap. 7. num. 18. Suarez, & alii. Tandem non eſt neceſſarium, ut ſit Sacrilegium id, quod reſervatur; contrarium tenet P. Emanuel ſupr. num. 887. dicendo, non eſſe casum reſervatum furari in Eccleſia rem, quæ non eſt Eccleſiæ, nec ſub ejus cuſtodia depoſita.

31. Uſurpatio bonorum, & decimarum Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum.

Nota 31. Bona Eccleſiæ vocantur non ſolùm illa, quæ ipſimet Eccleſiæ ſerviunt; Sed etiam ejus fructus, primitiæ, poſſeſſiones, prædia &c. Et furtum cujuscumque rei ex iſtis eſt casus reſervatus. Difficultas hujus casus eſt in illis verbis, & perſonarum Eccleſiaſticarum; an ſolùm furari earum decimas ſit reſervatum, vel etiam alia bona ad proprium earum usum ſpectantia ut eſt reſervatum furari quodcumque Eccleſiæ bonum? mihi non videtur veriſimile, hanc legem eſſe ita rigoroſam, ut furtum, vel pecuniæ, vel cujuscumque ſubſtantiæ Eccleſiaſticis aſſignatæ reſervare intendat; quia reſervatio cadit ſuper illa peccata, quæ ſpecialem habent gravitatem; ut notat Concil. Trident. Seſſ. 14. cap. 7. nec habetur pro re adeò gravi, quòd illa bona vel ad Eccleſiaſticos, vel ad ſæculares ſpectent; niſi illa bona Eccleſiaſticorum eſſent decimæ; quare cenſeo, quòd furari Eccleſiaſticis decimas ſit casus reſervatus, non verò auferre alia eorum bona. Quamvis P. Emanuel ſupra num. 888. ſentiat, non eſſe casum reſervatam furari Eccleſiaſticis decimas, ſed ſolùm eas usurpare; quia dicit, quòd inter furari, & usurpare ſit magna diverſitas.

§. III.

Caſus reſervati in Synodo

Archiepiſcopatus Burgenſis, cap. 9. de Pœnitentiis, & Remiſſionibus, ſunt iidem, qui ſunt in Epiſcopatu Pampelonenſi; unicum ultra illos habet Archiepiſcopatus, qui eſt ſequens.

1. Publicus Uſurarius.

Nota 32. Unum notorium vocatur Juris, aliud facti. Notorium Juris eſt, quando quis fuit punitus, aut à Judice competente pro malefacto-

re declaratus. Circa notorium facti sunt variæ Doctorum opiniones, sed communior est, quòd, quando delictum est in majori parte vicinitatis, aut Populi notum, dicatur notorium notoreitate facti. Videatur Barbosa de potest. Episcop. alleg. 39. num. 20. & seq. Si alterutro ex his modis usurarius sit publicus, incurrit reservationem hujus casus; neque est necessarium ad hanc reservationem, ut usura publicè in conspectu multorum committatur; imò, quando est notorium, eum esse usurarium, quæcumque usura postmodum ab eodem commissa, etiam quomodocumque occulta, erit reservata.

§. IV.

Casus reservati in Episcopatu Calahorrensi sunt iidem, qui in Pampelonensi, excepto primo reservante hæresim: quæ non est reservata in hoc Episcopatu, cùm in eo Tribunal Inquisitionis vigeat, cui est hæresis reservata: quamvis autem hoc non obstante reservari posset hæresis in dicto Episcopatu quo ad peccatum, ut est reservata in Synodo Pampelonensi, tamen non reservatur attentâ Sacrâ Inquisitione ibi existente.

§. V.

Casus Reservati in Episcopatu Taraconensi. Verum quidem est, non inveniri Synodos hujus Episcopatus, novi tamen à persona docta, & fide digna, casus reservatos in iis esse sequentes.

1. *Incendarii domorum, aut fructuum, & consilium, aut auxilium ad id præstantes.* Videatur Nota 29.

2. *Peccatum, pro quo pœnitentia publica imponi solet, quale est peccatum scandali.*

Nota 33. Pœnitentia est triplex; una est solemnis, altera publica, & tertia Sacramentalis. Solemnis est illa, quæ in primitiva Ecclesia pro enormibus quibusdam peccatis cum variis cæremoniis imponebatur, & hoc modo pœnitentiatus reddebatur infamis, & irregularis. Hæc pœnitentia non est ampliùs in usu, ut dicit Bassæus in Florib. Theolog. verb. Pœnitentia 1. num. 8. Pœnitentia publica est illa, quam Judex in foro Ecclesiastico imponit: v.g. imponendo alicui, ut stet ad portam Ecclesiæ nudipes cum candela in manu. Hanc pœnitentiam solet imponere Sacrum Tribunal Inquisitionis illis, qui fidem per formalem hæresim contemnunt, aut per culpas, quæ sapiunt hæresim: Episcopi etiam solent aliquando similes imponere. Pœnitentia Sacramentalis est illa, quam Confessarius Pœnitenti in confessione imponit, de qua diximus in Dialogo in fine tract. 9. Per peccatum scandali hìc non intelligitur præcisè id, quod tendit, & causat ruinam proximi solicitationibus, malo exemplo, aut verbis, de quo dictum fuit in Dialogo tract. 5. cap. 7. num. 56. Sed peccatum scandali vocatur hìc illud, quod

quod est publicum, & notorium, admirationem, & notam in populo pariens: v. g. qui publicè vivit in inimicitiis, concubinatu, vel publico latrocinio. Hæc peccata publicè scandalosa sunt illa, quæ in hoc casu reservantur, non autem occulta; quia propter peccata publica, non verò propter occulta solet imponi pœnitentia publica.

3. Blasphemia publica.

Nota 34. De blasphemia dictum est in Dialogo cap. 2. & est duplex, una est hæreticalis, altera non hæreticalis: Hæreticalis est illa, cujus verba continent aliquam hæresim: v. g. si quis dicat: non est possibile, quòd Deus sit misericors, cùm me ita exagitet. Hujus blasphemiæ hæreticalis judicium pertinet ad Tribunal Inquisitionis. Blasphemia non hæreticalis est illa, quæ in se non continet hæresim: v. g. ad despectum Dei volo hoc, vel illud facere: Hujus judicium, si est publica, spectat ad Episcopos. Ita cum aliis Barbosa de potest. Episcop. part. 3. alleg. 15. num. 95. Blasphemia publica reservatur in hoc casu, tunc autem erit publica, quando similia verba dicuntur ante sex personas, non filios, aut servos, sed extraneos; Ita Diana part. 10. tract. 14. resol. 62.

4. Homicidium voluntarium, & mutilatio realis alicujus membri.

Nota 35. De spectantibus ad homicidium voluntarium dictum est suprà in Nota 19. quo ad mutilationem verò membri dico, abscindentem illud tam alteri, quàm sibimetipsi incurrere reservationem; quia casus non distinguit abscissionem propriã, vel alienam: Et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ille verò, qui alterum vulnerat baculo, ense, aut quocumque alio instrumento, nisi mutilet, aut occidat, non incurrit casum reservatum. Quando ob mutilationem membri incurratur irregularitas, vide Dianam part. 3. tract. 15. resol. 20. p. 4. tract. 2. resol. 26. & p. 9. tract. 7. resol. 21. & part. 10. tract. 13. resol. 11. & 28.

5. Qui falsificat scripturas, aut testificat falsum, vel qui veritatem in præsentia proprii Judicis occultat.

Nota 36. De peccato falsificationis scripturarum dictum est in Nota 19. quo ad occultationem verò veritatis ante Judicem dico, nisi aliquis interrogetur legitimè, non obligari ad dicendam veritatem, videatur id, quod dictum fuit in Dialogo tract. 2. cap. 1. Et de modo, quo in hoc casu quis uti possit amphibologia, vide tract. 10. in explicatione Propositionum 26. & 27. Dico ulteriùs, si occultatio veritatis non sit de substantia causæ, non incurritur hujus casus reservatio. Ita Barbosa de potest. Episcop. part. 3. alleg. 51. num. 34.

Et in numeris præcedentibus, & subsequentibus fusè tradit, quibus in casibus excusatur à reservatione, qui veri-

veritatem in judicio non aperit. vide ibi.

6. Raptus Virginis.

Nota 37. Hunc casum reservatum non incurrit, qui vi surripit fœminam maritatam, viduam, aut solutam non Virginem; sed solùm, qui surripit Virginem; ad hoc autem, ut sit raptus, & casus reservatus, necessarium est, ut hoc vi fiat: quia si fœmina in raptum consentit, non est peccatum raptûs, nec incurritur reservatio. Videatur id, quod dictum est in Dialogo tr. 6. cap. 4. n. 23.

7. Procuratio abortûs secuto effectu.

Nota 38. Circa abortum videatur Nota 21. Advertendum tamen est, quòd ad incurrendum hunc casum in Episcopatu Pampelonensi sufficiat, ut diligentia adhibeatur ad causandum abortum, quamvis effectus non sequatur, ut videre est in Nota 21. Sed in hoc Episcopatu non sufficit adhibere diligentiam, sed necessarium est ad incurrendam hanc reservationem, ut in effectu abortus sequatur, sicut ipsemet casus admonet.

8. Incestus in primo & secundo gradu.

Nota 39. In Episcopatu Pampelonensi reservatur incestus usque ad quartum gradum. Videatur Nota 23. in hoc verò Episcopatu incestus in tertio & quarto gradu non reservatur, sed solùm in primo, & secundo.

9. Notabilis vulneratio Genitorum.

Videatur Nota 18.

Nota 40. Advertendum est, ibi reservari quamcumque Genitorum percussionem quæ sit peccatum mortale: in hoc verò Episcopatu non sufficit percussio, licèt sit peccatum mortale, nisi sit notabilis ut casus dicit.

10. Adulterantes pondera & monetas.

Nota 41. Hic casus non loquitur de falsificantibus mensuras, sed de adulterantibus pondera, & monetas; quamvis enim eadem paritas in utroque casu currat, nihilominus in odiosis (ut est reservatio) non fit extensio ex identitate rationis ab uno casu ad alterum; Sicut cum Salas, Portel, & aliis dicit Diana part. 1. tract. 10. resol. 36. Nec incurrunt reservationem hujus casus qui ponderibus, aut monetis jam falsificatis utuntur, sed solùm, qui eas cudunt: v. g. qui facit pondus injustum, aut dolosum, vel qui minuit, aut cudit monetas falsas; ut docet Castrus Palaus part. 4. tract. 23. disp. unica punct. 15. num. 9. Hìc autem suppono, utentes ponderibus aut monetis vitiosis peccare cum obligatione restitutionis, & solùm dico, non fore casum reservatum.

11. Qui exponunt proles ad loca pia, cùm soli educare possint.

Nota 42. Hic casus solùm loquitur de parentibus prolium expositarum, & non de illis, qui ex ordinatione eorum eas portant, & exponunt; quia casus dicit de illis, ad quos proles educare pertinet; quòd autem ad parentes pertineat, clarum est. Quotiescumque parentes excusantur à

peccato mortali,in expositione prolium, excusantur pariter à reservatione hujus casus. Si Proles non exponuntur ad pia loca, sed ad fores domorum particularium, sentit Barbosa ubi supra alleg. 51.num. 147. in fine. non fore casum reservatum; quia Textus hujus casus solùm dicit de locis piis. Ego verò cum distinctione hoc verificari existimarem, nempe, quando Parentes exponentes proles ad loca non pia subministrant iisdem alimentum, & custodiam, ut benè educentur, & custodiantur: quòd, si verò eas ibi relinquant absque hac subministratione ex quo tandem ad hospitale deveniant, vel in hunc finem, ut inde ad hospitale portentur, tunc non dubito, quin parentes hunc casum incurrant, cùm ratio formalis reservationis ad hoc impediendum tendat.

12. *Abutentes rebus sacris per artes magicas, incantationes, superstitiones & alia maleficia.*

Videatur Nota 3.

§. VI.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Toletano.

1. *PArochi, aut Beneficiati obligantes, vel inducentes Parochianos alterius Parochiæ, ut ex ea ad propriam transeant.*

Nota 43. Si Parochiani, quos inducunt, essent ita pauperes, miserabiles, ut ex illorum permanentia nec in vita, nec in morte ulla sequeretur Parochiæ utilitas, non judico, Parochos inducentes incurrere reservationem hujus casus, qui, ut videtur, respicit nocumentum temporale seu lucrum cessans alteri Parocho ex Missarum, suffragiorum, & oblationum translatione.

2. *Occupantes aut retinentes bona Ecclesiæ, vel impedientes exigentiam redditûum Ecclesiasticorum, aut expeditionem suorum fructuum.*

Videatur Nota 30. & 31.

3. *Non satisfacientes Præceptis Ecclesia tempore ab ea determinato, & in Constitutionibus Synodalibus assignato.*

Nota 44. In aliquibus Episcopatibus est lata excommunicationis sententia contra eos, qui suo tempore Præcepto annuæ Confessionis, & Communionis non satisfaciunt: in his ergo Episcopatibus incurritur excommunicatio, in hoc verò Toletano reservatio hujus casus.

4. *Copula carnalis cum Religiosa Professa, aut cum consanguinea, aut affine in primo, & secundo gradu, aut cum ea, cujus confessionem exaudivit.*

Videatur Nota 23. 24. 28. & 38.

Nota 45. Hic obiter notandum est, si Religiosa sit Novitia non incurri casum reservatum per copulam cum ea: tum quia Novitiæ in odiosis non comprehenduntur sub nomine Religiosarum: tum quia ipsemet Textus hujus casûs exprimit, debere esse Religiosam Professam.

5. Pec-

5. Peccatum nefandum, vel bestialitas.

Videatur Nota 25.

6. Perjurium factum in præjudicium tertii.

Videatur Nota 36.

7. Blasphemus publicus.

Videatur Nota 34.

8. Incantatores superstitiosi, aut venefici.

Videatur Nota 2.

9. Falsificantes quodcunque instrumentum publicum.

Videatur Nota 17.

10. Injicientes manus violentas in eorum Parentes.

Videatur Nota 18.

§. VII.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Cæsaraugustano.

1. Incendarii domorum, messium, & aliarum rerum, & ad hæc auxilium subministrantes.

Videatur Nota 29.

2. Peccatum grave, quod meretur pœnitentiam publicam ex Lege.

Videatur Nota 33.

3. Homicidium voluntarium, aut mutilatio membrorum.

Videatur Nota 19. & 35.

Nota 46. Notandum est, quòd imperans homicidium, aut ad id consilium, vel auxilium præbens non incurrat casum reservatum in hoc Archiepiscopatu, nec in Episcopatu Taraconensi; quia in nullo horum de hoc fit mentio; & pœna, quæ malè facientibus imponitur, non comprehendit consilium præbentes: ut patet ex cap. ult. de Pœnit. in 6. & hoc adducit P. Caspensis tom. 2. tract. 25. disp. 1. sect. 5. num. 59. Sed in Episcopatu Pampelonensi consilium, vel auxilium ad homicidium est reservatum.

Videatur Nota 19.

4. Falsificatio scripturarum, & testificatio falsi, mendacium, aut occultatio veritatis, dum quis legitimè interrogatur.

Videatur Nota 17. & 36.

5. Raptus Virginum.

Videatur Nota 37.

6. Procuratio abortûs secuto effectu.

Videatur Nota 21. & 38.

7. Incestus in primo, & secundo gradu.

Videatur Nota 23.

8. Falsificatio ponderum, mensurarum, aut monetarum.

Videatur Nota 41. Advertendum tamen est ibi solùm esse sermonem de falsificante pondera, aut monetas, hìc verò etiam de falsificante mensuras.

9. Decimæ retentæ.

Videatur Nota 31. Et id, quod circa decimas dictum est in Dialogo tract. 7. cap. 11. num. 205.

§. VIII.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Valentiano.

1. Peccatum Sodomiæ.

Videatur Nota 15.

2. Sacrilegium ex effusione seminis, vel sanguinis in loco sacro.

Nota 47. Quando effusio seminis in loco sacro non est sacrilega, neque erit casus reservatus; quando autem sit, vel non sit Sacrilegium, videatur in Dialogo tract. *6.* cap. *7.* num. 37. Hoc idem dicitur de effusiōe sanguinis, quæ non est casus reservatus, nisi sit sacrilega, quando verò non sit, videatur in Diana part. *6.* tract. *6.* resol. 24. 25. 26. 27. & 47. & part. 21. tract. 2. resol. 58. & tract. 8. resol. 23. & tract. 5. resol. 44.

3. Homicidium voluntarium patratum per se, vel per tertiam personam ad id consilio, aut auxilio inductam.

Videatur Nota 19. & 45.

4. Incestus, ubi est necessaria dispensatio.

Nota 48. Incestus usque ad quartum gradum consanguinitatis, aut affinitatis est hic reservatus; quia in omnibus his gradibus necessaria est dispensatio ad contrahendum Matrimonium.

Videatur Nota 23.

5. Vulneratio Parentum.

Videatur Nota 18.

6. Procuratio abortûs.

Videatur Nota 21.

7. Contractus Matrimonii Clandestini.

Nota 49. Præter peccatum grave, quod contrahendo Matrimonium Clandestinum committitur, & reservationem, quæ incurritur, Matrimonium sic contractum est nullum: ex Tridentino Sess. 24. cap. 1. de reform.

8. Incendium Ecclesiæ.

Videatur Nota 29. Notandum etiam est breviter, quòd in hoc Archi-Episcopatu non sit casus reservatus incendium messium, & aliarum rerum, sed solùm incendium Ecclesiæ reservatur.

9. Falsus testis, qui in judicio jurat.

Videatur Nota 36.

§. IX.

Casus Reservati in Episcopatu Secontiano.

1. Homicidium voluntarium.

Videatur Nota 19.

2. Blasphemia.

Videatur Nota 34.

3. Violatio Religiosæ.

Nota 50. Si Religiosa non esset Virgo, non erit peccatum reservatum habere cum ea copulam; quia non violabitur. Nec incurrit hunc casum reservatum, qui violat Virginem non Religiosam. Quamvis Religiosa voluntariè ad peccatum consentiat, erit casus reservatus, & licèt non sit stuprum: quia hìc non reservatur stuprum, sed ablatio integritatis naturalis, quæ etiam posito ejusdem consensu amittitur: ergo &c.

4. Injiciens manus violentas in Parentes.

Videatur Nota 18.

5. Procuratio abortûs.

Videa-

Videatur Nota 21.

6. Matrimonium Clandestinum.

Videatur Nota 49.

7. Perjurans in judicio, aut alios ad hoc inducens.

Videatur Nota 35.

8. Sodomia, & bestialitas.

Videatur Nota 25.

9. Incestus.

Debet intelligi usque ad quartum gradum; quia in omnibus his reperitur malitia incestûs.

10. Incendium domorum, messium, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & sacrorum locorum.

Videatur Nota 29.

11. Falsificatio litterarum Apostolicarum, & Episcoporum.

Videatur Nota 17.

12. Omnes species superstitionum, magiarum, & divinationum.

Videatur Nota 2.

13. Sacrilegium ex furto, & percussione sacrilega.

Nota 51. In opinione dicente, non esse sacrilegium furari in loco sacro, aut rem non sacram: v. g. crumenam, aut vestem hujus, vel alterius particularis personæ, hoc furtum non erit casus reservatus; quia non erit sacrilegium, quod exigit Textus hujus casûs. Videatur Nota 30.

Sed in opinione contraria dicente, omne furtum patratum in Ecclesia esse sacrilegium, erit absque dubio casus reservatus: Percussio sacrilegia est illa, quæ Clerico, aut Monacho infligitur, de qua tractat Canon, Si quis suadente Diabolo: nos verò loquimur in Dialogo tract. 5. & 6. & præter excommunicationem majorem ipsi annexam, est etiam peccatum percussionis reservatum Episcopo Secontino.

§. X.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Hispalensi.

1. Excommunicatio major, à Jure, vel ab homine.

Nota 52. Excommunicatio à Jure est illa, quæ fertur per præceptum in statuto, aut lege non contentum. Excommunicatio à Jure durat, quamvis moriatur ille, qui eam tulit. Quæ est ab homine, cessat per mortem, aut vacationem officii Legislatoris.

Videatur Nota 16.

2. Homicidium voluntarium.

Videatur Nota 19.

3. Sacrilegium.

Videatur Nota 46.

4. Sortilegium.

Videatur Nota 2.

5. Matrimonium Clandestinum.

Videatur Nota 49.

6. Usura.

Videatur Nota 32.

In hoc Archiepiscopatu non requiritur ut sit publicus usurarius.

7. Renuevos.

Nota 53. Per Renuevos intelliguntur surculi, quos emittunt quædam arbores Hispalis mori nominatæ, qua-

rum foliis nutriuntur bombyces : & furtum harum Renuevos est ibi casus reservatus : cujus reservationis causa debuit esse sine dubio nimius excessus in his furtis multiplicandis.

Hanc explicationem posui pro hoc 7. casu in Archiepiscopatu Hispalensi reservato, cùm mihi dictum fuerit ab aliqua illius Patriæ personâ, hoc modo intelligi debere per nomen Renuevos; postmodùm verò mihi scriptum fuit, non debere ita intelligi, sed per hoc verbum significari dare triti cum antiquum pro novo, quod est materia usuræ; propter nimiam distantiam non potui in cognitionem veritatis venire; qui excipiunt confessiones in hoc Archiepiscopatu, poterunt scire, aut informari, quid per hoc verbum Renuevos intelligatur.

8. Decimæ retentæ.

Nota 54. Advertendum est ultimò, quòd quivis Confessarius approbatus sine ullo Privilegio absolvere possit à casibus reservatis aliorum Episcopatuum; dumodò non sint reservati in hoc Episcopatu. Idem dico de reservatis in hoc Episcopatu, qui absolvi poterunt in alia Diœcesi, ubi non sunt reservati. De Peregrinis tenent aliqui DD. apud Dianam part. 11. tract. 2. resol. 48. quòd, si quis in sua Diœcesi in aliquem casum reservatum incidit, possit absolvi in alia Diœcesi, ubi non est reservatus, & hoc à quocumque Confessario approbato. Ego pariter essem hujus opinionis, si fiat sermo de vagabundis, & certum domicilium non habentibus; sed de Peregrinis mihi videtur res aliqualiter dura: primò; quia peregrinatio non dat Sacerdoti jurisdictionem, licèt aliàs peregrinus ratione peregrinationis à Legibus propriæ Diœcesis eximi possit. Secundò, quia hoc modo frustranea esset Episcoporum reservatio; quia quivis posset ad Diœcesim extraneam pergere, ibique confessionem deponere. Eadem difficultas occurrit in opinione aliorum DD. apud Dianam ubi suprà. Dicentium, quòd ille, qui habet facultatem absolvendi à casibus reservatis in uno Episcopatu, possit absolvere Peregrinum, qui in eo aliquem commisit. Quia, si Peregrinus est sub aliena Jurisdictione, quomodo Confessarius diversæ Diœcesis eum absolvere poterit?

§. XI.

Casus reservati in Episcopatu

Segoviensi in ultima Synodo ab Illustrissimo Domino Domino Fr. Francisco Araviensi Anno 1648. celebrata, quosque Synodalis refert Tit. 5. Constitutione 5. pagina 43.

1. Incendiarii, qui voluntariè, & scienter incendunt domus, aut possessiones alienas.

Nota 55. Reservationem hujus casus non incurrit, qui absque sua culpa res alienas incendit; quia talis non facit voluntariè; neque, qui hoc facit ex ignorantia, quamvis crassa, quod col-

colligitur ex verbo scienter, ut dictum est suprà Nota 8. videatur etiam Nota 29.

2. Impositio Pœnitentiæ solemnis.

Nota 56. Notandum est, in constitutionibus Synodalibus hæc verba: Casus reservati, & peccata reservata diversum quid importare; quia dum in iis dicitur, peccata reservata, intelligitur, quòd Confessariis particularibus jurisdictio ab eis absolvendi denegetur; sed dicere, casus reservati, licèt etiam hæc verba possent comprehendere formalitatem peccatorū reservatorum; potest tamen intelligi alio modo: id est, ut nullus inferior se immisceat in talis rei dispositiōem; & in hoc sensu hic secundus casus reservatus intelligi debet, qui dicit, impositio Pœnitentiæ solemnis; hìc enim non reservatur peccatum, sed casus; & est idem, ac dicere, ut nullus, nisi Episcopus, aut ejus Vicarius Generalis sibi præsumat imponere pœnitentiam publicam pro peccatis. Verùm non prohibetur, quòd Confessarius possit Pœnitenti dare consilium, ut publicè faciat disciplinam usque ad sanguinem, aut portet Crucem super humeros, aut nudipes in aliqua Processione incedat. Quod ergo in hoc casu prohibetur, est, ne Confessarius privatus imponat pœnitentiam cum solemnitate à Jure præscripta faciendam.

3. Blasphemia etiam non hæreticalis.

Nota 57. Blasphemus publicus, & consuetudinarius debet denuntiari ad S. Tribunal Inquisitionis, ut dictum est suprà tract. 2. cap. 2. num. 30. Ille verò qui profert aliquam blasphemiā, licèt non sit hæreticalis, nec publica, nec ex consuetudine, id est, qnamvis non habeat habitum blasphemandi, incurrit reservationem hujus casus.

Videatur Nota 34.

4. Irregularitas contracta ex delicto occulto, aut homicidio casuali.

Nota 58. Una irregularitas procedit ex defectu, altera ex delicto; illa, quæ procedit ex defectu, est, quam contrahunt filii spurii, & alii similes, & ejus dispensatio est Papæ reservata; illa verò, quæ procedit ex delicto, cùm sit probabile, eam esse censuram, est reservata Episcopo, exceptâ illâ, quæ procedit ex homicidio voluntario; quia hæc est Papæ reservata. Notandum etiam est, quòd, quando in hoc casu reservatur Episcopo irregularitas procedens ex homicidio casuali, homicidium debeat esse peccatum mortale, secus verò non erit casus reservatus.

5. Falsificatio litterarum.

Videatur Nota 17.

6. Usurarus publicus.

Videatur Nota 23.

7. Omne Sacrilegium.

Nota 59. Res ardua est hæc, quòd in hoc casu omne Sacrilegium reservetur, sive sit contra rem, sive contra personam, sive contra locum sacrum, & quòd quodlibet peccatum

grave externum contra votum castitatis, aut contra aliud votum commissum, aut quodcumque aliud sacrilegium sit casus reservatus; quia hoc peccatum nimis frequenter committi solet, attamen, cùm Synodalis dictione universali utatur, dicendo, omne Sacrilegium, necessarium est inferre, omne Sacrilegium reservatum debere intelligi, siquidem verba ita significant, quia etiam omne Sacrilegium reservari possit; ut reservatum magis expressè in Episcopatu Salmaticensi casu 4. ubi videri potest §. 12. sequenti.

8. Qui violat libertatem Ecclesiasticam, aut vi extrahendo ex Ecclesia aliquem, qui illuc refugit, aut Ecclesiæ, vel Clericis aggravia, aut indebitas vexationes imponendo.

Nota 60. Pœnæ, quas incurrunt facientes statuta contra immunitatem Ecclesiæ, & extrahentes ex ea aliquem delinquentem, videri poterunt in 2. part. hujus praxis tract. 15. cap. 1. n. 11. Præter hoc, est peccatum reservatum in hoc Episcopatu violare dictam immunitatem in duobus casibus relatis, scilicet, quando vi extrahitur aliquis delinquens, aut imponuntur Clericis, aut Ecclesiæ vexationes indebitæ; in aliquibus autem casibus referendis loco citato 2. part. num. 12. demonstrabo, Sacrum immunitatis non prodesse delinquentibus, in his casibus non erit peccatum reservatum, extrahere eos ex Ecclesia.

9. Parricidium, nempe, quando filius occidit Patrem, vel Matrem voluntariè, vel ex negligentia culpabili.

Videatur Nota 18. & 21.

10. Sortilegium, vel Magia.

Videatur Nota 2.

11. Matrimonium Clandestinum.

Videatur Nota 49. *12. Incestus.*

Videatur Nota 23. & 69.

13. Peccatum concubitus nefandi, & contra naturam.

Nota 61. In hoc casu non reservatur pollutio, licèt sit peccatum contra naturam; quia, quamvis casus dicat concubitus nefandus, & contra naturam, conjunctio, &, quæ est copulativa, facit, ut hæc verba, contra naturam, super peccatum nefandum cadant: ut autem hoc sit reservatum, debet esse consummatum: quare copula inchoata in vase naturali non erit reservata, neque tactus impudici in eodem vase præpostero.

14. *Quando quis obligatur ad restitutionem quantitatis excedentis centum regales, & nescit personam, cui sit facienda restitutio, in tali casu Episcopus ordinare debet, cui sit danda, & quomodo expendenda talis quantitas.*

Nota 62. Hic casus loquitur in terminis de casu reservato, & non de peccato reservato secundùm id, quod dictum est in Nota 50. Sed advertendum est, hic non prohiberi, quòd in hoc casu, quo loquitur casus reservatus, possit Confessarius dare consilium Pœnitenti, ut cum Bullis compo-

positionis satisfaciat quantitati aliis debitæ, si ignoretur Dominus, quamvis excedat centum regales, quia privilegium Bullæ compositionis conceditur à Summo Pontifice, qui est Episcopi Superior, & reservatio ab Episcopo facta obstare non potest, quin facultas in dicta Bulla à Sua Sanctitate concessa suum sortiatur effectum.

§. XII.

Casus reservati in Episcopatu Salmaticensi in sua ultima Synodo ab Illustrissimo Domino Domino Petro Carillo de Acugna Anno 1654. Celebrata, & quos Synodales Constitutiones hujus Episcopatus referunt lib. 5. tit. 6. Constit. 5. pag. 244.

1. Hæresis occulta.

Videatur Nota 1. & id, quod circa absolutionem hæresis dicam in 2. part. hujus praxis tract. 17. in explicatione Proposit. 4. ab Alexandro VII. damnatæ.

2. Incendium domorum, pan. & aliarum rerum studio factum, & ad id adjuvantes antequam dictum delictum denuntietur, & publicetur.

Circa incendiarios videatur Nota 29. circa consilium videatur Nota 19. & circa verba studio factum videatur Nota 55. & ibi citat.

3. Sortilegium, aut incantatio, aut Necromantia, quæ fiunt circuli, aut invocantur dæmones pro quacumque re.

Videatur Nota 2.

4. Sacrilegium quocumque modo commissum.

Videatur Nota 59.

5. Falsificatio scripturarum, aut testium.

Videatur Nota 17.

6. Violatio immunitatis libertatis Ecclesiæ.

Videatur Nota 14. & 60.

7. Blasphemia publica.

Videatur Nota 34. & 57.

8. Proles ex negligentia culpabili opprimentes retinendo eas secum in lecto, aut alio modo.

Videatur Nota 20.

9. Retentio aut usurpatio decimarum.

Videatur Nota 31.

10. Homicidium voluntarium, aut mutilatio membrorum & auxilium, aut consilium ad id præstitum, quo ad peccatum.

Videatur Nota 19. & 35.

11. Susceptio Ordinum per saltum, aut cum licentia falsa, vel furtiva.

Videatur Nota 12. & 13. & circa susceptionem Ordinum cum licentia falsa videatur id, quod dicam in 2. part. hujus praxis tract. 12. cap. 1. num. 23.

12. Humatio cadaveris alicujus noti excommunicati, interdicti, aut manifesti usurarii in loco sacro.

Videatur Nota 4.

Usura publica.

Nota 63. Videatur Nota 32. & advertendum est, quòd ibi, quamvis usura sit occulta, sit peccatum reservatum, quando subjectum est publicus usurarius; hìc verò non sufficit, quòd

quòd subjectum sit publicus usurarius, sed etiam necessarium est, ut usura sit publica, ad hoc, ut sit peccatum reservatum, ut constat ex Textu hujus casûs.

14. Procuratio abortûs, aut sterilitatis muliebris, aut quando ipsamet eandem sibi procurat.

Videatur Nota 21.

15. Quando Uxor quærit occidere suum Maritum, aut Maritus uxorem ad aliud Matrimonium contrahendum.

Videatur Nota 22.

16. Copula cum Religioso, aut Religiosa.

Videatur Nota 24.

17. Copula cum filia spirituali.

Nota 64. Textus hujus casûs est difficilis; quia nomine filiæ Spiritualis potest intelligi tam persona à Confessario baptizata, quàm Pœnitens, cujus confessionem exaudivit, & cùm reservatio sit odiosa, videtur restringenda ad copulam in primo, non secundo sensu sumptam; Sed cùm verba filia spiritualis sint communia ad significandam tam unam, quàm alteram, dicendum erit, copulam carnalem in utroque sensu sumptam, esse casum reservatum.

Videatur Nota 28.

18. Copula cum infideli.

Videatur Nota 27.

19. Incestus.

Videatur Nota 23.

20. Peccatum contra naturam.

Videatur Nota 25. sicut enim ibi reservatur nomine peccati contra naturam pollutio, sodomia, & bestialitas, hoc idem judico in hoc casu.

21. Celebrans in excommunicatione, quo ad absolutionem à peccato.

Videatur Nota 5.

22. Injectio manuum violentarum in Parentes, & Avos.

Videatur Nota 18.

23. Scienter celebrans in Ecclesia interdicta, quo ad peccatum solum.

Videatur Nota 8.

24. Celebrans non jejunus, aut in Altari non consecrato, aut sine vestibus benedictis.

Videatur Nota 9. & 10.

25. Simonia, quo ad absolutionem à peccato.

Videatur Nota 15.

26. Ex Lege reservatur Episcopo dispensatio votorum, juramentorum, & absolutio ab excommunicatione majori non reservata specialiter Papæ, aut alteri Judici Superiori.

Nota 65. Nota Papæ reservata, & quorum dispensatio Episcopo non competit, sunt, votum simplex castitatis, votum simplex Religionis, votum peregrinandi Jerosolymam, vel ad S. Petrum, & S. Paulum Romam, & ad S. Jacobum Compostellam. Videatur hæc materia in Dialogo tract. 2. cap. 4. num. 37. & seq. Excommunicationes in, & extra Bullam cœnæ Papæ reservatæ videri possunt apud Bassæum, verb. Excommunicatio & facultas à Concil. Trid. Sess. 24.

cap.

cap. 6. de reformat. Episcopis concessa absolvendi à casibus Papæ reservatis, & occultis videri potest in 2. part. hujus praxis, tract. 17. in explicat. Proposit. 3. ab Alexandro VII. damnatæ.

27. *Qui baptizat proprium filium, aut filiam sine necessitate, vel erit ejus Patrinus.*

Videatur Nota 11.

§. XIII.

Casus reservati in Episcopatu Vagliadolid.

1. *Usura, quamvis non sit manifesta.*

Nota 66. De reservatione usuræ dictum est in Nota 32. & 63. & utrobique est sermo de usurario publico, aut usura publica, sed in præsenti casu hujus Episcopatûs est sermo de usura, quamvis non sit publica, aut manifesta: verum quidem est, non reservari usuram mentalem, sed completam; quia, ad hoc, ut culpa sit reservata, debet esse perfecta in suo gene secundùm reservationis tenorem.

2. *Omissio Confessionis, & Communionis debito tempore.*

Nota 67. Tempus Confessionis, & Communionis debitum est semel in anno, & in periculo mortis; & qui his temporibus non confitetur, nec communicat, committit peccatum in hoc Episcopatu reservatum; Pariter incurrit reservationem, qui tempore obligationis Præcepti malè confitetur, ut dicam in simili casu 2. part. hujus praxis tract. 17. in explicat. Proposit. 14. ab Alexandro VII. damnatæ, quamvis contrarium pro improbabili non teneam, & probabile censeat. Torrecilla in suis consult. tract. 2. cons. 10. num. 21.

3. *Homicidium voluntarium.*

Videatur Nota 19.

4. *Abortus consummatus culpabilis.*

Videatur Nota 21.

Advertendum est, ibi non esse necessarium, ut abortus sit consumatus, sed sufficere, quòd sit procuratus; hìc verò debet esse consummatus, ut ipsemet Textus hujus casûs dicit.

5. *Diurnus, aut nocturnus agrorum destructor* (id est, qui de die, aut de nocte destruit agros) *eos accendendo, vel abscindendo.*

Videatur Nota 29.

6. *Sacrilegium.*

Nota 68. Hic casus non dicit omne Sacrilegium, ut casus 7. Episcopatûs Segoviensis, & casus 4. Episcopatûs Salmaticensis; sed solùm dicit hìc, Sacrilegium verbo indefinito; & quantumvis Propositio indefinita in materia necessaria æquivaleat universali, non tamen in materia contingenti; cùm materia reservationis sit contingens, videtur, per hanc vocem indefinitam, Sacrilegium, non comprehendi omne Sacrilegium, sed solùm magis enorme, quale est, profanatio Sacramentorum, violatio Ecclesiarum, positio manuum violentarum in aliquem Ecclesiasticum, abu-

ſus rerum ſacrarum, ſed non transgreſſio voti caſtitatis, quod non teneo pro improbabili, licèt conſequenter ad ſupradicta in hoc tractatu 11. §. 2. in Nota 25. de caſu 25. Epiſcopatûs Pampelonenſis dicendum erit, omne ſacrilegium grave, & externum in hoc caſu reſervatum fore.

7. Inceſtus.

Nota 69. Hoc quoque verbum eſt indefinitum, & poteſt intelligi de inceſtu usque ad quartum gradum, aut ſolùm intra ſecundum gradum; ſecundùm id, quod dictum eſt in Nota præcedenti, poteſt etiam ſic caſus reſolvi.

§. XIV.

Caſus reſervati in Epiſcopatu Palentiano.

1. Excommunicatio lata à Jure, vel à Conſtitutione, Suæ Sanctitati, aut nobis reſervata.

Nota 70. Si excommunicatio impoſita non eſſet jam reſervata, non eſt reſervata vi reſervationis hujus caſûs, ſi eſſet reſervata Suæ Sanctitati, Epiſcopus non poſſet ab ea abſolvere, niſi in caſibus occultis; ut dictum eſt ſuprà tract. 1. cap. 1. n. 11. & dicetur etiam in 2. part. hujus praxis tract 17. in explicat. Propoſit 3. ab Alexandro 7. damnatæ; ſi verò erit Epiſcopo reſervata, poterit ipſemet ab ea abſolvere, vel habens ab eo facultatem.

2. Abſolutio in quocumque caſu, quo pœnitentia publica imponi debet.

Videatur Nota 33.

3. Commutatio votorum.

Nota 71. Epiſcopus nequit illa quinque vota Papæ reſervata commutare, benè verò alia; & in hoc caſu non prohibetur, quòd Confeſſarius vi Bullæ, aut Jubilæi poſſit vota commutare, prout ibi conceditur; neque derogatur privilegiis à Summo Pontifice Religioſis conceſſis pro commutatione aliquorum votorum; quia hæ gratiæ ſunt à Papa, qui eſt Superior Epiſcopi, & reſervatio ab Epiſcopo ſuper hoc facta non poteſt gratiis Pontificiis obſtare.

4. Homicidium voluntarium actualiter commiſſum.

Videatur Nota 19.

5. Sacrilegium, violando Eccleſiam, aut ponendo manus in aliquem Sacerdotem.

Nota 72. Hic caſus eſt clarior omni alio de Sacrilegio; in duobus enim caſibus hic expreſſis ſolùm incurritur reſervatio in hoc Epiſcopatu, & vi hujus ſtatuti non committit culpam reſervatam, qui ponit manus in Clericum, aut Religioſum non Sacerdotem, ſed cenſuram Canonis incurret, Siquis ſuadente &c. Videatur id, quod circa hoc dictum eſt in Dialogo tract. 5. cap. 6. num. 36.

6. Incendarii.

Videatur Nota 35.

7. Falſificatio literarum, aut inſtrumentorum publicorum.

Videatur Nota 17.

8. Ma-

8. Magia, Sortilegium, Incantatio, aut Divinatio.

Videatur Nota 2.

9. Stuprum cum Religiosa.

Videatur Nota 24. Advertendum præterea est, quòd copula cum Religiosa non virgine non sit peccatum reservatum in hoc Episcopatu.

10. Abusus Chrismatis, aut Corporis Christi, aut alterius rei sacræ.

Videatur Nota 3.

11. Retentio Decimarum.

Videatur Nota 31.

12. Abortus procuratus cum industria, & effectu secuto.

Videatur Nota 21. Advertendum est etiam, quòd, quamvis abortus procuretur, nisi sequatur effectus, non sit peccatum reservatum in hoc Episcopatu.

13. Occultatio scripturarum in præjudicium, & damnum piorum operum per spatium octo annorum.

Nota 73. Si scriptura operum piorum occultaretur ex justa causa excusante à culpa gravi, reservatio hujus casûs non subsisteret; neque, licèt occultaretur ex culpa gravi, si non esset in præjudicium alicujus pii operis, quamvis ex hoc resultaret præjudicium uni tertio in re profana, & non pia; & licèt etiam esset in præjudicium pii operis, si non occultaretur per spatium octo annorum, non esset peccatum reservatum.

§. XV.

Casus reservati in Archiepiscopatu Taraconensi in Synodo ab Illustrissimo Domino, Domino F. Joanne Emanuele de Spinosa celebrata, quos etiam Rituale Archiepiscopatûs in fine refert.

1. "Peccatum, in cujus executione "est complex Confessarius in materia "luxuriæ, aut gravis furti, aut incan"tationum solummodò."

Nota 74. Hic casus loquitur non solùm quando Confessarius in ipsa confessione est complex consilio, aut alio modo in culpis suprà positis, sed etiam, quando est complex in iis extra confessionem; si verò esset complex in alio delicto non nominato in dicto casu, ejus peccatum non erit casus reservatus. Advertendum est præterea, quòd, si Confessarius cum Pœnitente in Confessionali in materia luxuriæ labitur, debeat denuntiari S. Tribunali Inquisitionis modo suprà dicto tract. 6. cap. 10. n. 158. & seq.

2. "Diminutio solutionis decima"rum, & primitiarum."

Videatur Nota 31.

3. "Contractus illicitus, & usura"rius."

Nota 75. Non specificatur in hoc casu, utrùm usura debeat esse publica, vel occulta; quocumque enim modo fiat, si est completa, erit reservata in hoc Archiepiscopatu.

 Videa-

Videatur *Nota* 66.

4. "Hæresis quo ad forum inter-"num,"

Videatur *Nota* 1. & id, quod de absolutione hæresis dictum est tract. 1. cap. 1. num. 5. & dicetur in 2. part. hujus praxis tract. 17. in explicatione Propositionis 4. ab Alexandro *VII.* damnatæ.

5. "Percussio Parentum facta ba-"culo, manu, pede, aut alio instru-"mento."

Videatur *Nota* 18.

6. "Levis percussio violenta cleri-"ci; quia gravis est reservata Papæ."

Videatur id, quòd circa hoc dictum est in Dialogo tract. 5. cap. 6. num. 39.

7. "Sacrilegium, quo violatur lo-"cus sacer per homicidium, vel effu-"sionem sanguinis, aut seminis, aut "copulam illicitam, aut furtum sacri-"legium."

Nota 76. Alia peccata Sacrilegii præter hæc non reservantur in hoc Archiepiscopatu; neque ista hìc expressa erunt reservata, quando aut sunt occulta, aut ob aliam rationem locus sacer non violatur. Circa furtum notandum est, non fore casum reservatum juxta opinionem probabilem furari in Ecclesia rem non sacram, nec sub custodia, aut tutela Ecclesiæ depositam; quia in opinione probabili tale furtum non est sacrilegium, ut dictum est suprà tract. 7. num. 9.

8. "Compositores libelli famosi, eo "utentes, eundémque publicantes, "aut dantes aliis, ut publicetur."

Nota 77. Qui comittunt tam grave peccatum infamando suos proximos, offendendo virtutem Justitiæ, non solùm incurrunt hujus casûs reservationem, sed etiam obligantur ad restitutionem famæ injustè proximo ablatæ. Prætereà notandum est, non esse libellum famosum, quando quis in privata epistola alicui manifestat delictum sui fratris; neque, quando delictum publicum proximi manifestatur, ut videri potest in Bonacina tom. 2. disp. 2. de restit. in genere q. 4. uunct. 9. num. 2. & 3. Modus, quo restitui debet fama per libellum famosum ablata, debet fieri cum publica demonstratione: v. g. mediante aliquo Concionatore, aut publica scriptura; ut cum Sà Sairo, Medina, & aliis dicit Bonacina ibid. n. 8.

9. "Falsarii, per quos intelligũtur nõ "solùm adulterantes quascumque lit-"teras, sed etiam testes in judicio fal-"sum jurantes; & per hos non solùm "intelliguntur mentientes, verùm & "veritatem occultantes interrogati à "Judice, dum tenentur secundùm le-"gem eam manifestare."

Nota 78. De falsificantibus litteras aut scripturas videatur *Nota* 17. & de testibus occultantibus veritatem videatur 2. part. hujus praxis tract. 15. cap. 1. §. 1. cap. 6. num. 69. ubi expli-

plicabuntur casus, in quibus testis non tenetur Judici manifestare veritatem, adeóque nec tunc incurret reservationem. *Notandum* est hic, quòd reus, dum interrogatus jurat falsum, aut occultat veritatem, dum eam manifestare tenetur, non incurrat hunc casum reservatum; quia hic solùm loquitur de teste; & cum aliunde reservatio sit odiosa, ad reum extendi non debet.

10. "Sodomia."

Videatur *Nota 61.*

11. "Sortilegium, Divinatio, Incantatio, & alia similia peccata."

Videatur *Nota* 3.

Advertendum est, per illa verba, & alia similia peccata, debere intelligi delicta superstitionis, de quibus dictum est in Dialogo tract. 1. cap. 4. n. 26. & seq.

12. "Incendiarii, qui malo animo "incendunt, & qui dant consilium, "aut sunt causa similium damnorum."

Videatur *Nota* 29. & 55.

13. "Homicidium voluntarium."

Videatur *Nota* 19.

14. "Defloratio virginum, raptus "cujuscumque fœminæ."

Nota 79. Circa deflorationem videatur Nota 26. pariter advertendum est, ibi solùm reservari, quando vi cognoscitur virgo, hìc verò nulla fit mentio de violentia, & quamvis hæc non adsit, culpa tamen erit reservata; quia propriè erit defloratio, licèt, in opinione aliquorum non habeat malitiam stupri. Circa raptum notari debet, quòd si fœmina voluntariè consentiat in sui abductionem ab uno loco ad alium, licèt parentes resistant, non erit casus reservatus; quia non erit propriè raptus. Videatur in Dialogo tract. 6. cap. 4. num. 23. & 24.

15. "Violatio libertatis Ecclesiasti-"cæ, aggravando injustè personas "aut res Ecclesiasticas: & violatio im-"munitatis Ecclesiasticæ damnifican-"do proximum, qui in sui defensio-"nem ad Ecclesiam, locum sacrum, "aut privilegiatum refugit."

Videatur Nota 14. & 60.

16. "Suffocatio prolium in cubicu-"lo ex negligentia parentum."

Videatur Nota 20.

17. "Incestus in primo & secundo "consanguinitatis, vel affinitatis gra-"du."

Videatur Nota 23. & 39.

18. "Adulterium."

Nota 80. Durum est, quòd omne adulterium in hoc casu sit reservatum, & sic visum fuit cuidam Religioso mei Ordinis in Principatu Catalaunensi, qui mihi scripsit, se fuisse locutum Archiepiscopo Taraconensi super hunc casum, responsum fuisse, tantùm adulterium scandalosum esse reservatum.

19. "Blasphemia publica & noto-"ria."

Videatur Nota 34. & 57.

§. XVI.

Casus Reservati in Episcopatu Barcellonensi in Synodo ab Illustrissimo Domino, Domino Fr. Alphonso de Sotomayor celebrata.

1. "Peccatum Clerici, per quod irregularitatem incurrit.,,

Nota 81. Delicta, ob quæ incurritur irregularitas, sunt multa: v. g. recipere, aut administrare bis Baptismum eidem personæ; recipere Ordines ab Episcopo, qui Episcopatum renuntiavit; celebrare in excommunicatione majore; homicidium, mutilatio, & alia similia delicta, culpas, quibus est annexa hæc irregularitas, potest committere Clericus, vel Laicus: sed quæ committit Laicus, non erunt reservatæ in hoc Episcopatu, licèt illis sit annexa irregularitas, sed solùm illæ, quæ committit Clericus, reservatæ erunt: nomine Clerici intelligitur, qui est ordinatus primâ tonsurâ.

2. "Incendiarii, qui malo animo incendunt, aut qui ad id consilium "præbent, vel sunt causa talium damnorum.,,

Videatur Nota 29. & 55.

3. "Blasphemia publica & notoria.,,

Videatur Nota 34. & 57.

4. "Dispensatio Votorum & Juramentorum.,,

Videatur Nota 65.

5. "Levis, & violenta percussio "Clerici.,,

Videatur in Dialogo *tract. 5. cap. 6. num. 39.*

6. "Hæresis, quo ad forum conscientiæ.,,

Videatur Nota 1.

7. "Homicidium voluntarium, aut "mutilatio membrorum.,,

Videatur Nota 19. & 35.

8. "Falsarii, per quos non solùm intelliguntur adulterantes litteras, aut "scripturas, sed etiam testes falsi mentientes, vel veritatem occultantes "interrogati à Judice.,,

Videatur Nota 78.

9. "violatio libertatis Ecclesiasticæ "aggravando injustè personas, aut "res Ecclesiasticas.,,

Videatur Nota 14. & 60.

10. "Sacrilegium, quo locus sacer "violatur per homicidium, aut effusionem sanguinis, vel seminis, aut "per copulam illicitam, aut furtum "sacrilegium.,,

Videatur Nota 76.

11. "Sortilegium, Divinatio, Incantatio, aut alia similia peccata.,,

Videatur nota 2. & casus 11. in Archiepiscopatu Taraconensi.

12. "Peccatum parentum, ob quorum negligentiam inveniuntur proles suffocatæ.,, Videatur nota 20. ubi in eodem sensu est sermo, prout in isto casu.

13. "Solutio non integra decimarum, & primitiarum.,,

Videatur Nota 31.

14. Con-

14. "Contractus illicitus & usura-
"rius."
Videatur Nota 66. & 75.

§. XVII.

Casus Reservati in Episcopatu Gerundensi.

1. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ.
Videatur nota 14.

2. Excommunicatio publica, aut occulta parte non satisfacta.

Nota 82. Hic non reservatur, quando ad excommunicationem non requiretur partis satisfactio; cùm constat ex ipso textu hujus casûs; quomodo autem fieri debeat parti satisfactio, explicatum fuit in tract. 5. cap. 6. n. 48.

3. Percussio publica, & occulta Clerici, & quæ sit peccatum mortale.
Videatur in Dialogo tract. 5. cap. 6. n. 39. & seq.

4. Raptus fœminæ.
Videatur nota 19. & 79.

5. Homicidium voluntarium.
Videatur nota 19.

§. XVIII.

Casus reservati in Archiepiscopatu vique in Synodo ab Illustrissimo Domino, Domino Petro de Magarola Anno 1628. celebrata, & quos refert Synodalis pag. 73.

1. Defloratio Virginum facta per vim.
Videatur nota 26.

2. Raptus Virginum.
Videatur nota 37.

3. Incestus in primo & secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu.
Videatur nota 23. & 39.

4. Falsificatio monetarum, mensurarum & ponderum.
Videatur nota 41.

5. Falsificatio sigilli, vel litterarum curiæ Ecclesiasticæ.
Videatur nota 17. & advertendum est, hunc casum non loqui de adulterantibus sigilla, aut litteras Tribunalium sæcularium.

6. Homicidium voluntarium.
Videatur nota 19.

7. Libellus infamatorius quocumque modo compositus, aut publicatus.
Videatur nota 77.

8. Blasphemia publica.
Videatur nota 34. & 57.

9. Abortus voluntarius.

Nota 83. Hic casus non loquitur specificè de procuratione, sed de ipso abortu, & sic, quamvis procuretur, non erit casus reservatus, nisi sequatur effectus; quia cùm reservatio sit materia odiosa, non est amplianda, sed restringenda; & ob eandem rationem non incurrunt reservationem hujus casus præbentes consilium, aut auxilium ad abortum, ut constat ex nota 45.

10. Sodomia.
Videatur nota 61.

11. Incendium fructuum & domorum.
Videatur nota 29.

12. Devastatio vinearum, arborum, si fiat ex professo.

 Vi-

Videatur nota 29. & 55.

13. Testis falsus, qui jurat in judicio.

Nota 84. Qui jurat falsum, non in judicio, sed in privato extra judicium, non committit peccatum reservatū; neque testis occultans Judici veritatem cum externa amphibologia, dum tenetur eam manifestare; quia quamvis peccet mortaliter occultando veritatem, quando eam manifestare debet, attamen dum utitur amphibologia externa, non mentitur: quapropter non incurrit hanc reservationem; neque incurrit reus falsè jurans ante Judicem, ut dictum est in nota 78.

14. Concubinarius, qui in confessione expulsionem concubinæ promisit, & tamen non fecit.

Nota 85. Hic casus rigorosè loquendo non potest dici casus reservatus, sed cautela quædam, quæ Confessario proponitur ut operetur id, quod tenetur in ordine ad negationem absolutionis: Quare in omnibus casibus, in quibus licitè eum absolvere potest ob aliquam rationem ex relatis tractatu 10. in explicatione Propositionum 61. 62. & 63. ab Innocentio XI. damnatarum, & tractatu 17. in explicatione Propositionis 41. ab Alexandro VII. damnatæ, in omnibus his poterit concubinarius absolvi non obstante hac reservatione; in aliis verò casibus, in quibus dico locis citatis, eum non posse absolvi, deneganda erit absolutio.

15. Maritus, & uxor sine Ecclesiæ authoritate separatim viventes.

Nota 86. Marito non est licitum propria authoritate facere divortium ab uxore, sed requiritur Judicis authoritas; licèt in aliquo casu fieri possit divortium propria authoritate, ut dixi in Dialogo tract. 6. cap. 8. p. 12. num. 145. Et in hoc casu non incurret Maritus hanc reservationem. Videatur materia de divortio, & causæ, propter quas fieri potest, loco citato.

§. XIX.

Casus Reservati in Episcopatu Dertusano in Synodo ab Illustrissimo Domino Izquierdo celebrata, & quos Synodalis refert part. 5. titulo ultimo.

1. Hæresis, & Symonia.

Videatur Nota 1. & 16.

2. Sacrilegium, id est actualis pollutio, aut fornicatio in Ecclesia, aut cum Moniali: occisio, aut vulneratio Clerici, aut Religiosi: invasio, seu violatio Ecclesiæ: furtum rei sacræ in loco sacro, aut rei non sacræ in loco sacro.

Nota 87. Hic casus loquitur in suppositione, quòd effusio seminis in Ecclesia sit sacrilega, & furtum rei non sacræ in loco sacro; Quare in opinione à me relata in Dialogo tract. 6. cap. 7. num. 28. dicente, quòd copula, aut pollutio occulta in Ecclesia non sit sacrilegium, talis pollutio, aut copula non erit reservata; & juxta opinionem, quam retuli tract. 7. cap. 1. num.

num. 9. dicentem, non fore sacrilegium furari in loco sacro rem non sacram, nec sub Ecclesiæ tutela depositam, nec tale furtum erit reservatum: circa punctum, de quo hic casus loquitur nempe de occisione, aut vulneratione Clerici, aut Religiosi, videatur Nota 24. & circa invasionem, aut violationem Ecclesiæ videatur Nota 60.

3." Homicidium proditorium: id est "proditoriè patratum facto consilio, "vel favore.,,

Nota 88. Videtur, hæc duo ultima verba (quæ Synodalis latinè sic explicat Facto consilio, vel favore) denotare, quòd homicidium debeat fieri mediante consilio, aut favore, receptione pecuniæ idem patrandū, ad hoc, ut sit reservatum; clarius enim esset, si diceret, factum consilio, vel favore, quàm facto consilio, vel favore; potest etiam esse, quòd sit error typi, aut æquivocatio mittentis mihi casus reservatos hujus Episcopatus.

4." Incestus, ubi est necessaria di-"spensatio.,,

Videatur Nota 47.

5. "Vulneratio, aut percussio Pa-"rentum.,,

Videatur Nota 18.

6. "Abortus procuratus, & secuto "effectu.,,

Videatur Nota 21. Ibi non est necessarium, ut sequatur effectus, benè verò hic.

7. "Matrimonium Clandestinum.,,

Videatur Nota 48.

8. "Incendium Ecclesiæ.,,

Videatur Nota 29.

9. "Testis perjurans in judicio.,,

Videatur Nota 84.

10. "Omissio solutionis decima-"rum, & primitiarum.,,

Videatur Nota 31.

11. "Abusus SS. Eucharistiæ ad fi-"nes malos extra communionem.,,

Videatur Nota 3.

§. XX.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Illerdēsi in Synodo ab Illustrissimo Domino, Domino F. Emanuele à Foro Egurorum, & quos refert Rituale hujus Episcopatûs pag. 253.

1. "Incendium domorum, messiū, "aliarum rerum factum ex proposito, "& consilio.,,

Videatur Nota 29. & 55.

2. "Peccatum, pro quo imponi de-"bet pœnitentia solemnis, quæ solùm "imponitur pro peccato notorio, gra-"vi, & scandaloso.,,

Videatur Nota 33.

3. "Blasphemia publica, & noto-"ria.,,

Videatur Nota 34. & 57.

4. "Homicidium voluntarium, aut "realis mutilatio membri.,,

Videatur Nota 19. & 35.

5. "Falsitas scripturarum, aut testa-"tio falsi, aut occultatio veritatis co-"ram proprio Judice.,,

Videatur Nota 17. & 78.

6. "Rap-

6. "Raptus Virginum."

Videatur Nota 79. Ibi loquitur de Raptu cujuscumque fœminæ; hìc vero de raptu Virginum.

7. "Procuratio abortûs secuto effe-"ctu."

Videatur Nota 21. In illo casu non est necessarium, ut sequatur effectus, benè verò in isto.

8. "Incestus in primo, & secundo "gradu."

Videatur Nota 23. & 39.

9. "Adulterans pondera, mensuras, "aut monetas."

Videatur Nota 41.

10. "Vulneratio notabilis Paren-"tum."

Videatur Nota 19.

11. "Exponentes proles, cùm soli "eas alere possint."

Videatur Nota 42.

12. "Abusus rerum sacrarum ad ar-"tes magicas, superstitiones, malefi-"cia, & alias facturas."

Videatur Nota 2. & 3.

§. XXI.

Casus reservati in Episcopatu Solsonensi in Synodo ab Illustrissimo Domino, Domino Michaele Santos de S. Petro celebrata, & quos refert Synodalis lib. 5. de Pœnit. & remissionib. titulo 7. capite 6. pagina 92. in prima impressione, & in secunda pagina 80.

1. Raptus Virginum, & defloratio vi facta.

Videatur Nota 79. Ibi raptus cujuscumque fœminæ est reservatus; hìc verò solùm raptus virginum: ibi agitur de defloratione quamvis non violentâ, hìc verò de violenta dicitur.

2. Incestus in primo, & secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu.

Videatur nota 23. & 39.

3. Falsitas sigilli, aut litterarum curiæ Ecclesiasticæ.

4. Homicidium voluntarium.

Videatur nota 19.

5. Sodomia, & bestialitas.

Videatur nota 26. sed hìc non est reservata pollutio.

6. Contractus usurarius, & illicitus.

Videatur nota 66. & 76.

7. Defraudatio causarum piarum.

Nota 89. Hic casus loquitur de Hæredibus; Tutoribus, Dominis, & Administratoribus operum piorum, qui ex propria negligentia, aut alio modo sunt causa, quòd perdantur, aut non applicentur juxta mentem Fundatoris; hic casus etiam comprehendit eos, qui furantur, aut retinent bona dictorum operum piorum.

8. Incendium messium, vel fructuum, aut destructio vinearum, & arborum, si fiat ex proposito.

Videatur nota 29. & 55.

9. Omissio solutionis decimarum.

Videatur Nota 31. & advertendum est, hunc casum non loqui de non solventibus primitias.

10. Testis jurans falsum in judicio.

Videatur Nota 84.

11. Con-

11. Concubinarius, qui ante annum promisit dimittere concubinam, in re autem non fuit executus.

Videatur Nota 85.

12. *Maritus, & uxor, qui sine Ecclesiæ authoritate separati vivunt.*

Videatur Nota 86.

§. XXII.

Casus Reservati in Episcopatu Urgellensi in Synodo ab Illustrissimo Domino, Domino F. Emanuele de Spinosa celebrata, & eos refert Rituale hujus Episcopatûs pag. 502.

1. Raptus, & defloratio Virginum per vim.

Videatur Nota 79. & primus casus Episcopatûs Solsonensis §. 21.

2. Vulneratio Parentum baculo, manu, pede, aut alio instrumento.

Videatur Nota 18.

3. Incestus in primo, & secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu.

Nota 90. Advertendum est, quando incestus reservatur exprimendo verba consanguinitatis, vel affinitatis, non debet intelligi de copula incestûs in cognatione spirituali; quia hæc verba, consanguinitas, & affinitas, sunt determinata ad significandam cognationem carnalem.

Videatur Nota 23. & 39.

4. *Falsificatio sigilli, aut litterarum Curiæ Ecclesiasticæ.*

Videatur Nota 17. & casus quintus reservatus in Episcopatu Vique §. 18.

5. Homicidium voluntarium.

Videatur Nota 19.

6. Sodomia, & bestialitas.

Videatur Nota 26. & casus 5. Episcopatûs Solsonensis §. 21.

7. *Non solutio decimarum, non facta restitutione.*

Nota 91. Hic casus est difficilis modo, quo refert Synodalis his verbis: Non solutio decimarum, non facta restitutione. Quia hæc ultima verba non videntur concordare, aut habere connexionem cum primis. Existimo, intentum Synodalis esse; reservare non solùm peccatum eorum, qui non solvunt decimas, sed etiam admonere Confessarios, ne absolvant eos, qui non solutis decimis restitutionem ablati, aut debiti Ecclesiæ facere renunt; quamvis eos absolvere possit, si concurrat aliqua ex causis relatis in Dialogo tract. 7. cap. 4. part. 9. num. 88. & seqq.

Videatur Nota 31.

8. *Simonia, quamvis non sit completa ex utraque parte.*

Videatur Nota 15.

9. *Incendium, aut devastatio, aut destructio vinearum, & arborum, si fiat ex proposito.*

Videatur Nota 29. & circa verbum ex proposito, Videatur Nota 55.

10. Testis jurans falsum in judicio.

Videatur Nota 84.

Referre casus, qui sunt reservati in quolibet Episcopatu, & dare noti-

 tiam

tiam, explicationémque omnium, nimis prolixum esset; quare existimo sufficere relatos in integro decursu hujus Tractatûs, per notanda verò iisdem annexa poterit haberi notitia casuum cujuscunque Diœcesis; cùm vix possit dari casus reservatus in aliqua Diœcesi, cujus notitia non possit haberi per aliquod ex notandis hujus Tractatus.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Et hæc pro nunc dicendis sat scripta visum sit. reliqua dicenda ad secundam partem refero. Hæc, & illa, & omnia cedant (ò Faxit DEUS) in æternæ Sapientiæ honorem, animarúmque suo inæstimabili cruore redemptarum salutem. Omnia Catholicæ Ecclesiæ censuræ submitto, piorúmque Doctorum sensui meliori subjicio.



PRAXIS CONFESSIONALIS ET EXPLICATIO PROPOSITIONUM DAMNATARUM.

INDEX
TRACTATUUM, ET CAPITUM
Secundæ Partis hujus Libri.

TRACTATUS. XII.

De statu, & obligatione Sacerdotum.

TRACTATUS XIII.

De officio, & statu Parochorum.

TRACTATUS XIV.

De statu Religioso.

TRACTATUS XV.

De statu Ministrorum Justitiæ.

TRACTATUS XVI.

De aliis Statibus, & Officiis particularibus.

TRACTATUS XVII.

Explicantur 45. Propoſitiones damnatæ à Sanctitate D. N. Alexandri VII.

TRACTATUS XVIII.

Appendix.



APPRO-



APPROBATIO
OFFICII EPISCOPALIS LABACENSIS.

Cum præsens Liber in duas Partes divisus, ac intitulatus: Praxis Confessionalis, & explicatio propositionum damnatarum à Sanctitate D. N. Papæ Alexandri VII. & Innocentii XI. Authore P. F. Jacobo de Corrella Capucino SS. Theol. Lectore, à P. Fr. Francisco Maria Gradiscano Capucino SS. Theol. Lectore & Guardiano in Latinum idioma translatus judicio Theologorum, à quibus ex Commissione nostra revisus fuit, nihil fidei orthodoxæ, aut bonis moribus adversum contineat, concedimus hisce licentiam, ut imprimatur. In quorum fidem &c. Ex Officio Episcopali Labaci die 27. Februarii 1713.

(L.S) JOANNES ANTONIUS Thalnitscher de Thalberg, SS. Theologiæ Doctor, Prot. Apostolicus, Cathedralis Ecclesiæ Decanus, & Vicarius Generalis Labacensis.

DIA-

DIALOGUS INTER CONFESSARIUM ET POENITENTEM.

PARS SECUNDA.

TRACTATUS XII. DE STATU SACERDOTALI.

Ne ſcribam vanum, duc Pia Virgo manum.

Littera C. indicat Confeſſarium, & Littera P. Pœnitentem.

Aggredior ſecundam Partem Praxis (in qua de ſtatibus particularibus tractare debeo) agendo de ſtatu Sacerdotali tanquam ſupremo, in quo caſus magis practicos ad Ordinem, Titulum, Officium, & Miſſam pertinentes diſcutiam, reſervando ad ſecundam Partem Conferentiarum cætera in hac materia fuſiùs, & explicatiùs tractanda.

CAPUT I.

De Ordine.

P. Pater Rev. Accuſo me angi aliquo ſcrupulo à tempore quo ſacris Ordinibus fui initiatus.

C. Eſtne ſcrupulus utrùm validè, vel licitè ſacros Ordines ſuſceperit?

P. Meus ſcrupulus ad utrumque ſe extendit.

C. Dicat ergo V. D. ingenuè qua de cauſa, unde nam conſcientiæ remorſum ſentiat?

P. P. R. Anceps eram utrùm fuerim confirmatus, & cum hac culpabili negligentia inquirendi veritatem ſacros Ordines ſuſcepi.

C. Putabátne ſe peccare ſuſcipien-

piendo SS. Ordines cum hoc dubio?

P. P. R. Multùm dubitavi, & timui.

C. Et non deposuit hoc internum dubium per aliquam rationem probabilem?

P. Non P. R. Sed cum ipso fui operatus.

C. Peccavit ergo graviter hoc modo suscipiendo SS. Ordines, quia operari cum conscientia practicè dubia in materia gravi, peccatum mortale est, sed V. D. operata est cum conscientia practicè dubia in materia gravi, ergo mortaliter peccavit.

Benè verùm est, quòd V. D. potuisset deponere dubium suæ conscientiæ, & licitè SS. Ordines suscipere, tametsi perseverasset in dubio an fuerit confirmata, & licèt etiam pro certo scivisset oppositum, quamvis Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 4. sanciat, quòd ante SS. Ordines debeat recipi Sacramentum Confirmationis, nihilominus Sotus, Victoria, Suarez, & alii docent non peccari graviter per susceptionem SS. Ordinum ante Confirmationem, quod modò commune esse affirmat Diana part. 2. tract. 16. resol. 4. Moya quoque in suis select. part. 2. tract. 4. Miscellan. quæst. 11. num. 11. censet nec venialiter peccari suscipiendo SS. Ordines ante Confirmationem: & hoc cum Petro de Ledesma & aliis ita probat; ideò in non ordinandis omissio Confirmationis non est peccatum veniale, quia nullum est præceptum de ejusdem receptione, sed neque in ordinandis est præceptum de prævia receptione Confirmationis, siquidem Concilium Tridentinum loc. cit. ut Moya ibidem allegat, hoc non præcipit, ergo non erit peccatum veniale suscipere SS. Ordines ante Confirmationem. Hic discursus Moyæ mihi videtur probabilis, & genuinus, adeóque ex ipso infertur, quòd V. D. potuerit deponere conscientiam dubiam, & licitè ordinari.

2. Nunc dicat mihi, dum cum hoc dubio SS. Ordines suscepit, putavítne eos invalidè suscipere?

P. P. R. De hoc dubitavi tempore ordinationis.

C. Putavítne, quòd prævia receptio Confirmationis esset conditio necessaria ad validam ordinationem?

P. P. R. de hoc etiam dubitavi.

C. Habuítne intentionem recipiendi SS. Ordines? quia cùm voluntas nequeat velle, aut attentare aliquid impossibile, si V. D. putavit Confirmationem esse conditionem necessariam ad validè suscipiendos SS. Ordines, videtur quòd non potuerit habere intentionem eosdem suscipiendi.

P. P. R. Ego habui intentionem suscipiendi SS. Ordines casu quo omissio Confirmationis in hoc nullum afferret impedimentum.

C. Ergo V. D. verè, & validè fuit ordinata, est doctrina in casu simili R. P. Torrecillæ in suis consult. Moral. tract. 1. consult. 21. num. 2. Ubi lo-

loquendo de quodam, qui tempore suscipiendi Subdiaconatum dubitavit utrùm haberet sufficientem ætatem, quam tamen habebat, dicit validè fuisse ordinatum, si exclusiva intentionis fuit conditionata, nempe non habeo intentionem suscipiendi ordinem nisi habeam sufficientem ætatem, sed in nostro casu V. D. pariter habuit intentionem conditionatam, id est habeo intentionem suscipiendi ordinem, nisi adsit impedimentum omissionis Confirmationis, ergo cùm hoc impedimentum non adsit, validè fuit ordinata præsupposita conditionata intentione.

3. Confirmatur hoc ex doctrina Thomæ Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 33. num. 2. ubi ait quòd contrahens Matrimonium cum errore facti, & scientia Juris, id est ille qui erroneè putat se habere aliquod impedimentum dirimens, quod à parte rei non habet, & cum hoc errore contrahit Matrimonium, conscius quòd impedimentum dirimens illud irritet, ait, inquam, hic Auctor talem validè contrahere, dummodo habeat intentionem conditionatam contrahendi, nempe si impedimentum non obstet, ergò licèt in casu nostro adsit dubium utrùm obstet, vel non, omissio Confirmationis, non propterea nulla erit receptio Ordinis cùm supradicta conditionata intentione.

4. Dicet aliquis, quòd hæc doctrina sit opposita Decreto Innocentii Papæ XI. per quod damnatur sententia asserens licitum esse sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, & tutiori in rebus, à quibus pendet valor Sacramentorum ex institutione Christi, atqui ex intentione recipientis dependet valor Sacramenti ex institutione Christi, ergo in hoc casu relicta opinione probabili eligenda est tutior, & probabilior: Sublumo, sed tutior est opinio; Quòd Ordo receptus cum hac intentione conditionata sit nullus, & quòd necessariò sit iterandus, ergo nostra resolutio non subsistit, & consequenter dicendum nullam fuisse susceptionem Ordinis. Respondeo primò nostram doctrinã nullo modo esse oppositam hujus Pontificis decreto, per quod solùm damnatur sententia adstruens posse nos sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, & tutiori in his, à quibus dependet valor Sacramenti ex institutione Christi, sed opinio, quòd Sacramentum susceptum cum conditione vera de præsenti, aut præterito non est tantùm probabilis, sed certissima & tutissima, ut cum Suarez ait Torrecilla loc. cit. loquens de conditione in secundo sensu, ergo cùm in nostro casu Sacramentum Ordinis fuerit susceptum cum vera intentione sub conditione de præterito, sequitur certissimum esse, & non tantùm opinabile, veram & validam fuisse susceptionem Sacramenti, adeóque noster casus

casus in dicta condemnatione non includitur.

Respondeo secundò Propositionem damnatam comprehendere Ministros conferentes Sacramenta in conferendis &c. non recipientes, prout cum R. P. Torrecilla dixi 1. part. Praxis tract. 11. n. 9. ergo non se extendit ad nostrum casum, qui non de Ministro sed de recipiente Ordinem loquitur.

5. P. P. R. accuso me esse in dubio utrùm tempore susceptionis Ordinis materiam ejusdem tetigerim.

C. Omissio contactûs Materiæ fuitne cum advertentia & malitia?

P. Non P. R.

C. Si cum advertentia, & malitia omisisset contactum dictæ materiæ, graviter peccasset, ita Bassæus verb. Ordo 2. sub num. 2. §. Ad tollerandos, in fin. quia contactus materiæ est de necessitate præcepti Ecclesiastici, & in materia gravi, sed transgressio præcepti Ecclesiastici in materia gravi est peccatum mortale, ergo graviter peccaret, qui scienter, aut cum malitia materiæ sui Ordinis contactum omitteret.

P. P. R. certus sum me ex malitia eum non omisisse, sed duntaxat quia in susceptione Ordinis festinanter me gessi, hoc dubium mihi remansit.

C. Habétne V. D. fundamentum aliquod dubitandi de dicti contactûs omissione?

P. P. R. Nullum aliud habeo præter dictam festinationem, & ambiguitatem in qua pro tunc me inveni.

C. Ergo V. D. debet hoc merum scrupulum reputare, & ut talem contemnere. Et ut V. D. ãimo magis quieto vivat, & ampliùs non fluctuet, sciat valde probabile esse ad valorem Ordinis non requiri necessariò physicũ, & realem contactum materiæ. Ita cum Alberto, Armilla, Henriquez, Vasquez, & aliis tradit Layman p. 2. lib. 5. tract. 9. cap. 5. num. 4. nec obstat relatum Decretum Innocentii XI. cùm hoc de Ministris, & non de recipientibus loquatur, ut suprà diximus, idémque asserit in terminis nostri casûs A. R. P. Torrecilla ubi sup. consult. 2. n. 110. & 111.

6. P. P. R. me accuso, quòd post contracta cum una puella sponsalia SS. Ordines susceperim.

C. Petiitne V. D. consensum puellæ pro dissolutione sponsalium?

P. Non P. R.

C. Certum est, quòd si V. D. petiisset consensum puellæ, hoc obtento absque scrupulo SS. Ordines suscipere potuisset, conveniunt enim DD. quòd sponsalia per mutuum consensum contrahentium dissolvantur.

7. Dicat mihi, cognovítne V. D. hanc puellam virtute sponsalium?

P. Non P. R.

C. Duæ opiniones, & ambæ probabiles sunt circa hunc casum, prima est Sanchez. lib. 1. de Matrim. disp. 47. n. 3. dicentis, non posse licitè sus-

cipere

cipere Ordines illum, qui contraxit Sponſalia de futuro; ſecunda eſt Soti, Cordubæ, Pontii & Navarii, quos citat & ſequitur Diana p. 3. tract. 4. reſol. 208. aſſerentium licitum eſſe ſuſcipere SS. Ordines poſt contracta ſponſalia, quia in his ſubintelligitur conditio, niſi meliorem ſtatum elegerim: quare juxta hanc opinionem V. D. non peccavit ſuſcipiendo SS. Ordines poſt contracta ſponſalia.

8. Inter has duas opiniones mediam invenio; nempe quòd præciſâ copulâ cum contractu ſponſalium licita ſit SS. Ordinum ſuſceptio, & in hoc ſenſu valet opinio Pontii & Dianæ, ſed ſi ſecuta fuit copula, nullatenus absque conſenſu perſonæ læſæ licitum erit SS. Ordines ſuſcipere; in quo ſenſu vera eſt opinio Sanchez. Ratio eſt, quia quando duo concurrunt, quorum unum tendit ad percipiendam aliquam utilitatem, alterum ad evitandum aliquod damnum, præponderat hoc ſecundum, ſed quando ad ſponſalia ſequitur copula, concurrunt damnum perſonæ offenſæ, & utilitas ordinandæ, ergo damnum præferendum eſt utilitati.

9. P. P. R. Me accuſo, quòd, cùm intensè illam puellam diligerem, non planè voluntariè, ſed ex metu meorum Genitorum SS. Ordines ſuſcipere decreverim.

C. Quales nam minas incuſſerunt Genitores, ut eam obligarent ad SS. Ordines ſuſcipiendos?

P. Dixerunt, quòd quandocumque uxorem ducerem, & SS. Ordines non ſuſciperem, non ſolùm hæreditate, & alimentîs neceſſarîs, verùm etiam eorum gratiâ, & benevolentiâ eſſem privandus.

C. Hic eſt metus gravis & cadens in conſtantem virum, nihilominus vera, & valida fuit ſuſceptio Ordinis, quia actus quem elicit voluntas ex metu gravi, licèt ſit involuntarius ſecundum quid, ſimpliciter tamen voluntarius eſt, ut habeo in meo Tom. 1. Confer. Moral. tract. 2. ſect. 1. Conf. 4. num. 21. pag. 231. Sed ſic eſt, quòd cum actu ſimpliciter voluntario, ſeu involuntario mixto ſit ſufficiens intentio ad validè ſuſcipiendum Ordinem, ut dicit Baſſæus verb. Ordo 3. ſub. n. 5. §. Qui verò: ergo V. D. validè ſuſcepit Ordinem, & verè eſt ordinata non obſtante metu incuſſo à Genitoribus.

10. Ratificavítne internè Ordinationem?

P. P. R. nunquam de hoc cogitavi.

C. Celebravítne nonnunquam ſpontè utendo Ordine ſuſcepto?

P. Ita P. R.

C. Eſt opinio Sanchez, & Azorii, quam tanquam communem citat Diana part. 2. tract. 4. reſol. 193. quòd ſuſcipiens Ordines ex metu gravi, quamvis validè ſit ordinatus, non obligetur tamen ad continentiã Sacro Ordini annexam, & quòd validè poſſit Matrimonium contrahere, licèt

licèt contrarium teneat Basilius de Lion lib. 6. de Matrim. cap. 29. n. 3. & etiam addunt Bassæus ubi supr. Bonacina Tom. 1. quæst. 3. de Matrim. punct. 9. num. 1. Quòd, qui ad Ordines promotus est per metum gravem, non teneatur recitare Divinum Officium. Limitatur tamen hæc doctrina (ajunt Bassæus, & Bonacina) nempe si per vim, & metum ordinatus non ratificaverit spontè ordinationem verbis, aut facto, ut semel, vel pluries liberè utendo Ordine suscepto, in hoc enim casu adstringitur ad servandam castitatem, & recitandum D. Officium. Et cùm V. D. saltem tacitè ratificaverit ordinationem, siquidem liberè, & spontè eâ usa fuit, hinc sequitur eam obligari ad Castitatem, & Horas Canonicas, quamvis metu Parentum Ordines susceperit.

11. P. P. R. Me accuso, quòd cùm violenter in statu Sacerdotali viverē, illicitam conversationem cum muliere soluta habuerim.

C. Longóne tempore amicitiam hanc habet?

P. P. R. per quatuor annos.

C. Hæc mulier moratúrne in domo V. D.

P. Ita P. R. tanquam ancillam eam in domo teneo.

C. Solétne frequenter cum ipsa peccare?

P. Quotiescunque tentatio invadit quod valdè frequenter accidit.

C. Suppono hanc esse occasionem proximam conjunctam cum habitu peccandi: Modus examinandi, quo ad numerum, & speciem peccatorum occurrentium in hoc casu contra sextum præceptum Decalogi videri potest. 1. part. hujus Praxis. tract. 6. cap. 1. 3. 5. & seq. Quo ad habitum & occasionem proximam peccandi videatur ibidem tract. 10. in prop. 60. 61. 62. damnatis. Hìc solùm de circumstantia Ordinis Sacri agam, & suppono pœnitentem confiteri in sacristia cum intentione post Confessionem celebrandi Missam. Casus valdè arduus, & non modicùm frequens in praxi.

12. Dicat mihi, putabátne V. D. se comittere sacrilegium habendo copulam cum hac persona?

P. Ita P. R.

C. In supracitata opinione n. 10. juxta quam promotus ex metu gravi ad Ordines non obligatur ad votum continentiæ, nisi ratificet expressè aut tacitè Ordinem susceptum, necessariò sequitur taliter ordinatum non committere Sacrilegium, sed simplicem fornicationem; cùm verò V. D. ratificaverit saltem tacitè Ordinem susceptum per liberum ejus usum, nequit excusari ratione metûs gravis.

13. Sine dubio V. D. existimavit votum continentiæ esse annexum receptioni Ordinis Sacri?

P. Ita P. R.

C. Plures, & graves Authores citati

ti à R. P. Leandro de Murcia Capucino in suis Disp. Moral. tom. 1. lib. 2. disp. 2. resol. 15. n. 1. sentiunt promotos ad SS Ordines non obligari ad continentiam ratione voti præcisè, sed ratione præcepti Ecclesiastici, quam opinionem ait esse probabilem Diana part. 1. tract. 11. resol. 12. & ex hac sententia infert P. Murcia loc. cit. n. 10. & 14. ordinatum Ordine Sacro non committere sacrilegium per copulam cum muliere soluta.

Verior tamen est opinio contraria asserens votum castitatis esse annexum Ordini sacro, ita D. Thom. in 4. dist. 17. q. 1. a. 1. in corp. Riccardus, plerique alii, quos citat, & sequitur Murcia ubi supr. n. 6. Bassæus verb. Ordo. 4. sub num. 3. §. Responsio: & hæc opinio communiter est in praxi recepta, ex qua constat ordinatum Ordine sacro committere sacrilegium per accessum ad mulierem, & etiam stando primæ opinioni censeo eum ita peccare; quia sacrilegium committitur quandocunque vel violatur locus sacer, vel res sacra, vel persona sacra, sed sic est, quòd ordinatus ordine sacro etiam seclusô votô castitatis sit Persona sacra ratione Ordinis, & Ministerii, ergo etiam seclusô votô castitatis peccabit per copulam peccato Sacrilegii ita Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 27. n. 19. idem videtur dicere cum Hurtado P. Caspensis tom. 2. tract. 27. disp. 3. sect. 3. num. 25.

14. Nunc dicat V. D. cur, & quomodò tanto tempore hanc personam domo non ejecit?

P. P. R. non potui.

C. Quare non potuit?

P. Quia aliam similem pro servitio domûs non adinveni, & si hanc dimitterem, laboriosam vitam ducerem.

C. Hic titulus licèt pro priori potuisset habere aliquam extensionem in doctrina Sanchez in select. disp. 10. num. 20. in impress. Leon. citati à Diana p. 5. tract. 14. resol. 108. & Marchadi p. 2. lib. 7. tract. 3. docum. 3. num. 6. Modò tamen est practicè improbabilis, & ut talis damnatus ab Alexandro VII. in prop. 14. cujus explicatio videri potest in hoc tom. tract. 17. num. 269. & seq.

P. Propterea etiam eam non dimisi, ne fundamentum præberem malè de me, & de ipsa suspicandi, & ne ambobus aliquod dedecus & infamia adveniret.

C. Neque hic titulus est sufficiens, ut dico *1. part. Praxis tract. 10. super easdem propos. 61. & 62. damnatas ab Innoc. XI. & idem tradit, me citato R. P. Emanuel à Concept. in suo tract. de Pœnit. disp. 2. quæst. 12. n. 185.* Et ratio est; quia vel est notum, aut est suspicio, quòd V. D. habeat amicitiam cum hac persona, vel non? si est notum, aut habetur suspicio ex indiciis, & signis sufficientibus, nulla infamia, sed potiùs honor sequetur

ex

ex ejusdem expulsione, siquidem omnes concludent, quòd timeat Deum, & ab opposito malum esse Christianum judicabunt. Si non est notum, nec habetur suspicio cum gravi fundamento, sed solùm ex levitate, & malitia populi, nulla infamia exinde sequetur, quemadmodum nec sequeretur, si alia Persona, vel V. D. dimitteret aliam famulam, quod frequenter contingit. Hæc ratio, & doctrina est valdè notanda à Confessariis, ut innuit Joan. Sanchez ubi supr. num. 23. ad finem disp. 10.

15. Hoc supposito, & quòd V. D. sit in occasione proxima voluntaria constituta, jam noscit me eam absolvere non posse absque violatione Decreti Innocentii Papæ XI. Propos. 61. & absque meæ suæque animæ damnatione.

P. Quomodò ergo me absolverunt toto hoc tempore alii Confessarii concurrentibûs iisdem circumstantiis, quas modò V. P. in hoc casu reperit?

C. Hoc est, quod modò miror, & sæpiùs miratus sum dari Confessarios tam parùm propriæ, ac Pœnitentium saluti consulentes, ut aliquos in occasione proxima propter commune cum amicabus domicilium constitutos, alios habentes ad libitum expositum, & facilem ingressum ad earundem domos, & alios inveteratis habitibus peccandi affectos absque ullo respectu, & cautela absolvant contra Decretum D. N. Innoc. Papæ XI. in Prop. 60. 61. 62. damnatis, per quod participes fiunt eorum perseverantiæ in peccatis. Nescio utrùm hujus causa sit eadem quæ damnavit Judam, qui cùm ad confitendum suum peccatum ad D. Petrum, aut alium Apostolorum non accessisset, Principibus Sacerdotum id confessus fuit. *Principibus Sacerdotum, & Senioribus Matth. 27.* qui erant participes ejusdem criminis.

16. Meam conscientiam justificare nequeo, nec V. D. debet velle meam damnationem propter sua peccata, & eorum absolutionem, dum Theologia pro ea impertienda mihi non suffragatur.

P. P. R. promitto firmiter ampliùs Deum non offendere.

C. Hoc idem suppono V. D. promisisse in aliis confessionibus, quod tamen nunquam executioni mandavit.

P. P. R. nunquam mea promissio fuit ita firma sicut modò.

C. Non se defatiget, seu ut vulgò dicitur, non aërem verberet, quia nisi ab hac occasione se absentet absolutè eam non absolvam.

P. Nónne V. P. me sacris vestibûs ad celebrandum indutum cernit, & omnes hìc adstantes Missam audituros expectare, apud quos magnam notam incurram, nisi me absolvat, & ego celebrem?

C. Hoc jam seriò consideravi, cui pa-

pa non est mea, sed V.D. quæ usque modò distulit confessionem, quam antecedenter debuisset persolvere. Nota, quam apud adstantes potest incurrere ex negatione absolutionis, evitabitur per largitionem Benedictionis cum solitis precibus, absque tamen forma absolutionis.

P.P.R. Quomodo possum omittere celebrationem Missæ absque notibili infamia, cùm sim ita paratus, & dispositus.

C. Potest hoc evitare simulando aliquod deliquium, vel quòd V.D. fuerit vocata ob aliquod urgens, & grave negotium, quod non patiatur dilationem, & si hoc commodè fieri non potest, nec aliud justum motivum adinveniatur ad evitandam notam, & scandalum circumstantium V.D. potest se gerere adinstar illius, qui tenetur celebrare, nec habet copiam Confessarii. Dispqnat se ad fervidum actum veræ, aut existimatæ contritionis, & hoc sufficiet ad celebrandum. Ut in casu simili dicit P. Emanuel à Conceptione in suo tract. de Pœnit. disp. 2. q. 16. num. 232.

17. P. Aut V.P. fert judicium, quòd habeam attritionem, & me pœniteat meorum peccatorum, vel quòd non me pœniteat; si primum, quomodò mihi denegat absolutionem. Si secundum, quomodò mihi suadet ut ad celebrandum eliciam actum contritionis, qui est præstantior, & difficilior attritione.

C. Quantumvis ego existimem quòd V.D. non habeat attritionem, possum judicare, quòd possit se disponere ad actum contritionis mediante Dei gratia, quæ nulli deest ex parte suæ pietatis, & misericordiæ: & licèt judicarem V.D. esse attritam, & stando in terminis Judicis possem hac ratione eam absolvere, quia tamen hìc non solùm Judicis, sed etiam Medici animæ suæ officio fungor, ideò teneor applicare medicinam ipsi necessariam pro sua spirituali salute, & cùm pro cura sui morbi medium necessarium sit absentatio à societate illius personæ infectæ, ne lepra contagiosa culpæ ampliùs inficiat, proptereà usque dum ipsam non dimittat, nequeo V.D. absolvere. Denique licèt ego feram judicium speculativum de attritione V.D. mandatum tamen rigorosum habeo, à Summo Pontifice in propositionibus damnatis non absolvendi pœnitentes in similibus casibus V.D. autem potest se gerere in hoc casu, sicut is, qui uon habet copiam Confessarii, & celebrare præmisso actu contritionis veræ, aut existimatæ, ideóque eam non absolvam, licèt formarem judicium speculativum de ipsius attritione. Ad excitandam verò in se contritionem, oculos mentis elevet ad supremam, & infinitam Altissimi Bonitatem, quam omni amore dignissimam turpiter contempsit, & despexit Majestatem illam inquam perfe-

ctissimam, quam laudant Angeli, adorant Cherubim, Potestates socia exultatione concelebrant, V.D. absque ullo timore, & respectu injuriis, & offensis affecit. Nunc eam diligat toto cordis conatu, animam suam ei offerat, affectus suos eidem consecret, & crimina contra tam amabilem Deum patrata detestetur, cum firmo proposito vitam emendandi, proximamque occasionem derelinquendi.

18. Resolutio hujus casus aliis similibus applicari potest v.g. quando Beneficiatus Sacrum cantatum celebraturus accedit ad reconciliationem, quando Curatus paratus est legere Sacrum solemne, vel filiafamilias cum Matre, & sororibus confitetur, aliisque similibus. In omnibus verò, in quibus involvitur occasio proxima peccandi, Amore Dei, & sui ipsorum PP. Confessarios rogatos volo, ut cautè se gerant, & benè perpendant, quonam fundamento absolutionem impertiantur. Experientia enim docet plurimas animas per longam temporis seriem peccatis obnoxias vivere ob omissionem, & modicum zelum PP. Spiritualium, qui summa facilitate ad absolutionem procedunt, quando justissimè deneganda esset.

19. P. P. R. Me accuso, quòd hujus personæ in peccatis meis complicis multoties confessionem exceperim, eámque absolverim.

C. In decursu confessionis consensítne in actum venereum?

P. Aliquoties motus concupiscentiæ sensi, sed semel tantùm consensi.

C. Per hunc consensum commisit sacrilegium non tantùm ex circumstantia Ordinis sacri, verùm etiam administrationis Sacramenti: Fuitne urgens causa excipiendi ejusdem confessionem?

P. P. R. Unica causa fuit ipsius pudor revelandi aliis Confessariis suam fragilitatem.

C. Absolutè loquendo, non est illicitum confiteri eidem complici, modò absit periculum pravi consensus. Ita Bassæus verb. concubinatus num. 6. Diana p. 5. tract. 14. resolut. 110. Maya in suis select. tom. 1. tract. 3. disput. 3. q. 2 cap. 4. n. 22. Ratio est, quia per hoc non redditur invalida Confessio; siquidem compossibilis est verus dolor, & propositum emendationis cum confessione facta complici, ergo &c.

Verùm universaliter loquendo hoc non est conveniens, quinimò valdè periculosum: Quæ enim documenta, consilia, admonitiones, & medicinas applicare poterit confessarius illi, cui fuit, & erit fortè eodem tempore confessionis laqueus perditionis? Quomodò ad Deum amandum hortabitur, qui antecedenter ad amorem profanum induxit? Quomodò scelera sua deflebit pœnitens in conspectu idoli, cui suos affectus dicavit? Quomodò ex percussione calybis, & silicis flammæ infernales adurentes ani-

animam non exurgent? In aliquo casu tolerari posset, nempe si alius non daretur Confessarius in illo loco, aut vicinia, vel si dum esset expositus ad exaudiendas indifferenter confessiones, inter alios Pœnitentes complex veniret, ac sine nota dimitti non posset, & in aliis similibus casibus, in quibus Confessarius valdè cautè se gerere debet objiciendo complici turpitudinem, & deformitatem peccati, majori diligentia, & rigore quàm cæteris.

20. P. P. R. Me accuso, quòd cùm in libro baptizatorum non posset inveniri authenticum scriptum mei Baptismi, SS. Ordines susceperim cum sola attestatione patris mei, quòd sufficientem ætatem haberem.

C. constabátne aut constat, quòd V. D. talem ætatem habuerit?

P. Non P. R. quinimò contrarium defacto constat; nempe, quòd in susceptione Subdiaconatus viginti tantùm annos habuerim, Diaconatus viginti unum, & Sacerdotii viginti tres.

C. Suscepítne V. D. Ordines bonâ vel malâ fide?

P. P. R. bona fide regulando meam conscientiam cum dictamine parentis, qui est vir rectus, & timens Deum.

C. Initiatus Ordine sacro mala fide ante legitimam ætatem afficitur suspensione, donec absolvatur, ut cum Quarantana ait Bonacina tom. 1. disp. 8. de Sacram. Ord. q. unica punct. 5. num. 12. & 13. & constat ex Bulla Pii V. & ex cap. Nullus de Temporib. Ordinandorum. Cùm autem V. D. testimonio sui parentis bona fide susceperit SS. Ordines, dictam censuram non incurrit, ita Bonacina & Diana part. 5. tract. 10. resol. 32. quam neque incurrit, qui ex ignorantia crassa suscipit SS. Ordines ante legitimam ætatem, ita cum Navarro, Hurtado, Villalobos & Coninch, Diana ibi.

21. Exercuítne V. D. actus Ordinis, licèt sciret se non habere sufficientem ætatem in ejusdem susceptione?

P. Ita P. R.

C. Exercuítne antequam perveniret ad legitimam ætatem, vel post?

P. P. R. ante, & post.

C. Quotiescunque V. D. exercuit actus Ordinis Sacri ante legitimam ætatem, mortaliter peccavit ita Bonacina ubi suprà.

P. Et quis poterit modò mecum dispensare, aut habilitare, ut ministerio Ordinis fungar?

C. Nónne V. D. dicit se defacto pervenisse ad legitimam ætatem?

P. Ita P. R. jam vigiti octo años habeo.

C. Ergo V. D. non indiget dispensatione, quia bonâ fide, vel etiam ex ignorantia crassa ordinatus ante ætatẽ, quamvis nequeat uti Ordine, antequã ad illam pervenerit; ubi tamen pertigerit ad legitimam ætatem, potest eo uti absque peccato. Ita Hurtado, Vil-

 la-

lalobos, & Coninch. Diana ubi suprà. Etenim si ordinatus bonâ fide ante legitimam ætatem non incurrit censuras, ergo ad eam perveniendo non indigebit dispensatione pro exercendis actibus susceptorum Ordinum.

22. P.P. R. Me accuso, quòd multoties Epistolam, & Evangelium solemniter cantaverim cum conscientia peccati mortalis.

C. Filliucius hoc damnat peccati mortalis tom. 2. tract. 1. cap. 6. n. 87. idem sentiunt Angelus, Sylvester, & Cajetanus apud Villalobos tom. 1. tract. 4. diffic. 14. num. 7. (& non diffic. 10. ut male citatur apud Dianam part. 3. tract. 4. resol. 195.) Oppositum tuentur Villalobos ibi. Coninch, Suarez, & alii, quos citat Diana ibi: Ratio est, quia nullo jure est cautum requiri statum gratiæ ad cantandum solemniter Epistolas, vel Evangelia, nec talis actio est dispensatio meritorum Christi, ut sunt Sacramenta, ergo non adest tam gravis obligatio exercendi illam in gratia. Hac ratione addit Vasquez in 3. part. disput. 136. c. 4. n. 4. neque peccatum veniale committi ab eo, qui solemniter cantat Epistolam, aut Evangelium in statu peccati mortalis. Contrarium tamen tenet cum Lugo, & aliis Diana part. 9. tract. 7. resol. 85. §. Imo: quia est contra illud dictamen, Sancta Sanctè tractanda sunt.

23. P. P. R. me accuso, quòd ob difficultatem suscipiendi Ordines à proprio Episcopo cum falsis dimissoriis ab alieno Episcopo fuerim ordinatus.

C. Suppono hujusmodi Ordinationem gravem culpam sacrilegii secum ferre.

Scivítne latam esse suspensionem contra taliter Ordines recipientes?

P. Ita P. R.

C. Si V. D. cum ignorantia non crassa, aut supina hoc fecisset, suspensionem non incurrisset, juxta dicta tom. 1. conf. tract. 2. sect. 1. conf. 2. §. 4. num. 40. Sed cùm habuerit scientiam Juris, eandem incurrit, & hæc censura lata est à Pio II. in Constitutione, quæ incipit: cùm ex Sacrorum, eamque refert Magnum Bullarium tom. 1. fol. 389. num. 7.

24. celebravítne V. D. vel alios actus solemnes Ordinis exercuit cum hac censura?

P. Ita P. R.

C. contigítne hoc ex inexcusabili necessitate, vel ad evitandum scandalum?

P. P. R. causa fuit, quia putavi petendam esse Romam pro dispensatione, & cùm non possem me resolvere ad manifestandum aliis meum peccatum cum remorsu conscientiæ hoc modo celebravi.

C. Putavítne V. D. incurrere irregularitatem celebrando post suspensionem?

P. Ita P. R.

C. perspicuum est, quòd excommu-

municatus excommunicatione majori, suspensus, interdictus, quamvis occultus, & toleratus incurrat irregularitatem exercendo solemniter, vel ex officio actus majoris ordinis, nisi excusetur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantiæ, vel inadvertentiæ, aut oblivionis ex cap. 1. de sent. excom. in 6. ita Bassæus verb. Irregularitas 9. num. 5. quapropter V. D. operando cum mala conscientia, & notitia hujus pœnæ, præter sacrilegia commissa quotiescunque celebravit, aut solemniter actus Ordinis exercuit, irregularitatem incurrit.

P. P. R. Fateor hoc, sed quid, & quomodo mihi agendum? peccatum meum est occultum, Romam adire nequeo, nec scio invenire remedium.

C. Non contristetur, quia remedium est facile, etenim cùm suspensio sit occulta, potest ab Episcopo dispensari, stante privilegio Episcopis concesso in Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. ut cum Avila, & communi dicit Diana part. 11. tract. 6. resol 4. & in opinione probabilissima Thomistarum, quæ asserit irregularitatem contractam ex delicto esse censuram, qualis est ea, quam V. D. incurrit exercendo actus Ordinis cum suspensione occulta, potest pariter Episcopus dispensare, ita Bassæus verb. Irregularitas 9. num. 6. & in simili casu P. Caspensis tom. 2. tract. 25. de censur. disput. 5. sect. 5. num. 34. Castropalaus, & alii citati à Diana ubi suprà.

25. Religiosi quoque Mendicantes virtute suorum privilegiorum possunt absolvere tam à dicta suspensione ut inquit Bassæus verb. Suspensio 3. num. 4. quàm ab irregularitate, quæ sit censura; ita affirmat P. Leander de Murcia in explicatione Regulæ N. P. S. Francisci c. 7. quæst. 8. num. 62. & 63. Diana eadem resol. in fine. Idem fieri potest virtute Bullæ Cruciatæ, ut cum Corneio, & aliis asserit Diana ibi. Ratio utriusque est, quia vi privilegiorum Mendicantium, & Bullæ possunt absolvi omnes casus jure communi reservati Episcopis, sed sic est, quòd suspensio occulta, & irregularitas contracta ex delicto occulto (excepta illa, quæ contrahitur ex homicidio voluntario) sint reservatæ jure communi per Concilium Tridentinum Episcopis, ergo utraque poterit absolvi vi privilegiorum Mendicantium, & Bullæ Cruciatæ.

Neque obstat huic doctrinæ Decretum Alexandri VII. in 3. Propositione damnata, cùm non sint hi casus Bullæ Cœnæ.

26. P. P. R. me accuso, quòd quando fui initiatus prima tonsura, & Ordinibus Minoribus, non habuerim animum postmodùm suscipiendi Ordines Majores, sed tantùm eo fine eosdem recepi, ut fruerer privilegio clericali, & exemptione fori.

C. Barbosa de potest. Episcop. part. 2. alleg.

2. alleg. num. 12. hoc damnat peccati mortalis, idem sentit cum Bannez F. Petrus de Ledesma 1. part. de Sacram. Ord. cap. 6. conclus. 3. fol. (mihi) 357. contrarium, & valdè probabiliter tenet cum Thom. Sanchez, Villalobos in Sum. part. 1. tract. 11. diffic. 14. num. 2. Et ratio est, quia Minoribus Ordinibus initiatus non peccat graviter Majores postmodùm non recipiendo: ergo neque graviter peccabit, qui iisdem initiatus fuit absque animo Majores recipiendi: quia actus interni specificantur ab actibus externis. Confirmatur: Finis legis non cadit sub lege: ergo licèt Finis Ecclesiæ conferentis Ordines Minores sit, ut successivè recipiantur Majores, hic tamen finis non cadit sub præcepto, aut obligatione, & consequenter non erit peccatum mortale, eosdem non recipere.

CAPUT II.

De Titulo ad SS. Ordines recipiendos requisito.

17. P. P. R. dicò meam culpam, quòd post obtentum beneficium redditus viginti ducatorum renuens Episcopus mihi conferre Ordines, alios triginta ficti patrimonii quæsiverim, & ad utriusque titulum fuerim ordinatus.

C. Benè fecit Episcopus non conferrendo ipsi Ordines ad solius beneficii titulum, quia viginti ducati sunt, quid tenue, titulus autem debet esse sufficiens pro decenti sustentatione, jus enim præscribit titulum, ne Clericus cum dedecore status Ecclesiastici mendicare, aut turpem quæstum exercere cogatur. Sed ad hoc non sufficit tenuis proventus, ergo necessariò debet esse sufficiens, quænam verò quantitas ad vitæ sustentationem sufficiat, arbitrio Episcopi dijudicanda est, nam determinatio eorum, quæ à jure præscribuntur, sed non definiuntur, prudentis viri judicio relinquuntur: ita Bonacina de Sacram. Ord. disp. 8. q. unic. punct. 5. n. 38. in quo attendenda est diversitas Regionum, in aliquibus enim terra magis fructificat, quàm in aliis.

18. Quo modo, & forma V. D. confinxit titulum Patrimonij ad suscipiendos Ordines?

P. P. R. Titulus hic fuit fiduciarius, quia amicus quidam id mihi assignavit extorta promissione restituendi bona post ordinationem.

C. Fuitne factum hoc cum conditione restituendi, postquam V. D. alium sufficientem proventum acquireret, vel etiam eo non adepto?

P. Ego absolutè promisi, & obligavi me ad restitutionem imediatè post ordinationem nulla posita conditiõe.

C. V. D. graviter peccavit, Diana part. 3. tract. 4. resol. 184. quia fecit pactum remanendi absque congruo proventu ad decentem sui status sustentationem; probabile tamen est V. D. non incurrisse suspensionem à jure latam contra ordinatos sine titulo, siquidem absolutè loquendo V

D. habuit titulum, in foro tamen exteriori poterat reſcindi talis retrodonatio, & hoc in pœnam donationis, quia voluit decipere Eccleſiam, & Epiſcopum. Ledesma in ſum. tom. 1. cap. 7. de Sacram. Ord. conclus. 6. dif. 3.

29. P. poſt Ordinationem obligabórne reſtituere donatori hoc patrimonium ?

C. Ledesma loco cit. negativè reſpondet, quem ſequitur Villalobos in ſum. part. 1. tract. 11. difficult. 15. num. 10. contrarium cenſet probabile Diana ibi cum Avila, & aliis citatis. Sed verior mihi videtur opinio Ledesmæ tanquam conformior menti Concilii, ac decentiæ ſtatus Clericalis: quandoquidem ſi reſtituatur patrimonium primo Domino, Eccleſiaſticus remanet ſine proventu, & his temporibus parùm prodeſt clerica, cùm clerici videantur in magna neceſſitate conſtituti, & ad ſe ſuſtentandum famulatui obligati cum modico eorum decore, quinimò addicti miniſteriis, valdè inconvenientibus eorum ſtatui, & quandoque Jure Canonico vetitis cum detrimento propriæ conſcientiæ.

Aliud eſſet, ſi collator Patrimonii apponeret pactum reſtituendi ſibi præfatum Patrimonium, cùm V. D. adepta fuerit beneficium, aut aliunde habuerit, quo ſe valeat ſuſtentare. id enim licere affirmat Garzias de beneficiis part. 2. cap. 4. num. 169. Et in hoc caſu exiſtimo veram opinionem Avilæ & Dianæ, quòd Patrimonium ſuo Domino ſit reſtituendum, modò adſit conſenſus Epiſcopi, ita Bonacina ubi ſupr. n. 33.

30. P. P. R. dico meam culpam, quòd bonum frugiferum pro patrimonio mihi ab Amico aſſignatum fuerit ære alieno gravatum.

C. Fuitne hoc prædium creditoribus obligatum per modum veræ hypothecæ ?

P. Non P. R.

C. Si hoc prædiũ fuiſſet hypothecæ ſubjectum, non eſſet titulus legitimus, & V. D. ſuſcipiendo Ordines cum hoc titulo incidiſſet in pœnam ſuſpenſionis: Bonacina loc. cit. num. 34. nam bona transeunt cum onere hypothecæ, poſito autem onere hypothecæ, non poteſt ordinatus ali, & ſuſtentari ex iis bonis, ſi creditor velit ſolutionem ſibi fieri, ergo non titulus ſufficiens, & ſecurus ad recipiendos Ordines; ſi verò prædium non eſt hypothecæ ſubjectum, arbitror titulum in hujusmodi prædio validè conſtitui poſſe, & conſequenter ordinatum ad illius titulum ſuſpenſionis vinculo non ligari, ratio eſt, quia ordinatus habet dominium illius prædii, & jus ad fructus, ergo titulus in præfato prædio validè conſtituitur, ſicut enim valida eſt illius alienatio, ita valida eſt tituli conſtitutio, quamvis fortè fieri poſſit, ut graviter peccet, ſi aliunde nequeat creditoribus,

vel

vel ipse, vel donatarius satisfacere. Bonacina ibidem.

31. P. Sciat etiam V. P. quòd ex triginta ducatis Patrimonii mihi assignati ab illo amico, decem fuerint ex annuo redditu unius census, quem ad suum lucrum amicus habuit.

C. Erátne census perpetuus, aut redimibilis?

P. P. R. erat census redimibilis.

C. Si census fuisset irredimibilis, potuisset assignari pro competenti titulo, cùm hujusmodi stipendium, seu pensio, seu annuus redditus sit jus reale proprium illius, cui assignatur; & consequenter ad illius titulum ordinari potest, sed cùm census sit redimibilis, censet Ugolinus, quem citat, & sequitur, Bonacina suprà num. 32. §. ego verò: non esse titulum sufficientem, quia non est permanens, & fixus. Est tamen valdè probabile titulum posse constitui super censum temporalem & redimibilem. Ita cum Palao, & aliis Diana p. 9. tract. 8. resol. 25. citans pro se Azorium tom. 2. lib. 3. cap. 14. quæst. 7. Ratio est, quia quamvis census possit redimi, regulariter loquendô intra modicum tempus denuò fundari potest, ad quod Episcopus obligare debet Ordinatum adhibita interim cautione, ut pecunia collocetur apud idoneas personas, & in res frugiferas convertatur. vide Marchadam tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 7. docum. 7. num. 6. in fine.

32. P. P. R. dico pariter meam culpam, quòd facta fuerit mihi assignatio viginti ducatorum cum pacto non fruendi ipsis, seu non petendi quidquam à donatore.

C. Hoc Pactum ergo fecit V. D.?

P. Ita P. R.

C. Fuítne hoc pactum juramento aut scriptura authentica firmatum?

P. P. R. cum juramento me obligavi.

C. Fuítne hæc obligatio seria aut ficta?

P. Fuit seria, & animo eam adimplendi.

C. Si V. D. emisisset hoc juramentum absque animo id adimplendi, commisisset peccatum perjurii defectu veritatis de præsenti in juramento, non teneretur tamen servare promissum, nec fructus Beneficii resignare. Ratio est, quia juramentum non obligat ultra intentionem jurantis: ut inquit Lessius lib. 2. de just. cap. 18. dub. 10. num. 73. ergo si V. D. emisisset juramentum absque animo illud adimplendi, neque illud adimplere teneretur.

33. Cùm verò juramentum fuerit serium, & animo illud adimplendi, gravis quoque culpa fuit duplicem malitiam specie distinctam continens, unam, suscipiendi Ordines ficto titulo, alteram, invocandi Deum in testem rei malæ: quia juramentum non est vinculum iniquitatis: adeóque V. D. non obligatur retrodonare, & renun-

nuntiaro fructus donatori, quia hæc promissio irrita est, & invalida. Videatur Bonacina disp. 8. de Sacram. Ord. q. unic. punct. 5. num. 25. & 26. Bassæus verb. Juramentum 4. num. 5.

Nec obstat promissio jurata, quia juramentum de re Jure Canonico vetita non obligat, nec debet adimpleri, ut ait Thom. Sanchez in sum. Lib. 3. cap. 9. num. 29. sed sic est, quòd materia Juramenti sit jure canonico sub culpa vetita, cap. pœn. de simonia: siquidem imponit pœnam suspensionis, ergo hoc juramentum non obligat, nec V. D. tenetur illud adimplere.

34. P. P. R. debéone ab Episcopo petere relaxationem hujus juramenti?

C. Nullatenus, quia juramentum nullam inducens obligationem non indiget relaxatione, ita Bonacina *tom. 2. disp. 3. de contract. quæst. 1. punct. 1. sub num. 7. §. ex quo patet.* ita ut juramentum de re mala, id est, quæ absque peccato mortali, aut veniali adimpleri non potest, non obliget, nec indigeat relaxatione, si verò absque ulla culpa adimpleri possit, ne adimpleatur, relaxatione opus est: v. g. persona aliqua cum juramento promittit latronibus 50. Ducatos pro tuenda vita, & cùm nullum sit peccatum traditio 50 Ducatorum, necesse est, ut Judex relaxet hoc juramentum, si adimplere nolit.

In casu V. D. non est necessaria relaxatio juramenti, cùm fuerit de re mala, peccavit autem illud emittendo, ut antèdixi: nec non adimplendo peccaret: & præter peccata commissa in hoc pacto jurato incurrit suspensionem, ita cum Navarro Avila *part. 3. disp. 3. dub. 4.* & cum Suarez, & aliis Bassæus *verb. Ordo 3. sub num. 7. §. Qui mala fide.*

35. P. P. R. Major adhuc circumstantia adfuit in collatione hujus beneficii, nempe quòd ejus fructibus frui non poteram usque ad susceptionem Presbyteratûs.

C. Hoc nihil obstat, quia potest aliquis ordinari Subdiaconatu, & Diaconatu ad titulum beneficii, cujus fructus solùm ut Sacerdos percipere possit, ita cum Gartia, & Barbosa Leander de SS. Sacram. *tom. 2. tract. 6. disp. 10. q. 14.*

36. P. P. R. Alia circumstantia notabilis est, quòd hoc beneficium non fuerit perpetuum?

C. Titulus ad quem clericus ordinatur debet esse perpetuus, ita Bonacina ubi supr. num. 40. quod tanquam certum asserit Leander ibid. quæst. 16. quia redditus requiritur in Ecclesiastico ad evitandum inconveniens mendicandi sustentationem cũ suo dedecore; Sed hoc inconveniens non cessat per beneficium ad tempus, ergo debet esse perpetuum, & cùm illud V. D. non sit tale, verificatur, quòd fuerit ordinata sine titulo sufficienti, & consequenter quòd hac de causa inciderit in suspensionem latam

contra suscipientes Ordines sine vero titulo, in cap. Neminem & cap. Sanctorum dist. 70.

37. P. P. R. non fui ordinatus absque redditu, seu titulo, quamvis pars ipsius (nempe beneficium) fuerit mihi assignata cum pacto nihil petendi à præsentante.

C. Duplici ex causa V. D. ordinata fuit absque titulo sufficienti; primò, quia beneficium fuit temporaneum, & non perpetuum, & cùm tale sit, idem est ac non habere sufficiens patrimonium, ut dixi: Secundò, quia vi pacti initi cum donatore, seu præsentante beneficium ab eo collatum remansit in terminis tituli ficti, ordinari verò sine titulo, ac cum titulo ficto paria sunt. Ita Leander de SS. tom. 4. tract. 4. disp. 4. §. 1. quæst. 6.

38. P. In hoc capite num. 28. V. P. dicit me non incurrisse suspensionem, quamvis pactum inierim cum donatore retrodonandi eidem patrimonium post ordinationem, ergo neque potui incurrere ob pactum non petendi ab eodem quidquam nisi post ordinationem.

C. paritas non currit, quia inire pactum cum præsentante non petendi sustentationem, est expresè vetitum à Jure Canonico, & pœna suspensionis lata cap. pœn. de Simonia, ut affirmat Bonacina de Sacram. Ord. tom. 1. disp. 8. quæst. unica punct. 5. num. 20. inire autem pactum restituendi patrimonium donatori expressè non prohibetur, sed solùm comprehenditur ob suspensionem universaliter latam contra suscipientes Ordines sine titulo: & cùm sit opinio (nisi obstet pactum) quòd patrimonium collatum sit, vel non sit verus titulus, & primum sit probabile, propterea dixi cit. n. 28. probabile quoque esse in illo casu non incurri suspensionem.

39. P. Et quis me poterit absolvere à suspensione?

C. Fuitne publicum vel occultum hoc pactum initum cum collatore Beneficii?

P. P. R. Inter nos secretò fuit initum.

C. Cùm ergo delictum sit occultum potest in hujusmodi suspensione Episcopus absolvere ita Bonacina de Censuris disp. 3. punct. ult. num. 2. & patet ex supradictis cap. 1. num. 24. & consequenter poterit absolvi virtute Bullæ, & privilegiorum Mendicantium ut ibidem num. 25. constat. Et quia, ut inquit Laym. lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. prope finem, Sancta Sedes Apostolica concessit PP. Societatis JESU facultatem absolvendi in foro conscientiæ ab omnibus suspensionibus, quod aliis Religionibus habentibus Bullam participationis generalis privilegiorum competit.

40. P. P. R. dico meam culpam, me diù ante susceptionem Subdiaconatûs percepisse Beneficium, quod posteà dimisi, & quando illud percepi,

pi, non habui animum suscipiendi presbyteratum, sed ducendi uxorem.

C. Beneficium fuítne parochiale?

P. Non P. R.

C. Si Beneficium esset parochiale, gravis esset culpa illud assumere absque animo suscipiendi presbyteratum intra annum cum intentione colligendi fructus, eóque relicto ducendi uxorem; & V. D. teneretur ad restitutionem omnium fructuum perceptorum. Villalobos part. 2. tract. 9. diffic. 15. num. 10. & est communis.

41. Hoc Beneficium habuítne annexum Ordinem Sacrum?

P. Non P. R. ac proinde benè potui eo fungi, ejúsque fructus percipere absque susceptione Ordinis Sacri.

C. Si Beneficium simplex habet annexum Sacrum Ordinem, graviter peccatur illud assumendo absque animo suscipiendi Ordinem Sacrum, ita cum Soto, Toledo, Guttierez & aliis Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disp. 45. num. 14.* assumere enim Ministerium absque animo satisfaciendi obligationibus ipsi annexis peccatum mortale est, sed sic est, quòd posita connexione Ordinis Sacri cum Beneficio adsit obligatio illum suscipiendi, ergo qui assumit Beneficium, aut possidet absque animo suscipiendi Ordines, obligationi adeò gravi satisfacere non intendit, ergo graviter peccat, quamvis in hoc casu fructus restituere non teneatur, ita cum Navarro, Sa, & aliis Sanchez ibidem num. 13.

42. Quando Beneficium simplex non habet annexum Sacrum Ordinem, Sotus, Toledus, & Navarrus citati à Castropalao tom. 2. tract. 13. disp. 4. punct. 7. n. 15. sentiunt graviter peccari id accipiendo absque animo in eodem perseverandi, sed illud deserendi, ac opulentam uxorem ducendi, idem sentit cum Azorio, Filliucio, & Sylvio Bassæus verb. Beneficium 3. num. 13. Hæc opinio est valdè probabilis, & rationi consentanea, etenim dedecet, ut fruatur fructibus Ecclesiæ, qui eidem parùm addictus habet animum eam deserendi. Sanchez loco paulò antè citato num. 19. censet esse peccatum veniale. Castropalaus ubi supr. num. 10. affirmat, nec venialiter peccari: idem probabile esse opinatur R. P. Torrecilla loquendo de pensione in suis consult. moral. tract. 4. consil. 3. num. 6. quia ubi nulla est lex, nec est peccatum, sed non est lex, vel præceptum obligans Beneficiarium ad suscipiendos SS. Ordines, quando hi non sunt annexi Beneficio, ergo &c. Confirmatur. Licitum est Beneficiario dimittere Beneficium simplex, & ducere uxorem, ergo pariter licitum erit habere animum eandem ducendi dimisso Beneficio, cui Sacer Ordo non est annexus.

43. P. P. R. dico meam culpam, quòd ludo deditus fuerim.

C. perdidítne multùm in eo de suis facultatibus?

P. Ita P. R.

C. Notabilem quantitatem perdere in ludo est peccatum mortale, quando hoc fit cum detrimento notabili Filiorum, & uxoris (subtrahendo eis alimenta debita) quod intelligendum est non tantùm in uxoratis, sed etiam in quolibet alio, si ob hoc impotens fiat ad solvendum debita. Diana part. 7. tract. 9. resol. 37.

Dicat mihi cujusmodi bona solebat V. D. ludo exponere?

P. P. R. propria bona.

C. De hoc non interrogo, sed benè utrùm illa bona fuerint patrimonialia, vel Ecclesiastici fructus?

P. P. R. ex utrisque.

C. Certum est, quòd Ecclesiasticus habeat verum dominium bonorum patrimonialium, aut ex industria acquisitorum, & quòd liberè de iis disponere possit in vita, & testari in morte, ita Azorius part. 2. lib. 7. cap. 9. quæst. 1. & est communis. Difficultas est de bonis, & proventibus Ecclesiasticis.

Dicat mihi, fructus hi Ecclesiastici, quos V. D. dissipavit, fuerúntne ex aliqua Capellania legata, aut ex distributionibus perceptis per modum stipendii, vel fuerunt fructus Beneficii?

P. Omnes fructus indifferenter ludo exposui.

C. Distributiones, quas percipit Clericus interessendo Divinis Officiis, potest pro libitu donare tanquam verus eorum Dominus, ita cum Moneta, Lugo, & aliis Moya tom. 2. ad tract. 6. disp. 6. quæst. 2. §. 5. num. 21. Idem sentit hic Author, & benè, de Capellaniis legatis, & non collativis, & de stipendio, quod datur Sacerdoti, ob celebrationem Missæ licèt sit pingue; ejusdem opinionis est Lessius de Justit. lib. 2. cap. 4. dub. 6. num. 37. quod etiam de Capellaniis collativis affirmat cum Soto Sanchez in consil. lib. 2. cap. 2. dub. 45. num. 61. Ratio est, quia quamvis Capellaniæ collativæ reputentur pro Beneficiis Ecclesiasticis, fundantur tamen titulo stipendii pro celebratione Missarum, ergo sicut Sacerdos potest ad libitum disponere de stipendio Missarum solutarum, ita pariter de stipendio ex Capellania collativa percepto.

44. Remanet resolvendum dubium de fructibus perceptis, ex beneficiis Ecclesiasticis; in qua difficultate communiter sentiunt Canonistæ, & & plures Theologi teste Valentia disp. 10. quæst. 3. punct. 7. Lessio, & multis aliis, quos citat Leander de SS. Sacramento tom. 6. tract. 2. disp. 3. quæst. 75. quòd Ecclesiasticus non habeat dominium fructuum, quos percipit ex suo beneficio, & consequenter si eos in usus profanos, & lusus consumat, mortaliter peccet; & teneatur eos restituere pauperibus, quibus totum id, quod ex dictis fructibus suæ congruæ sustentationi superest, subministrare obligatur. Contrariam sententiam tenent Sotus, Pa-

laus, Lessius, & alii, quos citat, & sequitur Diana part. 5. tract. 8. resol. 31. Leander loc. cit. & hoc tempore communiorem, & veriorem affirmat Moya ubi supr. num. 1. quia si Ecclesiastici non haberent dominium horum fructuum, non possent eos alienare, nec de iis testari extra pios usus, sed sic est, quòd experientiâ constet contrarium, ergo dicendum est, quòd Ecclesiastici habeant dominium horum bonorum, & quòd ea donando, alienando, & expendendo validè eorundem dominium in alios transferant.

45. Quapropter validè potest Beneficiarius in usus profanos, & ludos consumere redditus Ecclesiasticos, peccabit tamen mortaliter. Ita Diana loc. paulò antè cit. Lessius lib. 2. de justit. cap. 4. dub. 6. num. 43. S. Thom. Cajetanus, Tabiena, Ledesma, & alii plurimi, quos citat, & sequitur Sanchez in consil. lib. 7. cap. 2. dub. 38. num. 1. affirmans tanquam certum, graviter peccare Beneficiarios expendentes in usus profanos fructus Beneficii reduntantes ex congrua eorum sustentatione, idem sentit Leander de SS. tom. 6. tract. 5. disp. 3. quæst. 76. Villalobos in sum. tom. 2. tract. 10. adeóque est in statu damnationis Beneficiarius expendens in usus profanos, & ludos redditus beneficii congruæ suæ sustentationi superfluos, tenetur enim eos pauperibus distribuere, aut in pios usus expendere. Opinio mitior, & laxior in hac materia est illa Hurtadi apud Dianam part. 5. tr. 8. resol. 27. dicentis, Episcopos satisfacere quartam partem omnium suorum fructuum in opera pia, & pauperes erogare, & cæteros Beneficiarios, si medietatem dent residui congruæ sustentationis, cæterùm verò eorum consanguineis elargiri possunt, sed non in profanos usus expendere. Et hoc intelligitur in communibus necessitatibus pauperum, quia in gravibus omnia superflua congruæ sustentationi tenentur pauperibus distribuere. Vide Leandrum supr. qu. 74.

46. P. P.R. dico ergo meam culpam, quòd modicam eleëmosynam fecerim de fructibus mei beneficii.

C. V. D. habuitne alimenta ex fructibus Beneficii, vel ex patrimõialibus?

P. P. R. ex utrisque.

C. Si Beneficiarius se alit ex suis bonis patrimonialibus, distributionibus, aut stipendiis, aut de his facit eleëmosynam, potest sibi compensare de fructibus beneficii, & pro arbitrio expendere totum id, quod consumpsit pro sua sustentatione, aut eleëmosynis de patrimonio, distributionibus, aut stipendiis, ita Lessius ubi supr. num. 38. quia cùm Beneficiarius habeat jus se alendi, & faciendi eleëmosynam ex fructibus Beneficii, sequitur, quòd pro omnibus expensis factis in his rebus ex aliis suis bonis possit sibi compensare cũ fructibus Beneficii.

47. P. P. R. Valdè modicum consumpsi pro mea sustentatione, & parcam vitam duxi.

C. Totum id, quod Ecclesiasticus de congrua sua sustentatione reservat parcè vivendo, potest sibi retinere, & consanguineis elargiri, nec tenetur pauperibus distribuere, ita cum Navarro, Lessio, & aliis sentit Leander ubi supr. qu. 51. & in sequentibus quæstionibus tractat, quænam sit congrua sustentatio, & quidnam per nomen sustentationis intelligatur. Vide ibi, ne hìc nimis fusè me habeã.

48. P.P.R. Meis consanguineis pariter aliquam quantitatem de fructibus mei beneficii distribui.

C. Erántne pauperes, & indigentes ipsius consanguinei?

P. P. R. Omnia, quæ iis distribui, fuerunt iisdem necessaria.

C. Licitum est Ecclesiasticis dare suis consanguineis egenis de fructibus sui beneficii necessaria ad decentiam eorum status, & conditionis. Ita Sanchez in consil. lib. 2. cap. 2. dub. 38. num. 4. & etiam aliquid plus possunt dare consanguineis egenis, quàm aliis pauperibus, ut inquit idem author ibidem num. 5. cum Navarro, & aliis, Leandro ubi supr. quæst. 72. attamen si aliquid notabile ultra eorum necessitatem elargiantur, ait Sanchez num. 4. eos graviter peccare, & pro sua opinione citat S. Thomam 2. 2. qu. 185. art. 7. ad 2. Alensem, Silvestrũ, & alios; quapropter non est licitum Ecclesiasticis redditus suorum Beneficiorum erogare pro ditandis consanguineis, fundandis majoratibus, ac alias superfluas expensas cum iisdem facere.

49. P. P. R. aliquam pecuniam de ea, quæ mihi superest beneficio, sensim accumulo, & reservo.

C. In quem finem sibi illam reservat, & congregat?

P. P.R. pro necessitatibus probabiliter mihi eventuris.

C. In quolibet Christiano est res valdè reprehensibilis accumulare pecuniam animo thesaurizãdi, hoc enim est violare præceptum illud Christi Domini. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Matth. cap. 6. cùm in ærariis cælestibus thesauros congregare debeamus. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Et si in quocunque Christiano est adeò abominabile vitium cupiditatis, & avaritiæ, quid erit in Sacerdote? erit thesaurizare iram in Divino pectore, dum inordinato affectu bona caduca sibi thesaurizat. *Thesaurizas tibi iram in die iræ.* Ad Rom. 2. v. 5. potest tamen Ecclesiasticus de fructibus Beneficii aliquid sibi reservare, non fine thesaurizandi sed pro aliqua necessitate probabiliter sibi eventura, ita cum Lugo Leander de SS. tom. 6. tract. 5. disp. 3. quæst. 68. & P. Matthæus de Moya tom. 2. ad tract. 6. disp. 6. quæst. 2. §. 4. n. 16. censet hanc quantitatem non debere excedere añuum fru-

fructum, si pingue est beneficium, si verò sit tenue aliquid plus. Omnes verò admonent necessitatem debere esse verè talem, ac ejus dubium probabile, & non imaginariam, vel solùm excogitatam, aliàs per hoc multis avaris daretur aditus accumulandi capitalia, & proventus ficto titulo necessitatis in grave pauperum detrimentum, conscientiarum damnum, ac suarum animarum perditionem: Oh utinam non verificentur de Sacerdotibus in his nostris ærumnosis temporibus verba illa liacrymabila Hieremiæ! *A minori usque ad majorem omnes avaritiæ student. Hieremiæ 6. v. 13.* Perpendite Ministri Altaris thesauros vestros non terrenos, sed cælestes esse debere: *Non habebunt Sacerdotes & Levitæ hæreditatem cum reliquo* populo *Dominus enim ipse est hæreditas eorum. Deut. cap. 18.*

CAPUT III.

De Divino Officio.

50. UT securè in hac materia procedamus, & quod certum est, affirmemus, supponendum est Sanctitatem Alexandri Papæ VII. damnasse ut scandalosas, & practicè improbabiles quinque sequentes propositiones, nempè vigesimam, vigesimam primam, trigesimam tertiã, trigesimam quartam, & trigesimam quintã in suo Decreto comprehẽsas.

Prop. 20. damn. Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna.

Prop. 21. damn. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

Prop. 33. damn. Restitutio fructũm ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

Prop. 34. damn. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

Prop. 35. damn. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

Explicatio harum, & aliarum propositionum ab hoc Pontifice damnatarum in fine hujus Libri poterit videri. tract. 17. per totum.

51. P. P. R. confiteor, quòd antequam sacris Ordinibus initiatus essem, habuerim Capellaniam, & diù Officium Divinum recitare intermiserim.

C. Erátne Capellania collativa aut legata? quia si esset legata, non obligat ad recitationem Divini Officii. ita Marchadus *tom. 1. lib. 3. part. 3. tract. 1. docum. 3.*

P. P. R. Verè non scio, utrùm Capellania fuerit legata, aut collativa.

C. Fuítne Ordinarii auctoritate instituta?

P. Ita P. R.

C. Ergo fuit Capellania collativa, quia

quia legatæ solùm auctoritate fundatoris instituuntur, collativæ auctoritate Ordinarii, & inter beneficia Ecclesiastica annumerantur; Marchadus ibi. Torrecilla *in consult. tract.* 4. *consult. 4. num. 78.*

P. Juxta hanc distinctionem erat collativa, cùm auctoritate Ordinarii fuerit erecta, & inter beneficia Ecclesiastica constituta, cæterique ejusdem titulo fuerint ordinati.

C. Hoc supposito habuit annexam obligationem recitandi Divinum Officium absolutè loquendo: Bassæus *Verb. Horæ Canonicæ 1. num. 11.* nisi fortè ex mox dicendis habeatur excusatio, seu exceptio.

52. Hæc Capellania fuítne sufficiens pro aliqua patre alimentorum, & sustentationis V. D.

P. Quidnam intelligitur per nomen sustentationis?

C. Nomine sustentationis non solùm intelligitur cibus, & potus moderatus, verùm etiam decens vestitus, habitatio, & famulatus unius famulæ: Sanchez lib. 2. consil. c. 2. dub. 67. n. 4. Martinus à S. Joseph apud Moyam tom. 1. select. tract. 2. disput. 2. q. 4. §. 1. num. 15.

P. Redditus Capellaniæ ad hæc non fuit sufficiens.

C. Non requiritur, ut ex redditu tota hæc sustentatio habeatur, ad hoc ut possit obligare ad recitandum Divinum Officium.

P. Redditus Capellaniæ ad summum potuit dimidium necessarii pro sustentatione subministrare.

C. Neque requiritur, ut dimidium seu medietatem sustentationis adæquet, pro inducenda obligatione recitandi Horas Canonicas; ad tertiam partem sustentationis fortè erit sufficiens?

P. Ita P. R. quia quadraginta ducatos annuos reddidit.

C. Reddiditne hos quadraginta ducatos demptis omnibus aliis expensis in colligendo fructus, & satisfaciendo stipendiis Missarum, quarum onus habuit Capellania?

P. Ita P. R. añuatim quadraginta ducati demptis expẽsis mihi superfuerũt.

C. Redditus Beneficii, Capellaniæ metiendus est ex eo, quod remanet post expensas factas in colligendis, & recuperandis fructibus, & solvendis stipendiis Missarum, ita cum Sanchez, Quintanaduenas & aliis Leander de SS. tom. 6. tract. 8. disp. 2. quæst. 114. Et si demptis his expensis, & stipendiis superest redditus pro tertia parte sustentationis, obligat ad recitandum Divinum Officium, sic cum Quintanaduenas, & Escobar, asserit Diana, part. 9. tract. 7. resol. 8. si verò tertiam partem substentationis non adæquet, hi AA. excusant ab obligatione Divini Officii. idem tradit Moya ubi supr. num. 12. in fine. Et Leander loc. cit. q. 112. & 113. censet quadraginta ducatos esse quantitatem requisitam, & sufficientem ad in-

inducendam obligationem recitandi Horas Canonicas. Regula tamen firma in hoc generaliter dari non potest, sed spectanda est diversitas Regionum, quandoquidem in una res sunt minori pretio, quàm in altera, & quod in uno loco ob abundantiam habetur pro decem, aut quidecim Regalibus, in altero viginti requiruntur, ut benè Quintanadvenas apud Dianam, loc. cit.

53. Nunc dicat mihi, omisítne V. D. Officium Divinum primo illo semestri, in quo obtinuit Capellaniam?

P. P. R. tunc, & alio tempore.

C. Beneficiarius aut Capellanus primo semestri postquam obtinuit Beneficium aut Capellaniam collativam non recitans horas canonicas, licèt peccet mortaliter, quotiescunque eas omittit, non obligatur tamen ad restitutionem; ita cum Navarro, Azorio, Toledo, & aliis Diana p. 11. tract. 1. resol. 7.

54. Quanto tempore præter sex primos menses V. D. omisit officium?

P. P. R. per alios sex menses.

C. Quot peccata putavit se committere in die, qua omisit horas?

P. P. R. unicum tantùm.

C. Juxta opinionem asserentem quâlibet ex horis Canonicis per se distincto præcepto præcipi dicendum est, quòd per omissionem septem horarum in die septem peccata mortalia committantur, ita Lessius de justit. & jure lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 53. contrarium est valde probabile, quod tenet Navarrus, apud eumdem Lessium ibidem Sanchez Verb. Horæ, num. 14. & plures alii affirmantes, omnes septem Horas Canonicas unico præcepto præcipi, & consequenter per omnium omissionem unicum tantùm peccatū mortale cōmitti, sed gravius omittere duas quàm unam, & adhuc gravius tres, quàm duas, quatuor, quàm tres, &c.

55. P. P. R. confiteor, quòd per duos integros annos voluntatem determinatam habuerim non recitandi D. Officium, quamvis post annum omissionis me pœnituerit, & anno sequenti illud recitaverim.

C. Per hanc voluntatem, seu determinationem V. D. tot peccata numero, vel unum cum tot malitiis numero distinctis patravit, quot dies in duobus annis continentur. ita Torrecilla in consult. tract. 2. consult. 2. n. 21. Ratio est, quia actus interni specificantur à suo objecto, eandémque cum externis habent malitiam sed sic est, quòd omissio externa Officii per duos annos tot peccata contineat, quot dies in duobus annis continentur, ergo per voluntatem omittendi per duos annos Horas Canonicas tot numero peccata fient, aut unum cum tot malitiis numero distinctis, quot dies in duobus annis continentur. Dixi, aut unum cum tot malitiis numero distinctis, ut opinioni Thomistarum non dissentiam, juxta quam in

uno numero actu non possunt duo numero peccata includi.

56. Dicat mihi, restituítne V. D. aliquid pro rata omissionis Officii?

P. Non P. R.

C. Novítne se teneri ad restitutionem ob hanc omissionem?

P. Ita P. R.

C. Quale motivum, aut causam habuit non restituendi?

P. Quia in lusu consumpsi meos redditus.

C. Quamdiu intermisit restitutionem?

P. P. R. per integrum annum.

C. Toto tempore, quo V. D. omisit culpabiliter restitutionem, fuit in statu peccati mortalis, præterquam quando eam verè pœnituit. Quot autem peccata commiserit in hac omissione, videri potest prima pars prax. tract. 7. cap. 1. num. 7.

57. P. Et quantum teneor restituere?

C. Ex sex primis mensibus post adeptam possessionem Capellaniæ, aut beneficii ob neglectas horas ad nullam tenetur restitutionem, ut dictum est num. 53. quod respondet tamen sex mensibus posterioribus, in quibus etiam omisit, tenetur restituere.

P. In restitutione debétne computari portio respondens stipendiis Missarum fundatarum in Capellania?

C. Non fili, quia hæc portio ad hunc effectum assignata est, & non pro stipendio Officii, quemadmodum, qui habet Beneficium Parochiale, & omittit recitare Officium, non tenetur restituere illam partem fructuum, quæ respondet oneribus Parochi. Ut sunt administratio Sacramentorum &c. nec ii, qui habent beneficium simplex, tenentur restituere quantitatem respondentem aliis oneribus beneficii, sed tantùm residuum ex satisfactione dictorum onerum, ita cum Henriquez, Rodriquez, Sanchez, & aliis citatis N. P. Leander de Murcia in suis disquisit. tom. 2. lib. 4. disp. 6. resol. 8. num. 2. sic pariter V. D. non tenetur restituere illam portionem, quæ respondet stipendio Missarum assignatarum in fundatione, sed residuum ipsarum.

58. P. Secundùm hoc dempto stipendio Missarum, totum residuum pro rata omissionis Officii obligabor restituere?

C. Ita est, quia licèt in beneficiis simplicibus probabile sit, quòd solummodò tertia pars fructuum respondentium diebus omissionis sit restituenda, in Canonicatibus quarta: in Beneficiis Parochialibus quinta; ut cum Enriquez, Sanchez, & Trullench ait Murcia ibi num. 7. cum Lumbier, & aliis noster P. Torrecilla in consult. tract. 4. consult. 10. num. 33. quia cùm hæc non possint metaphysicè taxari, & metiri, sed judicio prudentis relinquantur, rationi consentaneum videtur eam quantitatem

in dicta forma assignare; quia verò in Capellaniis est fixa, & firma quantitas stipendii respōdentis numeroMissarum à fundatore assignato, nec alia onera Capelláno sint imposita, sequitur, quòd totum residūm dempto stipendio Missarum respondeat oneri Divini Officii, & consequenter id omittendo pro rata omissionis debeat fieri restitutio.

In casu V.D. facile erit assignare quantitatem restituendam, quia ipsius redditus demptis obligationibus Capellaniæ erant quadraginta Ducati, prout antecedenter mihi dixit num. 52. pro annua omissione horarum non tenetur restituere quod respondet primo semestri, juxta dicta num. 53. sed solùm pro cæteris sex mensibus, quod est dimidium anni, ergo tenetur tantùm restituere medietatem redditus, nempe viginti ducatos.

59. P.P.R. modò non habeo media restituendi hanc quantitatem.

C. Poterítne V.D. per alios sex menses bis quotidie Divinum Officium recitare, aut alias preces æquivalentes, applicando hoc suffragium animabus purgatorii, ac animæ Fundatoris Capellæ? per hoc enim V. D. excusaretur à restitutione pecuniaria in sententia Navarri, Suarez, & aliorum, quos citat, eámque probabilem putat Leander à Murcia, ubi supr. resol. 9. n. 4. & 5.

P.P.R. ad hoc me resolvere nequeo.

60. poterítne V.D. accipere Bullas compositionis respondentes his viginti ducatis? etenim cùm restitutio debita ob omissionem officii sit facienda pauperibus vel fabricæ Ecclesiæ, potest fieri compositio cum Bullis dando eleëmosynam quatuor Regalium pro qualibet Bulla, duos in subsidium Cruciatæ & alios duos fabricæ Ecclesiæ, ubi est fundatum Beneficium. Torrecilla in consult. Moralibus tract. 4. consult. 10. num. 47.

61. P.P.R. pro certo sciat me nec unicum habere Regalem, adeóque nec has Bullas posse accipere: eleemosynas tamen aliquas elargitus sum pauperibus, videat V.P. utrùm aliqualiter posſint hæ supplere restitutionem faciendam.

C. Quænam potuit esse quantitas eleëmosynæ factæ?

P. Erit circiter quantitas duorum ducatorum.

C. Has eleëmosynas fecítne ex fructibus Capellaniæ?

P. partim ex ipsis, partim ex aliis meis bonis.

C. Distribuítne ipsas, antequam omitteret recitare Divinum Officium, vel tempore omissionis, vel posteà?

P.P.R. postquam neglexi obligationem recitandi.

C. Dispensavítne eas cum expressa intentione per easdem satisfaciendi obligationi restitutionis sibi debitæ?

P. Non habui hanc expressam in-

tentionem, sed solummodò pietate ductus faciebam eleëmosynam.

C. Et si fuisset interrogata, an per illas eleëmosynas intenderet satisfacere obligationi restitutionis debitæ ob omissionem Horarum, quid respondisset?

P. P. R. procul dubio dixissem me per eas obligationi meæ satisfacere velle.

C. Est opinio Layman, Lugo, Lessii, & Sanchez, quos citat, & sequitur Bassæus verb. Horæ Canonicæ 5. num. 13. quam probabilem putat Leander à Sacramento tom. 6. tract. 8. disp. 7. quæst. 33. quòd Beneficiarius obligatus ad restitutionem ob omissionem Divini Officii, per eleëmosynas datas pauperibus post ejusdem omissionem liberetur à restitutione, & licèt non habuerit expressam intentionem cum iis satisfaciendi obligationi restitutionis, sufficiet interpretativa, id est si interrogatus an per eas vellet satisfacere suæ obligationi, affirmativè responderet. Suarez tamen dicit lib. 4. de Hor. cap. 30. n. 21. Has eleëmosynas ex fructibus beneficii esse largiendas, quod est conforme opinioni Pelizarii, & Leandri ibid. quæst. 38. nempe Beneficiarium ob omissionem horarum non satisfacere restituendo pauperibus aut fabricæ de aliis bonis, sed de ipsismet fructibus beneficii, & hoc fundatur in asserto Bullæ Pii V. quòd non faciat fructus suos. Id est illos fructus non pertinere ad beneficiarium omittentem horas, sed ad pauperes, & sicut res aliena est in specie restituenda, quia res pro Domino suo clamat, propterea iidem fructus sunt restituendi.

62. Probabile tamen censeo, Beneficiatum per quoslibet fructus in bonitate & quantitate æquivalentes iis, quos percepit, licèt sit in specie pecunia, posse suæ obligationi satisfacere, quod probo ex doctrina Petri de Navarra tom. 2. lib. 4. cap. 1. num. 5. & Valeri de utroque foro verb. Debitum differ. 8. sub num. 1. Asserentium in foro conscientiæ satisfieri obligationi restitutionis, quamvis eadem res in specie non restituatur, dummodò alia æqualis bonitatis, & quantitatis detur, poterit tamen delinqui contra charitatem, si Dominus eam rem specificam multùm æstimabat, & amabat v. g. si esset equus pulcher & generosus: Ergo pariter obligationi restituendi fructus beneficii satisfiet dando rem æquivalentem in bonitate, & quantitate, & cùm pauperes non possint in nostro casu contristari, sive eadem res in specie, sive altera ipsis dispensetur, quia in neutram speciali affectu ducuntur, consequenter nec erit contra charitatem, si iidem specie fructus non restituantur.

63. Ex quo videtur inferri, quòd Beneficiarius cum eleëmosynis factis post omissionem horarum, licèt non

sint

ſint ex fructibus Beneficii, liberetur ab onere reſtituendi. Etenim ſi per eleëmoſynas factas ex fructibus beneficii cum intentione interpretativa ſatisfaciendi ſuæ obligationi ſatisfacit, ut inquit Suarez, ergo cùm reſtitutio non ſit neceſſariò facienda ex fructibus beneficii, ut dixi, videtur illum ſatisfacturum per quamlibet eleëmoſynam factam poſt omiſſionem Officii, cum intentione interpretativa extinguendi tale debitum.

64. Nec obſtat huic doctrinæ Decretum Alexandri VII. in propoſitione 33. damnata, quia ſua Sanctitas ſolùm damnat aſſertum, quòd reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poſſit per quaſcunque eleëmoſynas factas ante omiſſionem, non verò per eas quæ fiunt poſt omiſſionem horarum, ita cum Lumbier, & Prado ſentit N. P. Torrecilla ſuper dict. propr. num. 50.

65. P. P. R. neceſſe eſt, ut ei revelem, me non omnes has eleëmoſynas erogaſſe in pauperes loci, in quo eſt ſitum meum beneficium, ſed in alios quoque itinerantes, & peregrinos.

C. Hoc nihil refert ita cum Villalobos, & aliis Diana part. 2. tract. 12. reſol. 27. quia Pius Papa V. in Bulla, in qua aſsignat modum reſtituendi in hoc caſu, non decernit, quibus pauperibus ſit elargienda eleëmoſyna, ſed ſolùm dicit in communi pauperibus, in pauperum eleëmoſynas.

Ex viginti ergo ducatis à V. D. reſtituendis demamus duos pauperibus diſtributos, remanent modò 18. pro quibus V. D. tenetur ſatisfacere.

P. P. R. Jam ipſi dixi, me non habere media ad modò ſatisfaciendum.

C. Non ſperat intra breve tempus ea habere?

P. Non P. R. quia meus redditus eſt ita tenuis, ut vix ſufficiat ad meam honeſtam ſuſtentationem.

66. C. Et non poterit ſucceſſivè celebrare aliquod ſacrum pro defunctis, diebus, in quibus non habet obligationem pro Capellania? quia etiam hoc modo poterit ſatisfieri huic obligationi. Ita cum Suarez, & Bonacina, Caſtropalaus tom. 2. tract. 7. diſput. 2. punct. 7. num. 11. in fine.

P. P. R. cùm ſim aliquo Miſſarum Capellaniæ onere gravatus, & mei proventus ſint tenues, cæterarum Miſſarum ſtipendio pro mea ſuſtentatione indigeo.

67. C. Habétne V. D. in ſua domo parentes, aut ſorores pauperculas ad ſuſtentandum?

P. P. R. Duas ſorores Orphanas alere debeo, aliàs ſine meo auxilio perituras.

C. Poteſt ergo V. D. per expenſas, quas ex charitate, & pietate facit cum ſororibus ſupplere reſtitutionem hujus quantitatis pauperibus faciendam, Diana in reſol. 27. citata. Torrecilla ubi ſupr. num. 45. Quapropter ſi Beneficiarius aut Capellanus habeat Paren-

rentes, Fratres, aut sorores pauperes, non solùm mendicas, verùm etiam si necessariis ad eorum status, & personæ decentiam careant, potest ipsis dari per modum restitutionis aliis pauperibus faciendæ. Quinimò idem Beneficiarius aut Capellanus pauper potest sibi ipsimet applicare, quod pauperibus restituendum foret cum consensu sui Confessarii, aut alterius viri docti, cùm non sit pejoris conditionis cæteris pauperibus (modò sit verè pauper) sic cum Navarro, & aliis pluribus Leander à Sacramento ubi supr. quæst. 30.

68. Diana, & Torrecilla locis citatis limitant hanc doctrinam, nempe, quòd Beneficiarius possit sibi applicare danda cæteris pauperibus, dicendo, hoc intelligendum esse, quando per hoc non datur ei occasio denuò omittendi horas: Ego tamen censeo, & credo, mentem horum gravium Authorum esse, quòd Beneficiarius pauper ob periculum hujus omissionis, non licitè quidem, validè tamen id faceret: non licitè, inquam, id faciet in hoc casu, quia nulli licitum est facere id, quod est ipsi occasio, & periculum peccandi, ergo si Beneficiarius pauper applicendo sibi restitutionem, habeat occasionem omittendi horas, non poterit licitè facere hujusmodi applicationem; validè tamen eam faceret, id est, immunis esset ab onere ulterioris restitutionis posita etiam tali occasione, quia, ut sit exemptus à sua obligatione, sufficit restituere pauperibus; hoc supponimus verè ab ipso factum, ergo sibi applicando, liberabitur ab hoc onere. Et confirmatur, quia Beneficiarius succurrens suis Parentibus, Fratribus, aut sororibus egenis satisfacit obligationi restituendi cæteris pauperibus, ut concedunt Diana & Torrecilla absque limitatione, quòd id non fiat in occasionem omittendi horas, & qui satisfacit cum Bullis compositionis, sufficienter satisfacit, ait Torrecilla num. 47. absque hac pariter limitatione, & quamvis commoditas satisfaciendi cum Bullis, aut subveniendi pauperibus Parentibus, aut fratribus egenis esset occasio non recitandi horas, non per hoc Beneficiarius desinet validè satisfacere obligationi restitutionis, licèt illicitè propter periculum id faciet, ergo idem dicendum, quando sibi ipsimet, tanquam pauperi applicat, quod aliis restituendum foret.

69. P. Domus in qua habito necessariò est reparanda, poterône in ejusdem reparatione impendere portionem, quam teneor restituere pauperibus?

C. Hæc Domus éstne pars annexa Capellaniæ?

P. Ita P. R. est pars redditus instituti à fundatore.

C. Obligavítne fundator Dominum, aut ejus Hæredes, vel alium tertium

tium ad conservandam dictam domum?

P. Non P. R. hæc est obligatio Capellani.

C. Ergo benè potest V. D. eandem reparare cum fructibus pauperibus distribuendis, ita tenet Leander à Sacram. supr. quæst. 27. cum Suarez, Bonacina, & aliis, Torrecilla loc. cit. num. 44.

70. Quod in hoc casu dictum est de modo, & obligatione restitutionis, ad quam tenentur Beneficiarii, & Capellani non recitantes Divinum Officium, idem intelligendum de Clericis pensionariis, id est, qui fruuntur pensione, si parvum Officium nostræ Dominæ non recitant, ad quod Pius V. in sua Constitutione eos obligavit, ita Castropalaus *ubi supr. num. 16.* & P. Matthæus de Moya *in suis select. tom. 1. tract. 2. disp. 2. quæst. 4. §. 1. num. 16.*

71. P. P. R. confiteor, quòd duobus mensibus non recitaverim Divinum Officium, quia Confessarius aliquis mihi dixit, quòd, quamvis graviter peccarem non recitando, nullam tamen obligationem restitutionis tanquam Capellanus exinde haberem.

C. Et V. D. remansit cum conscientia serena, & quieta super doctrinam hujus Confessarii?

P. P. R. nullus mihi remansit scrupulus de hoc casu.

C. consumpsitne V. D. fructus suæ Capellaniæ respondentes duobus mensibus absque scrupulo, & bona fide?

P. Ita P. R.

C. Ex consumptione fructuum horum duorum mensium reservavitne V. D. aliquid de solitis domesticis expensis?

P. Non P. R. quia eos ludo exposui.

C. Erroneum fuit consilium hujus Confessarii, cùm autem V. D. bona fide consumpserit portionem respondentem iis duobus mensibus, nec aliquid de ordinariis expensis reservaverit, liber manet ab onere restitutionis. Sic Thom. Sanchez in consiliis lib. 2. cap. 2. dub. 86. n. 3. nam possessor bonæ fidei, qui alienum consumpsit, non tenetur restituere, nisi id, in quo factus est ditior: at V. D. ex consilio sui Confessarii se constituit possessorem bonæ fidei, cum qua etiam hanc quantitatem consumpsit, & in nihilo factus est ditior, ergo non tenetur restituere, quod bimestri omissioni correspondet.

72. P. P. R. confiteor etiam, quòd sæpissimè itinerando intermiserim Divinum Officium.

C. Qua de causa intermisit?

P. P. R. semel intermisi, quia ex me ipso nescivi illud recitare, nec socium potui habere, aliis vicibus, quia non inveni Breviarium.

C. Non poterat ex propria domo secum ferre Breviarium?

P. Ita

P. Ita P. R. sed ex oblivione, & absque malitia illud reliqui.

C. Non scivit memoriter Horas Minores, Vesperas, & Completorium?

P. Nihil scivi pro tunc, quia erat primus annus, quo obligabar ad recitationem.

C. In his circumstantiis inculpabiliter V. D. omisit Horas Canonicas, quo supposito ad nullam tenetur restitutionem: Sic cum Navarro Sanchez ibidem num. 1. Ratio est, quia Pius V. imposuit obligationem restitutionis in pœnam culpæ, quæ committitur ob omissionem Divini Officii, ergo quando omittitur absque culpa, nulla erit obligatio restitutionis, sed suppositis mihi narratis nulla fuit culpa in his occasionibus omittendo officium, ergo nullum habet onus restitutionis. Advertat tamen, quòd si scivisset aliquam Horam memoriter, licèt esse solum Completorium, mortaliter peccasset, id non recitando, ut dico part. 1. Prax. tract. 10. proposit. 54. damn. num. 210. Et consequenter teneretur ad restitutionem partis correspondentis Horæ, quam culpabiliter omisisset.

73. P. P. R. confiteor, me aliquibus diebus omisisse unam Horam Divini Officii.

C. Omisitne eam culpabiliter, aut ex naturali oblivione?

P. P. R. non fuit ex oblivione, sed ex pigritia.

C. Fuitne Matutinum, vel Laudes, aut alia ex Minoribus Horis?

P. Bis omisi Matutinum cum Laudibus, & vigesies completorium.

C. Si V. D. omisisset ex naturali oblivione recitationem, nec peccasset, nec teneretur ad restitutionem, ut dixi num. præcedenti. sed cùm omiserit ex pigritia graviter peccavit quotiescunque aliquam ex dictis Horis omisit, & tenetur quantitatem fructuum iis correspondentem restituere.

P. Et quantum est id, quod teneor restituere?

C. Qui omittit Matutinum cum Laudibus, debet restituere dimidium illius portionis respondentis diei omissionis; si omittit alias sex Horas, debet restituere aliud dimidium, si unam tantùm ex Minoribus, sextam partem fructûs illius diei: ita expressè constat ex constitutione Pii V. quæ dicit: *Qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui verò Matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat*: Et secundum opinionē suprà relatam, per hanc dimidiam, aut sextam partem restituendam à beneficiario non debet intelligi dimidia, aut sexta pars totius portionis respondentis cuilibet diei, benè verò dimidia aut sexta tertiæ, quartæ, aut quintæ

quintæ partis illius, quod de beneficio respondet cuilibet diei, juxta diversitatem beneficii simplicis, aut Parochialis, aut Canonicatus: ita Torrecilla ubi supr. num. 34.

74. P. confiteor, quòd multis diebus omiserim in Officio culpabiliter, & negligenter aliquas commemorationes Sanctorum, aliquas preces, aut partes alicujus psalmi.

C. Fuitne aliquid notabile, quod omisit?

P. Una vice fuit tertia pars unius Horæ Minoris, aliis vicibus fuit dimidia, & cæteris aliquis Nocturnus Matutini.

C. Non conveniunt omnes Authores in decernendo, quænam pars officii sit materia gravis. Navarrus, Azorius, & alii, quos citat Bassæus Verb. Horæ Canonicæ 5. num. 2. existimant omissionem tertiæ partis unius parvæ Horæ esse lethale peccatum: Sylvester, Tabiena, Suarez, Layman, & alii citati à Bonacina tom. 1. de Horis Canonicis disput. 1. quæst. 5. punct. 1. num. 2. arbitrantur tertiam partem Horæ non esse materiam gravem, sed medietatem. Idem Bonacina ibi sentit cum Lessio unam Horam ex minoribus constituere materiam gravem. Ego primam opinionem censeo aliquantùm rigorosam, tertiam nimis laxam, & secundam magis consentaneam, juxta quam dico, quòd omissio dimidiæ partis unius Horæ Minoris, sit materia peccati mortalis, & hoc in praxi quilibet vir conscientiosus teneret, & approbaret. In Horis Majoribus, Matutino, Laudibus, & Vesperis, ait cum Sanchez & aliis N. P. Leander de Murcia in explic. Regul. Seraph. cap. 1. sup. 3. Reg. num. 29. quòd omissio quartæ partis sit peccatum mortale, & Bassæus ubi supr. quemlibet Nocturnum in Matutino dicit materiam gravem æstimari. Sanchez in sum. tom. 1 lib. 1. cap. 19. num. 8. tres Lectiones cum Responsoriis in feriali officio, aut Sancti simplicis docet esse materiam parvam. Secundùm has doctrinas quotiescumque V. D. intermisit culpabiliter dimidiam partem alicujus Horæ ex Minoribus, aut aliquem Nocturnum Matutini graviter peccavit.

75. Restituitne aliquid V. D. pro rata omissionis culpabilis harum partium Divini Officii?

P. Nihil P. R. quia existimavi, nulli restitutioni me esse obnoxium, nisi integram Horam omittendo.

C. Non desunt Authores qui tuentur opinionem V. D. siquidem eam approbat, & sequitur cum Filiucio Diana part. 2. tract. 12. resol. 26. & cum iisdem Leander de Murcia, Torrecilla ubi supr. num. 35. qui citat Bonacinam pro hac opinione: non tamen rectè, quia Bonacina expressè contrarium asserit disp. 1. de Horis Canon. quæst. 5. punct. 2. num. 14. Concludunt tamen supradicti Authores pro omissione minori, quàm unius horæ

horæ integræ, non esse aliquid restituendum, posse tamen peccari mortaliter, idem esto judicium de illo, qui in singulis horis paucos versiculos omittit, qui simul sumpti gravem materiam construunt. Torrecilla pro hac opinione citat pariter Dianam, qui tamen oppositum expresse docet, ut videri potest ibidem. Contrariam opinionem veram censeo, ac dico, quòd, quotiescunque peccatur graviter per omissionem notabilis partis alicujus Horæ, toties adsit obligatio restitutionis. Sic ex Suarez, Reginaldo apud Dianam eadem resol. 26. & hæc obligatio restitutionis erit gravis, si pars fructuum respondens sit gravis, & levis, si pars sit levis, quemadmodum qui furatur, aut retinet rem alienam gravem, gravem habet obligationem restituendi, & si levem, levem.

76. Addo cum Bonacina eodem n. 14. illum teneri sub mortali ad restitutionem, qui sæpiùs partem notabilem Divini Officii omisit, quamvis singulis omissionibus non respondeat pars notabilis fructuum, sed pars notabilis respondeat omnibus omissionibus simul sumptis: quemadmodum qui per parva furta accipit magnam quantitatem, tenetur sub peccato mortali ad restitutionem, ita dicit in suo Decreto Innocent. XI. damnante propositionem 38. quæ contrarium asserebat: ergo idem dicendum pariformiter in nostro præsenti casu.

77. P. P. R. confiteor, quòd aliquoties recitaverim Divinum Officium voce adeò submissa, ut me ipsumet non audirem.

C. pronuntiavit tamen V. D. verba Officii? quia si solùm mentaliter ea recitasset, non satisfecisset obligationi, ita communiter omnes DD.

P. P. R. Licèt voce valdè submissâ recitaverim, pronuntiavi tamen verba.

C. Quamvis sententia communis teste Leandro à Sacramento tom. 6. tract. 8. disput. 4. quæst. 47. dicat, quòd recitans privatim debeat taliter pronuntiare, ut præcisa surditate se ipsum audire queat, est tamen probabile contrarium, quod tenet Azorius, & Filiucius, quos citat, & sequitur N. P. Leander à Murcia, super 3. Reg. Seraph. cap. 1. §. 2. n. 12. quia Ecclesia solùm præcipit, ut Officium recitetur non internè, sed externè, atqui pronuntians verba, licèt se ipsum non audiat, recitat externè: ergo satisfacit obligationi recitandi Divinum Officium.

78. P. P. R. Confiteor, quòd aliis vicibus recitaverim syncopando, deglutiendo, & corrumpendo syllabas.

C. Contigítne hoc voluntariè, aut ob linguæ impedimentum?

P. Sum aliqualiter balbutiens, & præceps in formatione verborum.

C. Cùm ergo hoc accidat ob naturale impedimentum linguæ, non habet, unde angetur scrupulis Villalobos

bos tom. 1. sum. tract. 24. diffic. 10. num. 7. sed ille, qui culpabiliter, aut quia magna festinatione, & præcipitantia recitat, peccabit graviter, vel leviter ad proportionem excessus in abscisione syllabarum, & tunc erit excessus gravis, quando taliter obtruncantur verba, ut corrumpatur eorum significatum V. G. si ad dicendum Domine labia mea aperies, diceretur Domi abia me apeties &c.

79. P. Aliis vicibus recitavi cum socio, qui ob linguæ impedimentum aliqualiter malè pronuntiavit.

C. Nihil refert, V. D. sufficienter adimplevit obligationem recitandi Divinum Officium. Diana 2. part. tract. 12. resol. 32. §. legitur qui & cum Diana Leander à Sacramento ubi supr. quæst. 60.

80. P. P. R. confiteor, quòd multoties fuerim distractus in recitando Divinum Officium.

C. Erátne voluntaria, vel involuntaria distractio?

P. P. R. multoties erat involuntaria, & aliquoties voluntaria.

C. Qui recitat Divinum Officium cum distractione involuntaria, satisfacit præcepto, & non peccat, nisi causam culpabilem dederit suæ distractioni, defectu præparationis, & modicæ diligentiæ in ea evitanda, in hoc enim casu erit peccatum veniale, distractè recitare. Ratio est, quia peccatum debet esse voluntarium in se, vel in sua causa, & alterutrum ex his est necessarium, & sufficiens ad constituendam culpam, ergo ille, qui est involuntariè distractus in Officio, si causam culpabilem dederit suæ distractioni, peccabit, secùs si non dederit.

81. Dicat mihi, hæ distractiones voluntariæ, fuerúntne externæ, vel internæ?

P. Semper fuerunt internæ, recitando mente distracta, & una, vel altera vice etiam externè fui distractus.

C. Qui recitat Divinum Officium cum internà distractione voluntaria non satisfacit præcepto Ecclesiæ, & graviter peccat, in opinione Navarri, & Azorii, quos citatos sequitur Villalobos ubi supr. diffic. 15. num. 6. Idem sentiunt Cajetanus, Medina, & plurimi alii citati à Diana part. 2. tract. 12. resol. 2. docentque obligari ad restitutionem. Navarrus de orat. cap. 20. num. 32. Sotus de justit. lib. 10. quæst. 9. art. 6. conclus. 4. & 6. Contrarium asserunt Layman, Sylvester, & alii, quos citat Diana ibidem idque probabile censet Lessius lib. 2. de justit. cap. 37. dub. 11. (non 2. ut ibidem eum citat Diana) num. 63. ejusdem opinionis est pariter Diana, quia Ecclesia non præcipit actus internos, sed externos, ergo qui externè recitat, quamvis internè sit distractus, satisfaciet præcepto Ecclesiæ, peccabit tamen venialiter, si voluntaria sit distractio, non tamen mortaliter, nec fructus beneficii re-

ſtituere tenetur. Utramque opinionem probabilem exiſtimo, ſed prima probabilior, communior, & vera mihi videtur. Vide Moyam tom. 1. tract. 2. diſput. 2. qu. 1. num. 9.

82. Nunc mihi dicat, quoties recitaverit Divinum Officium cum externa diſtractione voluntaria.

P. P. R. ſemel me induendo, in fine recitavi primam, & me exuendo Completorium: aliis vicibus aliquid ſcribendo.

C. Quando V. D. recitavit induendo aut exuendo ſe venialiter peccavit ex defectu reverentiæ, ſed non mortaliter. Quotiescunque verò recitavit ſcribendo, non ſatisfecit præcepto, & ſi hoc modo recitavit notabilem partem Officii V. G. Horam aliquam parvam, aut medietatem graviter peccavit. Videatur Leander à Sacramento tom. 6. tract. 8. diſp. 4. quæſt. 19. & 20. Ratio eſt, quia non ſatisfit præcepto recitandi, quando fit aliquid incompoſſibile cum attentione, ut conſtat ex cap. dolentes de celebr. Miſſ. ſed ſic eſt, quòd ſcribere, legere, pingere, & ſimilia ſint incompoſſibilia cum attentione requiſita ad Divinum Officium, non verò induere ſe, exuere, aut vultum, vel manus lavare, ergo qui recitat ſcribendo, legendo, aut pingendo non ſatisfacit, benè verò qui recitat lavando, veſtiendo, aut ſpoliando ſe, ſiquidem Eccleſia ordinavit Orationes dicendas, dum Sacerdos lavat, veſtit, & exuit ſe ad celebrandam Miſſam, quod non permitteretur, ſi hæ actiones eſſent incompoſſibiles cum debita attentione.

83. P. P. R. confiteor, quòd aliquoties recitaverim in loco, ubi perſonæ aliquæ inter ſe diſcurrebant.

C. Erátne magnus rumor converſantium, & colloquentium?

P. P. R. elevabant aliquantum vocem, licèt non exceſſivè.

C. procul dubio fuit ſemper per hoc V. D. perturbata ab attentione?

P. Ita eſt P. R.

C. V. D. Introduxítne ſe inter converſantes cum iiſdem diſcurrendo?

P. Aliquod verbum ſolebam etiam ego proferre ſuper his, quæ dicebantur.

C. Qui recitat, ubi eſt ingens rumor, & ſtrepitus, non ſatisfacit præcepto Divini Officii, ita Villalobos in ſum. part. 1. tract. 24. diffic. 15. num. 7. quia nequit ſatisfieri, quando recitatur tali modo, cum quo eſt incompatibilis attentio, aut quando adeſt res aliqua externa ejus impeditiva, ſed ſic eſt, quòd magnus ſtrepitus ſit incompatibilis cum attentione, quam externè impedit, ergo ille, qui recitat, ubi eſt magnus ſtrepitus, non ſatisfacit præcepto; ſi verò rumor eſſet exiguus, nec obſtaret attentioni, non eſſet peccatum mortale, quamvis recitans aliquod verbum in converſatione proferret, ſecùs autem ſi recitando frequenter loqueretur; clarum

eſt

est enim in hoc casu graviter peccari, nec satisfieri præcepto, cùm hæc interlocutio cum debita attentione sit incompatibilis.

84. P. P. R. confiteor, quòd semel recitaverim mente taliter distracta, ut intra meipsum nullius valoris reputaverim recitatum Officium, adeóque habui intentionem idem repetendi, quod tamen postmodùm non adimplevi.

C. Mutavítne V. D. intentionem intra eandem diem.

P. Ita P. R.

C. Judicavítne per primam recitationem se satisfecisse?

P. Remansit semper aliquis scrupulus in corde meo.

C. Suppositâ doctrinâ traditâ num. 80. quòd recitans mente distracta satisfaciat Officio Divino, non obligabatur V. D. ad ejusdem repetitionem, adeóque potuit mutare intentionem, ac sibi suadere, quòd suæ obligationi satisfecerit, & prima intentione mutata, omittere novam recitationem, ut dico in meo tom. 1. confer. moral. tract. 3. Confer. 3. §. 2. cas. 3. num. 22. fol. 150.

85. P. P. R. confiteor pariter, quòd multoties recitaverim absque intentione satisfaciendi præcepto Ecclesiæ ad hoc obliganti.

C. Habuítne V. D. expressam intentionem contrariam non satisfaciendi ea die præcepto Ecclesiæ?

P. Hoc non P. R.

C. Habuítne expressam intentionem illud recitandi?

P. Nec hoc P. R.

C. Et si dum incepit recitare interrogata fuisset, quid intendisset facere, quale responsum dedisset?

P. P. R. quòd Divinum Officium recitare vellem.

C. Ad satisfaciendum præcepto recitandi, non requiritur intentio satisfaciendi tali præcepto, sed sufficit, quòd non habeatur intentio contraria nolendi satisfacere præcepto, licèt requiratur intentio recitandi, non quidem explicita, sed implicita, quæ includitur in acceptione Breviarii, & inceptione recitationis, ut patet ex loco citato confer. §. 1. n. 12. & 13. ubi magis ex professo de hac materia hìc non replicanda tracto, proinde videatur ibi, ac etiam Villalobos ubi supr. num. 8.

86. P. P. R. confiteor, quòd in quadam occasione recitando Divinum Officium ex suggestione dæmonis ad objectum obscænum, & turpe cogitationem habuerim, nec tantùm in illud consensi per complacentiam, & delectationem, verùm etiam proposui externè peccare finito officio.

C. Fuítne plena advertentia per firmum judicium de malitia cogitationis, cui V. D. consensit?

P. Ita P. R.

C. Ad peccatum mortale tria requiruntur, nempe materia gravis, plena advertentia, & plenus consen-

sus, quomodò hoc sit intelligendum, & qualis sit distinctio inter plenam, & semiplenam advertentiam, habetur explicatum tom. 1. confer. tract. 2. sect. 4. confer. 1. §. 2. n. 9. & seq. cùm ergo in nostro casu objectum delectationis fuerit materia gravis, plenus consensus, & perfecta advertentia, non est dubium, quin V. D. graviter peccaverit, & in ea specie peccati, in qua erat objectum, cum quo habuit animum peccandi.

87. Dicat mihi putavítne, quòd consensus in hoc peccatum tempore Divini Officii exhibitus diversam speciem malitiam contineret?

P.P.R. optimè novi graviorem esse culpam.

C. Esse quid gravius nullam habeo difficultatem. Dubium est, utrùm sit circumstantia mutans speciem, & necessariò in confessione aperienda. Diana negativam tenet part. 6. tract. 7. resol. 36. & cum Navarro Sanchez in consili. to. 2. lib. 7. dub. 9. num. 3. ait, recitantem cum proposito peccandi non committere distinctum peccatum. Contrarium asserunt Sylvius in resol. var. verb. Oratio, Moya in select. tom. 1. tract. 2. disp. 2. quæst. 1. num. 7. quorum doctrinam, ut veram amplector, eamque probo; distinctio specifica peccatorum desumitur ex diversa diformitate ad regulas morum, seu ad rationem ut habetur in Confer. ubi supr. sect. 6. confer. 1. §. 1. num. 6. & seq. sic est, quòd habeat diversitatem, seu repugnantiam cum ratione peccatum tempore actualis recitationis, quàm alio tempore commissum, ergo hujusmodi peccatum habebit circumstantiam specie diversam: & consequenter in confessione aperiendam. Confirmatur: peccata, quæ opponuntur diversis virtutibus, distinguuntur specie, ut dico loco cit. num. 7. sed sic est, quòd consentiens recitando cogitationi impuræ diversas offendat virtutes, V. G. Castitatem, & Religionem, ergo duo peccata specie distincta committit.

88. Dicat mihi, credidítne V. D. se satisfacere obligationi Divini officii hoc modo recitando?

P. P. R. Licèt scirem me culpam adeò gravem committere, attamen prædictam obligationem adimplere mihi videbatur.

C. per actum etiam graviter peccaminosum satisfieri potest præcepto, & legi Ecclesiæ, ut cum Palao, & Caspensi Dico in Confer. tract. 3. conf. 3 §. 1. num. 3. V. G. ille, qui pergit ad audiendam Missam ex fine libidinoso, ut mulierem à se turpiter amatam cernat, quamvis mortaliter peccet, satisfacit præcepto audiendi Missam. Limitant tamen hanc doctrinam in recitatione Horarum Canonicarum. Palaus tom. 2. tract. 3. disp. 1. punct. 18. sub. num. 2. §. Dixi. Sanchez in sum. lib. 1. cap. 14. num. 1. Bonacina de legibus tom. 2. disput.

1. quæst. 1. punct. 9. num. 2. qui licèt asserant per actum peccaminosum posse satisfieri obligationi legis, ut in dicto casu Missæ; id tamen negant in casu Horarum Canonicarum; at censeo hos Doctores ponere hanc limitationem supposita doctrina ab ipsis tradita, quòd attentio interna sit de essentia Orationis, taliter, ut recitans cum distractione voluntaria graviter peccet, nec satisfaciat obligationi D. Officii. Sic Sanchez *in consil. tom. 2. lib. 7. dub. 28. num. 2. cap. 9. & dub. 30. num. 2.* sic etiam Palaus *tom. 2. tract. 7. disp. 1. punct. 7. num. 2. & disp. 2. punct. 3. num. 4. & punct. 7. num. 7.* Sic demum Bonacina de horis Canonicis *tom. 2. disp. 1. q. 3. num. 2. §. 2. n. 4.* Dum tamen hi doctores docent, quòd cum distractione voluntaria non satisfiat divino Officio, necessarium est, ut dicant, quòd voluntariè se distrahentes per delectationem morosam non satisfaciant eidem obligationi, quamvis teneant, quòd præcepto Missæ satisfiat per actum aliàs peccaminosum.

89. Nullum potui adinvenire, qui in propriis terminis contrariam opinionem asserat; meam tamen circa hunc casum dicam. Dico igitur primò, quòd si ille, qui recitat consentiendo peccato se externè distrahat, aspiciendo, loquendo, tangendo, aut aliquam actionem indecentem exercendo cum objecto, in quod mentaliter tendit, non satisfaciet D. Officio, juxta dicta supr. num. 81. quia ponit obicem externum cum attentione incompossibilem. Dico secundò, quòd si per brevem partem Divini Officii duraret delectatio morosa, & consensus venereus, non graviter delinqueret contra ejusdem obligationem, quia illud recitare in peccato mortali, non est impedimentum ad satisfaciendum præcepto, ita Sanchez loco cit. in consil. dub. 9. num. 3. ergo quamvis præcessisset ille consensus, à quo fuit anima constituta in statu peccati mortalis, si postmodùm delectatio, aut consensus non duravit per notabilem partem Divini Officii, neque graviter ejus satisfactio fuit violata.

90. Dico tertiò in opinione relata supr. num. 81. eorum, qui dicunt satisfieri Divino Officio, cum distractione interna voluntaria, probabile esse recitantem, cum animo internè peccaminoso, & consensu in peccatum satisfacere obligationi Divini Officii, absque onere illud repetendi. Probatur; Ideò DD. dicunt satisfieri præcepto Missæ, licèt hoc fiat animo peccandi, quia attentio interna non est de essentia præcepti audiendi Missam, & quia cum illa distractione interna voluntaria potest satisfieri, ergo in opinione eorum, qui tenent, quòd attentio interna non sit de essentia præcepti recitandi Divinum Officium, infertur posse satisfieri

huic

huic obligationi, quamvis cum animo peccaminoso adimpleatur.

91. P. P. R. Confiteor, quòd tertia Februarii, dum in mea Diœcesi fieret Officium Feriæ, die antecedenti serò Matutinum S. Blasii pro die sequenti recitaverim, prætermisso Officio Feriæ.

C. Quale motivum habuit hoc faciendi?

P. P. R. Quidam Sacerdos Amicus meus me invitaverat pro die S. Blasii ad locum sui Dominicilii, ubi Officium ejusdem Sancti tanquam patroni celebrabatur.

C. Fortè V. D. cum hoc Sacerdote Amico invitante recitavit Matutinum?

P. Ita P. R. simul recitavimus.

C. Recitare Officium alicujus Sancti, quando est recitandum Officium Feriæ, etiam dedita opera, non est peccatum mortale, quia per talem mutationem non violatur substantia præcepti, sed tantùm modus, ritus, & cæremonia, si tamen fiat sine causa, erit peccatum veniale. Ita Leander à SS. Sacram. tom. 6. tract. 8. disp. 8. quæst. 61. & 62. & cum Cajetano, Layman, Lessio, & aliis multis Diana part. 2. tract. 12. resol. 3. ac cum iisdem Torrecilla tract. 4. Consil. cons. 10. num. 52. super proposit. 34. Alexandri VII. cujus explicatio cum doctrinis spectantibus ad hanc materiam in fine hujus tomi tract. 17. traditur.

Præscindendo etiam ab his doctrinis potuit V. D. absque aliquo scrupulo recitare in hoc casu Officium S. Blasii ex duplici ratione. Primò, quia die sequenti debuit esse in loco, ubi fiebat Officium S. Blasii, cujus privilegio potuit V. D. tanquam Peregrinus frui juxta dicta in Confer. tract. 3. Confer. 5. §. 2. num. 12. & in propriis terminis id asserit cum Tanchredi, Diana part. 11. tract. 4. resol. 45. prope finem. Secunda ratio, ob quam V. D. absque scrupulo potuit recitare Officium S. Blasii, est, quia recitavit cum socio, cui hoc erat licitum, nam quando unus recitat Officium cum altero, potest frui ejusdem privilegio, ita cum Portello, & Henriquez, Diana part. 2. tract. 12. resol. 35.

92. P. P. R. Confiteor, quòd in die S. Martini non recitaverim ex errore ejus Officium, quod postmodùm altera die recitavi.

C. Dies, in qua recitavit Officium hujus Sancti, erátne impedita ab Officio novem Lectionum?

P. Non P. R.

C. Si fuisset dies impedita ab officio novem Lectionum, non potuisset V. D. recitare ea die Officium S. Martini, quia non erat rationabile, ut propter erorem commissum propria dies Sancti currentis negligeretur: sed cùm fuerit dies non impedita, potuit V. D. securè recitare in ea Officium S. Martini, quinimò tenebatur in sententia Leandri à Sacram ubi supr. q. 47.

93. P. P. R. confiteor, quòd currente

rente festo S. Hieronymi die Martis ejus Officium recitaverim die lunæ, & postmodùm ejusdem Sancti Officium denuò recitavi.

C. contigítne hoc cum advertentia, aut ex errore?

P. P. R. ex æquivocatione facta.

C. Non aspexit V. D. Diarium, seu Calendarium disponens officia?

P. Ita P. R. sed æquivocavi, & putando legere Feriam secundam, legi tertiam.

C. Jam dixi num. 91. quòd recitare unum Officium pro altero (dummodò hoc non sit de Resurrectione, de quo loquar infrà tract. 17. super proposit. 34. damnatam ab Alexandro VII.) non sit peccatum mortale, sed veniale, ac proinde nec hoc V. D. commisit in præsenti casu, siquidem error non fuit cum advertentia, nec inadvertentia fuit culpabilis, cùm aspexerit Calendarium ad habendam notitiam, de quo Sancto fieret Officium, potuítque V. D. die sequenti iterum recitare Officium de S. Hieronymo, imò Leander supr. quæst. 48. docet ad hoc fuisse obligatam.

94. P. Sic pariter confiteor, quòd in festo duplici recitaverim semiduplex, & aliud simplex recitaverim tanquam duplex.

C. Fuítne ex negligentia aspiciendi, sub quo ritu fuerit recitandum Officium Sancti?

P. Ita P. R. habui enim commoditatem videndi, & interrogandi, sed ex omissione id neglexi, & hoc modo recitavi suadendo mihi, sub hujusmodi ritu ea Officia Sanctorum esse recitanda.

C. Quamvis Lezana in sum. tom. 1. cap. 12. num. 20. censeat cum Gavanto, & Barbosa graviter peccari recitando sub ritu duplici Officium Sancti, quod est sub ritu semiduplici, aut simplici, probabile tamen & tutum est oppositum: Ita cum Pellizario, Diana part. 11. tract. 4. resol. 4. quia in hoc casu observatur substantia recitandi Officium, & solùm delinquitur in modo, quod est peccatum veniale, & in hoc V. D. incurrit propter negligentiam commissam inquirendi, & interrogandi, sub quo ritu fuerit Officium illius sancti recitandũ.

95. P. P. R. confiteor, quòd una die post recitationem Matutini de feria, ex errore, inadvertentia, & æquivocatione, postmodùm noverim eadem die currere festum duplex, & hoc non obstante totum residuum de feria recitaverim.

C. Credidit V. D. hoc modo se suo muneri satisfacere?

P. Ab omni scrupulo non fui immunis, mihi tamen visum fuit melius prosequi uniformiter Divinum Officium, quàm partem de feria, & partem de Sancto recitare.

C. Caramuel in regula S. Benedicti, disp. 110. num. 1403. opinatur esse peccatum mortale recitare partem de Officio unius Sancti, aut Domini-

cæ, & alteram de feria, quia hoc non est recitare unum, sed duas medietates Officii, & consequenter dicendum, quòd recitans Matutinum de feria, in die, qua est recitandum de Sancto, totum residuum de feria recitare debeat, aut denuò recitare Matutinum cum cæteris de Sancto; idem sentit Quintanaduenas tom. 1. sing. qq. tract. 8. sing. 5. num. 8. contrarium tamen tenet Tamburinus in Decalog. lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 31. Leander à Sacramento ubi supr. quæst. 49. dicens, quòd ille, qui recitavit Matutinum de feria, quando debuisset illud recitare de Sancto duplici, non debeat continuare Officiũ de feria, sed horas recitare de Sancto, & quòd non obligetur denuò recitare Matutinum, & Laudes: ratio est, quia hoc modo unum Officium formaliter, & moraliter componitur, licèt materialiter non sit idem, & quia melius est corrigere errorem notum, quàm in illo perseverare, sed esset perseverare in errore, recitare horas de feria, quando noscitur recitandas esse de Sancto ergo &c.

96. Ex dictis infertur, quòd ille, qui recitavit totum Officium de Sancto, aut de feria, & posteà scit recitandum esse de alio Sancto, si culpabilem antecedentem negligentiam non commisit, nec peccaverit, nec teneatur secunda vice recitare de Sancto, de quo debuisset recitari, & si ex præcedenti culpabili negligentia hoc factũ fuit, peccatum veniale erit hæc negligentia, sed non tenebitur repetere Officium, nec venialiter peccabit, si denuò recitare prætermittat. Sic Leander loc. citat. quæst. 4.

97. Infertur secundò, quòd si quis recitavit de aliquo Sancto die currenti in loco sui domicilii, & postmodùm transivit ad alium, ubi nondum celebratum, sed translatum fuit Officium de tali Sancto, quamvis non teneatur recitare denuò de illo Sancto, possit tamen hoc facere, ita Leander, ibid. quæst. 52.

98. P. P. R. consuetudinem habeo recitandi Matutinum, & Laudes die præcedenti serò, dicat mihi V. P. utrùm benè faciam.

C. Qua hora vespertina solet V. D. recitare?

P. P. R. aliquando tertia, aliquando quarta hora pomeridiana.

C. Ex consuetudine jam introducta licitum est recitare Matutinum cum Laudibus pridie ad vesperam absque ullo peccato nulla interveniente causa, & potest recitari tertia, aut quarta hora pomeridiana, ita cum Caramuele Trulench, & aliis Diana p. 10. tract. 16. resol. 46. alii verò quos omisso nomine citat Marchadus tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 2. docum. 6. num. 3. sentiunt, quòd possint recitari post secundam horam pomeridiam, sed hoc nec sequerer, nec aliis consulerem, benè verò primùm. Notandum, hìc esse sermonem juxta usum, quo numerantur horæ in Hispania.

99. P. P. R. Interdum etiam pridie recitavi ſolum matutinum, Laudes ad ſequentem diem differendo.

C. Habuit aliquam cauſam illud dividendi?

P. Interdum ob aliquod occurrens negotium, quandoque ex tædio recitandi quasdam horas Matutinas longas, & ſubinde etiam ſine cauſa.

C. Ex juſta cauſa licet Matutinum dividere à Laudibus usque in diem ſequentem eas differendo.

Et ſi hoc fiat absque cauſa peccatum fore veniale, ait Azorius part. 1. lib. 10. cap. 8. quæſt. 4. ego verò probabile puto, nec fore peccatum veniale, licèt fiat absque ulla cauſa. Baſſæus verb. Horæ Canonicæ 3. num. 2. & cum Navarro, Suarez, & aliis Leander de SS. ubi ſupr. quæſt. 70. In quo caſu Gavantus docet, in fine Matutini dicendam eſſe Orationem diei, cum Dominus vobiſcum &c. Benedicamus Domino &c. Vide illum in Rubr. Miſſalis ſect. 4. cap. 2. contrarium aſſerit cum aliquibus Modernis Sanchez in Conſil. tom. 2. lib. 7. dub. 20. num. 2.

100. P. P. R. Confiteor, quòd tempore præfixo à jure, vel conſuetudine Horas non dixerim.

C. Solitáne erat V. D. dicere Horas usque ad Nonam incluſivè ante Meridiem?

P. Aliquando ita, & aliquando eas dixi poſt meridiem.

C. Quando recitavit poſt meridiem fuit ex aliqua cauſa?

P. Interdum ut poſſem manè ſtudiis vacare, & multoties absque aliqua cauſa.

C. Ad vitandum peccatum mortale ſufficit, ut dicantur eo intervallo, quod eſt inter medium noctis præcedentis, & ſequentis, quia ſic adimpletur præceptum quoad ſubſtantiam. Quinimò nec erit peccatum veniale, illud non recitare tempore à jure præſcripto, ſi adſit aliqua cauſa anticipandi, aut poſtponendi V. G. ad ſtudendum, concionandum, excipiendum Confeſſiones, aut aliquod conveniens negotium per agendum, ſed absque cauſa tempus à jure præfixum invertere, erit peccatum veniale, ita Diana part. 2. tract. 12. reſol. 14. cum communi contra Caramuelam, qui eſt contrariæ opinionis in Regul. S. Benedicti diſp. 112. art. 1. num. 1411. & probatur noſtra aſſertio exemplo S. Severini Epiſcopi Colonienſis, qui fuit graviter in Purgatorio cruciatus ex eo, quòd ſtatutis temporibus Horas non recitaverit, ut refert Papa Victor III. Deus autem eum non puniviſſet, niſi peccatum veniale in ſupradicto caſu commiſiſſet.

101. P. P. R. Nec venialiter in hoc Deum offendere vellem, adeóque placeat me edocere, quonam tempore debeam recitare Officium, ut ab omni culpa ſim immunis.

C. Ad hoc ſufficiet recitare Matu-

tinum cum Laudibus pridiè ad Vesperam, aut propria die manè: Horas minores ante meridiem, & post meridiem Vesperas, & Completorium; excepta Quadragesima, in qua dicendæ sunt Vesperæ ante meridiem. Sic N. Murcia tom. 2. disquisit. moral. lib. 4. disp. 6. resol. 13. num. 16.

102. P. P. R. confiteor, me multoties cum interruptione recitasse Horas Canonicas.

C. Quomodò fuit hæc interruptio?

P. post unius, vel duorum, aut trium psalmorum recitationem cessabam, & posteà continuabam non repetendo ab initio priora.

C. Fuitne diuturna hæc interruptio?

P. P. R. aliquando ita, aliquando verò modica fuit.

C. Lessius, Ledesma, Villalobos, & alii citati à N. P. Leandro de Murcia ibidem num. 12. & sup. cap. 3. Regul. Seraph. cap. 1. §. 2. num. 12. tenent, quòd quamvis interruptio Divini Officii notabili tempore, & sine justa causa fiat, non sit mortale ab initio non repetere; quia (dicunt) continuationem non pertinere ad essentiam Officii, sed ad modum, & solùm venialiter peccari violando hunc modum absque causa. Peccati mortalis damnant hanc interruptionem factam absque justa causa, nisi ab initio repetatur: Navarrus de Orat. cap. 16. num. 75. Suarez, Vasquez & alii, apud Murciam loco Disquisit. cit. num. 11. quia unitas partium Officii pertinet ad ejus integritatem, & formam, ergo illud recitando cum notabili interruptione sine justa causa, erit peccatum mortale.

103. Mea opinio est primò, quòd modica, & valdè brevis interruptio, etiamsi fiat absque justa causa, peccatum veniale non excedat, quia non obstante hac levi interruptione continuatur moraliter Officium: Secundò, quòd separare Nocturnos Matutini, ac divisim eos recitare, licèt ab uno ad alium effluant tres Horæ, nec sit peccatum veniale, si justa causa concurrat. Bassæus verb. Horæ Canonicæ 2. num. 16. Navarrus supr. cap. 3. num. 64. & Leandro de SS. tom. 6. tract. 8. disput. 4. quæst. 73. in fine. videtur, etiam absque causa justa recitare divisim Nocturnos non esse veniale, quod non improbabile existimo; quia quilibet Nocturnus habet minorem connexionem cum altero, quàm psalmi unius Horæ inter se: Tertiò, quòd si interveniat causa justa, nullum erit peccatum interrumpere quamlibet horam Divini Officii, quamvis sit per notabile tempus, quia interveniente causa justa cohonestatur irreverentia recitandi interruptè Officium: Quartò, quòd si absque justa causa interrumpatur notabiliter Officium, erit peccatum mortale; nisi repetatur ab initio, sic DD. citati pro secunda sententia. Causa autem justa erit assisten-

stentia ad Chorum, administratio Sacramentorum, applicatio ad aliquod grave negotium non admittens dilationem, & similia.

104. P. P. R. confiteor, quòd una die inceperim recitare à Laudibus Officium, & post Nonam recitaverim Matutinum.

C. Et quare hoc modo recitavit?

P. Quia fui in itinere.

C. Non habuit Breviarium pro recitando anteà Matutino?

P. P. R. Solum Diurnum mecum habui.

C. Invertere Ordinem horarum, quamvis sine causâ fiat, non est mortale. Ita docet cum communi Diana part. 2. tract. 12. resol. 16. quia in hoc nihil essentiale, sed solùm modale, seu accidentale violatur; & si rationabili fiat causa, nec venialis culpæ damnatur, quam causam V. D. habuit defectu Breviarii, ac proinde nec illud commisit. Layman tom. 2. lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 7. §. Adde.

P. P. R. In diurno Sancti novi commemoratio non dabatur, eamque omisi, ut posteà supplerem.

C. potuit hoc facere absque peccato. Layman ibidem.

105. P. P. R. confiteor, quòd in alia occasione, recitaverim cū Amico, qui jam dixerat Matutinum, ac cum eo Officium à Prima inceperim, recitando posteà Matutinum.

C. Iste Amicus rogavitne, ut secum diceret Officium?

P. Ita P. R.

C. potuit V. D. hoc licitè facere rogata, & invitata à suo Amico. Ita cum Sylvestro Cajetano, Suarez, & aliis Bonacina de Horis Canonicis disput. 1. q. 3. punct. 4. n. 3.

P. Sciat tamen V. P. quòd hic Amicus non ex obligatione recitaverit Divinum Officium, sed solummodò ex devotione.

C. Nihil refert, licitum est recitanti ex obligatione Officium choratim illud dicere cum non habente obligationem. Layman ubi suprà num. 8.

Aliæ dantur causæ recitandi absque aliqua culpa Horas invertendo Ordinem, V. G. si quis recitet actualiter horam immemor, quòd antecedentem non recitaverit, assistentia ad Chorum & similes, quæ possunt videri in Bonacina loco citato.

106. P. P. R. confiteor, quòd semel ante Vesperas, & Completorium dixerim Matutinum pro die sequenti.

C. Quam causam habuit hoc modo recitandi?

P. P. R. Illo Vesperi fuit obligatio recitandi Matutinum in Ecclesia, nec fui recordatus priùs orare Vesperas.

C. postmodùm tamen recitavit?

P. Ita P. R.

C. V. D. In hoc casu non peccavit. Villalobos tom. 1. tract. 24. difficul. 13. num. 1. siquidem adimplevit substantiam præcepti, habuítque causam, & excusationem non observandi modum. Plures aliæ prolixitates se se tra-

tractandas offerunt in hac materia Officii, quas curiosus Lector videre poterit apud Leandrum de Sacramento tom. 6. tract. 8. disput. 4. per totam, sufficiat scripsisse magis practicas, & necessarias.

CAPUT IV.

De Sacrificio Missæ.

Ad Procedendum cum claritate hoc Caput in tres partes dividam.

PARS I.

De Diebus, Horis, & Jejunio necessario ad dicendam Missam.

107. P.P.R. me accuso, quòd notabiliter neglexerim aliquibus temporibus celebrare sanctum Sacrificium Missæ.

C. celebravítne V. D. in quibusdam anni diebus?

P. Annus integer præteriit, in quo nunquam celebravi, aliis verò annis paucis tantummodò diebus.

C. Omisítne V. D. celebrare ex contemptu Sacrificii?

P. Non P. R.

C. Secutum éstne scandalum in populo ex eo, quòd V. D. non celebraverit?

P. Certum est, quòd causaverim notam, ac occasionem præbuerim judicandi me malè vivere.

C. Absolutè loquendo Sacerdotem legitimè non impeditum mortaliter peccare, si nunquam celebret toto anno, ita sentire videtur S. Thom part. 3. qu. 82. art. 10. (apud Bonacinam tom. 1. disp. 4. de Sacram. Euch. quæst. ult. punct. 7. n. 1.) Richardus, Baludanus, Sotus, Suarez; & alii, quos citat, & sequitur Layman tom. 2. lib. 5. tr. 5. cap. 3. n. 1. Azorius, Navarrus, Coninch, & alii apud eundem Bonacinam ibidem, probatur nostra conclusio, quia toto anno non celebrare, est abscondere talentum potestatis in terra, atqui Christus æternis flammis condemnavit illum, qui abscondit talentum in terra. Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores Matth. c. 25. ergo toto anno non celebrare est peccatum mortale.

Et quamvis aliqui Doctores fuerint contrariæ opinionis, affirmat tamen Bonacina ubi suprà, quòd Pontifex Pius V. ægrè ferens opinionem Cajetani asserentis Sacerdotem nunquam celebrantem peccare solùm venialiter, curavit in ultima Romana impressione operum S. Thomæ in opusculis hanc opinionem corrigi, & deleri. Imò illi, qui fuerunt hujus opinionis, cum limitatione eam docuerunt, nempe præcisò contemptu, aut scandalo; In nostro autem casu si contemptus abest, raró aut nunquam cessat scandalum, quandoquidem ex hujusmodi notitia dat occasionem scandali, & ruinæ, cùm ingerat suspicionem pravæ conscientiæ. Adeóque V. D. in omnium opinione ex præ-

prædicta causa graviter peccavit eo anno, quo non celebravit.

108. Nunc mihi dicat, quoties aliis annis celebravit?

P. Ter, aut quater in anno.

C. Angelicus Doctor ubi suprà sentit, quòd Sacerdos teneatur celebrare in præcipuis festis, & singulariter iis diebus, in quibus solent Fideles communicare: sed saltem videtur, quòd celebrare tenetur in præcipuis Festis, & maximè in illis diebus, in quibus Fideles communicare consueverunt. Bonacina loco citato allegat Suarez, Henriquez, & alios pro opinione asserente Sacerdotem ter, aut quater celebrantem in anno non esse reum mortalis peccati, quod probabile cum Soto, & aliis censet Leander à Sacramento supr. quæst. 2. Ego tamen fateor hos esse nimis paucos dies, nec scandalum evitandum fore ex trina, aut quaterna celebratione Sacerdotis in anno. Quare dictamen S. Thomæ est verum, & tutum, idque judico sequendum.

109. P. P. R. me accuso, quòd in quadam occasione die Jovis Sancti celebraverim.

C. contigítne aliquod scandalum in populo ex eo, quòd V. D. celebraverit transgrediendo leges Ecclesiasticas?

P. Nullum fuit secutum scandalum, quia in privato, & secreto oratorio celebravi.

C. celebravítne V. D. ea die, antequam collocaretur Sacramentum in Urna Monumenti?

P. Ita P. R. quia valdè tempestivè celebravi.

C. Secluso scandalo licitum est cuivis Sacerdoti celebrare in die Jovis Sancti. Ita cum communi Layman ubi supr. cap. 4. num. 9. hoc tamen debet esse, antequam finiatur Missa solemnis, & reponatur in Urna Monumenti Divinum Sacramentum. Leander à Sacramento tom. 2. tract. 8. disp. 5. qu. 20.

110. P. P. R. me accuso pariter, quòd una vice celebraverim in Sabbato sancto.

C. Quale motivum habuit celebrandi illa die?

P. P. R. Quia ea die currebat Festum Annuntiationis S. Mariæ Dominæ nostræ.

C. Et qualem Missam V. D. dixit? de Nostra Domina, vel de Sabbato Sancto?

P. P. R. Missam de Sabbato Sancto.

C. Et cum quali introitu? quia hæc Missa caret hoc in Missali, cùm solemnis incipiat post Kyrie.

P. P. R. Dixi introitum Missæ Paschatis Resurrectionis.

C. Quamvis aliqui dixerint esse peccatum mortale, celebrare Missam privatam in Sabbato Sancto, quam opinionem ut communem sequitur Villalobos *tom. 1. tract. 8. diffic. 2. n. 4.* est tamen probabile, quòd liceat. Ita cum

cum Suarez, Fagundez, & aliis P. Caſpenſis *tom. 2. tract. 23. diſp. 3. ſect. 2. num. 52.* Ledesma *in ſum. part. 1. cap. 19. de Sacram. Euchariſt. ſub concluſ. 5. §. nihilominus.* Leander de Sacramento *ubi ſupr. quæſt. 26.* malè citat pro hac ſententia Caſtropalaum *part. 4. tract. 23. punct. 7. num. 4. & 5.* quia, quamvis hic Author id judicet probabile, probabilius tamen cenſet contrarium, ergo cum Leander aſſerat probabilius eſſe, quòd poſſit celebrari in Sabbato Sancto (cum cautela, & ſecluſo ſcandalo) malè citat pro ſua opinione Palaum, qui probabilius tenet contrarium.

Cùm V. D. hac die celebraverit, benè fecit dicendo Introitum Reſurrectionis, & potuit etiam legere Miſſam Annuntiationis eadem die currentis. Ledesma loco citato. Et licèt hic Author cum aliis, & Palao ibidem dicat, non poſſe illa die celebrari Miſſam, antequam dicatur ſolemnis, probabilius tamen cenſet oppoſitum Leander ſupr. quæſt. 28. His omnibus opinionibus finem impoſuit Alexander VIII. qui cum ſuo Decreto anno 1690. 21. Martii emanato prohibuit, ne tam ante, quàm poſt Miſſam ſolemnem celebretur in Sabbato Sancto.

111. P. P. R. me accuſo, quòd ſemel celebraverim ante auroram.

C. Quanto tempore ante ortum ſolis V. D. incepit Miſſam?

P. P. R. duabus horis ante.

C. Celebravit fortè V. D. eo fine, ut conſecraret, & alicui infirmo viaticum deferret.

P. Non P. R. ſed quia debui iter aggredi, & ut recenti aura in itinere fruerer.

C. Rubricæ Miſſalis ſanciunt, ne Miſſa ante auroram incipiatur: & quia hæc non conſiſtit in indiviſibili, dixerunt aliqui, poſſe incipi uno quadrante horæ ante Auroram: alii, quaſi unâ horâ, alii, horâ cum quadrante, alii, horâ & mediâ, & alii denique duabus horis ante ortum ſolis. Videantur hæ opiniones in Diana part. 2. tract. 14. reſol. 33. Ego opinor poſſe incipi Sacrum unâ horâ ante ortum ſolis, & non ante, quia Rubrica dicit in Aurora, Aurora autem regulariter emittit lucis ſuæ radios, & ſua crepuſcula detegit unâ horâ ante ortum ſolis, ergo unâ horâ antequam ſol egrediatur, & non priùs poteſt incipi Miſſa: Non loquor cum Regularibus, qui ex privilegio poſſunt incipere Miſſam immediatè poſt Matutinum, aut horâ ſecundâ poſt duodecimam noctis. Ut ait Diana ibi. & ſi neceſſarium ſit dare Viaticum infirmo, poteſt etiam media nocte legi ſacrum; pro peragendo tamen itinere cum majori commoditate non licet Sacerdoti privato legere Miſſam magis tempeſtivè, quàm dictum eſt, Layman tom. 2. lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 3.

112. P. P. R. me accuſo, quòd aliâ die valdè tardè Miſſam celebraverim.

C. Qua

C. Qua hora eam incepit?

P. Hora prima pomeridiana.

C. Quo motivo?

P. Ea die fuit Processio, & Concio, & quando Missa solemnis fuit finita, erat hora post meridiem.

C. Tenetúrne V. D. ex aliqua fundatione celebrare post Missam solemnem.

P. Non P. R. sed ex devotione semper soleo celebrare post Missam solemnem, ut aliqui somnolenti, & pigri possint audire sacrum, & in re plures ea die illud non audivissent, nisi illa hora celebrassem.

C. Ultima hora diei, in qua secundùm Rubricas, licitum est celebrare, est meridies; quæ si Mathematicè non sumatur, juxta aliquos non consistit in indivisibili, & quòd uno quadrante, & paulò plùs post meridiem, possit incipi Missa: Videatur Diana supr. resol. 34. Ex justa causa, prout est in casu nostro V. D. potuit ea hora incipere, & legere Missam; ita Layman loc. cit. num. 4. qui cum Henriquez, Miranda, & Rodriquez addit, Sacerdotem ratione itineris impeditum, posse Missam incipere hora prima pomeridiana, Religiosi verò ex suis privilegiis possunt celebrare usque ad tres horas post meridiem; ita cum Joanne à Cruce Diana ibidem in fine.

113. P. P. R. Me accuso, quòd in quadam occasione celebraverim in Oratorio, in quo non fuit licentia legendi Missam.

C. Et pro priori fuítne hæc facultas?

P. Ita P. R. sed fuit concessa ad tempus limitatum, quod jam effluxerat.

C. Habuítne V. D. Bullam Cruciatæ?

P. Ita P. R.

C. In communi sententia Doctorum quos omisso nomine citat, & sequitur P. Matthæus de Moya in suis collect. tom. 1. tract. 2. disp. 3. quæst. 2. §. 2. num. 9. non est licitum celebrare in Oratorio privato, finito tempore licentiæ summi pontificis, quamvis sit cum privilegio Bullæ Cruciatæ: contrariam sententiam probabilem teneo, quam sequuntur Thomas, Hurtadus tom. 2. resol. moral. tract. 12. cap. 1. num. 2177. & alii citati à Moya ibid. §. 1. num. 4. dicentes, per privilegium Bullæ Cruciatæ licitum esse celebrare in Oratoriis, in quibus antecedenter ex concessione Apostolica hoc erat indultum, quamvis expiraverit tempus concessionis, dummodò Oratorium sit decens, ac in usus profanos non fuerit conversum: quia privilegium concessum à sua Sanctitate in his casibus, licèt primariò respiciat personam, secundariò tamen, & indirectè respicit etiam locum, ergo licèt respectu personæ (quæ vel est mortua, vel mutavit domicilium) expiraverit licentia, remanẽte decentia loci, remanet facultas habenti aliud privilegium (quale est illud Bullæ) in eodẽ celebrandi,

114. Notandum transeunter, quòd Regulares vi suorum privilegiorum possunt celebrare in similibus Oratoriis (quamvis expiraverit concessio Papæ) & in quolibet honesto loco non contradicente Ordinario. Videatur Moya loco citato quæst. 3. per totam. Et N. P. Torrecilla in consult. tract. 3. consult. 8. num. 1. & seq.

115. P. P. R. me accuso, quòd multoties sumpserim Tabaccam ante Missam.

C. Quomodo V. D. sumit Tabaccam?

P. Omni modo, in foliis, pulvere, & fumo.

C. Descendítne aliquid ad stomachum?

P. P. R. de Tabacca sumpta per os nihil descendit; de altera, quam sumebam in pulvere, & fumo, aliquoties descendit paululùm ad pectus.

C. Certum est, sub reatu peccati mortalis necessarium esse jejunium naturale ad sumendam Eucharistiam: nec in hoc datur parvitas materiæ: advertendum tamen ad fractionem jejunii naturalis duas requiri conditiones; primò, esus, vel potus alicujus rei; secundò, ut id, quod deglutitur, sit per modum cibi, aut potus. Hinc sequitur, quòd Tabacca in fumo, & pulvere non frangat jejunium naturale, quamvis descendat ad pectus, seu stomachum, quia non sumitur per modum cibi, aut potus: sic Caspensis tom. 2. tract. 22. disp. 9. sect. 4. num. 46. Tabacca, quæ sumitur per os, si aliquid de ea, deditâ operâ, in stomachum trajiciatur, frangit jejunium naturale; sed non quando tota saliva, & tabacca ejicitur ex ore: sic Diana part. 5. tract. 13. resol. 1. §. Verum modo, ratio est, quia tabacca in foliis sumitur per modum cibi, cùm dentibus conteratur: ergo si transmittitur in stomachum, franget jejunium; secùs verò non franget, quia non erit per modum cibi, aut potus. Certum tamen est, quamvis non deglutiatur, indecens esse sumi ante Missam, nec esse sumendam: primò, propter reverentiam Sacramenti: secundò, quia ex aliqua inadvertentia facilis est ipsius descensus ad stomachum. Censeo pariter parùm decens esse, uti tabacca in fumo ante Communionem; ac semper consulerem non esse sumendam; licèt non damnem peccati, maximè, si sumatur ob aliquam necessitatem.

116. P. P. R. me accuso pariter, quòd quadam die os valdè aridum ex siti laverim modicùm ante celebrationẽ Missæ, & senserim aliquam guttam aquæ descendisse ad stomachũ.

C. Permisítne V. D. advertenter, & voluntariè descendere hanc guttam aquæ ad stomachum?

P. Non P. R. sed involuntariè.

C. Potuit V. D. celebrare absque ullo scrupulo: quia in hoc casu illa gutta aquæ descendit per modum salivæ, aut respirationis, non per modum

dum potus; quo modo non frangit jejunium naturale, ita Bonacina tom. 1. disp. 4. de Sacram. Euch. quæst. 8. punct. 2. num. 6. idem dicendum, si lavando nares descenderet aliqua gutta ad stomachum: Et quamvis aliqui sentiant, quòd deglutire parùm de carta, cera, ligno, argento, auro, & similibus, frangat jejunium naturale; est tamen probabile contrarium, ita Leander de Sacramento tom. 2. tract. 7. disp. 5. quæst. 13. quia hæc nec alunt, nec sumuntur per modum cibi, aut potûs: ergo non frangunt jejunium naturale, quod nec frangitur ab eo, qui gustando cibum ad ignem repositum casu, & præter intentionem deglutit aliquod minutum fragmentum cum saliva mixtum; Castropalaus part. 4 tract. 21. disp. unic. punct. 15. num. 8. nec ab eo, qui de reliquiis ciborum pridiè sumptorum, quæ interdum hærent inter dentes casu transmittit, Layman tom. 2. lib. 5. tract. 4. cap. 6. sub num. 18. Cæterum: qui tamen cum Paludano censet per easdem, si ex industria transmittantur, jejunium naturale frangi: idem habet Bonacina ubi suprà: quamvis contrarium putet probabile Leander de Sacramento loco antè citato, quæst. 8. cum Henriquez, Tabiena, & aliis.

PARS II.

De Decentia necessaria ad celebrandam Missam.

117. P. P. R. me accuso, quòd semel celebraverim Missam absque advertentia, an fuerit vel ne Crux in Altari, & postmodùm in actu celebrandi elevatis oculis vidi non adesse Crucem.

C. Et quando V. D. vidit de esse Crucem, non curavit adferri?

P. Non P. R. ne darem notam, & causam perturbationis populo.

C. Non fuit Crux aliqua picta in effigie Altaris?

P. Ita P. R.

C. Erátne propinqua Altari, ita ut V. D posset facilè elevare in eam oculos?

P. Ita P. R. in ipsomet sacro convivio fuit crux depicta.

C. Quamvis aliqui Doctores citati à Fagundez *in 1. præc. lib. 3. cap. 21. num. 23.* dicant esse peccatum mortale celebrare in Altari, in quo non est crux: communis tamen opinio hoc negat, ita Marchadus *tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 11. Doc. 3. num. 4.* Villalobos *tom. 1. tract. 8. diffic. 26. num. 6.* & licèt Gavantus *super Rubric. Miss. part. 1. tract. 10. lit. D.* dicat, non sufficere Crucem depictam in Altari, contrarium tamen cum Tamburino tenet Diana part. 10. tract. 15. resol. 28. Ego opinionem Gavanti veram existimo, quãdo Crux nõ est proxima lapidi Altaris, sed valdè eminẽs in altitudine Picturæ, seu Imaginis, quò Sacerdos nec facilè elevare oculos, nec caput inclinare potest.

 Opi-

Opinionem verò Tamburini arbitor veram, quando Crux depicta est adeò proxima, ut Sacerdos cum modestia, & decenti facilitate possit inclinare caput Cruci juxta ordinationem Rubricæ.

118. P. P. R. me accuso, quòd semel dum me induerem ad legendam Missam, in duas partes fractum sit cingulum, & cùm unicum fuerit in Ecclesia, cum eodem celebravi.

C. Fuitne sufficiens una ex duabus partibus cinguli, ut V. D. posset se præcingere?

P. Non P. R. sed fuit necessarium, ut colligarem partes ad me præcingendum.

C. Habuitne V. D. præcisam necessitatem celebrandi illa die?

P. Fui pro tunc in uno pago, & nisi ego celebrassem, omnes habitantes in illo districtu fuissent sine sacro.

C. Est Opinio Theologorum graviter peccari celebrando absque aliquo indumento sacro, sed posita necessitate, ut erat in casu V. D. non fuit peccatum mortale celebrare absque aliquo ex minoribus vestimentis, v.g. absq; Manipulo, Stola, aut Cingulo; Ita cum Petro de Ledesma in sum tom. 1 cap. 20. de SacramEucharis. concl. 7. diffic. 3. Joanne à Cruce, & aliis ait Diana part. 2. tract. 14. resol. 57. Et quamvis Leander de Sacramento tom. 2. tract. 8. disp. 7. quæst. 42. affirmet, quòd Ledesma solùm dicat, aliquos graves viros putare non esse mortale, celebrare in casu necessitatis absque Stola, aut Manipulo, attamen si Leander benè perpendisset Ledesma, comperisset aliquid plus eum dicere, siquidem relatis addit. *loco citato: hæc opinio non est extra viam, & sine fundamento* (inquit Ledesma) *quia durissimum esset hac de causa in simili casu locum privare sacro: Nec miror quòd Leandertot Doctoribus perlegendis deditus, aliquem non ita prolixim viderit.*

119. Cingulum, cum quo V. D. celebravit, Benedictionem amiserat, quam etiam amittit quandocunque taliter perfringitur, ut neutra ex partibus divisis sit sufficiens ad præcingendum. Ita Villalobos in sum. part. 1. tract. 8. difficul. 28. n. 8. Hoc non obstante poterat V. D. celebrare in simili eventu aliqua Stola præcinctus. Idem ibidem n. 5. & si deestManipulus poterit Stola deservire pro Manipulo: Ita Azorius in Instit. Moral. part. 1. lib. 10. cap. 28. quæst. 9. & si non daretur alia Stola, aut Manipulus substituendus pro cingulo, potest V. D. ob necessitatem, quam habet populus audiendi Missam, cum cingulo fracto, & nō benedicto eamdem legere absque ullo peccato. Diana loco cit. resol. 68. in fine. Licèt autem Leander censeat in hoc casu lethalem culpam committi. ubi supr. quæst. 44. opinio tamen Dianæ mihi videtur vera, quia in hoc casu puto cessare Legem Canonicam, non enim est præsumendum de pietate Ecclesiæ, quòd velit privare suos Filios consolatione

audiendi Missam defectu benedictionis tam parvi vestimenti, cùm in hoc nulla notabilis irreverentia appareat.

120. P.P. R. me accuso, quòd quotiescumque celebro, angar scrupulo, ne aliquid plus de aqua requisita in Calicem effundam.

C. Quot guttas solet V.D. infundere?

P.P.R. duas, tres, & interdum ex inadvertentia quatuor.

C. Hæ tres, aut quatuor guttæ erúntne octava, aut decima pars vini in Calice existentis?

P. Non P. R. vix erit duodecimæ partis una.

C. certissimum est, grave fore peccatum non admiscere in Sacrificio Missæ aquam vino consecrando, ut determinavit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, §. Tertium autem Sacramentum: quia licèt quantitas aquæ sit in se res levis, respectus tamen, quem habet ad finem significatum, & Mysterium, est gravis, sed vitandus est nimius scrupulus super quantitatem an duæ, vel tres guttæ requirantur, quamvis sint octava, vel decima pars respectivè ad vinum, ita Layman tom. 1. lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 9. §. Addo denique. Lugo pariter disp. 4. num. 8. inquit, non esse habendum scrupulum, licèt sit sexta, aut quinta pars, si verò vinum esset nimis tenue, & ex inadvertentia caderet quinta, aut sexta pars aquæ, ego consulerem, ut postmodùm adderetur aliud modicum de vino.

121. P. P. R. jam habui notitiam harum opinionum, meus scrupulus provenit ex eo, quòd post Decretum Innoc. XI. in Propos. 1. damn. tutior pars sit eligenda in materia Sacramentorum, & cùm vinum sit materia Sacramenti Eucharistiæ, ideò habui scrupulum admiscendi plus, aut minus de aqua.

C. Non obstante Decreto Innocentii XI. potest V.D. deponere suos scrupulos, & sequi opiniones relatas: quia admiscere aquam vino consecrando, non est de essentia Sacramenti, inquit Angelicus Doctor part. 3. quæst. 74. art. 7. in corpore: & sicut omissio comixtionis aquæ, quamvis foret peccatum grave, non obstaret valori Sacramentum, ita neque obstaret commixtio quatuor, aut quinque guttarum, aut octavæ, vel decimæ partis; modò per eam non destruatur substantia vini, quæ est materia necessaria: Et cùm Decretum Innocentii XI. solùm loquatur de illis rebus, à quibus pendet valor Sacramenti, & hic à commixtione unius, duarum, aut trium guttarum, dummodò remaneat substantia vini, non pendeat, hinc est, quòd non obstante hoc Decreto, possit V.D. procedere in hoc casu absque conscientiæ scrupulo modo supradicto.

122. Hìc quærunt Doctores, utrùm commixtio aquæ cum vino sit de ju-

re Divino, aut Ecclesiastico: utrùm guttæ aquæ immediatè convertantur in Sanguinem Christi, vel priùs in vinum, quàm in pretiosum sanguinem, sed cùm hæc dubia magis spectent ad speculativam, quàm ad moralem doctrinam, de qua ago, ideò Lectorum remitto ad ea legenda in Layman ubi supr. num. 7. & 8. in Villalobos in sum. part. 1. tract. 7. diffic. 7. num. 3. & 5. in Diana part. 3. tract. 4. resol. 49. in Leandro de Sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 8. quæst. 41. & quæst. 52. & in pluribus aliis summistis.

123. P. P. R. me accuso, quòd post Offertorium, allata mihi fuerit particula consecranda pro communicanda una persona, eámque consecravi.

C. Ad quam partem Missæ pervenerat, quando fuit delata?

P. P. R. Ad finem præfationis, antequam proferrem Sanctus &c.

C. Obtulítne V. D. mentaliter hanc particulam?

P. Ita P. R.

C. Fuítne necessarium communicare illam personam in suo sacro?

P. P. R. illa dixit, quamprimùm esse reddituram domum, aliàs si nimiùm tardasset, Maritus eam increpasset.

C. Non potuit differre communionem ad diem sequentem?

P. P. R. erat dies Portiunculæ, ac proinde cupiebat lucrari adeò singulare Jubilæum.

C. Ex justa causa, qualis fuit hujus personæ, licitum est accipere particulas post oblationem hostiæ, easque mentaliter offerre, ita docet cum Gavanto, & Possevino Marchadus in sum. tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 11. doc. 13. num. 1. Et licèt Diana part. 2. tr. 14. resol. 71. putet hoc non posse fieri, si jam est incepta præfatio; Leander tamen à Sacramento tom. 2. tract. 8. disp. 1. quæst. 23. censet probabile, posse fieri etiam finita præfatione.

124. Addunt alii, quòd in defectu particularum liceat Sacerdoti, ad satisfaciendum devotioni alicujus personæ, cum fragmento hostiæ eam communicare: ita Sà verb. Eucharistia 15. Sanchez in suis select. disp. 22. num. 21. Alii tamen id negant, & rationabiliter, cùm sit contra usum, & communem praxim Ecclesiæ, & solùm sit concedendum in casu necessitatis administrandi viaticum infirmo, si aliæ non dentur particulæ, in quo casu communis opinio hoc permittit teste Marchado suprà num. 2.

125. P. P. R. me accuso, quòd quadam die celebrando, tempore sumptionis hostiæ super Altare particulam viderim, ob quam fui valdè suspensus, & perplexus, quidnam esset mihi agendum.

C. Fuítne particula super Corporale, vel extra?

P. P. R. In ipsomet corporali, in quo fuit Hostia.

C. potuitne V. D. particulas, ut eas consecraret ?

P. P. R. Nullam ego posui.

C. Quidnam fecit de hac particula?

P. post sumptionem SS. Sanguinis immediatè eam sumpsi.

C. Et quando consecravit, qualemnam intentionem habuit ?

P. P. R. eam, quam semper habeo, nempe consecrandi totam materiam mihi præsentem.

C. Quamvis Sacerdos habeat intentionem consecrandi totam materiam sibi præsentem, si tamen detur aliqua particula præsens sibi ignota, hæc non remanet consecrata; ita Coninch de Sacram. Euchar. in p. 3. quæst. 74. art. 2. dub. 3. num. 39. & alii, quia intentio, seu actus voluntatis non potest determinare ad id, quod intellectus non cognoscit juxta illud philosophicum adagium: nihil volitum quin præcognitum. V. D. non novit, quòd talis particula fuerit præsens, ergo nec potuit habere intentionem eam consecrandi, licèt habuerit generalem consecrandi materiam præsentem, illa autem particula erat præsens tantùm materialiter, non formaliter seu intentionaliter. Cæterùm benè operata est V. D. sumendo illam particulam ante primam ablutionem, & post sumptionem SS. Sanguinis, quia fortè ab alio Sacerdote fuit consecrata, & in corporali relicta; in dubio autem, an fuerit, vel ne consecrata, debet sumi dicto tempore, ratio est, quia si esset consecrata, & post purificationem sumeretur, tunc non adesset jejunium naturale; si non esset consecrata, & sumeretur ante SS. Sanguinem, per eam frangeretur jejunium naturale, nec posset postmodùm Sacerdos, ut jejunus sumere sanguinem.

126. P. P. R. me accuso, quòd postquam allatæ fuerunt super Altare aliquæ particulæ consecrandæ, non fuerim recordatus eas collocare super corporale, nec ad hoc adverterim, nisi post consecrationem.

C. Habuitne V. D. intentionem consecrandi illas particulas ?

P. P. R. In sacristia formavi actum intentionis eas consecrandi.

C. Et quando consecravit Hostiam, meminerat illarum particularum ?

P. Non P. R.

C. Non fuerunt consecratæ illæ particulæ, ita Gavantus in Rubr. Missalis tom. 1. part. 3. tit. 7. num. 4. quia intentio Sacerdotis supponenda est rationabilis, non esset autem talis, si Minister intenderet consecrare particulas extra Aram: ergo censendum est, non habuisse intentionem eas consecrandi. Quòd si aliquis dicat, virtute actualis intentionis in Sacristia habitæ, perseverasse virtualem in Missa, ac cum ea dictas particulas fuisse consecratas; Respondeo, illam intentionem virtualem cessasse per omissionem reponendi particulas super corporale, ideóque non potuisse esse con-

consecratas. Et quia Tannerus apud Dianam part. 3. tract. 6. resol. 103. opinatus est, dictas particulas in casu præsenti fuisse consecratas, idcircò ad cautè & tutè procedendum, debent à Sacerdote sumi immediatè post sumptionem Sanctissimi Sanguinis.

127. P. P. R. me accuso, quòd in quadam occasione celebrando, fuerit allatum vas particularum, ut eas consecrarem, & sacram synaxim præberem aliquibus personis, ego verò habui intentionem consecrandi tot particulas, quot personæ erant communicandæ.

C. Novitne V. D. quot personæ fuerint communicandæ?

P. P. R. hoc determinatè non novi.

C. Ergo nec habuit intentionem consecrandi determinatum numerũ Particularum?

P. Non P. R.

C. Nec V. D. determinavit qualesnam ex illis particulis voluerit consecrare?

P. Non P. R. sed mea intentio fuit ex illis omnibus in vase repositis, tot consecrandi, quot personæ erant communicandæ.

C. Ergo V. D. non solùm sacrilegè, & graviter peccavit, malè applicando formam illæ materiæ, verùm etiam nulla ex illis fuit consecrata. Ratio est evidens, quia intentio Sacerdotis debet verè tendere in hanc certam, & determinatam in individuo materiam, sed intentio V. D. tendebat in materiam indeterminatam, ergo V. D. non consecravit: adeò, ut si ad conspectum viginti particularum diceret; ego volo consecrare decem, non determinando, & designando in individuo in illo vigesimo numero illas decem, quas intendit consecrare, tunc nulla esset consecrata; Et si designarentur illæ decem, dicendo: ex his viginti has decem determinatas volo consecrare, in hoc casu decem designatæ essent consecratæ, quia in hoc secundo casu jam daretur materia determinata, non verò in primo. Sic Coninch de Sacram. Eucharist. quæst. 74. art. 2. dub. 3. num. 33. quare appositis super Aram pluribus particulis, quamvis Sacerdos nesciat præcisè earum numerum, si habeat tamen intentionem consecrandi omnes sibi in vase, aut corporali præsentes, in hoc casu omnes manent consecratæ, quia materia est jam determinata.

128. Dicat mihi, communicavit V. D. cum illis particulis personas ibi dispositas ad sumendam sacram synaxim?

P. Non P. R. quia postmodùm tuli judicium, me eas non consecrasse; non propter rationem à V. P. mihi adductam, hanc enim ignorabam, sed quia tales particulas ante consecrationem in Sacrario reposui, cum intentione easdem sic occlusas consecrandi.

C. Ex

C. Ex duplici causa illæ particulæ non fuerunt consecratæ; primò, quia non fuit materia determinata; secundò, quia non erant moraliter, seu sensibiliter præsentes, tanquam repositæ in Sacrario, ita cum Suarez, Valentia, & aliis Bassæus verb. Eucharist. 1. num. 19.

P. P. R. me accuso, quòd post consecrationem Calicis, gutta vini affixa circumferentiæ interiori calicis ceciderit, & admixta fuerit Sanguini, ex quo habui scrupulum sumendi Calicem, ne violarem jejunium naturale cum illa gutta non consecrata.

C. Qualemnam intentionem habuit in consecratione Calicis?

P. P. R. habui intentionem consecrandi juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

C. Et hæc gutta admixta, erátne tempore consecrationis multùm propinqua alteri portioni vini, vel erat valdè distans, & super labium Calicis?

P. P. R. Erat in parte superiori Calicis propinqua ipsimet labio Calicis, unde sensim descendit, usque dum fuit admixta Sanctissimo Sanguini.

C. communis intentio Ecclesiæ, & quam communiter censentur habere Sacerdotes, est consecrandi solùm liquorem, qui per modum unius continui potabilis, tempore consecrationis est in Calice congregatus, non verò guttas remotas, & separatas à vino (nisi fortè habeatur alius modus intentionis) ita Coninch. ubi supr. num. 42. Et cùm V. D. habuerit intentionem consecrandi, modo præscripto à Sancta Ecclesia, consequenter habuit intentionem consecrandi modo legitimo, & prudenti, qui cùm tendat ad consecrandas guttas proximas & propinquas alteri materiæ, non remotas: hinc est, quòd illa gutta, quæ fuit admixta Sanguini, si fuisset propinqua alteri materiæ, remansisset consecrata, cùm verò fuerit distans, non fuit consecrata.

Quare ad tollendos scrupulos, anxietates, & dubietates, consultum est juxta communem DD. monitionem, & praxim, illas guttas animadversas ante consecrationem, imò statim post infusionem purificatorio abstergere, circumducendo digitum indicem coopertum purificatorio per totam circumferentiam Calicis.

129. V. D. autem non debuit sibi facere scrupulum in sumendo Sanctissimum Sanguinem, licèt illa gutta non consecrata fuerit ei unita; quia cùm sumeretur per modum unius cum materia consecrata, jejunio naturali non obstabat: ita Cardinalis de Lugo disp. 4. de Sacram. Eucharist. sect. 7. num. 139. sicuti quando sumitur sanguis, si particula consecrata sit affixa interiori, seu concavæ parti, fas est postmodùm illam sumere cum prima ablutione,

tione, ut habet Rubrica Missalis. tit. de defectibus num. 8. absque transgressione jejunii naturalis, cùm sumatur per modum unius: ergo idem dicendum in nostro casu.

Plura alia spectantia ad materiam, formam, & intentionem hujus Sacramenti ad tertiam partem Conferentiarum Moralium remitto, ubi ex professo in Tractatu de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento de iis agam.

130. P. P. R. me accuso, quòd in die paschatis Resurrectionis prætermiserim in Missa Communicantes proprium illius solemnitatis, & dixerim commune.

C. prætermisitne illud V.D. ex naturali oblivione? hac enim posita, nulla interfuisset culpa.

P. P. R. ex oblivione non omisi.

C. cur ergo illud omisit? fortè ex contemptu? quod culpam gravem saperet.

P. P. R. Non ex contemptu, sed ex negligentia, & ne revolverem folia antecedentia ad illud dicendum.

C. probabile est, non fuisse peccatum mortale, sed tantùm veniale; ita cum Suarez, Granado, & aliis Leander de Sacramento tom. 2. tract. 8. disp. 7. quæst. 61. ubi ait esse solùm veniale, ex parvitate materiæ: sed hanc rationem allegatam à Leandro, quamvis non impugnem an sit vera, vel non, puto tamen, quòd ipsemet Leander sibi contradicat, quæst. 61. citata: etenim cùm citaverit Bernal de Sacram. disp. 6. sect. 4. num. 9. docentem, quòd omittere in Canone Missæ octo, aut decem Nomina Sanctorum non excedat culpam venialem, Leandro videtur hunc Authorem nimis laxè locutum fuisse; Modò quæro à P. Leandro: ubinam sint plura verba, an in addito ad Communicantes commune diebus Paschatis, Pentecostes, & Nativitatis, aut in octo, vel decem Nominibus Sanctorum? clarum est, quòd plura, quàm decem sint verba contenta in Communicantes proprio horum dierum, quàm in communi: ergo si videtur Leandro materia levis omissio duodecim verborum ex Communicantes, quomodo affirmat quid grave omittere octo, aut decem verba Nominum Sanctorum? quare alio medio existimo probandam esse sententiam Leandri, nempe, quòd omittens Communicantes proprium Paschatis, & legens commune essentiale Missæ non violaret: ergo nec graviter peccaret; prout idem Leander ait ibi quæst. 63. non esse peccatum Mortale in festo duplici, aut in Dominica, legere Missam Votivam, aut de Requiem. At cùm nominare Sanctos Canonis, non sit quid accidentale, seu Modale, sed essentiale, ideò culpa lethalis erit omittere octo, aut decem Nomina Canonis, quamvis non sit omittere id, quod additur diebus relatis ad Communicantes comune.

131. P. P. R. Sic pariter me accuso,

ſo, quòd ſemel omiſerim in Miſſa poſt communionem, illam Orationem, quæ incipit Quod ore ſumpſimus Domine &c.

C. Omisítne eam advertenter?

P. Ita P. R. non tamen ex contemptu, ſed ex tepiditate.

C. Solutio hujus caſus multùm pendet ex notitia, quandonam incipiat Canon, & quando finiat. Navarrus putat incipere ab illis verbis, Te igitur; quidam probabiliter arbitrantur à clauſula Communicantes, alii ab illis verbis, Qui Pridie quàm pateretur: Suarez putat, quòd terminet usque ad conſumptionem; incipiendo à Te igitur. Gavantus verò putat terminare uſque ad Libera nos. & alii uſque ad Orationem Dominicam; Omnes hæ Opiniones poſſunt videri in Diana part. 10. tract. 11. reſol. 6. §. Verùm. Communis opinio eſt, quòd Canon incipiat à Te igitur; cujus ratio eſt, quia ibi Miſſale ponit Canon Miſſæ, & juxta hoc dicendum, quòd finiat in Corpus tuum Domine quod ſumpſi &c. incluſivè.

Unde ſecundùm hanc ſententiam, quam judico veram, dico, quòd V. D. graviter peccaverit omittendo advertenter Orationem: Quod ore ſumpſimus Dñe &c. quia ſi omiſſio decem verborum, aut nominum Sanctorum in Canone eſt peccatũ mortale, ita pariter erit omiſſio hujus Orationis, quæ continet plùs quàm duodecim verba; In opinione aſſerente, quòd Canon finiat in Pater Noſter, videtur poſſe dici, quòd non fuerit culpa gravis omiſſio dictæ Orationis, quia ſi omiſſio voluntaria Credo, aut Gloria, quando eſſent dicenda, juxta Suarez, Filiucium, Lugo, Leandrum de Sacramento ubi ſupr. quæſt. 48. & alios ob parvitatem materiæ non eſt peccatum mortale, ſed veniale: ergo pariter in opinione ſtatuente, Quod ore ſumpſimus, non eſſe partem Canonis, videtur poſſe dici, quòd ex parvitate materiæ non ſit mortale, ſed veniale voluntaria ejuſdem omiſſio.

132. P. P. R. me accuſo pariter, quòd variis mentis diſtractionibus ſim ſubjectus, quando ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebro.

C. Súntne voluntariæ, vel involuntariæ hæ diſtractiones? quia ſi ſunt involuntariæ in ſe vel in cauſa, nec ſunt peccatum.

P. P. R. ut plurimùm ſunt involuntariæ, & ſubinde voluntariæ.

C. Fuítne interdum V. D. voluntariè diſtracta in canone?

P. Ita P. R.

C. Fuítne per longum tempus?

P. P. R. una vice fui voluntariè diſtractus in cogitatione indifferenti per totum canonem.

C. In ſententia ſuprà relata cap. 3. n. 81. quòd recitans Divinum Officium cum voluntaria animi diſtractione non ſatisfaciat, conſequenter dicendum, quòd per partem notabilem

Missæ voluntariè distractus graviter peccet, & licèt concedatur, quòd in primo casu satisfiat Divino Officio, nec quòd sit mortale peccatum cum voluntaria distractione illud recitare, potest, & debet dubitari, utrùm similis distractio in Sacrificio Missæ sit peccatum mortale. Tamburinus de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 3. num. 9. ait non esse grave peccatum res Missæ extra canonē cum distractione voluntaria legere; benè verò contenta in canone per notabile tempus ita distractè dicere: Et Diana part. 10. tract. 11. resol. 6. §. sed si aliquis, postquam retulit hanc sententiam Tamburini, nihil de hoc casu resolvit, sed solummodò dicit: sed tu cogita; ego verò puto Tamburini opinionem esse veram; eamque probo: quia ille, qui est voluntariè distractus, exponit se morali periculo omittendi aliqua verba in canone; etenim nónne quotidie contingit, quòd in conversatione ab aliqua vaga cogitatione suspendamur, & obliviscamur materiæ, de qua erat discursus, adeóque interrogare auditores obligamur, quidnam fuerit propositum in discursu ex distractione oblivioni tradito; & si hoc contingit, ex cogitatione involuntaria, quid accidet, quando ex proposito permittitur occupare intellectū; prosequor argumentum, sed sic est, quòd culpa sit lethalis exponere se periculo omittendi aliqua verba Canonis, V. G. octo, aut decem: ergo peccatum mortale erit voluntaria distractio: minorem probo. Omittere octo, aut decem verba Canonis, est mortale; ergò pariter exponere se periculo morali ea omittendi: consequentia est evidens; quia exponere se periculo mortaliter peccandi est mortale.

133. Et quamvis cum distractione voluntaria sit periculū morale omittendi aliqua verba extra Canonem; quia tamen eorum omissio non est grave peccatum, neque erit voluntaria distractio extra Canonem: & licèt pariter cum distractione involuntaria adsit periculum omittendi aliqua verba Canonis; quia tamen hoc periculum non est voluntarium, neque culpa gravis erit distractio involuntaria in Canone. Et si petas: quænam pars canonis sit notabilis, ob quam voluntariè distractus incurrat culpam mortalem? Respondeo, me tertiam partem canonis cum distractione voluntaria legentem, culpæ gravis damnare, & proinde tertiam hanc partem censere notabilem, ac ad constituendam materiam gravem sufficientem.

134. P. P. R. me accuso, quòd semel jam in Altari existens, recordatus fuerim, me bibisse modicum de vino.

C. Memineràtne se non esse jejunum, quando intendit celebrare Missam?

P. Non fui recordatus, nisi cæpta Missa.

C.

C. Quousque pervenerat, quando fuit recordatus?

P. Ad Offertorium calicis.

C. Fuitne concursus populi?

P. Magna pars populi fuit.

C. Si V. D. post consecrationem meminisset se non esse jejunam, tenebatur perficere Missam, & sumere Sacramentum: Ita D. Thomas (qui unus stat pro multis alterius notæ citandis) *3. part. quæst.* 83. *art. 6. ad 2. ubi ait: Si Sacerdos post consecrationem incœptam, recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere Sacrificium, & sumere Sacramentum*: Ratio est: quia, quando concurrunt super unum casum duo præcepta, debet observari id, quod est fortius, & majoris ponderis, sed sic est, quòd præceptum majoris ponderis sit Divinum, de integrando, & perficiendo substantialiter Sacrificio Missæ, quàm Ecclesiasticum, de communicando jejunè: ergo præceptum Divinum in hoc casu observandum est, & perficiendum Sacrificium.

135. Si Canon fuisset incœptus, quando meminit se non esse jejunum, licèt non consecrasset, debuisset pariter Missam absolvere; ita cum Sylvestro, & Soto Bassæus. verb. Missa 2. in supplemento, sub num. 4. §. dico Secundò: quia, inquiunt, sequeretur scandalum in Auditoribus si tunc intermitteretur Sacrum. Si verò Canon non est incœptus, quando Sacerdos recordatur se non esse jejunũ, Missa intermittenda est, nisi scandalum timeatur; Sic Sanctus Thomas *suprà*, ubi ait: *tutiùs reputarem, quòd Missam incœptam desereret, nisi grave scandalum timeretur*: Ex quibus verbis infertur, quòd posito gravi scandalo, Sacrificium sit perficiendũ, quamvis Canon non sit incœptus: quod scandalum putarem timendum; quotiescunque est magnus concursus populi ad audiendam Missam, ratio est, quia vident omnes Sacrificium, quasi substantialiter incœptum relinqui, & non vident causam, ob quam citra culpam Sacerdotis mutilum & imperfectum relinquitur, & proinde præter prædictum scandalum oriuntur sæpè alia plurima, quibus Sacerdos sub mortali tenetur obviàm ire v. g. quia desistendo à Sacrificio, se infamaret de gravi peccato, & offendiculum esset aliis temerariè judicandi, & similia: Ita Bassæus ubi suprà; idcircò si adesset ingens populus audiens Missam; ego eam absolverem, quamvis ante Canonem recordarer me non esse jejunum. Si audientes pauci essent; possent in hoc casu fieri conscii oblivionis naturalis, & Missa dimitti; etenim in hoc casu cessaret scandalum, & cùm non fuerit consecratio, neque instaret præceptum Divinum de integrando Sacrificio.

136. P. In alia occasione P. R. recordatus fui in actu Sacrificii, me culpa gravari mortali, quam necdum confessus fueram.

C. Quando peccati hujus meminit?

quia si post consecrationem meminisset, debuisset perficere Sacrificium, præhabitâ contritione cum proposito confitendi, ita Angelicus Doctor ubi suprà.

P. P. R. ante Canonem fui recordatus hujus peccati.

C. commisítne hoc peccatum ante ultimam confessionem?

P. Non P. R. sed post.

C. Si V.D. commisisset hoc peccatum ante ultimam confessionem, & ex naturali oblivione id confiteri intermisisset (supposito sufficienti præcedenti examine) neque hujus meminisset, nisi in Altari existens; quamvis non consecrasset, poterat non solùm sequi Missam incœptam, sed neque obligabatur, ait Diana part. 2. tract. 14. resol. 48. pro tunc elicere actum contritionis, sed posteà confiteri suo tempore peccatum illud oblitum, & tunc de illo atteri, vel conteri: sed hæc doctrina Dianæ nequit generaliter intelligi, sed tantùm in sensu, mox in sequentibus explicando.

137. Dico igitur, si pœnitens in confessione habuisset verum, & universalem dolorem de suis peccatis confessis, & oblitis, eum postmodùm non obligari in Missa ad specialem dolorem de illo peccato inculpabiliter omisso in confessione: quia contritio in his casibus requiritur ad obtinendam veniam peccatorum, & gratiam consequendam: sed sic est, quòd cum dolore generali præcedenti fuerit remissum (licèt indirectè) illud peccatum, & acquisita gratia: ergo non erit necessarium in hoc casu elicere actum contritionis in Missa, imò poterit differri usque ad proximam confessionem, in qua debet confiteri oblitum peccatum.

138. Si dolor confessionis non fuit generalis de omnibus peccatis, sed solùm de tunc confessis; quæro, aut hic dolor processit ex motivo generali, vel particulari? si ex motivo generali: v. g. propter Dei offensam, ob amissionem gratiæ, aut gloriæ, ex metu inferni; remissum fuit pariter indirectè peccatum oblitum, & recuperata gratia, adeóque, nec requireretur in Missa actus contritionis: & ratio est, quia hæc motiva generalia sunt communia omnibus peccatis mortalibus, hæc enim omnia Deum offendunt, privant gratiâ & gloriâ, pœnísque æternis tradunt: ergo posito dolore de unico peccato mortali propter ista generalia motiva, ponitur etiam, vel in eo includitur dolor de omnibus aliis peccatis mortalibus, siquidem ad omnia hoc motivum se extendit.

139. Verùm si motivum doloris fuit particulare ob specialem deformitatem quam habuerunt peccata confessa; non extenditur ad peccata oblita, alterius speciei; nec hæc remittuntur, aut gratia acquiritur: videatur P. Caspensis tom. 2. tract. 24. de

de pœnit. disp. 4. sect. 11. num. 99. Et ratio est; quia deformitas specialis v. g. peccati furti, non est univoca, nec convenit cum deformitate speciali peccati luxuriæ: ergo ille, qui habet dolorem ex motivo deformitatis specialis furti, non propterea habet dolorem de peccato luxuriæ, ergo hoc nullo modo remanet remissum; cùm nullum peccatum remittatur absque dolore speciali, aut generali de eodem peccato: ergo in hac confessione non acquiritur gratia. Probatur hæc consequentia; quia gratia non infunditur, absque remissione omnium peccatorum mortalium: sed sic est, quòd non remittatur peccatum mortale, quando non adest dolor specialis, vel generalis de tali peccato: ergo nec acquiritur gratia; sed ad summum potest Sacramentum esse validum, & informe.

140. Ex quo infertur, in hoc casu, in quo dolor processit ex motivo deformitatis particularis peccatorum confessorum, dari obligationem eliciendi actum contritionis de peccato oblito, in Altari memoriæ proposito, seu objecto. Ratio est; quia hoc peccatum non est remissum, nec Sacerdos est in statu gratiæ: atqui Sacerdos tenetur celebrare in statu gratiæ: ergo tenetur in hoc casu elicere actum contritionis: in hoc sensu, & cum his limitationibus intellecta sententia Dianæ erit amplectenda, non alio modo.

141. Sed supposito, quòd peccatum, cujus V. D. meminit in Missa, non fuerit in confessione oblitum, cùm dixerit se illud commisisse post ultimam confessionem, nequit in hoc casu uti doctrina relata; ac proinde, ut convenientem doctrinam ei proponam: dicat mihi, discussitne aliquo modo suam conscientiam antequam se ad celebrationem disponeret?

P. P. R. cum aliqua festinatione ad celebrandum perrexi, nec in examinanda mea conscientia fui immoratus.

C. Non habuit remorsum conscientiæ, pergendo hoc modo ad celebrandum?

P. P. R. aliquem latratum in anima fui expertus, ast absque ulteriori reflexione, ne diutiùs me detinerem, ad celebrandum fui profectus.

C. Peccatum grave Sacrilegii V. D. patravit tam mala dispositione celebrando, ac suæ conscientiæ clamores spernendo, accusantes eam, ac motivum præbentes se probandi, & examinandi juxta dictum S. Pauli: probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 1. ad Corinth. 2.

142. Et dicat mihi, quando hujus peccati meminit, celebrando, quid resolvit?

P. P. R. actum Contritionis elicere fui conatus meliori modo mihi possibili: & meo tenui judicio, verè ex

corde

corde illum elicui, cum proposito confitendi, ac me emendandi.

C. Benè operata fuit V. D. & hac diligentiâ adhibitâ potuit securè absolvere Missam; nec tenebatur ab ea desistere, quamvis non incepisset Canonem, secluso scandalo, ita cum Paludano, & Sylvestro Bassæus verb. Missa 2. supplemento 3. sub num. 4. §. dico tertiò.

143. P. P. R. In alia occasione, post sumptam calicis ablutionem, vidi in patena aliqua minutissima fragmenta Sacramenti, eaque sumpsi.

C. Contigítne hoc, dum fuit jam in Sacristia, vel adhuc in Altari? quia finita Missa, non poterat in Sacristia sumere illas reliquias, sed primo Sacerdoti celebraturo, eas sumendas cum sanguine relinquere; sed casu quo non fuisset aliud sacrum, nec possent honestè usque ad sequentem diem conservari, in Sacristia liceret eas sumere: ita Fagundez in 3. præcept. Eccl. lib. 3. cap. 5. num. 30.

P P. R. Fui adhuc in Altari, quando eas sumpsi, nempe immediatè post ablutionem.

C. Erántne Reliquiæ taliter grandiusculæ, ut possent reponi, & conservari in Tabernaculo? quia hoc posito, illuc debuissent reponi usque dum sumerentur in prima Missa celebranda, ut in casu sequenti mox dicam.

P. P. R. Erant adeò minutæ, ut vix possent videri; nec fuit Sacrarium, in quo essent reponendæ, quia celebravi in Eremo.

C. Erántne hæc fragmenta Reliquiæ Sacrificii V. D. aut alius antecedenter celebrans ea reliquerat?

P. P. R. hoc non possum scire.

C. Si fragmenta fuissent reliquiæ sui Sacrificii, poterat V. D. licèt fuerint grandiuscula, sumere non jejuna ob sumptionem ablutionis Calicis; ita docet cum Soto, Cajetano, Suarez & aliis, P. Bassæus ubi supr. num. 5. Bonacina tom. 1. disp. 4. de Sacram. Euch. qu. 6. punct. 2. num. 13. quia hæc fragmenta pertinent aliquo modo ad integritatem & complementum Sacræ Mensæ. Quòd si verò reliquiæ sint præconsecratæ ab altero Sacerdote, qui ibidem celebraverit; cùm non spectent ad complementum hujus Sacrificii, non possunt sumi post sumptionem ablutionis; sed debent conservari, quousque Sacerdos jejunus ea sumat, ita cum Suarez, & Reginaldo, Bonacina ibid. num. 14. non num. 15. ut invenies apud Dianam part. 6. tract. 6. resol. 23. Coninch, Filiucius, & alii, citati à Diana ibid. nisi fortè reliquiæ essent adeò minutæ, ut non possent honestè conservari, vel non esset Tabernaculum, aut alius decens locus pro eorum conservatione; sed minor irreverentia censetur ea sumere absque jejunio, quàm ea relinquere usque ad aliud Sacrificium: sic Bonacina ibidem.

Cùm

Cùm verò difficulter possit sciri, an sint reliquiæ ex præsenti, vel præterito Sacrificio, propterea si non non sint grandiusculæ, nec possint honestè usque ad aliam Missam conservari, poterit Sacerdos eas consumere etiam post sumptam ablutionem. Videatur Bassæus Loc. paulò antè citato §. His tamen non obstantibus.

PARS III.

De Stipendio Missæ.

144. UT clarè procedamus in hac materia, & separemus certum à dubio, supponendum in materia stipendii Missæ, Sanctitatem Papæ Alexandri VII. damnasse cum suo decreto tres Propositiones, nempe 8. 9. 10. & sunt sequentes.

Prop. 8. damn. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, ídque post Decretum Urbani VIII.

Prop. 9. damn. post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

Prop. 10. damn. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.

Explicatio harum, aliarúmque Propositionum ab hoc Summo Pontifice damnatarum, habebitur in fine hujus libri; tract. XVII.

145. P. P. R. accuso me, interdum celebrasse Missam secundùm intentionem duarum personarum.

C. Accepítne duplicatum stipendium? qui casus damnatur in prop. 8. & 10.

P. Non P. R. unicum stipendium accepi.

C. Quomodò pro alia persona applicavit?

P. P. R. Amicus meus me rogavit, ut secundùm suam intentionem celebrarem.

C. Et hic Amicus accepítne stipendium pro sacrificio, quod V. D. applicavit secundùm suam intentionem? quia fas non erat V. D. aliud stipendium accipere, & pariter applicare secundùm intentionem alterius, hoc enim erat, duo stipendia pro uno sacrificio accipere, & parùm refert, quòd stipendium ab uno, vel à duobus accipiatur; cùm hoc sit contra omnem rationem, & jus naturale. Ita Moya in suis select. tom. 2. ad tract. 2. disp. 2. quæst. 4. §. 2. n. 17.

P. P. R. Amicus non accepit stipendium pro sacrificio, sed tantùm de-

buisset eam celebrare pro fundatore pii operis sibi assignati.

C. Habuítne amicus obligationem ex justitia celebrandi hanc Missam pro fundatore, ob aliquod onus Missarum ipsi relictum?

P. P. R. non ex obligatione justitiæ, sed solùm ex gratitudine aliquod sacrificium pro ipso obtulit.

C. Et qualem portionem, seu fructum sacrificii applicuit V. D. secundùm intentionem hujus Amici?

P. P. R. eum, quem habet sacrificium ex opere operato, aut correspondentem meritis Christi, applicui pro collatore stipendii; fructum verò ad me spectantem ex opere operantis applicui secundùm intentionem alterius.

C. Benè egit V. D. quia potuit, & debuit applicare fructum, quem habet sacrificium ex meritis Christi, pro collatore stipendii, & aliam portionem pro amico, qui non obligabatur ex justitia celebrare pro fundatore: ità Moya ubi supr. num. 18. quia id, quod damnatur per Decretum Alexandri VII. est percipere duplicatũ stipendium, sed non celebrare secundùm intentionem duorum, unius ex justitia, alterius ex gratitudine: ita cum Lumbier, sentit Torrecilla, in Consult tract. 13. Consult. 9. num. 15.

146. P. P. R. accuso me, in alia occasione percepisse stipendium pro sacrificio, quod excommunicatione irretitus celebravi.

C. Erátne excommunicatio major, vel minor?

P. Fuit major excommunicatio.

C. Erat V. D. in statu peccati mortalis, quando celebravit?

P. Si excommunicatione majori fui excommunicatus, quomodò poteram non esse in statu peccati mortalis?

C. potest Fili dari, quòd aliquis sit excommunicatus majori excommunicatione, & tamen non sit in statu peccati mortalis; quia licèt ad eam incurrendam requiratur culpa gravis, post tamen ejus incursum, si fiat actus contritionis perfectæ, remittitur culpa, & anima gratiam Dei recuperat, quo non obstante non cessat excommunicatio major: & pariter, si excommunicatio sit reservata, & instet necessitas confitendi, quæ absque scandalo evitari nequeat; potest absolvi à peccatis, & cùm non detur facilis recursus ad Superiorem, cui censura est reservata, ab hac directè non absolvitur: ergo possibile est quempiam vinciri nexu excommunicationis majoris, absque conscientia peccati mortalis.

147. P. Hoc ignoravi, sicque cum mala conscientia celebravi.

C. Erátne V. D. excommunicatus toleratus, aut vitandus?

P. P. R. toleratus.

C. Fuítne notorium V. D. irretitam esse hac censurâ?

P. Non P. R. sed occultum.

C.

C. Poterátne V. D. abstinere à celebratione absque nota, & scandalo?

P. Non P. R. quia debui celebrare Missam solemnem, quam si omisissē, magnum scandalum secutum fuisset.

C. cùm V. D. fuerit excommunicatus toleratus, & ejus censura occulta, potuit præmissâ Confessione, & absolutione directa à peccatis, & indirecta à censura, celebrare absque culpa. Bassæus Verb. Missa 3. num. 3.

148. Et quem fructum, seu portionem sacrificii V. D. applicavit pro dante stipendium?

P. Fructum provenientem ex virtute Christi.

C. Triplex communiter assignatur fructus Sacrosancti Missæ Sacrificii: primus est, qui procedit ex meritis Christi Sumi Sacerdotis, in cujus honorem, & nomen offertur; secundus est is, qui nomine Ecclesiæ ob suas publicas necessitates applicatur; & tertius, qui correspondet eidem sacerdoti celebranti, & exercetur in hoc opere bono, sancto, ac meritorio. Celebrans in peccato mortali consequitur duos fructus, nempe meritorū Christi: & illum, qui offertur nomine Ecclesiæ, quamvis non consequatur fructum ex opere operantis, qui sibi ipsimet correspondere debuisset. Ita D. Thomas 3. part. quæst. 82. articul. 6. in corpore.

149. Sacerdos excommunicatus excommunicatione majori, & in peccato mortali celebrans, si est vitandus, lucratur solùm fructum correspondentem meritis Christi, non verò proprium, cum sit incapax defectu gratiæ; nec valorem, quem habet sacrificium ex parte Ecclesiæ, quia, cùm hæc prohibuerit communicationem in Divinis sacerdoti vitando, non permittit, ut nomine suo oret: si est excommunicatus toleratus, consequitur fructum meritorum Christi, & eum, qui offertur in nomine Ecclesiæ: & si voluntariè & spontè celebret, sicut graviter peccat, ita fructum sibi proprium amittit: si necessitate compulsus celebrat, & ad evitandum scandalum, justificando se anteà per Confessionem, non peccat celebrando, & tres fructus sacrificii lucratur, quamvis excomunicatio Major remaneat, usque dum à Superiore, cui est reservata, absolvatur. Vide Bassæum ubi supra num. 2.

150. Ex dictis infertur, quòd Sacerdos possit recipere stipendium, licèt celebret in peccato mortali, & etiam sit excommunicatus, vitandus, aut toleratus; quia in nullo horum casum sacrificium perdit effectum correspondentem meritis Christi: atqui stipendium recipitur ob applicationē fructus sacrificii correspondentis meritis Christi: ergo Sacerdos celebrans, in peccato mortali, vel excommunicatus, vitandus, aut toleratus, potest recipere stipendium pro illa Missa.

151. P. P. R. me accuso, quòd semel à duabus personis stipendium ac-

ceperim, & pro ambabus unicum tantùm sacrificium obtulerim.

C. Quo fundamento hoc egit?

P. P. R. quia modicum, & tenue mihi visum fuit stipendium, à qualibet ipsarum mihi traditum.

C. Quantũ unaquæque ipsi tradidit?

P. Regalem argenteum.

C. Quantum ordinariè, & regulariter solet dari pro stipendio?

P. Synodus assignat duos regales argenteos.

C. Et ordinariè soléntne dari duo regales argentei?

P. P. R. Ordinariè unicus tantùm regalis solet dari.

C. Stipendium Missæ reputatur justum, quando est in ea quantitate, quam assignat synodalis, aut consuetudo; & si consuetudo prævaluit contra constitutiones Synodalis, illud censebitur legitimum stipendium, quod regulariter solet dari: & dato etiam casu, quòd stipendium ordinarium, à consuetudine taxatum, essent duo regales argentei, non potuit V. D. accipere duplicatum stipendium unius regalis à qualibet persona: quia, licèt priùs hoc admitterent tanquam licitum Rodriquez, Suarez, & alii, apud Dianam part. 2. tract. 12. resol. 7. modò tamen nequeunt recipi plura stipendia, quamvis exigua pro una Missa, post Decretum citatum Alexandri VII. ita P. Martinus de Torrecilla ubi supr. super dictam propositionem num. 6. unde infertur, quòd V. D. nullo modo potuerit accipere duplex stipendium pro una Missa, ex eo, quòd quodlibet ipsorum tenue ipsi videretur, nisi fortè propter mox dicenda excusaretur.

152. Dicat mihi, fuítne V. D. in hac occasione ab aliqua valdè gravi necessitate sui status, aut personæ oppressa? etenim Sacerdos in simili necessitate extrema vel quasi extrema constitutus, potest recipere in succursum pro una Missa plura stipendia, si aliud non supersit refugium ad declinandas suas angustias: Ita Lumbier in sum. Aran. num. 224. fol. (mihi) 327.

P. P. R. Licèt nihil superfluum habeam; in tali tamen necessitate non fui constitutus.

C. Fuerúntne tradita V. D. necessaria ad celebrandum, ut sunt Lumina Hostia, Vinum, & Vestimenta, quando celebravit hoc Sacrificium? Quia est opinio Leandri de Sacramento *tom. 2. tract. 8. disp. 4. quæst. 13.* quòd, si Sacerdos obligetur emere ornamenta, candelas, vinum pro celebranda Missa, possit cum stipendio sibi compensare has expensas. Quod pariter sequitur Torrecilla loco citato num. 2. ego verò huic doctrinæ non me conformarem; quia, vel solet in illa Patria, ubi celebratur, dari necessarium pro celebratione, vel non? si primum, suppono, id non fore negandum. Quod si negaretur, tunc locum aliquem posset habere hæc opinio: si non est consuetudo submini-

nistrandi necessarium: ergo duo Regales, aut Regalis, vel Quantitas quæ datur, erunt stipendium justum, posità etiam obligatione Sacerdotis providendi sibi de necessariis pro celebranda Missa; probo consequentiam: quia stipendium justum est, quod regulariter solet dari: ergo si solet dari unus Regalis, & est consuetudo, quòd Sacerdos sibi provideat de candelis, vino, hostia &c. Stipendium justum erit regalis cum onere providendi sibi de necessariis pro celebratione.

P. P. R. Ecclesia, in qua celebro, omnia necessaria pro celebratione tribuit: & sciat V. P. Missas hoc modo à me celebratas fuisse quamplures, accipiendo duplicatum stipendium tenue pro unica Missa.

153. Ergo V. D. tenetur restituere totum excessum unius stipendii.

P. P. R. jam totum consumpsi.

C. Recipiebátne V. D. bonâ fide hujusmodi stipendia?

P. Ita P. R. nec unquam habui scrupulum, quia mihi videbatur, quòd taxante Synodo duos regales pro stipendio, in horum diminutione posse hanc quantitatem à duabus personis accipere.

C. Consumpsítne pariter bonâ fide V. D. excessum stipendii?

P. Ita P. R. absque scrupulo consumpsi.

C. Consumpsítne eum pro sustentatione suæ domus, ita ut aliam pecuniam in victu ordinario expendendam reservaret?

P. Non P. R. quia, aut cum eo largitus sui eleëmosynam, aut expendi cum amicis, aut lusui exposui.

C. Sacerdos, qui stipendium æquo plus malâ fide accepit, ad ejusdem restitutionem, vel ad Missas eidem correspondentes celebrandas tenetur: si bonâ fide illud accepit, ac ita consumpsit, tenetur restituere id, in quo factus est ditior; id est, quod superfuit ex expensis factis cum stipendio: & si nihil superfuit, nihil tenetur restituere. Sic Lumbier loco citato num. 127. Torrecilla ubi suprà num. 13. est enim regula fixa in materia restitutionis, quòd consumens bonâ fide rem alienam teneatur restituere solùm id, in quo factus est ditior.

154. P. ponamus casum P. R. quòd ego deberem restituere; quomodò id mihi agendum esset? quia, si applicui Missam pro duobus collatoribus stipendii: si uni hoc restituo, injuriam alteri facerem, siquidem ambo æqualiter participes fuerunt fructus Sacrificii: si ambobus restituo, vel totum stipendium, vel partem? si totum, vergeret in meum damnum, quia nullum emolumentum ex applicatione Missæ mihi remaneret; si cuilibet partem, infamiam incurrerem, & publicarem meum peccatum, ac proinde nescio, quomodò in hoc casu me gerere deberem.

C. Id, quod V. D. videtur tam difficile, est valdè facile; quia non esset

necessarium, ut V. D. collatoribus totum, vel partem stipendii restitueret; sed posset unum, vel plura Sacra secundùm amborum intentionem celebrare; vel si non posset, aut nollet ea celebrare, aliis cum solito stipendio celebrandas tradere secundùm intentionem V. D. quæ ad satisfaciendum omnibus, quibus fecit injustitiam, deberet tendere: est enim doctrina Bonacinæ tom. 1. disp. 4. de Sacram. Euch. quæst. ult. punct. 7. §. 3. num. 1. Quòd Sacerdos, accipiens à quatuor personis stipendia pro quatuor Missis, non teneatur pro singulis unam Missam separatim celebrare, sed quòd possit quatuor Missas copulativè pro quatuor personis legere, ergo V. D. posset applicare unam Missam pro duabus personis, quæ dederunt regalem pro stipendio; & cùm antecedenter aliud Sacrificium applicuerit hæc obligatio extingueretur.

155. P. P. R. me accuso, quòd aliquoties pro stipendio Missæ tres regales habuerim, ego verò per alium satisfeci collato illi duorum regalium stipendio.

C. Hic est formalissimus casus damnatus in propositione 9. Alexandri VII. potest tamen habere aliquam interpretationem, aut latitudinem, ut sequentibus interrogationibus resolvam.

Hi tres regales traditi V. D. pro stipendio, fuerúntne ex institutione alicujus Beneficii, aut Capellaniæ ipsi collatæ? hoc enim posito, poterat V. D. per alium satisfacere collato illi justo stipendio, ac sibi retento communis, & ordinarii stipendii excessu; ita Torrecilla super dictam propos. 9. num. 1.

P. P. R. Non fuerunt Missæ Beneficii, aut Capellaniæ, sed liberi stipendii.

C. persona, pro qua V. D. celebravit, fuitne ipsi juncta singulari amicitia, ita ut posset credi, quòd illum excessum stipendii dono ipsi daret? quia, quando ex hoc respectu, vel ob specialem auctoritatem Sacerdotis, aut aliud simile motivum, excedens stipendium præbetur, potest is sibi retinere excessum, collato aliis ordinario stipendio: Torrecilla ibidem.

P. P. R. Hoc non contigit ea intentione me gratificandi, aut ob singularem amicitiam; sed quia talis persona ita consuevit facere.

156. C. Et Sacerdos, cui V. D. contulit minus stipendium, scivitne quòd ipsa majus stipendium acceperit?

P. Ita P. R.

C. Consensítne plenè, spontè, & liberè tale stipendium accipere, an verò vi, & metu, quòd imposterùm V. D. non contulisset Missas celebrandas, nisi has diminuto stipendio acciperet.

P. P. R. cùm dederim ei stipendium

dium commune, & ordinarium, spontaneè illud accepit.

C. Non quæsivit V. D. modò hunc, modò alium, ut pro minori stipendio celebraret?

P. P. R. primus, cui fui locutus, illicò se obtulit, & fuit contentus illo stipendio.

C. Neque fuerunt jurgia, & contentiones inter V. D. & ipsum, circa tale, aut tantum stipendium?

P. Non P. R. summa pace fuit pactum: ego enim ipsi dixi; quòd tot Sacra celebrāda habuerim pro tribus regalibus eleëmosynæ; & utrùm velit ea celebrare pro stipendio comuni, & currenti; quo audito absque alia altercatione ea acceptavit.

C. Hoc supposito, potuit V.D. dispensare hæcSacra minori sibi collato stipendio; Ita sentit cum aliquibus modernis, quos omisso nomine citat Lumbier in fragm. tom. 2. fragm. 2. n. 598. fol. (mihi) 569. & cum cursu Morali, & Prado idem Torrecilla ubi supr. num. 19. pag. 177. 2. impress. ita quòd, non obstante Decreto Urbani VIII. & Alexandri VII. possit Sacerdos, cui datum est majus stipendium, dispensare aliis Missas, collato iisdem minori, justo tamen, & currenti stipendio, absque aliqua contentione, nec quæratur modò unus, modò alter, qui ea pro minori stipendio celebret; & ille, qui ea suscipit, sciat, quòd alter dispensator majus stipendium acceperit, ac absque vi, aut metu consentiat, & acceptet minus stipendium: quia hoc modo procedendo præsumitur cedere aliam partem stipendii, quam alter sibi retinet: quemadmodum si suscipiens absque ullo stipendio, & merè gratis celebraret, posset alter totum stipendium sibi retinere; ita pariter poterit partem, quando voluntariè pro minori stipendio celebrat.

157. P. P. R. me accuso, quòd collato mihi justo stipendio pro celebranda Missa Votiva Dominæ nostræ, id adimplere promiserim, & postmodùm de ea non celebraverim, sed de currenti festo.

C. Navarrus, Bonacina, Diana, & alii, quos citat Leander à Sacramento tom. 2. tract. 8. disp. 7. quæst. 67. sentiunt, adesse obligationem celebrandi Missam promissam; non tamen sub mortali, sed veniali. Idem Leander censet probabile, nec esse veniale. Ego cum majori distinctione hoc resolvendum puto, prout sequentibus interrogationibus ostendam.

158. Dicat mihi: fuítne pro die determinata comissum ipsi hoc Sacrum.

P. Non P. R. solùm mihi dixit illa persona, ut celebrarem secundùm ejus intentionem Missam Dominæ nostræ.

C. petiítne hoc Sacrum pro aliqua urgenti necessitate, v. g. pro salute alicujus infirmi in periculo constitu-

ti

ti, aut pro alio simili casu urgenti?

P. P. R. Non fuit similis necessitas, pro qua deberet celebrari Sacrum.

C. Fuitne festum duplex illâ die, qua hæc persona petiit Sacrum?

P. Ita P. R.

C. Et diebus sequentibus?

P. P. R. die sequenti recitabatur Officium Sancti simplicis, & hac die celebravi Missam.

C. Si Missa esset celebranda in festo duplici, quamvis peteretur votiva Dominæ nostræ, non posset de hac legi, cùm hoc sit contra Rubricam, & Declarationem Sacræ Rituum Congregationis præcipientis, ne in festo duplici dicantur Missæ votivæ; & ad minimum erit peccatum veniale in similibus diebus Missam votivâ dicere, quod non esset, si legeretur de Sancto: in quo convenio cum Leandro; & ratio mea est, quia intentio petentis Missam debet esse rationabilis: sed non est rationabile, ut violentur Rubricæ Missalis, & Decreta Sacræ Congregationis, celebrando Missam votivam in festo duplici: ergo non est credendum, hanc esse mentem rationabilem petentis Missam: ergo de festo currenti dicenda est.

159. Si pro die determinata non petatur Sacrum, aut pro necessitate adeò urgenti, ut moram non patiatur (quia tunc immediatè esset celebrandum, ne perderetur occasio petendi à Deo suo tempore mediante hoc Sacrosancto Sacrificio remediũ pro tribulatione, aut infirmitate) in hoc casu poterit differri Missa, usque ad diem feriæ, aut Sancti semiduplicis, vel simplicis, & tunc celebranda est Missa votiva promissa: in quo convenio cum Navarro, Bonacina, & Diana: & ratio est, quia, cùm in die feriali, aut Sancti simplicis, vel semiduplicis, liberum sit dicere Missas votivas, nec in hoc obstet Decretum Sacræ Congregationis, ageretur contra fidelitatem, non complendo promissum: ergo erit peccatum veniale.

160. Idem, quod resolvi in hoc casu, censeo agendum à Capellanis, qui in Capellaniis habent fundata aliqua sacra votiva diebus determinatis; nempe, quòd si in his diebus occurrat festum duplex, de eo sint dicenda: si semiduplex, simplex, aut de feria, dicantur votiva ordinata à fundatore: nisi fortè essent feriæ, aut infra octavam, in quibus Rubricæ prohibent Missas votivas; in his enim diebus debent dici de feria, aut infra octavam.

161. P. P. R. me accuso, quòd habeam Capellaniam, propter quam obligor dicere Missas in Parochia Sancti Michaëlis, ad Altare Sancti Francisci: ego verò aliquoties celebravi in alio Altari.

C. Contigitne hoc sæpiùs, quia si ter, vel quater id contigisset, ex parvitate materiæ non esset grave peccatum;

tum; ita Diana part. 2. tract. 14. resol. 29. quinimò ex rationabili causa rarò celebrare in aliis Altaribus, excusat à veniali, Leander à Sacramento tom. 2. tract. 8. disput. 4. quæst. 24.

P. P. R. multoties celebravi in aliis Altaribus.

C. Habuítne in hoc licentiam ab Episcopo? quia ex justa causa potest Episcopus dispensare, ut dicantur in alia Ecclesia Missæ relictæ à Fundatore; ita Bassæus verb. Missa 4. num. 2. Lumbier in sum. Aran. tom. 1. num. 133.

P. P. R. nullam habui licentiam, sed propriâ auctoritate celebravi in alia Ecclesia.

C. peccavit ergo mortaliter V. D. ita cum Fagundez, Rodriquez, & aliis Diana suprà. Henriquez. Navarrus, Sotus, Azorius, Sylvester, Tabiena, & alii apud Leandrum loco suprà citato; unde Capellanus, qui ex institutione Fundatoris, debet celebrare in tali Ecclesia, vel Altari, peccat graviter, sæpiùs celebrando in alia Ecclesia absque dispensatione Superioris.

162. P. P. R. obligabórne ad aliquam restitutionem pro his sacris celebratis in alia Ecclesia?

C. Azorius, Navarrus, & alii, quos citat, & sequitur Fagundez in præcept. Eccl. lib. 3. cap. 9. num. 9. putarunt in hoc casu dari obligationem restitutionis per alias Missas supplendo in locis debitis; est tamen probabile contrarium. ita Diana loco citato. Possevinus, Barbosa, & alii, quos citatos sequitur Leander ubi suprà quæst. 25.

163. P. Admoneo tamen V. P. quòd Altare, in quo ex institutione Fundatoris teneor celebrare, sit privilegiatum.

C. Et alterum, in quo V. D. celebravit, éstne pariter privilegiatum?

P. P. R. interdum celebravi in Altari privilegiato, & aliquando in Altari, quod non erat tale.

C. Habuítne V. D. Numisma, aut Rosarium, cui esset concessa gratia liberandi animam à Purgatorio, celebrando cum eodem?

P. Non P. R.

C. Quotiescunque celebravit in alio Altari privilegiato, quamvis ut dixi, graviter peccaverit, ad nullam restitutionem tenetur; cùm suffragiũ Indulgentiæ suppleverit: Et si, quando celebravit in alio Altari non privilegiato, habuisset Numisma, Crucem, aut Coronam, cui esset concessa gratia liberandi animam à Purgatorio, neque obligaretur ad aliquam restitutionem; ita cum Diana, Leandro, Gratia, & aliis Torrecilla in suis consult. moral. tract. 3. cons. 6. num. 14. sed cùm V. D. non habuerit tale Numisma, crucem, aut coronam, tenetur restituere pro rata Missarum non celebratarum in Altari privilegiato.

P. Et quid restituere debeo P. R.

C. Pro quacunque Missa non cele-

brata in Altari privilegiato, potest visitare semel quinque Altaria, diebus in quibus liberatur anima à pœnis Purgatorii, vi Bullæ, aut aliquam aliam Indulgentiam plenariam applicare, secundùm intentionem illius personæ, pro qua debuit celebrare in Altari privilegiato, & hoc modo suæ obligationi satisfaciet.

164. P.P. R. dico pariter ipsi, quòd aliquoties non dixerim Missam de Requiem, quando celebravi in Altari privilegiato.

C. Et pontifex, qui concessit privilegium huic Altari, præcepítne, ut diceretur Missa de Requiem pro lucranda Indulgentia?

P. Non P. R.

C. cùm Sacra Cardinalium Congregatio declaraverit, quòd in Altari privilegiato Missa de Requiem sit dicenda ad lucrandam Indulgentiam, sentit cum aliquibus Diana part. 9. tract. 2. resol. quòd, quantumvis in Indulto suæ Sanctitatis hoc non exprimatur, debeat tamen dici Missa de Requiem pro lucranda Indulgentia: contrariam sententiam tenent Philippus de Cruce, Trullench, Sylvius & alii, quos citat Diana, aítque esse communem, ibi, & novissimè eam docet P. Torrecilla loc. cit. n. 11. qui dicunt, quòd si sua Sanctitas in Indulto mandet, ut dicatur Missa de Requiem pro lucranda Indulgentia, hæc sit dicenda: sed si hoc non exprimit, neque necessarium erit eam de Requiem dicere, sed de Sancto occurrente poterit celebrari. Qui majorem, ac ampliorem hujus quæstionis notitiam desiderat, legat Silveirâ in Opusculis. Op. 2. resol. 8. quæst. 11. per totum.

165. P. P. R. me accuso, quòd aliquantisper Capellaniam habuerim, vi cujus omni die celebrare debuissem, ego autem aliquot diebus eam intermisi.

C. Quot diebus non celebravit?

P. Semel in hebdomada.

C. Et quam causam habuit intermittendi illa Sacra?

P. Ex timore, & reverentia tam sublimis Sacrificii; quia mea dispositio modica mihi videbatur pro accedēdo ad adeò sacrâ Mensam singulis diebus.

C. Et quando non celebravit pro sua Capellania, obtulítne aliquâ vice Sacrificium pro aliis.

P. Non P. R.

C. Fundator hujus Capellaniæ, respexítne locum, aut Altare, ut nunquā Missa deesset? aut respexit Capellanū in ejus favorem eam instituēdo?

P. P. R. nihil certi de hoc possum dicere.

C. Dicebátne Fundatio *Volo, ut in Altari nulla die intermittatur Missa: Obligo meum Hæredem, aut Capellanum, ut omni die Missam celebrari studeat, vel Capellanus per se, vel per alium teneatur celebrare?* Quia si Fundatio aliquam ex his clausulis contineret, signum est, quòd Fundator respexerit

locum

locum, non personam; in quo casu nulla Missa intermitti debuit. Et si V. D. per se non poterat, per alium supplere obligabatur. Ita Sylvester, Tabiena, Armilla, & alii, apud Bonacinam tom. 1. disp. 4. de Sacramen. Euch. quæst. ult. punct. 7. §. 2. num. 17.

P. P. R. nullam ex his clausulis continebat Fundatio.

166. C. Fortè unam ex sequentibus: *Eligatur Sacerdos, qui quotidie celebret, vel volo, ut Sacerdos in Capellanum electus, quotidie celebret?*

P. P. R. una ex his clausulis in fundatione continebatur.

C. Signum est ergo, quòd Fundator respexerit personam, & emolumentum Capellani, & consequenter potuit V. D. ex justa causa omni septimana semel celebrationem omittere, nec tenebatur per alium supplere. Sic Authores citati. Causa in hoc justa est, reverẽtia, & timor juxta dictamen rationis debitus tam supremo, ac tremendo Sacrificio sic Leander à Sacramento tom. 2. tract. 8. disp. 8. quæst. 14. Diebus verò, in quibus ex reverentia non celebratur secundùm intentionem Fundatoris, non licet celebrare pro alio, & accipere stipendium; ita cum aliis Diana part. 2. tract. 14. resol. 28. in fine.

167. P. Me accuso pariter P. R. quòd quatuor diebus celebraverim Missam, non applicando eam pro mea Capellania.

C. Applicuitne tunc pro aliquo conferente sibi stipem specialem?

P. Non P. R. sed quia diebus, in quibus mei Genitores defuncti sunt, pro eorum animabus celebrare soleo, & in die defunctorum pro omnibus animabus Purgatorii celebravi. Quarta verò die decessit è vita meus intimus amicus, pro quo etiam celebravi.

C. propter hæc motiva benè potuit V. D celebrare illa quatuor Sacra cum relatis intentionibus: ita docet cum Naldo, & Homobono Diana part. 5. tract. 5. resol. 23. qui dicunt, Capellanum quotidie celebrare obligatum, posse quatuor, aut sex vicibus in anno celebrare cum alia intentione ex justa causa, qualis est suffragandi Genitoribus, aut ex alio simili motivo: etenim credendum est, secundùm omnem bonam rationem, quòd si esset adhuc in vivis Fundator, & interrogaretur, an placitum esset ipsi, ut his quatuor, vel sex diebus celebraretur pro relatis necessitatibus, affirmativè responderet: hoc tamen repugnaret, accipiendo stipendium pro dictis quatuor, vel sex Missis, quia in hoc prudenter non præsumitur de consensu Fundatoris.

168. P. Sic pariter me accuso P. R. quòd aliquo tempore ob infirmitatem non celebraverim, nec per alium Missas Capellaniæ celebrari curaverim.

C. Et quoties non celebravit?

P. P. R. octo diebus.

C. Si Fundator statuisset, ut Missa celebraretur quotidie habita aliqua ratione loci, ut dictum est num. 165. V. D. obligaretur alteri assignare Missas legendas, diebus, quibus ob infirmitatem, aut aliud legitimum impedimentum ipsa non posset celebrare: sed cùm Fundator non respexerit locum, sed personam, Leander opinatur ubi supr. quæst. 19. quòd Capellanus in infirmitate non teneatur per alium satisfacere. Barbosa, Homobonus, & alii, apud Dianam part. 2. tract. 14. resol. 27. arbitrantur hoc verificari, quando Capellanus per octo, aut decem dies ægrotaret. Petrus de Navarra, & Naldus apud eundem Dianam ibidem ajunt hoc posse concedi, etsi per spatium unius, vel duorum mensium ægrotaret: Diana verò, si Capellani infirmitas perduraret usque ad quindecim dies. Hæ doctrinæ fundantur in pia, & suavi interpretatione mentis Fundatoris: quia (dicunt) non est præsumendum fore tam parùm pium, ut imposito onere quotidie celebrandi, ab hoc non eximeret Capellanum aliquo tempore ægrotantem.

169. Placet mihi in hoc casu Doctrina Castropalai, tom. 2. tract. 13. disp. 1. punct. 6. n. 25. qui cum distinctione loquitur, nempe, quòd si fundatio disponat, ut Capellanus celebret per se, vel per alium, dicendo: *volo, & mea voluntas est, ut Capellanus celebret talibus diebus per se vel per alium*, aut similem clausulam ponat; in hoc casu Capellanus stante infirmitate, aut alio legitimo impedimento, per alium celebrare teneatur. Et ratio est, quia Fundator ponendo hanc clausulam explicitè suam intentionẽ manifestat, & dicendo per se, vel per alium, prævenit casum cujuscunque impedimenti Capellano obventuri, obligando eundem ad supplendum per alium: ergo ad hoc obligabitur, quando in fundatione est ejusmodi clausula. Si verò Fundatio imponat onus personale Capellano celebrandi per se ipsum, dicendo: *Eligatur Capellanus, qui per se ipsum celebret, aut volo, ut ipsemet Capellanus electus celebret*, in hoc casu, si octo, aut quindecim diebus ægrotaret, non teneretur per alium satisfacere, quandoquidem cùm tam commune, & ordinarium sit in hac vita succumbere infirmitatibus, aliísque miseriis, nec Fundator expresserit, quòd Capellanus in hoc casu per alium celebret, sed eundem per se celebrare obligaverit; supponitur, & præsumitur eum exemisse ab onere celebrandi per alium, stante infirmitate octo, aut quindecim dierum.

170. P. P. R. me accuso, quòd relicta illa Capellania, & alia obtenta cum onere ter in septimana celebrandi, aliquoties tempus anticipaverim, celebrando prima septimana sex, & secunda nullam Missam.

C.

C. Fuítne mens expressa Fundatoris, ut determinatè qualibet septimana tres Missæ celebrarentur, dicendo: *volo, & est mea intentio, ut nulla septimana transeat absque trium Missarum celebratione*; hoc enim posito non poterat anticipatè eas celebrare, aut transferre, sed in qualibet septimana eas legere: ita docet cum Cenedo, & aliis Fagundez super præcepta Ecclesiæ in 1. præcept. lib. 3. cap. 9. n. 2.

P. P. R. nihil simile explicuit Fundator.

C. Si ergo hoc non expressit, nec datur circumstantia particularis, propter quam sit præsumendum hoc voluisse Fundatorem, potuit valdè benè eas anticipare; ita Fagundez cum aliis citatis ibidem num. 1. & cum Rodriquez, Reginaldo, & aliis Diana part. 2. tract. 14. resol. 16. melius enim absque dubio est pro anima, ut suffragia anticipentur, quàm differantur: ergo &c.

171. Advertendum tamen est, non esse licitum celebrare pro stipendiis adventitiis v. g. hodie volo celebrare Missam pro mihi collaturo eleëmosynam: quia Sacrificium Missæ non potest suspendi in futurum: & contrarium dicere est casus censuratus à Clemento Octavo in uno Decreto Sacræ Congregationis his verbis: *Tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam; atque à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem*; videatur Torrecilla *in Consult. tract. 3. consult. 1. num. 1. & 8.* hoc tamen potest admitti, quando ex Tabella scitur, quòd Sacrista, aut Collector, aut Decanus Capituli debeat distribuere tot, & talia Sacra, quæ poterit anticipatè persolvere is, qui habet jus ea legendi, & cui sunt distribuenda: Ita cum Aragon, Vega, & aliis Fagundez ubi supr. num. 8.

172. P. P. R. accuso me ob amissionem redditruum meæ Capellaniæ à Fundatore relictorum, non tres ampliùs Missas, sed duas solummodò in septimana celebrare.

C. Facítne hoc V. D. cum authoritate Superioris?

P. Non P. R. quia cùm habuerim recursum ad Episcopum, ut Missas æquipararet redditibus fundationis, nihil resolvit, dicendo, quòd per Decretum Sacræ Congregationis sit hoc ipsi vetitum.

C. Taxavítne Fundator eleëmosynam, nempe, ut tantum pro qualibet Missa detur Capellano?

P. Non P. R. sed solùm reliquit aliquos census, & prædia, ordinando, ut eorum proventus assignarentur Capellano cum obligatione trium Missarum in septimana.

C. De facto quantum remansit pro stipendio Missarum?

P. P. R. unicus regalis argenteus pro singulis Missis.

C. Quantum stipendium solet ordina-

narie dari in sua Patria pro quolibet Sacro ?

P. P. R. ordinariè duo regales argentei.

C. Non obstante Decreto Sacræ Congregationis relato à Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 29. num. 6. & Bassæo verb. Miss. 7. num. 11. probabile est, quòd Episcopus possit Missas justa de causa ad minorem numerum reducere, quando sunt valdè diminuti proventus relicti à Fundatore. Ita cum Marchantio tenet Lumbier tom. 1. fragm. num. 131. pagina (mihi) 329. primò, quia secundùm Marchantium Decretum Urbani Octavi non est receptum in Hispania, secundò, quia probabile est, quòd Decreta Sacræ Congregationis, licèt sint maximæ authoritatis, & æstimationis, non faciant legem; ut cum Suarez, Vasquez, & aliis, dixi in meis Confer. moral. tom. 1. tract. 3. Conf. 3. §. 2. num. 17.

173. Et addit Lumbier ibid. quòd redditibus Capellaniæ totaliter extinctis, possit Capellanus propria authoritate desistere à celebratione Missarum: Probatur supradicta doctrina Lumbier. Si remanserunt aliqui proventus, vel Fundator assignavit stipendium pro qualibet Missa, vel non? si primum, & proventus non correspondent stipendio potest Capellanus reducere Missas ad numerum correspondentem quantitati stipendii assignati à Fundatore: si non assignavit stipendium, aut proventus attingunt, quantum datur regulariter de stipendio pro Missis liberis, vel non? si hoc secundum, potest legere Missas ad proportionem stipendii communis: si primum, non potest eas minuere absque authoritate Ordinarii: tota hæc doctrina est M. Lumbier loco citato.

174. P. P. R. me accuso, quòd aliquoties negligens fuerim in persolvendis subitò Missis, pro quibus stipendium accepi.

C. Quanto tempore solet V. D. eas differre ?

P. Aliquoties ad duos, vel tres, & etiam ad quatuor menses eas distuli.

C. Missæ fuerúntne V. D. traditæ ab una, vel pluribus personis ?

P. P. R. à pluribus.

C. Diu differre celebrationem Missarum acceptarum est peccatum mortale; Ita cum Rodriquez, *Sylvestro*, Henriquez, & aliis Bonacina tom. 1. disp. 4. de Sacram. Euch. quæst. ult. punct. 7. §. 5. num. 1. difficultas est in assignando tempore notabili: Villalobos in sua sum. part. 1. tract. 8. diffic. 18. tenet, quòd Sacerdos possit eodem tempore sumere sibi onus quinquaginta, aut sexaginta Missarum; & his finitis totidem accipere. Sed hoc intelligitur, quando Sacerdos ab omni alia obligatione est immunis; nam si alio onere v. g. Capellaniæ &c. sit obstrictus tot solummodò acceptare debet, quot potest per-

persolvere intra quinquaginta, aut sexaginta dies. Leander à Sacramento tom. 2. tract. 8. disp. 4. quæst. 14. dicit, quòd possint differri ad tres menses. Diana part. 2. tract. 14. resol. 25. videtur approbare opinionem Villalobos; & posteà citato pro ea Garzia eandem sequitur, part. 9. tract. 6. resol. 55. & non improbat (quamvis videatur non sequi opinionem Leandri) part. 11. tr. 7. resol. 25. §. Nota etiam.

175. Mea opinio est Leandri, & Villalobos asserta esse in praxi tuta, & licitè sequenda cum dictamine A. R. P. M. Lumbier in sum. Aran. tom. 1. num. 132. nempe, quòd Sacerdos in hoc casu applicet partem Sacrificii sibi propriam, secundùm intentionem illarum personarum, quibus differuntur Missæ, additque, cùm hoc sit tantùm probabile, non esse practicandum, nisi posita causa dilationis Missarum: deinde si Missæ fuerunt ab unica persona datæ, quòd possint accipi simul sexaginta; cùm enim sciat, quòd unica tantùm Missa in die celebretur, eò ipso, quòd sexaginta simul det, videtur cedere suo juri, & consentire, ut ad sexaginta dies differantur, ita Pellizarius in Manual. de Reg. tom. 1. tract. 4. cap. 9. sect. 3. num. 72. & ex hac doctrina infertur, quòd si ab unica persona dentur Missæ, tot possint acceptari, quot intra tres menses possunt celebrari, quia in hoc pariter cedit suo juri.

Verùm hæc doctrina Pellizarii indiget meo judicio præcisa limitatione, nempe, quòd collator Missarum sit Dominus stipendii: quia si est hæres, aut Fideicommissarius, non potest hic cedere juri Testatoris, & in hujus animæ detrimentum permittere, ut Sacerdos diù differat celebrationem Missarum. Et ultimò, si Missæ petantur ob aliquam urgentem necessitatem: v. g. pro graviter ægrotante, aut pro felici partu, non possint differri, sed immediatè sunt celebrandæ, ut benè ait Leander ubi suprà.

176. P. P. R. me accuso, quòd Missam à me acceptam non celebraverim.

C. Nec per alium celebrari curavit?

P. Non P. R.

C. Omisítne eam cum advertentia, aut ex oblivione?

P. P. R. cum advertentia.

C. Habuitne pro hac stipendium?

P. Ita P. R.

C. Quantum ipsi datum fuit?

P. P. R. duo regales argentei.

C. Peccavit ergo in hoc contra justitiam; verum tamen est, probabile esse, non fuisse grave peccatum, ita Sanchez citatus à Diana part. 10. tract. 15. resol. 43. probatur nostra assertio, quia in hoc casu non mensuratur gravitas culpæ à pretio fructus Sacrificii, esset enim simonia valdè sacrilega, velle eum, ut rem temporalem æstimare, sed attenditur respe-

ctivè ad proximum, juxta datum stipendium: ergo cùm duo regales argentei non sint materia gravis, sed levis communiter loquendo, non erit peccatum mortale omittere celebrationem unius Missæ, sed veniale, & in hoc genere, gravius cæteris, quare seriò injungendum est, ut omissum Sacrificium celebretur.

Hinc est, quòd si quatuor regales argentei essent stipendium unius Missæ, mortale foret ejus omissio; quia hæc quantitas regulariter censetur gravis, & quando quantitas gravis datur pro stipendio Missæ, grave pariter peccatum est eam non celebrare: ita cum Dicastillo Diana ubi suprà.

177. P. P. R. me accuso, quòd semel non fuerim recordatus in primo Memento applicare Missam secundùm intentionem petentis, sed in secundo tantùm Memento, eam applicavi.

C. Et non applicuerat eam pro illa persona antecedenter eadem die, vel die præcedenti?

P. P. R. die præcedenti eam applicavi pro alia obligatione, & intra me dixi, fortè crastina die pro alia persona erit applicanda, eamque cras applicabo.

C. Ad fructum Missæ percipiendum necesse est, ut celebrans eam applicet, licèt cum Lessio dicat Diana part. 11. tract. 6. resol. 40. §. sed hic oritur; quòd si Sacerdos obliviscatur talem fructum alteri applicare, censeatur sibi applicare, idque per intentionem virtualem, seu interpretativam, quæ quoties non applicat fructum bonorum operum alteri, à se censetur velle sibi applicare: Hæc opinio tamen meo judicio est magis pia, quàm vera.

178. Verum est, quòd, licèt Sacerdos non applicet eadem die Missam, si tamen eam applicavit die præcedenti, dicendo, crastina die volo celebrare pro tali persona, nisi revocet hanc intentionem, talis applicatio erit in suo robore, quamvis non recordetur eam renovare. Si verò diceret; propono applicare posteà crastinam Missam pro tali persona, & de facto eam non applicaret, non prodesset, ita Bonacina tom. 1. disp. 2. de Sacram. quæst. 3. punct. 2. §. 3. sub num. 11. §. Respondeo.

179. Contra hoc dices: illa intentio die præcedentis est habitualis, atqui in prima propositione damnata ab Innocentio XI. declaratur improbabile sequi in Sacramentis intentionem habitualem, ut minùs tutam, quàm actualem, aut virtualem, ergo non possumus sequi opinionem astruentem, quòd sufficiat applicare die antecedenti Sacrificium Missæ: Respondeo damnatum esse, sequi intentionem habitualem in administratione Sacramentorum, nos autem hìc non loquimur de intentione necessaria ad celebrandum, sed de intentio-

ne

ne applicandi fructum Sacrificii ; de quo nihil dicit condemnatio.

180. Pro resolutione nostri casus, dico in sententia communi asserente, quòd ratio formalis, seu essentia Sacrificii Missæ consistat in consecratione, V. D. non satisfecisse applicando Missã in secundo Memento ; cùm verò sit probabile, quòd ratio formalis Sacrificii non constat tantùm in consecratione, sequitur, quòd sufficiat applicare Missam in secundo Memento : ita Tamburinus apud Dianam part. 10. tract. 12. resol. 27. prima opinio tamen est communis, & vera, eamque judico in praxi sequendam.

CAPUT V.

Exhortatio facienda Sacerdoti in fine Confessionis.

181. NOn tam facilè erit mi Dñe, sublimis montis dignitatis Sacerdotalis eminentiam V. D. repræsentare, summamque puritatem, quã Divina Majestas in Ministris sui Altaris exigit. Suprema Bonitas hoc Ministerium non contulit Angelis, non Archangelis, non Potestatibus, non Cherubim, non Seraphim, non cæteris, ex illis purissimis Hierarchicis Spiritibus, cælesti Regi adstantibus ; his supremis intelligentiis solummodò demandata est cura custodiendi Realem Christi in Sacramento latentis præsentiam: cui Ministerio adeò submissa reverentia, & tam reverenti attentione incumbunt, ut D. Chrysostomus fateatur eos cum timore, & tremore, ac quasi cæcutientes ob fulgurantes exinde radios non audere liberè Mysterium adeò Venerabile intueri. Quod Angeli ait Chrysostomus hom. 80. ad Popul. Antioch. videntes horrescunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem.

Hoc inquam Sacrum Ministerium, quod licèt devota æmulatione mirentur Seraphim, non tamen iis, sed hominibus, creaturis naturali ordine iis valdè inferioribus fuit concreditum. Quanta ergo debet esse æstimatio, quâ in nobismetipsis dignitatem adeò eminentem veneremur ; & quàm necessarium est, ut non tanquam sæculi Filios, sed tanquam cæli Cives nos geramus ? Talis debet esse puritas Sacerdotis, ait S. Jo. Chrysostomus lib. 2. de Sacerdot. ut si in medio Angelorum collocaretur, decenter in eorumdem societate posset manere : *Necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in cælis ipsis collocatus, inter cælestes illas virtutes medius staret.*

Perpendat V. D. utrùm talis sit sui cordis munditics ; consideret quæso, quàm modicus sit suorum morum candor ; nec annum erari patiatur cum iis, quos David abominatur Ps. 48. eò quòd præstantissimi sibi concrediti muneris magnitudinẽ intelligere neglexerint : *Homo cùm in hono-*

honore esset, non intellexit, eò quod Ministerium, Officium, & Dignitatē Sacerdotalem adeò sublimem esse ignoraverint ut non detur sublimitas, quæ huic possit comparari. Ita affatus est S. Ambrosius *lib. de Dignit. Sacerdot. cap 9. Honor, & sublimitas Sacerdotalis nullis potest comparationibus adæquari.* Cùm verò dignitas sit adeò sublimis, nónne conveniens est, ut cogitationes sint humiles? cùm munus sit adeò grave, certum est, graves quoque debere esse mores (S. Ambros. *ibid.*) *Ne sit honor sublimis, & vita deformis.*

Optarem mi Domine, ut caperet, non omne id, quod est tolerabile in sæculari, esse sufferendum in Sacerdote. Verba jocosa, nugatoria, vexatoria, quæ in sæculari possunt dissimulari, in Sacerdote erunt abominabilia. Tanquam temerarium punivit Deus summo rigore Sacerdotem Oza (2. Reg. 6.) Percussit eum super temeritate sua. Porrò ejus audacia, & peccatum fuit, ait Theodoretus, quòd visa impunitate Philistinorum in delatione Arcæ super currum, cogitaverit idem sibi facienti eventurum: *Hoc eum fefellit, quod si emissa ab alienigenis, nemini nocuit:* Fefellit eum opinio sibi fore licitum, quod cum aliis tanta obligatione non obstrictis dissimulabatur: est, si quod veniam, ac indulgentiam in sæculari meretur, à Sacerdote practicari nequit; quid erit, si Sacerdos exerceat id, quod in sæculari nefas apparet? quàm detestabile erit, Sacerdotem in lu[illegible] insumere pauperibus elargienda? Quomodò sufferendum erit, quòd n[illegible]am noxiis occupationibus Minist[illegible]r Dei disperdat id, quod ab Altari, & Ecclesia accepit? Quàm iniquum erit; quòd Sacerdos admixtus Laico, & vir sæculi factus, in conversationibus sæcularibus tam malè tempus expendat, & quòd in his se modò iratum, modò levem, modò indignatum ob parùm propitiam sibi in lusu fortunam ostendat, ac per hoc objectum risûs, ludibrii, ac scandali se aliis præbeat? ægrè tulit Sara, quòd Isaac cum Ismaële luderet, ex eo, quòd hic conditionis esset inferioris (*Gen. cap. 21.*) *cùm vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac &c.* sed multò indignius videbitur, quòd Sacerdos cum modico suo decore cum sæcularibus animum relaxando, dignitatem suam prostituat, ac iisdem contemptibilem se reddat: Isaac ait Lyranus fuerat Domino consecratus, adeóque indecens erat, ut cum Ismaële sibi in conditione inferiori luderet; sic pariformiter dedecus maximum erit, quòd Sacerdos Deo deditus, & consecratus, ac ad dignitatem tam superiorem elevatus, sæcularibus, qui sunt ordinis valdè inferioris, se associet, & in ludis, nugis, ac scurrilitatibus cum iisdem se detineat.

Sciat pariter, quòd Sacerdos, qui castitatis leges non profitetur, Divinis oculis sit exosus, ut patet ex script. in

qua præcepit, ut nullus Sacerdos ex Aaron descendens aliquâ maculâ infectus accederet offerre sacrificia : (*Levitici 21. v. 22.*) *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino* : nam cùm Deus sit ipsamet puritas, impuri Sacerdotis sacrificia eidem placere minimè possunt? in lege veteri noluit Legislator supremus super sua Altaria reponi mel: (Levit. 2. v. 11.) *Nec quidquam mellis adolebitur in sacrificio Domino.* Et ratio est, quia apis illud fabricans, originem suam trahit ex putrefactis bovũ cadaveribus, ut scribit Philo Hebræus *lib. de victim. offerentib. Fortasse, quia collectrix ejus apis animal est impurum* ; *natum è putribus bovum, ut fertur, cadaveribus:* Hinc Sacerdos sole purior, in conversatione modestus; in agendo morigeratus; solitudini addictus; corde castus; in cogitationibus candidus; in verbis ponderosus; in omnibus cautus; & circumspectus esse deberet : Propterea enim vocatur Angelus in Sacra Scriptura (Malachiæ cap. 2.) Angelus (addit S. Hieronymus ibi) Sacerdos Dei verissimè dicitur. Cùm ergo tanta puritas in Sacerdotis anima requiratur, quanta abominatio, si lurida & immunda erit? Quàm detestabilis res Sacerdos in cogitationibus impurus, in verbis obscænus, in conversatione dissolutus, irreligiosus in operibus, in incessu obliquus, lascivus corde, animo sensualis, & affectibus inordinatus? si perfidi Judæi ignominiis Christum Dominum affecerunt, non minùs eum contemnunt Sacerdotes, qui vitam incastam ducentes propriis manibus gestant ait Theodoretus *in cap. 11. Epist. 1. ad Cor. Eum ignominia, & dedecore afficiunt qui Sanctissimum ejus corpus immundis manibus accipiunt* : Hebræi sacrilegas manus semel Redemptorem nostrum inhumaniter crucifigentes sanguine tinxerunt; Ast, proh dolor! ait Tertullianus lib. de Idololat. cap. 7. quòd quotidie Ministri Altaris deteriùs eum tractent. *Proh scelus! semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præscindendæ.*

Per amorem Dei, quæso Fili, perpendat illa Apostoli verba ad se directa, quòd anima ipsius sit Dei depositum, & Christi Jesu membrum (2. *ad Corinth. 6.*) *Nescitis, quia templum Dei estis. Nescitis, quia corpora vestra membra sũt Christi*, & cùm ipsius pectus sit Reliquiarium, ubi reponitur Deus, Jesu Christi Tabernaculum, cælestis Regis Sacrarium, Divinorum thesaurorum Area, Altissimi Thronus, ac Omnipotentis habitatio, conveniénsne erit, ut ab adeò amabili Majestate se avertens prrofaniter se immisceat deposito Dæmonis, turpitudinum cubili, luxuriæ habitaculo, immunditiarum diversorio, & enormitatum receptaculo; *Tollens ergo* (subjungit Apostolus *ibid.*) *membrum Christi, faciam membrum meretricis?* Ah utinam

non verificetur de V. D. illa sententia S. Hieronymi: *iste pollutis manibus, & quibus paulò antè mulieris corpus tractavit, salutem hominum tangit, & recipit ore, quo paulò antè basta meretrici impressit. Iste ore fœtente, & corpore polluto demergit eum, quem Angeli videre concupiscunt, & quem aspiciendo delectationes æternas accipiunt:* Si sæcularibus ad Deum accedentibus injungit S. Paulus, ut ab aliàs sibi licitis, & permissis abstineant, quàm deforme erit Sacerdotem quotidie in suis manibus cæli Dominum gerentem, in absolutè sibi vetitis se coinquinare? ita egregiè (S. Augustinus *serm. 37. ad Fratres in Eremo.*) *Ecce laicis conjugatis ad tempus abstinere præcipitur, ut vacent orationi, & Sacerdotes, quos Corpus Domini consecrare omni die oportet, concubinas in domo sua habere non erubescunt.*

Commendo pariter ipsi diligentiam in se præparando cum summa reverentia ad Divinum Missæ Sacrificium, & antequam ad Altare accedat, dictũ D. Pauli 1. ad Corinth. 1. sequatur; Probet autem se ipsum homo; ut debitâ decentiâ sacrum Ministerium peragat. Qui coram Monarcha perorare debet, ante hunc actum probat se, verba ibi proferenda examinat, in cæremoniis faciendis se exercet, modestè se mundat, & induit, ac multùm temporis ad honestè comparendum insumit: Si ergo mi Domine tanta adhibetur diligentia pro honorando, & alloquendo terreno Rege, qui est pulvis, cinis, stercus, terra, nihil, quid faciendum erit tam propè, & familiariter cum cælesti Rege agenti, ut in Altari contingit? omnis ratio postulat, ut anteà conscientia mundetur; anima purificetur humilitate, patientia, ac animi submissione adornetur, perpensâ propria vilitate, & summa Dei in Sacramento latentis magnitudine, ac sublimi Ministerii exercendi eminentia. Si purissima Angelorum Regina se turbat, humiliat, annihilat, ad terram prosternit, quando in sanctissimo suo utero Divinam Majestatem est receptura; cùm idem et sit Deus, quem V. D. recipit, ut graviter ponderat S. August. *super Psalm. O Veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis Filius Dei incarnatur!* dignum, & justum est, ut antecedenter se humiliet, se præparet, disponat, ac per mediam horam internum suum recolligens, attentione possibili supremum opus coram Creatore sibi peragendum recogitet.

Suadeo pariter, ut Missam moderata gravitate, gravi circumspectione, Religiosa modestia, ac humili Majestate legere studeat: siquidem celebrare, idem est, ac cænam in Christi Domini nostri mensa sumere: Festinanter absque maturitate & modestia in Principis mensa comedere, nimiùm dedecet, ac convitatum vilem rusticum, & immorigeratum denotat.

tat. Ad cæli mensam absque respectu sedere, Panem Angelorum absque reverentia manducare, festinanter *Missam* legere, Divinæ Majestati summoperè displicet: idcircò graviter cæremoniæ sunt faciendæ, attentè verba proferenda, maturè sacra Mysteria ibi repræsentata meditanda, videlicet quòd in Sacrificio incruento idem Dominus offeratur, qui oblatus fuit in ara Crucis, cruentus, contemptus, derisus, flagellatus, spinis coronatus, cruci clavis affixus, tanquam objectum dolorum, tormentorum, pœnarum, ac peripsema *Mundi*. Perpendendum est stante Sacrificio *Missæ* cælos aperiri, exercitus Angelorum descendere ad assistendum mensæ Altaris, ad adorandum, venerandum, & latriæ tributum eorum Regi exhibendum. Consideret ergo V. D. utrùm deceat, quòd, dum Sacerdos tam veneranda *Mysteria* peragit, ac intelligentiis illis Supremis circumdatur, sine attentione, devotione, recollectione, ac maturitate celebret, nihil plùs hoc exercitium, quàm cæremoniarum scholam æstimando, illúmque panem, quasi nostrum terrenum manducando? Non Domine, non sic agendum, aliàs judicium sibi manducabit & bibet, reus erit Corporis Domini, ac sibi damnationem acquiret in eo, quod æternæ gloriæ pignus foret.

Post celebrationem necessarium est, in cælestis panis, ac dulcis hospitis in pectoris cubiculo repositi consideratione immorari, gratis obsequiis eum excipere, affectus sui cordis offerre, desideriorum claves consignare, animam, sensus, & potentias eidem consecrare, ut tanquam ejus creaturæ fideliter ei famulentur, supremos cælorum Ordines ad debitas gratiarum actiones, & laudes ei referēdas pro tam eximio sibi præstito beneficio, ac intima secum unione invitando; plagas suas, & miserias ei ostendat, verecundiam, & infirmitates, tanquam Sapientissimo *Medico* pro solius amoris stipendio ad sanandum expedito detegat, ac demùm per mediam horam in aliis meditationibus, ab eodem veræ fidei auditu præmisso suggerendis se detineat.

Divinum Officium pariter tempore pro qualibet hora determinato cum modestia, maturitate, & attentione est recitandum. Nec V. D. hoc exercitium velut quid perfunctorium, & cæremoniale reputare debet, sed tanquam vectigal, & tributum, cælorum Monarchæ in nostræ servitutis recognitionem solvendum: Recogitet recitando, se in medio Angelorum stare (*Psalm.* 137.) in conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus; ac in terra id peragere, quod Beati in cælo persolvunt. Loca solitaria, ac à tumultibus remota pro eo recitando eligat: ab initio recitationis recolligat se, considerando, quòd dum

verba ore profert, Deus ibi præsens sui cordis scrutator adstet: hoc exercitium taliter peractum, non molestiam, sed delectationem, non tædium, sed lætitiam parit, ac Domino Deo, tanquam gratissimum incensum, suavissima Aromata, ac dulcis fragrantia placet: Angelis est gaudium, Sanctis exultatio, ac V.D. maximum in hac vita meritum, habens jus ad præmium, & coronam in altera possidendam.

EXEMPLUM.

In quo ostenditur quantùm Sacerdos malè dispositus ad Altare accedens Deum offendat.

182. Refertur in Florib. Exemplor. tom. 3. cap. 5. titul. 28. Exempl. 1. Sacerdotem quemdam vitam apparenter morigeratam duxisse, usque dum semel ex communis hostis instigatione, ac subtilissima fraude mulierem quamdam, non prava aliqua intentione, sed sincero pro tunc motus affectu invisere statuit. Verùm cùm palea igni propinqua nunquam tuta sit, & concupiscentiæ pulvis ex levi etiam exiguæ scintillæ tactu facilè accendatur, ab urbanitate ad licentiam, à familiaritate ad impurum amorem transit, & quod ab initio aulica urbanitas videbatur, in fine turpissima amicitia fuit. Oh quantâ cautelâ Dei Ministri indigent, si à vitii contagio immunes vivere cupiunt. Sacerdos hic Divinum Altare frequentare non desinebat, licèt in sacrilegæ Veneris ara idololatriam committeret, nec in corde illo, in quod fœtidam immunditiarum massam introduxerat, Deum recipere pavebat: Ast Deus, qui est Ministrorũ suorum Zelator, si inter nivis candores morari delitiatur, inter latrinarum deformitates manere abhorret; ab immunda hujus Sacerdotis vita adeò offensus fuit, ut semel in actu primo consumptionis ex ejusdem oculis evanuerit, cor adeò immundum ingredi abhorrens: obstupuit Sacerdos, sed non totaliter resipuit: experiri voluit, utrùm casus fortuitus ille esset, ac proinde sequenti die denuò celebrans: secunda quoque vice Christus Dominus è manibus ejus evasit: quod cùm tertia vice probaverit, idem pariter contigit; conscius verò, quòd durum sit contra stimulum calcitrare, & quòd tam evidenti Dei indignationi rebellem se ostendere, Divinam Justitiam ad novissimam punitionem infligendam cogere erat, in se reversus scelera sua majores promereri pœnas novit, magnámque esse Divinam misericordiam, in eo potiùs signis, quàm castigatione præveniendo: Quapropter sicut Deum offendi per culpam, ita per pœnitentiam placari noscens, Episcopo suo casum secutum manifestavit, quo consulente austeram, & rigidam vitam aggressus est, etenim alimentum ejus fuit jejunium, cibus ab-

abstinentia, somnus vigilia, delicia flagellæ, consolatio amaritudines, ac recreatio lacrymæ: aliquo tempore in his austeritatibus transacto adiit Episcopum, eumdémque consuluit, utrùmnam ad Altare Domini adhuc accedere auderet, à quo responsum accepit paulisper adhuc expectandum esse, ac cœptam pœnitentiam prosequendam: Pio Antistitis consilio stetit pœnitens Sacerdos; ac post multas lacrymas, & contritionem, dolorem, & compunctionem cum timore, & tremore ad Divinam Mensam accessit; ejúsque pœnitentia adeò grata Deo fuit, ut non tantùm consecratam hostiam sumere impulserit, verùm etiam tres hostias antecedenter consecratas, in illo instanti Angelorum Ministerio sibi restitui concesserit, quas etiam in eadem Missa sumpsit: ex quo suam pœnitentiam Deo acceptam, suaque crimina remissa fuisse intellexit; ac pro tam grandi Dei favore gratum se præbere, totoque cordis affectu eidem inservire procuravit.

Ex hoc casu nos Dei Ministri discamus modum accedendi ad sacrum Altare: judicia Dei timeamus, si vitam nostro muneri, Dignitati, ac Ministerio conformem non ducimus; & si ex nostra fragilitate usque modò debita puritate nos non gessimus, humilitati & contriti cum prodigo Filio Divinam pietatem imploremus, nostrorum delictorum veniam petamus, de suprema ejus bonitate confisi; quòd nos suos commensales habere dignabitur, si coram se dolentes cernet; pane consolationis nos cibabit, si priùs illo doloris, & compunctionis vescemur, nec unquam ejus gratia nobis deerit, si opera æternâ gloriâ digna faciemus, Amen.

Advertentia.

Non possum hìc intermittere, quin admoneam PP. Confessarios de re, quæ bona eorum venia mihi necessaria videtur; animadverti, quòd, quando Sacerdos aliquis confitetur, non soleat Confessarius eum monere, & hortari ad emendationem, perseverantiam, cæterásque virtutes, contra quas suis defectibus deliquit, ex eo, quòd Sacerdos jam sibi facienda noscat: Hoc ita esse suppono; attamen Christus Dominus nos admonet, quòd granum Verbi Dei in bonam terram cadens, uberes fructus afferat: ergo supposito, quòd Sacerdotis cor sit terra bona, & benè disposita, hìc granum correctionis electum est seminandum, cum spe uberiorem fructum colligendi: Insuper Sacerdos confitens velut reus, & peccator comparet; & cùm Philosophus dicat: omnis peccans est ignorans, in hoc casu non sapiens, sed reus ignorans censendus est: denique maxima est distantia scientiæ habitualis unius rei ab ejusdem actuali, & exprimentali notitia. Contingere enim potest, quòd licèt pœnitens habitualiter obliga-

ligationem suam sciat, hæc tamen notitia actualiter sopita, ac mortificata maneat; idcircò consultum erit, ut Confessarius cum suavi dulcis, ac amabilis exhortationis aura, cineres, veritatis ignem obtegentes dispergat, ut in corde per Divini amoris flammam reviviscat.

TRACTATUS XIII.

De Officio, & Statu Parochorum.

CAPUT I.

De Obligatione Parochorum residendi in propriis Parochiis.

1. P. P. R. dico meam culpam, quòd interdum à mea Parochia me absentaverim.

C. Quamdiu fuit absens?

P. Una vice fui absens integris duobus mensibus.

C. Obtinuítne à suo Episcopo licentiam pro hac absentia?

P. Ita P. R.

C. Fuítne expressa, vel præsumpta, aut tacita licentia, quia hæc non sufficit, sed necessaria est expressa; ita Bonacina in disput. seu var. tract. in fine tom. 1. disp. 5. punct. 4. num. 12.

P. P. R. implicitâ non fui contentus, sed explicitam impetravi.

C. Obtinuítne eam vivæ vocis oraculo, vel in scriptis?

P. Solummodò oretenus licentiam obtinui.

C. Secundùm Epistolam Sacri Concilii Tridentini sess. 23. cap. 1. de reform. requiritur licentia in scriptis: Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam: & si aliter obtineatur, nullam esse concessionem censet cum aliis Castropalaus tom. 2. tract. 13. disput. 5. punct. 5. num. 8. in fine. ego tamen probabile puto, in foro conscientiæ non requiri licentiam in scriptis, sed sufficere verbalem; ita Bonacina ubi suprà. Lessius 2. de justit. cap. 34. dub. 39. num. 158. Torrecilla ubi infr. diffic. 8. num. 36.

2. Habuítne causam V. D. petendi hanc licentiam, & se absentandi?

P. P. R. aliud motivum non habui, quàm me recreandi, ac meos consanguineos, & amicos invisendi.

C. Ad se absentandum à Parochia ultra bimestre tempus requiritur major causa, quàm adducta, ut infrà dicam; pro bimestri tamen concesso à Concilio capit. cit. sufficit hæc causa, nempe sublevamen aliquod capiendum, ita Leander à Sacramento part. 8. tract. 7. disput. 5. quæst. 3.

3. Substituítne V. D. aliquem, qui toto hoc tempore vices suas gereret?

P. Ita P. R. Amicus Sacerdos hanc gratiam mihi præstitit.

C. Et hic Sacerdos, cui V. D. suæ Parochiæ curam commisit, erátne Parochus in propinquo aliquo loco? quo posito benè potuit V. D. eidem commendare curam suæ Parochiæ,

ita

ita Marchadus tom. 2. lib. 4. part. 2. tract. 4. doc. 4. num. 1.

P. P. R. non erat Parochus, sed Sacerdos particularis incola ejusdem loci.

C. Erátne approbatus ab Ordinario pro excipiendis Confessionibus? secùs enim non poterat V. D. ei committere curam suorum Parochianorum.

P. P. R. Erat approbatus ab Ordinario.

C. Habuítne pariter licentiam excipiendi Confessiones mulierum? absque ea enim neque poterat ei curam Parochiæ concedere.

P. P. R. generalem licentiam habuit.

C. Petiítne V. D. ab Episcopo facultatem substituendi hunc Sacerdotem per bimestre suæ absentiæ?

P. Cùm fuerit pro priori approbatus ad excipiendas confessiones, necessarium non duxi manifestare Episcopo meum substitutum.

C. Si absentia fuisset sex, vel septem dierum, poterat V. D. hunc Sacerdotem eligere in suum substitutum, sed pro diuturniori absentia non poterat hoc inconsulto Episcopo facere; Barbosa de Officio Parochi part. 1. cap. 8. num. 52. constat ex Concilio Tridentino, quod cap. cit. ait: Vicarium idoneum relinquat ab Ordinario approbandum; non dicit, approbatum, sed approbandum: quia cùm requiratur major habilitas pro Officio Curati, quàm pro administratione gratuita, & ad libitum Sacramenti Pœnitentiæ, propterea noluit Concilium, ut Curatus posset suo arbitrio substituere quemlibet approbatum ad excipiendas confessiones; sed ut denuò approbaretur ab Ordinario, pro substituto in absentia Parochi; & per hoc probatur id, quod anteà dixi cum Marchado, videlicet, quòd si substitutus fuisset curatus alterius loci, poterat absque nova licentia Ordinarii supplere absentiam alterius Parochi, idem habet Barbosa ibidem quia hic fuit jam judicatus idoneus, pro Officio Parochi exercendo.

4. P. Ex modò mihi dictis, & ab initio propositis supervenit mihi scrupulus; nempe, quòd elapso anno pariter per bimestre tempus me absentaverim; & quamvis substituerim Parochum vicinum pro administrandis Sacramentis meis parochianis, non petii tamen licentiam ab Episcopo me absentandi.

C. Quamvis aliqui Doctores citati à Barbosa in Collect. super Concil. Trident. in sess. 23. cap. 1. sub num. 67. doceant, quòd Parochus ex justa causa possit se absentare per bimestre continuum, aut divisum absque licentia Episcopi; contrarium tamen, tanquam tutum, & certum est tenendum, ita Barbosa ibi num. 67 & part. 3. de potest. Episc. alleg. 53. num. 97. citando pro sua opinione Ugolinum, To-

Toledum, Lessium & alios; Idem sentit Torrecilla *in exam. Episc. tract. 2. quæst. 3. sect. 2. diffic. 5. num. 25.* & colligitur ex verbis Concilii loco supracit: *Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant.* ergò supponitur, quòd pro bimestri absentia sit necessaria licentia Episcopi: exhinc infertur, quòd secundùm hanc sententiam, Parochus se absentans per dictum bimestre non perciperet fructus suos cum onere restitutionis; ita Torrecilla ibidem num. 25 Quomodo autem sit facienda hæc restitutio, inferiùs dicam.

5. P. P. R. dico meam culpam, me eodem anno, in quo fui absens per bimestre cum licentia Ordinarii à mea Parochia, alia vice quoque fuisse absentem.

C. Et hæc absentia fuítne per breve tempus? etenim si fuisset per duos, aut tres dies, poterat V. D. abesse etiam absque licentia Episcopi, nec erat opus alium idoneum substituere, dummodò in Parochia non fuerit aliquis infirmus, & dies feriales, non festivi fuerint. Ita Palaus tom. 2. tract. 13. disp. 5. punct. 5. num. 2.

P. Diutiùs fui absens.

C. Fortè per integram hebdomadam? quia dicit etiam cum Barbosa Palaus, quòd ex justa causa possit Parochus abire extra Parochiam per hebdomadam, relicto Vicario idoneo absque licentia Ordinarii: contrarium tamen magis placet; videlicet non posse absque ejusdem licentia Parochum abesse per hebdomadam, etiam relicto Vicario idoneo, sic enim declaravit Sacra Congregatio, ut cum Garzia ait Leander à Sacramento part. 8. tract. 7. disp. 5. quæst. 7.

P. P. R. ultra hebdomadam fuit mea absentia.

C. Quanto tempore ergo fuit?

P. P. R. Quasi per viginti dies.

C. Factum fuítne hoc cum licentia Ordinarii?

P. Ita P. R. cum ejusdem licentia, & in scriptis substituendo nominatũ, & approbatum ab eodem Episcopo.

C. Habuítne V. D. causam sufficientem petendi licentiam pro hujusmodi absentia?

6. P. Causa quam habui, fuit, ut viderem solemnitates Patriæ, consanguineos inviserem, ac animum relaxarem; licèt hæc non fuerit causa à me adducta Episcopo, sed quòd mei consanguinei ob sanguineam litem odio se habeant; ideóque necessariam esse meam Personam ad eos conciliandos eorumque controversias, & discordias dirimendas.

C. Quamvis suprà num. 2. dixerim, quòd pro bimestri absentia à Concilio permissa, sit causa sufficiens aliquod sublevamen capiendum; attamen pro ulteriori absentia hoc non sufficit, sed requiritur causa gravis, ut habet Conc. sess. 23. cap. 1. de reform.

form. ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Causæ autem justæ pro petenda, & obtinenda licentia se absentandi quatuor enumerantur, & ab Azorio referuntur part. 2. lib. 7. cap. 4. quæst. 4. Prima est Charitas Christina; idest ad dirimendas lites, controversias, & odia: secunda, urgens necessitas v. g. si Parochus ob morbum curandum indigeret thermis, aut alio remedio; quod in sua Parochia haberi nequeat: tertia est Obedientia, v. g. si ab Episcopo, aut suæ Sanctitatis Legato vocaretur: quarta, & evidens Ecclesiæ, vel Reipubicæ utilitas, ut cùm quis abest, ad Synodum generalem, vel Provincialem, aut Diœcesanam ritè, & legitimè vocatus, vel cùm quis abit pro lite Ecclesiæ, vel pro obtinenda à Superiore reformatione in variis emergentibus.

Unde infertur, quòd si causa adducta à V. D. Episcopo pro obtinenda licentia ejusmodi absentiæ fuisset vera, nec peccasset, nec obligaretur ad restitutionem, supposito etiam quòd reliquerit idoneum Vicarium ab eodem Episcopo nominatum, & in scriptis licentiam habuerit: cùm tamen causa allegata non fuerit vera, sed ficta, graviter peccavit, & ad fructuum restitutionem tenetur: ita Leander à Sacramento ubi supr. quæst. 16. Barbosa de potest. Episc. alleg. 53. part. 3. num. 99. Bonacina in disp. variis, disp. 5. punct. 4. n. 11.

7. P. P. R. Quidnam debeo restituere, ex eo, quod absque causa legitima à mea Parochia recesserim?

C. Mox dicam ipsi: nónne V. D. assignavit aliquam mercedem substituto relicto in sua Parochia?

P. Ita P. R.

C. Clarum est, ita debuisse fieri juxta determinationem Concilii Tridentini loc. supracit: Vicarium idoneum cum debita mercedis assignatione relinquant: Verum est: quòd si ille gratuitò, & ex amicitia absentiam V. D. supplere voluisset, ad nullam mercedis assignationem teneretur.

Modò ergo ei dico, quòd fructus V. D. obtingentes tanquam Parocho pro rata dierum absentiæ, debeat restituere: eos verò, qui ex sua industria, aut labore ipsi competunt, v. g. pro concione, administratione Sacramentorum, & similibus, non tenetur restituere: Possevinus, & Barbosa, Leander ubi sup. dif. 6. quæst. 1. & 5. quæ restitutio fructuum facienda est absque alia sententria Judicis, ita Concilium loc. supracit. alia etiam declaratione non secuta &c.

8. P. Cui teneor restituere hanc portionem fructuum?

C. Pauperibus, aut Fabricæ Ecclesiæ sunt restituendi, ait Concilium.

P. Et cum Bullis compositionis non potero me componere, ut possunt facere ii, qui non recitarunt Horas Canonicas?

C. Minimè, quia in hoc casu id expressè prohibet Concilium: prohibita quacunque conventione, vel compositione: idem etiam tenet Barbosa de potest. Parochi part. 1. cap. 8. num. 68. cum Navarro, & aliis.

Alias quoque pœnas imponit Concilium Parochis non residentibus, ut puta, dare facultatem Episcopis, eos revocandi eum censuris, sequestro deponendi fructus, vel his privandi, aliaque remedia legis Canonicæ, quæ relinquuntur Ordinariorum arbitrio, ideò ea omitto, cùm non sit hìc proprius de iis tractandi locus.

Advertentia.

Bono meo desiderio satisfacere peroptans, RR. DD. Parochos ad vigilantiam gregis, cujus cura iisdem tam strictè demandata est, impensè adhortor. Fragilis est vita humana, nec est vitrum ita frangibile, sicut hæc est finibilis; idcirco cùm mortales in hoc periculo vivant, non expedit, ut Parochi à suis subditis se absentent, etenim superveniente eis aliquo improviso casu, cum summa amaritudine mori, & cum non minori afflictione vivere coguntur: singulariter in locis, in quibus solus est Parochus, pota ejus absentia, animæ sacrosancti Missæ sacrificii auditione privantur, suffragiis defuncti, & cultu sanctissimum Sacramentum. Si Pastor procul est à grege, facilè disperguntur oves, intricantur in arbustis, præcipites ruunt ex rupibus, ac luporum dentibus sunt expositæ. Quòd Mercenarius eas deserat, transit; ad eum enim non pertinent oves: sed quòd abeat Pastor, & eas derelinquat, valdè deplorabile est, siquidem à suo Ministerio, Officio, & nomine degener est: Quare supremus Princeps Pastorum in severo tremendæ Residentiæ die, de ejusmodi negligentiis strictissimâ rationem expostulabit.

CAPUT II.

De Obligatione Parochorum prædicandi Sacrum Evangelium, ac instruendi suos Parochianos in doctrina Christiana.

9. P. P. R. confiteor, quòd fuerim negligens in explicando Sanctum Evangelium meis Parochianis.

C. Ad distinctè procedendum in hac materia non minùs ardua, quàm scrupulosa; necessariò supponendum est, triplici ex præcepto, nempe Naturali, Divino, & Ecclesiastico Parochos obligari ad prædicandum, & instruendum suos Parochianos: Ex lege Naturali, ratione quasi contractus existentis inter Parochum, & Parochianos, in his eum in temporalibus alendi, ut ille cibum spiritualem eis administret: Ex lege Divina, ut habetur ex verbis Christi Domini nostri. Joannis cap. 21. Pasce oves meas: ac demùm ex lege Ecclesiastica, à Sacro Concilio Tridentino sancita, *sess. 23. de reform. cap. 1.* ubi ait: *Cùm præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnos*

agnoſcere, verbique Divini prædicatione paſcere, &c. Et vicarum legum Parochi duabus obligationibus obſtringuntur prædicandi videlicet Evangelium, hortando ad virtutes ſectandas, & vitia fugienda, ad cæleſtem gloriam animando, ac pœnas æternas minitando. Ita Concilium *ſeſſ. 5. de reformat. cap. 2.* "Annunciando eis cum brevitate, & facilitate ſermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant,,: Secundò, docendi ſuos ſubditos Doctrinam Chriſtianam, præcipua Fidei Myſteria, Præcepta obſervanda, Sacramenta ſuſcipienda, & Orationi vacare.

10. Nunc dicat mihi, non diſſeminabat V. D. interdum ſuis Parochianis Verbum Dei?

P. Ita P. R. Licèt non frequenter.

C. Jure Naturali, & Divino, ſancitum non eſt quibus diebus Parochus prædicare debeat; id tamen determinat Sacrum Concilium ſeſſ. 24. de reform. cap. 7. præcipiendo Parochis, ut diebus feſtivis, & ſolemnibus hanc obligationem adimpleant Divinorum Officiorum tempore: *Nec non ut inter Miſſarum Solemnia, aut divinorum celebrationem Sacra eloquia, & ſalutis monita eadem vernacula lingua ſingulis diebus feſtis, vel Solemnibus explanent.*

P. P. R. Non prædicavi omnibus diebus feſtis.

C. Theologi, & Doctores communiter docent hanc determinationem Concilii obligare diebus præſcriptis; ita Marchadus tom. 2. lib. 4. part. 2. tract. 3. docum. 2. num. 2. Quamvis Sotus lib. 10. de juſtit. quæſt. 1. art. 3. dicat, quòd diſputatione orta in Concilio, utrùm Parochis onus prædicandi imponendum foret, quæſtio indeciſa remanſerit; & quòd Parochi ſuæ obligationi ſatisfaciant, docendo Myſteria Fidei cum reliquis contentis in Doctrina Chriſtiana: Hanc opinionem Soti Marchadus citat ibidem; quam tamen non ſequitur, Barboſa pariter de Offic. Paroch. part. 1. cap. 14. num. 1. eumdem citat, ſed neque ſequitur; Moya denique eum citat in ſuis ſelect. tom. 2. ad tract. 2. de Relig. diſp. 1. quæſt. 2. num. 4. & 5. & non ſolùm non ſequitur, ſed etiam adjungit, eſſe oppoſitam dictamini Concilii: quo puto eſſe certum; quia Tridentinum *ſeſſ. 5. cap. 5. de reform.* ſic loquitur: *Curam animarum habentes per ſe, vel per alios idoneos ſi legitimè impediti fuerint, Diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus plebem ſibi commiſſam pro ſua, & eorum capacitate paſcant*; ſi hoc expreſsè determinat Concilium, quomodò poterit verificari, quòd hæc materia indeciſa remanſerit? quomodò poterit dici, quòd nihil definive-

rit, quando in hoc, & aliis locis tam patenter eam declaravit? quapropter indubium habeo, fuisse expressum mandatum Concilii, ut Parochi diebus Dominicis, & festis, Verbum Dei disseminarent. Aliqua indulgentia potest in hoc admitti, quam mox assignabo.

11. Dicat mihi, computato toto anno posséttne numerari simul integer mensis, in quo non fuerit concio; seu bimester discontinuus, modò omittendo duas Dominicas, postmodùm alteram, & deinde alteram, quæ simul sumptæ bimestrem constituerent?

P. P. R. ultra semestrem Verbum Dei disseminare intermisi.

C. Non obstante Decreto Concilii Bonacina tom. 2. disp. 5. circa 3. præc. Decal. q. unica, punct. 2. sub num. 31. §. Quamobrem; sentit, quòd Parochus toto anno omittens concionem, quasi per mensem non continuum, probabiliter possit excusari à mortali: si verò integro mense continuo, aut etiam si duobus, vel tribus mensibus totius anni discontinuis non concionetur, graviter peccet: idem dicit Leander à Sacramento ubi supr. quæst. 15, quòd scilicet Parochus prætermittens concionem per mensem continuum, vel per bimestre, aut trimestre discontinuum, mortaliter delinquat. Et circa hoc punctum Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 16. num. 7. quamvis non determinet tempus, dicit tamen, quòd interdum, vel multoties omittens diebus assignatis à Concilio, non peccet graviter. *Non tamen videtur* (ait) *tam rigorosè, ac præcisè id præcipere, ut peccare graviter censeantur, si interdum, vel sæpiùs id omittant.* Laxior fuit Trullench *lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 4. num. 14.* ubi dixit Parochum toto integro anno nunquam prædicantem peccare mortaliter, modò per se, aut per alios provideat necessaria saluti animarum. Hæc sunt verba Trullench: *solùm peccare mortaliter, si toto integro anno nunquam prædicarent; modò tamen per se, aut per alios provideant necessaria saluti animarum.*

12. Fateor, me non posse assentiri huic Sententiæ Trullench, quam sine contradictione non invenio: non possum quidem assentiri; quia, si expresè præcipit Concilium, ut Parochi omnibus diebus festivis prædicent; quomodo credendum erit, eos solùm graviter peccare, si toto anno non prædicent? Quòd ob parvitatem materiæ, aut ex benigna interpretatione Concilii dicatur, unâ, vel alterâ die non prædicare, licèt ex his componatur unus mensis, non fore gravem culpam, videtur rationabile, & probabile; sed tam diu omittere, quomodò erit credibile? Contradictionem pariter invenio in asserto Trullench; quia Parochus debet providere omnia necessaria saluti animarum per se, aut per alios; jam

quæro

quæro : vel Parochus habet legitimum impedimentum, vel non ? si non habet, non potest substituere toto anno alium ; quia tantùm in casu legitimi impedimenti hoc ipsi concedit Concilium sess. 5. cap. 2. de Reform. "per alios idoneos, si legitimè impediti fuerint.„ Et si Parochus per se debet providere necessaria saluti animarum : ergo per se debet prædicare, siquidem cum maxima difficultate poterit aliter provideri saluti animarum : Nec Suarez, aut alius citatus à Trullench ipsi favet, aut hoc dicit, ut advertit Leander quæst. 9. citata ; & constat ex verbis Suarez suprà relatis.

13. Notandum dixi Parochum, quandoque prætermittentem verbi Dei prædicationem, licèt per mensem discontinuum, non peccare graviter ; quòd hoc debeat intelligi respectu legis Concilii Tridentini, quia respectu legis Divinæ, quotiescunque populus graviter indiget prædicatione, tenetur Parochus sub mortali oves suas verbi Dei prædicatione pascere : ita Barbosa ubi suprà, sub num. 8. Bonacina loco citato num. 30. & alii.

14. Nunc mihi dicat, quâ de causa V. D. non habuit concionem ad populum ?

P. P. R. aliquas causas habui, propter quas me putavi excusatum.

C. Quænam fuerunt ?

P. prima fuit videre, quòd plures alii habuerint concionem.

C. Consuetudo legitimè introducta derogat legi Ecclesiasticæ, ita doceo cum communi in mea 1. parte Confer. tract. 3. confer. 7. §. 3. num. 19. cùm ergo determinatio Concilii sit lex Ecclesiastica, præcipiens Parochis Dominicales, & Festivales conciones faciendas, hæc lex cessaret, si esset consuetudo legitimè contra eam introducta : at quòd hæc consuetudo sit legitima non constat ; quia ad hanc inter cæteras conditiones requiritur consensus Legislatoris ; constat ex leg. de quibus L. sed ea ff. de legibus ; quod tanquam certum tenet Castropalaus tom. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 4. num. 1. & loco citato Confer. num. 17. ego teneo. sic est, quòd in nostro casu non detur consensus Legislatoris, nempe Concilii, nec Papæ, qui videtur posse eum dare ; Episcopi etiam, cùm non sint hujusmodi Legislatores, ordinariè solent in visitationibus præcipere Parochis, ut hanc Concilii legem observent : ergò non est consuetudo introducta, quæ derogat supradictæ legi Concilii ; & si aliqui eam autumant, & sequuntur, hæc non est consuetudo, sed benè corruptela, & abusus.

Prætereà legi Divinæ nulla consuetudo derogare potest, ut communis Doctorum tenet, & dico in Confer. loc. citat. num. 16. sed lex Divina obligat Parochos ad prædicandum, & erudiendum suos Parochianos, ut

ut dixi num. 9. hoc cap. ergo saltem ex hac ratione Parochi obligabuntur ad concionandum, quacunque consuetudine non obstante.

15. P.P.R. Secunda causa hujus meæ omissionis fuit, quòd plures Religiosi infra annum multis diebus Festivis in mea Parochia prædicent.

C. Cujus generis Sermones solent his diebus fieri ?

P. P. R. Sermones de Sanctis occurrentibus.

C. Hujusmodi Sermones erántne doctrinales pro populo ?

P. Ordinariè de gloria, & laudibus eorumdem Sanctorum tractabatur.

C. Quando infra annum ordinariè habetur Sermo ad populum, Trullench cum Possevino superDecal. lib. 4. cap. 1. dub. 8. num. 12. ait Parochum per se ad hoc non teneri, licèt possit, & habeat aptitudinem ad prædicandum, Trullench sequitur Diana part. 6. tract. 7. resol. 13. & hanc sententiam probabilem videtur censere Leander à Sacramento part. 8. tract. 7. disp. 8. quæst. 12. quia contrariam, quam sequitur, vocat solùm probabiliorem : Oppositum amplectitur Augustinus de Barbosa de Offic. Paroch. p. 1. cap. 14. num. 9. Leander ibi. Bonacina tom. 2. disp. 6. circa 4. præcept. Decalog. punct. 8. sub num. 4.

16. Verùm hæ duæ sententiæ, meo judicio sunt necessariò conciliandæ in hoc fixo puncto ad duas conditiones reducto : prima est, ut conciones, quas alii habent, sint adeò frequentes, ut æquivaleant obligationi, prædicandi Parochi juxta Concilium, diebus Dominicis, & festivis cum hac extensione, quòd sicut Parochus non peccat graviter, quamvis per se ipsum non prædicet aliquibus diebus Festivis, juxta dicta num. 11. neque graviter sit peccaturus, quantumvis totidem diebus alius Concionator non prædicet : Ratio hujus asserti est, quia accessorium sequitur naturam sui principalis, ut constat de reg. jur. in 6. reg. Accessorium 24. sed sic est, quòd principalis obligatus sit Parochus, & ejus substituti, seu Vicarii sint velut accessorii : ergo debent sequi naturam sui principalis, & consequenter supplere tot conciones, quot ipsemet Parochus deberet facere, ut à sua obligatione sit exemptus.

17. Secunda conditio est, ut Conciones infra annum factæ ab aliis Concionatoribus, sint doctrinales, & ad spiritualem animarum profectũ ordinatæ. Hæc conditio expressè ponitur ab assertoribus sententiæ favorabilis Parochis, siquidem Trullench loco citato, dicit suppositis prædictis Concionibus; non defraudatur populus, & agitur utiliter ejus negotium : Et Diana suprà in fine, ait: siquidem populus tunc nullum salutis patitur detrimentum : cum his duabus conditionibus opinionem Possevini,

vini, & Trullench non improbabilem censerem, siquidem Concilii Tridentini intentum haberetur, & finis hujus legis cessare videretur: sed aliqua ex dictis duabus conditionibus deficiente, ut valdè ordinariè contingit; quandoquidem vel conciones non sunt tot, quot deberet facere Parochus, & quæ fiunt infra añum ordinariè nõ sunt doctrinales, sed solùm speculativæ, acuminosæ, ingeniosæ, & metaphysicæ, quas vel major pars non percipit, vel sine fructu recedit; propterea certam, & tutam opinionem Barbosæ, & Leandri adjudico, oppositamque absque gravi conscientiæ stimulo minimè sequendam.

18. P. P. P. Alia de causa pariter intermisi concionem, nempe, quia non habeo gratiam proferendi, nec aptitudinem, & sufficientiam ad hoc munus obeundum.

C. Nec per hoc Fili excusatur; quia, ut V. D. suæ obligationi satisfaciat, non requiritur in ea gratia proferendi, hæc enim solùm in Oratoris applausum, ac Auditorum delectationem redundat; quare ad docendam veritatem, & suam obligationem adimplendam sufficit concionari pro posse; & sæpissimè major fructus fit verbis simplicibus, bono zelo, affectu, & intentione prolatis, quàm verbis fuco eloquentiæ, artis, & facundiæ plenis. Præterea, si V. D. non poterat per se ipsum prædicare, per aliũ potuisset hoc facere, ac sic suæ obligationi satisfecisset. Barbosa de Offic. Paroch. part. 1. cap. 14. num. 6. & Trullench. super Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 1. dub. 8. num. 12. cum Cardinali Toleto, & Possevino; & hoc modo tantùm V. D. quandoque concionari tenebatur, ita Leander supr. qu. 24.

19. P. P. R. hoc mihi jam notum fuit, sed meus redditus est tenuis, nec habeo media stipem dandi alteri Concionatori pro omnibus Dominicis, & Festis; neque inveniam hoc gratis facientem.

C. nec per hoc excusatur, quia si V. D. non habet aptitudinem id per se faciendi, nec capitale pro mercede alteri concionatori assignanda, aut personam id gratis facientem, potest ipsamet ex pulpito, aut Altari aliquem sermonem, aut discursum spiritualem in libro scriptum legere; ita Stephanus Bauni tom. 4. Theol. moral. tract. 10. de Presb. & Paroch. qu. 29. citans Concilium Arelatense his verbis: quod si curati per ignorantiam facere nequeunt, jubentur ipsi in Concilio Arelatensi è superiori loco legere concionem aliquam vulgari idiomate scriptam. & P. M. Matthæus de Moya in in suis select. tom. 2. ad tract. 2. de Relig. disp. 1. quæst. 2. num. 7. postquàm citat hanc opinionem Bauni, eandem sequitur, & addit: nullus excusationem legitimam habere potest ad privandum populum lectione concionem supplente, quando Con-

cionatores alii desint. Denique non præcipitur, ut V. D. per duas, aut unam horam concionetur, sed solùm ut prædicet; quod sufficiet facere per mediam horam, & etiam minùs: ad quod non requiritur magna aptitudo, sed magnus zelus.

20. P. P. R. mundus est taliter constitutus, ut si ego per me, vel per alium debeam concionari omnibus diebus festis, Aristarchi, & Catones non deerunt, qui dicant, me eos tot sermonibus tædio afficere, quinimò plurimi ad Missam solemnem non comparebunt: Et si ex Altari, vel pulpito lectioni alicujus concionis, aut pii libri incumberem, se eum in propriis laribus legere posse, ac frustra eos detinere dicent, Divinis Officiis interim onerosis redditis.

C. Mundus ejusque opiniones semper contrariantur iis, qui suum munus adimplere satagunt, etsi V. D. Christi Jesu servi legem profitetur, non debet præstare auditum dictis mordacium, & impiarum linguarum, quia, qui vult placere hominibus, Deo placere nequit, inquit S. Paulus: si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: ad Galat. cap. 1. Quærat ergo placere Deo, & vanis mundi antiqui inimici virtutis, & veritatis judiciis spretis, suæ obligationi satisfacere studeat: Nec sua culpa erit, si aliqui ad Missam solemnem non comparebunt, non enim omnibus, & absentibus, sed præsentibus auditoribus prædicare tenetur: multùm tamen referret, quòd V. D. non sit nimiùm prolixa in suo sermone, aut lectione, ne tepidi, aut rebus Divinis parùm affecti exinde capiant occasionē censurandi, ac eum non audiendi; proptereà enim dixit Concilium, sess. 5. cap. 2. de reform. ut prædicetur cum brevitate, & facilitate sermonis.

21. P. Dicat mihi V. P. quando tempore Messis habetur licentia laborandi diebus Festis, obligabórne prædicare?

C. Si Populus, cui V. D. præsidet, componitur ex gente mercenaria, & pauci sint Cives, & Nobiles orantes in Ecclesia, non tenebitur V. D. his diebus concionari; quandoquidem nemo ad rem frustratoriam obligatur, qualis esset concio sine auditorio: si verò Populus componitur ex pluribus personis, curis, & negotiis destitutis, ac interesse valentibus, necessaria erit concio; quia concursus sufficiens erit pro audiendo Verbo Dei.

22. P. P. R. Confiteor me pariter fuisse negligentem in docendo meos Parochianos necessaria ad salutem.

C. Doctores communiter dicunt, Parochos teneri singulis Dominicis, & Festis diebus docere rudimenta Fidei, & Doctrinam Christianam suos subditos: Sic Barbosa de Offic. Paroch. part. 1. cap. 1. num. 1. Marchadus tom. 2. disp. 6. circa 4. præcept. Decalog. quæst. unica punct. 8. sub. num. 4. §. Quintum est. Possevinus

de

de Officio curati quem citat,& ſequitur Remigius in ſua ſum. tract. 2. cap. 1. §. 1. Leander à Sacramento part. 8. tract. 7. diſp. 8. quæſt. 1. Quamvis hi Authores non omnes conveniant, utrùm hæc obligatio ſit virtute Concilii Tridentini, vel non: Leander negativam tenet, ac pro ſe citat Sà, Trullench, Victorellum, Sotum, Ledesma; Filliucius autem, Barboſa, Bonacina, Marchadus, & Remigius hanc obligationem ex Concilio oriri exiſtimant: ſed hæc quæſtio parùm refert, quia cùm fuerit deciſum, ut communiter affirmant, Parochos ad hoc obligari, ad noſtrum intentum parùm prodeſt ſcire, utrùm vi Concilii, aut alterius legis diſtinctæ hoc proveniat.

23. Nunc dicat mihi, qua de cauſa doctrinam Chriſtianam explicare neglexit?

P. P. R. quia in meo loco eſt Magiſter Scholæ, qui eam diligenter explicat.

C. Magiſter explicátne eam in Schola tantùm, vel etiàm in viis, & Plateis?

P. P. R. ſolummodò in Schola.

C. Quando adeſt Magiſter Doctrinam Chriſtianam explanans, Leander à Sacramento cum aliis citatis ſupr. quæſt. 2. ſentit Parochum ab hoc onere immunem eſſe: ego tamen huic Doctrinæ aſſentiri nequeo, quia in Civitatibus, & Oppidis non omnes pueri ſcholam frequentant, & illi, qui frequentant, ſolent in domo habere Præceptores, ſufficienter in hoc eos inſtruentes: ſed dantur plures infantes, pauperum parentum Filii, qui eam nec in domo apprehendunt, nec ſcholam frequentant. Et quomodo eam ſcient Filiæ, quæ ordinariè, & ut plurimùm ſcholam non frequentant, & ex ipſis plurimæ habent Genitores egenos, mercenarios, ac rudes, qui nec eas docent rudimenta Fidei, nec ipſimet ea ſciunt, prout ſummo dolore, & mei cordis amaritudine millies expertus fui, & vidi in populis, apud quos habui Miſſiones? Nec hoc perniciosum malum reperitur tantùm in locis exiguis, verùm etiam in populo plenis; quod atteſtari poſſunt omnes illi Confeſſarii, qui zelo, & charitate ducti ſedent in Confeſſionalibus, ac de Doctrina Chriſtiana interrogant: experientia quotidie docet, quòd & in infantibus, & in adultis ſumma ſit ignorãtia Myſteriorum Fidei, non obſtante exiſtentia Magiſtrorũ in ſcholis docentium; Quommodo ergò his temporibus tantâ ignorantiâ fœdatis locum habere poterit ſententia Leandri? Si Magiſter fortè omnibus diebus Dominicis, & Feſtis percurreret vias, & plateas, ac doceret Doctrinam Chriſtianam, interrogando pueros frequentantes ſcholam, & ab his adulti, & alii pueri non frequentantes eam auditẽt; tunc poſſet adhuc aliqualiter vera eſſe doctrina Leandri.

24. Ex hac ratione judico, quòd Parochus suæ conscientiæ satisfacere cupiens diebus Festis post prandium, aut aliâ horâ magis opportūâ tēeatur signo campanæ congregare suos Parochianos, ac iisdem qualibet die Festi explanare unum, vel alterum Mysterium, prout ipsi expedire videbitur; quod si non adimpleat, timeat illud væ Pastoribus, quo ei minatur Ezechiel Propheta cap. 34.

25. P P. R. Si Parochiani nollent comparere, quid in hoc casu facere potero?

C. Si hi nollent comparere ad audiendam Doctrinam Christianam ipsis imputabitur in Dei Tribunali, non V.D. quæ eos invitavit, & cum campana, & admonendo parentes, tutores, & cæteros, ut pueros mittant; quòd si non proderit, potest V. D. id notificare Episcopo, qui per censuras ad eam apprehendēdā eosdem compellere valeat, ita Barbosa de potest. Paroch. part. 1. cap. 15. num. 6. præterea quando confitentur, interrogandi sunt de Fidei rudimentis; etenim si quilibet Confessarius hoc facere debet cum illis pœnitentibus, quos prudenter credibile est ea ignorare, ut ait Azorius tom. 1. inst. moral. lib. 8. cap. 8. quæst. 5. in fine. & ego ipsemet dico part. 1. hujus praxis tract. 1. cap. 1. num. 1. à fortiori debet ad has interrogationes procedere Parochus, qui ex Officio tenetur habere curam, ut sui Parochiani necessaria ad salutem calleant.

CAPUT III.

De Obligatione Parochorum legendi Missam ad Populum, & pro Populo.

26. P. P. R. me accuso, quòd multis diebus non celebraverim Missam in mea Parochia.

C. Duo in hoc casu concurrunt examinanda: primum est obligatio, quam habet Parochus legendi Missam pro suis parochianis, de quo in hoc capite inferiùs loquar: secundum est, obligatio legendi Missam ad suos Parochianos. Pro hujus resolutione dicat mihi V. D. erántne Festivi, vel Feriales dies, in quibus V. D. non celebravit in propria Parochia ad suos Parochianos?

P. P. R. Festivi, & Feriales.

C. Neglexitne hoc diebus, in quibus debuit legere Missam nuptialem, aut in Exequiis Defunctorum?

P. Non P. R.

C. Et quando non legit Missam diebus Festivis, commisitne hoc alteri Sacerdoti?

P. Ita P. R.

C. Habuítne aliquam causam non celebrandi per se in sua Parochia supradictis diebus?

P. P. R. interdum eam prætermisi ex modica, aut nulla causa.

C. Certum est, quòd Parochus teneatur legere Missam omnibus diebus,

bus, quibus populus obligatur eam audire: *Sic* Villalobos in sum. part. 1. tract. 8. diffic. 14. num. 4. Marchadus tom. 2. lib. 4. part. 2. tract. 3. docum. 1. num. 2. Barbosa de Offic. Paroch. part. 1. cap. 11. num. 3. & cum Joanne à Cruce, Sylvio, & aliis Diana part. 2. tract. 14. resol. 26. quam obligationem celebrandi pariter habet vi sui Officii ad benedictiones nuptiales impartiendas, & pro sepeliendo mortuo, ubi cum Missa sepelitur: ita Marchadus loc. citat. & Barbosa ibidem num. 6. Leander à Sacramento part. 8. tract. 7. disp. 9. §. 7. quæst. 35. ex justa autem causa hujus impeditiva per alium id facere poterit. Sic Diana suprà, Barbosa ibidem, Marchadus ibid. modò tamen hoc non faciat per longum tempus, & frequenter sic Possevinus de Officio Curati cap. 4. num. 5. Barbosa eodem num. 6.

27. Dicat mihi, quoties in diebus Ferialibus non legit Missam ad populum?

P. P. R. subinde per integram hebdomadam, & interdum etiam per totum mensem non legi Missam, nisi diebus Festivis.

C. Graves Authores affirmant, Parochum per se, vel per alium teneri legere Missam suis parochianis diebus Ferialibus; maximè si parochiani auditioni Missæ propensi sint; ita sentiunt Vasquez, Casparus, & Thomas Hurtadus, quem citat, & non sequitur Leander ubi supr. quæst. 34. Sotus, & alii Canonistæ allegati ab eodem Leandro part. 2. tract. 8. disp. 5. quæst. 3. Alii tenent, Parochum non teneri celebrare suis parochianis omnibus diebus ferialibus, secluso scandalo: ita Leander loco citato, Villalobos suprà. Barbosa tamen ubi supr. num. 6. consuetudini Regionum toleratæ, & observandæ absque scrupulo standum esse affirmat.

28. Ego censeo, non obligari Parochum ad legendam Missam singulis diebus ferialibus suis parochianis; sed solùm in aliquibus: Sic Suarez, Sotus, & Azorius, apud Fagundez in præcept. Ecclesiast. lib. 3. cap. 15. num. 8. ratio est, quia Parochus tenetur oves suas cælestis pabuli administratione pascere: sed non legendo Missam in aliqua die feriali hoc cibo eas privat, ac populum summè afflictum relinquit: ergo cùm non obligetur celebrare singulis diebus ferialibus, saltem in aliquibus celebrare obligabitur: & hoc me judicio necessariò debent concedere Leander, & alii citati pro secunda opinione; dicunt enim, quòd secluso scandalo non obligetur Parochus celebrare diebus ferialibus, sed non est possibile secludi scandalum, moraliter loquendo, si Parochus nunquam diebus ferialibus celebret suis Parochianis, nisi constet causa hujus omissionis: ergo &c.

29. P. P. R. accuso me, non obtulisse

lisse sacrificium pro meis parochianis, sed pro aliis personis stipem dantibus, vel pro aliis, quibus eram addictus.

C. Ad minimum diebus Festivis V. D. non celebravit pro suis parochianis?

P. P. R. aliquoties, sed rarò.

C. Redditus, quem habet V. D. éstne pinguis, vel tenuis?

P. est mediocris.

C. Estne consuetudo in sua Parochia legendi Missam pro parochianis?

P. Aliqui Parochi hoc practicarunt, alii non.

C. circa hanc quæstionem, quot sunt capita, tot sententiæ: Aliqui dicunt, Parochos jure Divino obligari ad legendum Missam pro populo: alii ex justitia, alii ex charitate, alii attendendam esse consuetudinem, alii substantiam, & quantitatem redditum: Quare hìc ponam propria verba originaliter desumpta à suis Authoribus, ad hoc, ut quivis ferat judicium magis rationi consonum; & postmodùm meam opinionem afferam.

30. P. Dominicus Soto de justit. & jure lib. 9. quæst. 3. art. 1. §. Nihilominus, fol. (mihi) 733. censet Parochum habere hanc obligationem ratione fructuum, quos recipit, qui si sint sufficientes pro eo alendo, omnibus diebus ad celebrandum obligari, vel minùs pro eorum quantitate. Ecce ejus verba: Parochi jure decimarum quotidie celebrare tenentur pro sua Parochia, si modò fructus satis sint ad ipsum alendum; sin minùs, pro eorum quantitate, vel ter, vel quater in hebdomada, ad judicium Antistitis, quod tutius est, vel ad arbitrium prudentis. Henricus Henriquez Societatis Jesu lib. 9. cap. 22. num. 6. putat, hanc obligationem oriri, tum ex voluntate Episcopi id præcipientis, tum ex lege, & consuetudine, & tum ex quantitate fructuum: *Parochus* (inquit) *illis diebus, quibus ex justo Episcopi imperio, & ex juris, aut consuetudinis præcepto tenetur offerre Missam pro suis ovibus; non potest Missam sic debitam offerre specialiter pro alieno stipem contribuente - - - Nisi beneficium Parochi esset ita tenue, ut illum congruè non alat, nec Parochiani aliter per collectarum contributionem provideant congruæ pastoris sustentationi.* Cardinalis Toletus *in instruct. Sacerd. lib. 5. cap. 5.* dicit, in hac materia attendendam esse tam consuetudinem, quàm redditus: *Rursus, quartò* (inquit) *tenetur celebrare singulis diebus pro Parochianis, nec pro aliis, secundùm Sotum lib. 9. quæst. 3. art. 1. Hoc tamen intelligendum est, cùm redditus decimarum pingues sunt. Crediderim tamen sufficere celebrare Dominicis, & diebus Festis, & aliquot etiam ex diebus aliis, licèt non omnibus celebret, in hoc autem multùm consuetudo attendenda, vel observanda est.*

31. Bonacina tom. 1. disput. 4. de Sacram. Euchar. quæst. ultim. punct.

7. propos. 2. sub num. 5. §. Quamobrem in fine, existimat Parochum teneri celebrare Dominicis, & præcipuis Festis, aut semel saltem in hebdomada Sacrificium offerre pro populo: *dicendum est teneri saltem juxta prudentis viri judicium; vir autem prudens meo judicio judicabit Parochum præcisa alia constitutione teneri in præcipuis solemnitatibus Domini, & Dominicis diebus, aut semel saltem in hebdomada sacrificium suo populo applicare.* P. Leander à Sacramento tom. 8. tract. 7. disput. 9. §. 7. quæst. 40. affirmat, Parochum teneri jure Divino pro suis ovibus interdum celebrare; sed probabiliùs respondeo (inquit) teneri Parochum jure Divino, licet non semper, interdum tamen applicare sacrificium Missæ pro ovibus suis. Idem dicit hic Author 2. part. tract. 8. disp. 5. quæst. 5. additque, Parochum satisfacturum offerendo sacrificium pro suis parochianis solemnioribus Festis: sufficere solemnioribus Festis pro populo offerre ad implendum Divinum Præceptum à Tridentino declaratum, nisi aliàs vigeat alia consuetudo: Concordat cum Leandro Barbosa de potest. Parochi, part. 1. cap. 22. num. 10. quo ad dies, in quibus Parochus tenetur celebrare pro populo: Ista autem applicatio (seclusa cõsuetudine, aut Synodali aliqua constitutione, sive pacto) sufficit pro populo fieri à Parocho diebus solemnibus. P. Bassæus verb. Missa 3. num. 4. sequitur opinionem Bonacinæ, & sic dicit: Verum in hac controversia dicendum videtur, Parochum præcisâ aliâ constitutione teneri in præcipuis solemnitatibus Domini, & diebus Dominicis, aut saltem semel in hebdomada sacrificium suo populo applicare ut docet Bonacina. Paulus Layman lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 3. opinatur Parochos solùm ex charitate teneri, interdum offerre sacrificium pro populo: Interim tamen lex charitatis, & æquitatis ratio suadet, ut Pastores ordinarii, videlicet Papa, Episcopi, Ordinum Prælati, Parochi, pro suis subditis Deo intra, & extra sacrificium, frequenter supplicent; aliquando etiam pro eisdem offerant.

32. Villalobos in sum. part. 1. tract. 8. diffic. 14. num. 5. putat, Parochum, ubi est consuetudo, teneri diebus Festis celebrare pro populo: ipsamet ejus verba referam: *En los Domingos, y Fiestas, estaran obligados a celebrar por sus Parroquianos, donde, huviere costumbre, como dizen estos Doctores (que son Navarro, Cordova, Suarez, y Ledesma, que esso cita nel num. 4.) y entonces no podrán recibir otra limosna par la Missa. Y si nò constarè, que aii costumbre, nò tendràm obligacion à ello, sino solo el dezirla para que la oigan.* Ægidius Coninch *de Sacram. quæst. 83. art. 1. dub. 11. num. 199.* post verba sequentia, Parochi ratione Beneficii parochialis non tenentur ulla Ordinaria Sacra pro suis Parochianis celebrare

lebrare (addit postmodùm) videntur ratione Officii sui saltem ex charitate teneri aliquando pro suis subditis orare, quod convenit saltem per oblationem sacrificii fieri. sed quanta hæc obligatio sit & quoties obliget, non ita facilè potest definiri, sed ex circumstantiis prudentis judicio æstimandum est. Castropalaus part. 4. tr. 22. disp. unica, punct. 13. num. 8. postquàm dixit: si verò una, vel altera vice obligentur in hebdomada (celebrare pro populo) ut tenet communis sententia (sequentia addit) sed quia verius existimo Parochos ratione beneficii non esse obligatos fructum sacrificii specialiter pro ovibus applicare &c. (& prosequendo statim dicit) Nam si ex consuetudine, vel fundatione, vel ordinaria lege, & præcepto aliquibus diebus determinatis sacrificare populo obligentur, non poterunt stipem accipere &c.

33. P. Franciscus Suarez in 3. part. tom. 3. quæst. 83. disp. 86. art. 6. sect. 1. §. de beneficiis igitur: post relatam aliorum opinionem concludit in fine paragraphi dicendo: nulla ergo certa regula in hoc dari potest, sed consulenda est consuetudo, aut, si de illa non satis constat, Episcopus deberet aliquid certum in hoc statuere; quòd si hoc non faciat, prudentis arbitrio ipsius Parochi relinquendum erit. Gabriel Vasquez in 3. part. tom 3. qu. 83. disp. 234. cap. 4. num. 27. ait: Vera tamen sententia est, Parochum jure decimarum, aut ratione beneficii non debere per se, aut per alium quotidie pro subditis sacrificium offerre, sed tantùm coram populo Missam celebrare; & magis infrà statim dicit. Et ego quoque apertè pronuntio, Parochum ratione institutionis primariæ sui beneficii non teneri ad offerendum unquam pro subditis (& postmodùm addit:) standum igitur erit, ut notavit Corduba, consuetudini, & statutis, seu legibus Synodalibus cujuscumque Diœcesis.

34. Magis suaviter scribit Marchadus in sua sum. tom. 2. lib. 4. part. 2. tract. 3. doc. 1. num. 3. verbis sequentibus: *Otros con m s probabilidad defienden absolutamente, que el cura en ninguna manera està obligado à applicar las Missas, que dixere, por sus Feligresses; porque la obligacion de sacrificar, y la de applicar el sacrificio, son diversas. Demás de que non constando esta obligacion por precepto de la Iglesia, o por Constitutiones Synodales, no se ha de admitir, pues en prejuyzio de tercero, no se debe inducir obligacion. Y aunquando huviesse costumbre de aplicar el cura algunas por sus Feligreses, afirman Possevino, y otros, que no obligaria à peccado mortal, fundadòs en que los emulementos, de que goza el Cura, no se le dan porque celebre por el Pueblo, sine por razon de Oficio pastoral, quo con ellos exercita.* Usque huc Marchadus, & Trullench super Decalog. tom. 1. lib. 4. cap.

cap. 1. dub. 8. num. 11. poſtquam retulit inter cæteras opinionem Poſſevini citatam à Marchado ait: cui ſententiæ ſtandum eſt, cùm aliud conſuetudine, vel Epiſcopi ſtatuto cautum non eſt.

35. Demùm P. Gabriel de Henao Societatis Jeſu part. 2. de Sacrific. Miſſæ diſp. 19. ſect. 2. num. 23. poſtquam citavit Suarez, Vasquez, Hurtadum, Tamburinum, Lugo, & Bauni dicit, quod ſequitur: Verumtamen quia nec ex Jure Divino, nec ex ullo alio communi, nec ex conſuetudine univerſali probatur obligatio Parochi ad Sacra ſpecialiter offerenda pro ſuis ovibus, ideò talem obligationem in Parocho per ſe negamus communiori Theologorum judicio, ut teſtatur Anverſa quæſt. 11. ſect. 17. v. alii tamen: & magis infrà dicit Henao: nec ſolùm negamus obligationem ex juſtitia, ſed etiam ex charitate ad ſacra applicanda ſpecialiter pro parochianis, cùm ſatis ſit applicatio generalis, & orationes communes niſi aliquando (ut ait Caſtropalao ſup. n. 7.) gravi aliqua neceſſitate premātur ad cujus remedium credat Parochus, ſpecialē Sacrificiorū applicationē neceſſariam eſſe quod vix, vel rarò contingere poteſt, hæc omnia Henao: Idem quaſi dicit Antoninus Diana p. 2. tract. 14. reſol. 26. his verbis: ſed licèt ut diximus teneatur celebrare in his diebus (Dominicis, & Feſtis) non tamen infertur, quòd teneatur pro populo dictas Miſſas applicare; & ideò poteſt ſtipendium ab aliis pro ſupradictis Miſſis ſine ſcrupulo accipere, niſi adſit conſuetudo in contrarium, & in Paragrapho ſequenti ſtatim addit: Et etiam ſi adſit, putat Poſſevinus de Officio Curati, cap. 2. num. 4. & Faxinellus de oblig. Sacerd. ſect. 3. Conclus. 2. §. 1. num. 4. & alii, hanc conſuetudinem non obligare ſub mortali, quando de hoc onere non conſtat ex tabulis Eccleſiæ, vel ex præcepto Epiſcopi, cùm in præjudicium alicujus non ſit inducenda obligatio, ſine claris probationibus. Et part. 4. tract. 4. reſol. 232. idem ſic loquitur: ſupponendum eſt Parochum ex vi beneficii parochialis teneri ad offerendam Miſſam pro populo, quia obligatio Parochi ad id nullo jure ſcripto, nec conſuetudine introducta probari poteſt, nec ex inſtitutione beneficii parochialis deducitur, quia ex hoc tantùm deducitur obligatio Parochi ad celebrandam Miſſam, ut populus eam audiat.

Valdè prolixum eſſet hic referre omnia quæ Doctores ſcripſerunt ſuper hoc punctum, ſufficiant jam dicta, quæ volui ſcribere ad litteram, prout ea in ſuis Authoribus reperi, ad hoc, ut quisquis ex hac notitia ferat judicium, quod ſibi magis rationabile videbitur; Id quod ego ſentio in hac materia, ſeq. concluſ. proponam.

36. Dico primò: Parochi ex jure Divino tenentur celebrare Sacrificiū

Missæ pro suis Parochianis : sic Leander ubi suprà citatus num. 31. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de reform. ubi ait : Cùm præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, &c. ex quibus verbis sic arguo : Diversa res est dicere Missam ad populum, & dicere eam pro populo : Ita ut in genuina acceptione, & communi opinione hæc verba sic intelligantur, quòd dicere eam ad populum solùm sit celebrare, ut populus eam audiat, dicere verò eam pro populo, sit celebrare, applicando eam pro populo ; sed sic est, quòd Concilium dicat, Parochos jure Divino teneri celebrare non ad populum, sed pro populo : pro his sacrificiū offerre: ergo Parochi jure Divino tenentur celebrare Missam pro suis parochianis, idest pro iisdem eam applicare.

37. Dices cum Henao ubi suprà num. 35. illud offerre pro his intelligi secundùm intentionem generalem, & communem applicationem, quâ Missa pro omnibus Fidelibus offertur, quandoquidem Concilium non loquitur de applicatione specialis fructûs Sacrificii: sed contra: quia hoc non fuit necessarium præcipere Parochis, & frustaneum foret de eo fieri mentionem à Concilio; siquidem omnes Sacerdotes offerunt Sacrificium, generaliter illud applicant secundùm portionem fructus communis pro omnibus Fidelibus : ergò in hac generali applicatione erant inclusi proprii Parochiani : ergo frustaneum foret dicere Parochis, ut pro his offerant sacrificium secundùm hunc fructum communem, & generalem. Non potest dici, quòd Concilium frustra posuerit hoc Capitulū : ergo dicendum est, ejus intentionem fuisse, ut Parochi specialem sacrificii fructum offerrent pro ovibus suis.

38. Dico secundò, consuetudo in contrarium huic obligationi derogare nequit : probo ; quia consuetudo adversus legem Divinam prævalere, aut ei derogare nequit, ut certum est, & patet ex præc. cap. sub num. 14. sed sic est, quòd hæc obligatio Parochorum ortum ducat ex lege Divina: ergo nulla consuetudo potest ei derogare : attamen licèt consuetudo adversus hujus Divini præcepti substantiam prævalere nequeat, potest tamen se extendere ad ejusdem modificationem : porrò substantia hujus Divini præcepti est, ut dicantur Missæ pro populo ; ejus modificatio, ut tot, & in talibus diebus dicantur, & ad hanc potest se extendere consuetudo: ratio est, quia hæc modificatio non est de jure Divino, cùm nullus textus assignet, & dicat quot Missæ sint à Parocho pro populo offerendæ: ergo consuetudo ad hanc modificationem se extendere poterit ; ad quod tamen requiritur consuetudo legitima, & ut sit talis, quatuor conditiones concurrere debent, quæ possunt videri in

meis Confer. part. 1. tract. 3. Conf. 7. §. 3. n. 17.

39. Dico tertiò: Parochum suæ obligationi satisfacere, applicando pro suis parochianis diebus solemnibus: sic Barbosa & Leander locis citatis supr. num. 31. per dies autem solemnes intelliguntur præcipua Festa Christi Domini nostri, Sanctissimæ Virginis Mariæ, dies Apostolorum, & dies Omnium Sanctorum: Quod infero ex doctrina aliquorum Authorum apud Fagundez in præcept. Eccles. lib. 3. in 1. præcep. cap. 15. num. 6. prope medium: qui loquentes de diebus, in quibus quicunque Sacerdos celebrare tenetur, hos determinant tanquam solemnes: & ratio est, quia, cùm jure Divino statutum non sit, in quibus diebus determinatè Parochi teneantur celebrare pro populo, nec Ecclesia generaliter hos determinaverit; assignandum est medium non nimiùm onerosum, per quod impleatur, & salvetur præceptum Divinum: sed sic est, quòd medium rationabile, prudens, non onerosum, ac pro adimpletione præcepti Divini sufficiens sit, quòd Parochi diebus relatis pro populo celebrent: ergo in his tenentur celebrare, sicque suæ obligatione satisfacient, nisi fortè occurrat, quod in conclusione, & numero sequenti dicam. Ex hac conclusione infertur, Parochum non teneri celebrare singulis diebus, nec ter, aut quater in hebdomada pro populo, ut vult Sotus suprà allegatus num. 30. nec singulis Dominicis, aut Festis, aut semel in hebdomada, ut putant Bonacina, Villalobos, & Bassæus citati num. 31. & 32. neque possunt omittere celebrationem pro semper, ut affirmarunt Possevinus, Marchadus, & Henao citati num. 34. & 35. quia hæ opiniones sunt extremæ, nostra autem est media, & tangit medium, quod rationabilius videtur.

40. Dico quartò: si in fundatione beneficii Curati expresè ordinatur, ut Parochus semel, bis, vel ter in hebdomada celebret, vel Parochus expressum pactum iniret cum populo, aut ejus capitibus, in collatione Parochiæ celebrandi tot, & tales Missas pro eodem, in his casibus tenebitur eas celebrare: Ratio primi est, quia Capellanus tenetur celebrare pro Fundatore Missas in fundatione ab ipso ordinatas: ergo pariter Parochus tenebitur celebrare eas, quæ sunt expressæ in fundatione Parochiæ: Ratio secundi est, quia in contractibus onerosis sustinenda sunt onera imposita, sed sic est, quòd posito hoc expresso pacto inter populum, & Parochum celebrandi tot Missas pro Parochianis, contractus sit onerosus, ergo hoc onus sustinendum erit ex æquitate, & justitia.

Nec valet dicere, quòd fortassis redditus Parochi erit tenuis pro tanto onere; quia ad hoc respondetur,

Parochũ hujusmodi oneris jam fuisse pro priori conscium : & cùm acceptaverit principale , etiam accessorii onus suscipere necesse erat , secùs verò nec Parochiam acceptare debuisset, ad quam modò assumptus cum onere sibi noto , necessarium est , ut illud ferat.

41. Dico quintò : Si in Synodali esset expressum præceptum , ut Parochi celebrent pro populo tot , & talibus diebus , hoc Decretum esset adimplendum juxta asserta à Castro palao , Suarez , & Vasquez citatis supr. num. 32. & 33. quia hoc præceptum esset jam modificatio substantiæ Divini Præcepti ad talem suũ modum obligans , sicut obligat modificatio præceptorum Confessionis, & Communionis facta ab Ecclesia , quæ, cùm sint quo ad substantiam de Jure Divino , Ecclesia ea modificavit declarando, & decernendo quo tempore obligent : Verum est , adversus hanc modificationem Synodalis posse prævalere consuetudinem legitimè introductam ; ratio est , quia consuetudo legitimè introducta adversus humanas leges prævalet , iisque derogat , ut dico loco citato confer. num. 19. sed sic est , quòd hæc modificatio Synodalis esset lex humana: ergo consuetudo legitimè introducta adversus eam prævaleret , eique derogaret.

Hic ultimò notandum me habuisse copiam Decreti Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Conc. Trident. inter. emanati octavo anno Pontificatus Innocentii XII. & ab eodem Pontifice confirmati 24. Aprilis 1699. in quo propositioni ipsi factæ ab Episcopo Pratensi , & Pistoiensi , utrùm Parochi teneantur applicare Missam omnibus festis pro eorum Parochianis, sic respondet. An Parochus Missam celebrare teneatur, & Sacrificiũ applicare pro parochianis in diebus Dominicis, & Festis , an non. Sacra &c. Juxta alias declarationes censuit teneri , nec propterea eisdem diebus aliam eleëmosynam recipere posse. Si hæc Declaratio facta pro Episcopatu Pratensi extenditur ad omnes alios Episcopatus , omnis controversia decisa manet , ac proinde dicendum , non tantùm diebus solemnibus , verùm etiam omnibus Festis teneri Parochos applicare Missam pro populo.

CAPUT IV.

De Obligatione Parochorum administrandi Sacramenta.

§. I.

De Administratione Baptismi sub conditione.

42. P. P. R. Dico meam culpam , quòd aliquoties sub conditione rebaptizaverim infantes.

C. Quale fundamentum habuit V. D. hoc agendi ?

P. P. R. Aliquem infantem expositum rebaptizavi sub conditione , quia du-

dubitavi utrùm esset baptizatus vel non.

C. Scivítne V. D. quinam essent Genitores hujus infantis? quia, si hos interrogasset, utrùm & à quo esset baptizatus infans, & cognita veritate cum attestatione Ministri Baptismi cessasset dubium, nec fuisset necessarium eum rebaptizare sub conditione.

P. P. R. Nunquam potui habere notitiam Genitorum horum infantium.

C. non fuit his infantibus aliqua charta apposita, ex qua constaret eorum Baptismus? quia si hæc schedula non fuit, procul dubio sub conditione rebaptizandi erant. Ita Layman tom. 2. lib. 5. tract. 2. cap. 5. sub num. 3. éstque communis.

P. Ita P. R. habuerunt penes se schedulam, in qua scriptum erat, eos fuisse baptizatos.

C. Hæc schedula fuítne authentica ab aliqua persona publica subscripta, vel solùm simpliciter scripta?

P. P. R. nulla subscriptio authentica fuit, sed solùm simpliciter narrabat, eum infantem fuisse baptizatum.

C. Novítne V. D. characteres schedulæ? hoc enim posito (secluso aliquo notabili inconvenienti) poterat inquirere Auctorem, ac eo comperto indagare hac via veritatem rei in schedula contentæ.

P. P. R. non potui noscere characterem, quia erat valdè confictus, & simulatus.

C. Fuítne cum infante aliqua persona, à qua posset haberi veritas facti? habita enim notitia certitudinis Baptismi non posset is administrari sub conditione.

P. P. R. Hominem vidi custodientem infantem, qui me comparante confestim aufugit.

43. C. Est opinio Marchantii Quintanaduenas, & aliorum, quos sequitur Didacus Frances de Urutigoitiis in pastorali interno, seu foro conscientiæ, part. 2. tract. unic. qu. 4. n. 9. & Leander à Sacramento part. 1. tract. 2. disp. 3. qu. 44. affirmantium, quòd quamvis infans expositus habeat schedulam ejus Baptismi indicativam, rebaptizandus sit sub conditione, si schedula non sit authentica, nec adsit alius testis, ex quo constet certitudo Baptismi; quia simplex scriptura non facit fidem, nec ei fides præstanda est. Contrarium existimo verò cum Vasquez, Suarez, Granada, Diana, & aliis, citatis ab eodem Frances de Urutigoitiis ibid. num. 1. Soto, & Bonacina, quos citat, & sequitur Castropalaus part. 4. tract. 19. disp. unic. punct. 13. num. 6. Ratio est, quia non licet reiterare sub conditione Baptismum (nec aliud Sacramentum) quando non subest dubitatio, aut prudens indicium de ejus perceptionis negatione, ut communiter docetur, & idem Frances affirmat ibid. quæst. 2. num. 1. sed sic est,

quòd de infante inter Christianos nato(ut suppono) & ferente schedulam Baptismi ejus indicativam, non dubitatur prudenter de ejusdem Baptismo, ergo rebaptizari nequit sub conditione: *Minor* probatur; quia dubium, quod in nostro casu haberi potest, est, quòd falsa, & supposititia illa schedula esse possit, sed sic est, quòd de hac dubium non sit prudens, sed temerarium, siquidem inter Catholicos non est fundamentum suspicandi malitiam adeò gravem, prout est damnatio unius animæ absque ulla causa; ergo in nostro casu nequit haberi dubium rationabile de collatione Baptismi, sed ad summum scrupulus ex levibus fundamentis; propter scrupulos autem præcisè non est reiterandum Sacramentum sub conditione, quia fit injuria eidem Sacramento, ut cum comuni ait Cathechismus Romanus, & Coninch de Sacram. Baptis. quæst. 66. art. 9. dub. 1. num. 92.

Ad contrariæ sententiæ rationem respondeo, pro foro externo posse requiri necessariò authenticam, nec sufficienter probare simplicem scripturam, at pro foro interno valdè benè probat pro nostro casu.

44. Et si objicias dicendo, quòd post Decretum Papæ Innocentii XI. in materia Sacramentorum tutius sit eligendum: atqui tutius est rebaptizare sub conditione infantem cum schedula inventum, quàm non rebaptizare, ergo necessariò sub conditione rebaptizandus erit: Retorqueo argumentum: ergo necessarium erit rebaptizare sub conditione omnes baptizatos. Probo consequentiam; quia potest esse, quòd Parochus omiserit aliquod verbum essentiale formæ, vel quòd veram intentionem baptizandi non habuerit, aut in alia re, ad valorem Sacrementi requisita defecerit; sed sic est, quòd in rebus, à quibus dependet valor Sacramenti tutius sit eligendum: ergo cùm tutius sit rebaptizare omnes sub conditione, ex eo, quòd Parochus aliquid essentiale ex oblivione, vel ex inadvertentia, aut ex malitia potuerit omittere, omnes erunt rebaptizandi.

45. Respondeo ad argumentum, & ejus instantiam, quòd in illis rebus, à quibus dependet essentialiter valor Sacramenti, tutum sit eligendum relicto minùs tuto, vel non tuto; ast cùm tutum sit ferentem schedulam sui Baptismi, esse baptizatum, & eum, qui baptizavit Parochum, pariter tutum est esse baptizatum, & de hoc dubitare, est sine fundamento dubitare: ergo nec est necessarium, nec decens in his casibus reiterare baptismum. Confirmatur: tutius est habere intentionem actualem in conficiendis Sacramentis, quàm virtualem: tutius est accedere ad Sacramentũ pœnitentiæ cum contritione, quàm cum sola attritione; & nihilominus non damnatur in prima Propositi-

positione Innocentii XI. assertum, quòd sufficiat attritio ad Sacramentum Pœnitentiæ, & intentio virtualis ad omnia Sacramenta, quia utraque est tuta, ut supr. dictum est 1. part. tract. 10. num. 21. pag. 339. ergo licèt concedatur tutius esse rebaptizare sub conditione infantem cum schedula sui baptismi compertum, si tamen tutum est dicere, quòd sit baptizatus, non erit necessarium, nec decens eum rebaptizare. Videatur num. 47.

46. P. P. R. dico meam culpam, quòd habeam usum rebaptizandi infantes, qui in nativitate periclitantes baptizati fuère in domibus ab obstetricibus.

C. Obstetrices súntne mulieres prudentes?

P. Ita P. R.

C. Examinavítne eas, utrùm necessaria ad verum Baptismum impleant?

P. Ita P. R. una, & repetitis vicibus.

C Adinvenítne eas benè instructas in hac materia?

P. P. R. valdè benè.

C. Súntne personæ suspectæ tanquam Sagæ?

P. P. R. Non sunt in simili conceptu apud homines.

C. postquam baptizarunt, interrogátne eas quomodonam fecerint?

P. Ita P. R.

C. Advertítne, quòd benè fecerint?

P. Si fecerunt, prout dicunt, benè factum erit; meum tamen dubium est, ne alio modo se gesserint, committendo aliquem errorem ortum ex turbatione, quam casus repentinus, & subitaneus solet afferre.

C. Noverit V. D. se malè agere iterando baptismum sub conditione; quia, quando persona baptizans in casu necessitatis est prudens, benè erudita, & de modo baptizandi interrogata reperitur ex ejusdem narratione benè operatam fuisse, nec est suspecta de maleficio; fides est ipsi præstanda, nec Baptismus reiterandus: ita Castropalaus ubi supr. num. 7. Coninch loco citato sub num. 94. cum Suarez, & communi, Bonacina tom. 1. disp. 1. de Sacram. in genere quæst. 2. punct. 1. num. 33. & probatur ratione suprà allata num. 43. quia in hoc casu non est fundamentum prudenter, sed tantùm scrupulosè dubitandi de valore baptismi, adeóque ob tenue fundamentum non est inferenda irreverentia Sacramento.

Et licèt Layman tom. 2. lib. 5. tract. 2. cap. 5. sub num. 3. §. Quòd verò non damnet, ut reprehensibile sub conditione rebaptizare in hoc nostro casu, ex eo, quòd interdum decepta fuerit à dæmone obstetrix, & quia sic sancit Pastorale Romanum Antuerpiæ impressum anno 1607. fol. 20. & 31. Ad primum tamen dico, etiam Parochum interdum fuisse deceptum à dæmone in baptizando, nec

nec per hoc rebaptizantur sub conditione, semel ab eodem baptizati. Ad secundum dico cum Castropalao suprà in Episcopatibus, in quibus Hæretici admixti sunt Catholicis Romanis; consultum esse rebaptizare sub conditione ab obstetricibus baptizatos; unde cùm Antuerpiæ soleant convenire multi hæretici, propterea in ejus Episcopatu est consuetudo rebaptizandi sub conditione in his casibus. Et hac de causa Rituale Romanum impressum Madriti Anno 1631. dicit in titulo de forma Baptismi, §. cum Baptismum: Hac tam conditionali forma (id est rebaptizandi) non passim, aut leviter uti licet, sed prudenter, & ubi, re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum.

47. Quòd si objicias argumentum relatum num. 44. nempe tutius in rebus essentialibus Sacramenti esse eligendum, proindeque tutius esse rebaptizare sub conditione; idem quod dixi num. 45. respondebo adjungendo pro clariori hujus argumenti solutione: Quòd tutius sequi intelligatur in eodem fieri seu in actuali confessione Sacramentorum; tunc enim nequit eligi opinio probabilis, & tuta, relicta probabiliori, & tutiori, sed non damnatur ab Innocentio XI. sequi minùs tutam in facto esse: id est, quando Sacramentum est jam confectum. Ita Lumbier in 1. Propos. damn. num. 1981. ergo cùm nostra quæstio sit de Sacramento in facto esse, & administrato ab obstetrice, non damnatur in hoc casu sequi minùs tutum, licèt tale esset (quod negatur) non rebaptizare.

§. II.

De Administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

48. P. P. R. dico meam culpam de negligentia in administrando Sacramenta, & præsertim in exaudiendo meorum parochianorũ Confessiones.

C. Ob quam causam V. D. negligit materiam adeò essentialem?

P. Quia habeo alium Sacerdotem solicitè pro me hoc munere fungentem.

C. Negligítne V. D. administrationem Sacramentorum, quando de die, vel de nocte petunt, quia nocturno tempore non tenetur Parochus ea per se administrare, sed sufficit, ut per alium faciat; præterquam quando infirmus petit nominatim, tunc enim tenetur personaliter comparere: ita Joannes Sanchez in select. disp. 47. num. 5. in fine. Leander à Sacramento part. 8. tr. 7. disp. 3. quæst. 34.

P. P. R. Non solùm neglexi, quando me vocabant de nocte, sed etiam de die, Officium meum uni Vicario committendo.

C. Frequentavítne V. D. Confessionale, quando parochiani præcep-

cepto Ecclesiæ satisfacere tenebantur?

P. P. R. Tunc ordinariò comparavi.

C. Et in diebus Jubilæi, aut festis excipiebátne subditorum Confessiones?

P. P. R. etiam in similibus diebus id neglexi.

C. Certum est, & ut tale docet Leander ibid. quæst. 32. cum Joanne Sanchez, Barbosa, & est communis, quòd Parochus suo muneri non satisfaciat præcisè residendo materialiter in Parochia, sed prætereà per se Sacramenta administrare tenetur, ut ait Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 3. his verbis: *Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere* (attende) *ac per se ipsos curam animarum exercere valeant, conferantur.* Ex quo constat non satisfacere suo Officio Parochum, totam curam administrandi Sacramenta relinquentem Capellano, substituto, aut Vicario; ita Sà verb. Residentia. Diana part. 3. tract. 4. resol. 156.

49. Verùm quando, & in quibus occasionibus teneatur Parochus administrare per se Sacramenta, non conveniunt Doctores; Navarrus, Sotus, Suarez, Filiucius, Vasquez, & alii, quos citat, & sequitur Bonacina tom. 1. disp. 5. de Sacram. quæst. 7. punct. 4. §. 2. num. 23. censent, quòd Parochus teneatur exaudire Confessiones suorum subditorum, quotiescunque rationabiliter eum petunt, nisi fortè Parochus tunc temporis seriis detineatur negotiis; ita ut pœnitentem audire nequeat: Addit etiam Joannes Sanchez ubi supr. num. 4. quòd Parochus non solùm ad hoc teneatur, sed quòd secùs faciens non efficiat fructus beneficii cum onere restituendi, & pro sua opinione citat Graffium, Cordubam, Hostiensem, Astensem, Sylvestrum, Covarruvias, Aragonium, & Ludovicum à S. Joanne, quamvis Garzia, & Hugolinus apud Dianam resol. 156. citata contrarium teneant quoad restitutionem fructuum.

Secunda sententia existimat curatum non teneri sub pœna peccati mortalis audire subditorum Confessiones extra casum, quo confiteri tenentur vel jure humano, ut semel in anno, vel jure Divino, ut in verisimili mortis periculo, aut quoties tale remedium eis necessarium esse videtur ad aliquod mortale peccatum vitandum. Ita Medina, Richardus, Sylvester, Armilla, & Reginaldus apud Dianam part. 2. tract. 16. resol. 2. Tertia sententia dicit, quòd Parochus teneatur exaudire suos Parochianos in Paschate, in periculo mortis, & quandocunque pœnitens vult confiteri ex Devotione, sub mortali eum exaudire debeat, si alius Confessarius non adsit. Ita Possevinus de Officio Curati cap. 5. quæst. 7. Omnes has opiniones probabiles putat

Diana part. 2. tract. 16. resol. 2. in fine.

50. Opinio mea est, quòd Parochus non solùm obligetur exaudire suos subditos, stante præcepto Confessionis; verùm etiam quando petunt Confessionem tanquam medium ad vincendam aliquam gravem tentationem, aut difficultatem, vel quando ad peragendum aliquod longum iter præviam confessionem desiderant; aut tempore Jubilæi, & solemnioribus diebus. Ita Leander à Sacramento part. 1. tract. 5. disp. 11. quæst. 120. quia Parochus tenetur providere spiritualibus necessitatibus suorum subditorum, ac animarum utilitati consulere, sed sic est, quòd temporibus à Deo, & Ecclesia præceptis, aut quando ab aliqua gravi tentatione agitantur, vel longum iter aggredi debent, Confessio sit ipsis necessaria, & in Jubilæis, aut Festis solemnioribus utilis pro spirituali animarum profectu, ergo in his circumstantiis, & temporibus tenetur Parochus suis Parochianis licèt non omnibus per se ipsum Pœnitentiæ Sacramentum administrare: Vide Leandrum loco suprà citato qu. 121.

Non peccabit tamen graviter Parochus binis, vel ternis vicibus renuens audire confessionem pœnitentis ex devotione solummodo eam petẽtis, etiam adhærendo primæ sentẽtiæ citatæ suprà n. 49. Sic Nugnus apud Bonacinam ubi suprà. Vide etiam Sanctium in select. ubi supr. num. 10. & non tædeat totam ejus disput. 4. diligenter perlegere.

Liceat modò mihi calamum tantisper sistere & vos (O Venerandi Pastores) ex præcordiis exorare, ne sopori dediti, vestram curam fortè non agatis. Attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor paupercularum ovium, quæ utinam hominem non habere, non clament. Habeant hominem, habeant insuper, & pastorem, & se pastorem habere sentiant; nequando dicant præ cordis tristitia fame perimus, quia dum animam implere cupimus, facti sumus velut arietes non invenientes pascua. Proh, dolor! Ne quæso O Paroche sis in tuo officio minùs providus: non ægrè feras oves tuas pascere: Vide ne vox sanguinis earum clamet ad Deum de terra, & cælum usque perveniat, rationem de tua desidia coram supremo Judice expostulans.

CAPUT V.

De Obligatione Parochi erga suos Subditos, in periculo mortis constitutos.

Cùm in hoc capite plura puncta sint tangenda, ad majorem claritatem, & distinctionem illud in tres partes dividam: in prima agam de Confessione Moribundi, in secunda de Viatico, & in tertia de Extrema Unctione, & modo eumdem ad bonam mortem disponendi.

PARS

PARS I.

De Obligatione Parochi excipiendi Confessiones infirmorum, & quomodo se gerere debeat.

51. P. P. R. Confiteor me angi aliquo scrupulo propter absolutionem traditam uni infirmo confiteri non valenti.

C. petiitne hic infirmus absolutionem? quia si expresè eam petiisset, absolutè quoque dari debuisset.

P. P. R. non potuit eam petere, quia fuit quasi sensibus, & maximè loquela destitutus.

C. Ostenditne signa doloris, & contritionis?

P. Ita P. R.

C. Erántne signa certa, aut dubia ejusmodi doloris?

P. Non erant signa satis manifesta, aut certa.

C. Quando Moribundus exhibet signa v. g. dum pugno pectus suum pulsat, suspirans oculos in cœlum tollit &c. Sed dubitatur an sint orta ex contritione, vel ex angustia mortis, tunc absolutio sub conditione impertienda est. Ita Joannes Sanchez in select. disp. 44. num. 35. Diana part. 3. tract. 3. resol. 3. Leander à Sacramento part. 1. tract. 5. disp. 5. quæst. 41. sin verò signa doloris sunt certa, in hoc casu absolutio absolutè conferenda est.

52. P. P. R. confiteor etiam, quòd absolverim alium absque ullo signo doloris, & confessionis.

C. Si coram V. D. nullum exhibuit signum, fortè coram alia persona hoc edidit, quæ postmodùm testimonium ferre potuit de signo contritionis exhibito?

P. P. R. una persona mihi dixit, quòd petierit confessionem.

C. Hæc persona, quæ V. D. hoc significavit, erátne fide digna?

P. Ita P. R.

C. Audivítne ipsamet ab infirmo hujusmodi petionem, vel ex relatione aliorum eam audientium hoc dixit?

P. P. R. ipsamet dixit, se audivisse eum petentem confessionem.

C. Et hoc dixítne coram infirmo, vel in ejus absentia.

P. P. R. in absentia infirmi.

C. Quando persona aliqua fide digna in præsentia infirmi denuntiat Confessario, eum petiisse Confessionem, aut ostendisse signum contritionis, potest ipsi conferri absolutio: ita docet Diana supr. 4. citans D. Thomam, Joannem à Cruce, Vasquez, Suarez, Valentiam, & plures alios; idem pariter ut commune asserit Pater Moya in suis select. tom. 1. tract. 3. disp. 6. quæst. 1. num. 6. Nec est opus, ut eadem persona, quæ moribundi voluntatem testatur, hanc ab infirmo immediatè audiverit; sed sufficit, quòd id sciverit mediatè, & ab

aliis personis fide dignis affirmantibus infirmum petiisse confessionem ita cum Lugo Leander ubi suprà quæst. 44.

53. Et hoc etiam est intelligendum, licèt persona non coram infirmo testimonium ferat, sed accedat Confessarium, eique dicat: Petrus in agone petiit Confessionem, V. D. dignetur illuc pergere, eúmque absolvere; quo audito Confessarius solicitudine requisita ad tam urgens, & grave negotium visitans infirmum, potest eum absolvere super testimonium, quod de dolore & contritione infirmi altera persona in ejusdem absentia tulit: ita docet cum Filiucio, Moure Zambrano, Lugo, Trullench, Leander loco citato quæst. 45. & Valentia Henriquez, Bardi, Possevinus, Villalobos, Anversa, Pontius, Dicastillo, & alii, quos allegat, & sequitur Moya super quæst. 2. num. 2. Nec huic doctrinæ obstat Decretum Clementis VIII. prohibens absolutionem dandam esse absenti; quia in nostro casu licèt attestatio de infirmi contritione fuerit facta ab illa persona in ejus absentia; absolutio tamen non fuit data infirmo absenti, sed præsenti: Et quamvis Diana part. 3. tract. 3. resol. 7. fundatus in hoc Decreto asseruerit cum sola attestatione supradicta non posse ægrotum absolvi; postmodùm tamen contrarium sensit, ac nostræ opinioni se conformat. part. 11. tract. 7. resol. 31. §. ex his sequitur.

Verùm in his casibus, quando ex testibus habetur, infirmum petiisse confessionem, absolutio sub conditione danda est; ita Joannes Sanchez loco suprà citato. quia valdè facile est, quòd infirmus jam amiserit usum rationis, & subsit dubium, quòd sit incapax absolutionis, quapropter ad tutè operandum, & evitandum periculum nullitatis Sacramenti, absolutio sub conditione impendenda est.

54. P. Sic pariter confiteor P. R. me dedisse absolutionem sub conditione alteri infirmo sensibus destituto, absque ullo prævio signo doloris, & contritionis, aut notitia, quòd confessionem petierit.

C. Hic infirmus duxeràtne Christianam vitam?

P. P. R. ipsius vita non fuit adeò illibata, in aliquas enim fragilitates humanas lapsus fuerat.

C. Doctores communiter dixerunt, non esse licitum dare absolutionem, ne quidem sub conditione moribundo, qui sensibus destitutus nullum signum exhibet contritionis: & ratio est, quia forma Sacramenti necessariò debet cadere super materiam; actus pœnitentis sunt materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, ergò super hos debet cadere forma Sacramenti. Sed sic est, quòd in hoc casu non constet de actibus pœnitentis, nec certis nec dubiis; ergo nec certa, nec dubia, nec ab-

absoluta, nec conditionata poterit dari forma absolutionis. Adhæc Sacramentum est signum sensibile: ergo ejus forma, & materia debent esse sensibiles: in hoc casu non datur materia proxima sensibilis, certa, aut dubia: ergo neque poterit dari forma sensibilis, absoluta, aut conditionata.

55. Hæc sententia à principio intrinseco, & in rigore scholastico habet fundamenta adeò efficacia, & solida, ut difficulter possint adæquatè solvi, & speculativè est verissima; taliter ut R. P. M. Thyrsus disp. 36. sect. 4. citatus à P. Emanuele à Conceptione tract. de Pœnitentia disp. 6. quæst. 4. fol. 324. num. 764. censeat nullam probabilitatem intrinsecam habere sententiam contrariam: idemque P. Emanuel ibi num. 763. ait, modicam esse ejus probabilitatem, licèt modicissima sit: verùm aut P. Emanuel loquitur de probabilitate extrinseca, vel intrinseca? si de extrinseca, quomodo dicit esse adeò modicam, cùm num. 364. eam ultra triginta Doctores à Moya relatos docere affirmet? triginta autem Authores & inter hos plures graves, & classici non faciunt probabilitatem extrinsecam tenuissimam, sed verè solidam, & firmam: Si loquitur de probabilitate intrinseca, quomodo ait, saltem propter Authores docentes in tali casu posse absolutionem exhiberi, videtur eam sententiam aliquam probabilitatem habere, quæ licèt modicissima sit &c. siquidem probabilitas intrinseca non auctoritate præcisè, sed ratione nititur.

56. Dico primò posse conferri in hoc casu absolutionem sub conditione moribundo, qui Christianè vixit, licèt nullum signum extrinsecum contritionis, aut pœnitentiæ ediderit: ita sentiunt Molfesius, Homobonus, P. Lupus Capucinus, & alii citati à Diana part. 3. tract. 3. resol. 8. Bartholomæus à S. Fausto ab eodem citatus part. 4. tract. 4. resol. 92. Marchantius, Lezana, & alii, apud eundem Dianam, part. 9. tract. 6. resol. 20. & part. 11. tract. 7. resol. 31. §. sed si aliquis: idem sentiunt Victorianus, Pellizarius, Delgadillus, Acatius, Caramuel, & alii plures apud Moyam tom. 1. tract. 3. disp. 6. quæst. 4. §. 1. num. 9. & seq & num. 5. qui ait modò hanc opinionem esse quasi communem, eamque probabilem asserit num. 27. & Leander de Sacramento addit part. 1. tract. 5. disp. 5. quæst. 47. quem sequitur P. Emanuel à Conceptione suprà num. 764. quòd non solùm possit, verùm etiam quòd debeat in hoc casu sub conditione absolvi; idem in simili casu sentit Joannes Sanchez in suis select. disp. 44. num. 32. Ratio est, quia proximus in extrema necessitate constitutus, debet, si possibile est, adjuvari; sed sic est, quòd moribundus in hoc casu sit in extrema

necessitate constitutus, & potest licitè per absolutionem conditionatam adjuvari, cùm hæc opinio sit probabilis: ergo non solùm potest, sed etiam debet absolutio impendi: idem dicit Caram in Theol. fundam. part. 2. cap. 1. num. 50.

57. Dico secundò, licèt homo sceleratè vixerit, potest ipsi dari sub conditione absolutio in periculo mortis, quamvis nullum signum externum doloris exhibuerit: ita Joannes Pontius apud Dianam part. 11. tract. 7. resol. 31. Marchantius, & F. Martinus à S. Joseph apud Moyam ubi supr. num. 17. 18. & 19. Et ratio est; quia ideò potest dari absolutio moribundo, qui Christianè vixit, quia piè creditur, eum in illo transitu petere absolutionem; sed sic est, quòd etiam peccatores, & mali Christiani in hora mortis soleant petere Confessionem, & piè credendum est, in supremo illo vitæ discrimine virtualiter eam petere: ergo si potest dari absolutio sub conditione illi, qui Christianè vixit, idem poterit fieri cum peccatore.

58. Si dicas, magnam esse disparitatem, quia vita regulata illius, qui Christianè vixit, est implicita, & interpretativa petitio Confessionis in articulo mortis: illi autem, qui sceleratè vixit, deest hoc testimonium, quòd sit implicita, & interpretativa petitio Confessionis: ergo illi qui sceleratè vixit, non poterit dari absolutio sub conditione, nisi in illo periculo expressè eam petat. Respondeo quòd licèt ille, qui vixit peccator, non habeat testimonium Christianæ vitæ, quod sit interpretativa petitio Confessionis; habet tamen testimonium veri Catholici credentis Deum esse, Judicium, Infernum, & Paradisum: sed sic est, quòd peccator, quamvis vitam sceleratam gerat, non propterea desinat esse Catholicus, aut prædicta credere, ea autem credendo præsumendum est, nolle damnari, sed salvari: ergo peccator in professione veri Catholici secum fert interpretativam voluntatem petendi in articulo mortis confessionem: ergo absolutio poterit ipsi sub conditione dari, quamvis ex fragilitate in peccata lapsus fuerit.

59. Ex quo infero non solùm posse, sed etiam debere sub conditione absolvi moribundum, qui fuit peccator, & peccatis in vita obnoxius, quamvis in morte sensibus destitutus, signum pœnitentiæ non ostendat, juxta dicta n. 56. in fine; quia hic in extrema necessitate spirituali constitutus, potest per absolutionem conditionatam adjuvari; sed denique proximus in extrema necessitate constitutus, debet, si possibile est, adjuvari: ergo peccator, qui in articulo mortis pœnitentiæ signa nequit dare, sub conditione abs lvendus est.

60. Dices secundò, damnatum esse ab Innocentio Papa XI. sequi opinio-

niones modicæ, vel tenuis probabilitatis: sed sic est, quòd opinio, secundùm quam potest absolvi peccator, nullum signum contritionis ostendens (sive ut Christianus, sive ut peccator vixerit) modicam habeat probabilitatem: ergo erit damnata, & per consequens minimè sequenda: Respondeo dato, quòd hæ opiniones tenuem habeant probabilitatem, non sunt tamen damnatæ, & consequenter poterunt eligi; quia damnatio non loquitur de casibus extremæ necessitatis, ut est noster casus, ita dico 1. part. meæ Praxis tract. 10. num. 28. in explicatione 3. Propos. damnatæ.

61. Dices tertiò, in materia, & forma Sacramentorum, tutius esse eligendum, & oppositum damnari ab Innoc. XI. in 1. Prop. Sed tutior est opinio, quòd in hoc casu nequeat absolvi sub conditione: ergo &c. Respondeo, neque hanc condemnationem se extendere ad casus extremæ necessitatis, ut patet ex ejusdem explicatione loc. cit. n. 9. quemadmodum in casu necessitatis potest deficiente aqua naturali baptizari cum lixivio infans moribundus, non obstante Decreto Innoc. Papæ XI.

62. P. P. R. confiteor, quòd fuerim vocatus festinanter ad excipiendam confessionem unius viri lethali vulnere affecti, & licèt hoc confestim vellem peragere, cùm in manifesto mortis periculo esset constitutus, Chirurgus tamen mihi dixit, eum necessariò esse priùs curandum alioquin improvisa morte periturum.

C. Asseveravitne Chirurgus, quòd præmissa infirmi cura, hic esset supervicturus, ut postmodùm confiteri posset?

P. Ita P. R.

C. In hoc casu, in quo instat cura infirmi, & instat pariter præceptum confessionis, valdè mihi placet opinio Dianæ part. 5. tract. 3. resol. 56. asserentis posse dimidiari confessionem, & post curam integrari. Ego verò inquit Diana in hoc casu unum saltem peccatum secretè audirem, & statim illum absolverem, ut medici posteà vulnerato mederentur, & postquam medicamenta applicata fuissent, integram confessionem audirem. Si verò Medici, & Chirurgi nollent à medicamentis desistere, & interim periculum est, ut vulneratus moriatur, sufficit, addit Sanchez apud eundem Dianam ibi. ut alta voce dicat se esse peccatorem, & tunc Confessarius potest eum absolvere, cùm constrictus neutiquam sit coram aliis sua peccata in specie, etsi levia manifestare: quæ doctrina, quamvis aliàs esset parùm probabilis, poterit tamen securè practicari ob urgentiam, & arctitudinem præsentis casûs.

63. P. P. R. Quandocunque debeo exaudire aliquem moribundum, magnis coarctor angustiis, & perplexitatibus.

C. Un-

C. Undenam oriuntur ejusmodi ſcrupuli ?

P. P. R. Ex doctrina Suarez, juxta quam in articulo mortis debet elici actus perfectæ contritionis, & cùm hæc ſit difficilior attritione, ſummo-pere dubito, utrùm infirmus habeat perfectam contritionem, aut attritionem.

C. V. D. Non habet, unde contriſtetur propter hoc motivum; quia licèt Suarez id affirmat in 3. part. tom. 4. diſp. 15, ſect. 4. num. 18. & alii quoque eum ſequantur, eſt tamen probabile contrarium, nempe quòd non ſit neceſſaria contritio ad confeſſionem editam in articulo mortis: ita docent Coninch, Beccamus, Layman, & alii, quos citat, & ſequitur Cardinalis de Lugo de pœnit. diſp. 7. ſect. 13. n. 261. & 262. Et ratio eſt, quia præcepta, quæ Deus hominibus impoſuit, non ſunt dura, & intolerabilia, ſed ſuave, & dulce jugum: Jugum meum ſuave eſt. Matth. 11. Sed ſic eſt, quòd durum, & aſperum ſit obligare pro confeſſione in articulo mortis ad actum contritionis, qui adeò difficilis eſt: Ergo dicendum non adeſſe talem obligationem, ſed ſufficere attritionem ſupernaturalem, ut per confeſſionem anima juſtificetur; quamvis non negem ſalutare fore conſilium, excitare infirmum, confitentem, ad actum contritionis, eidem ſuaviter proponendo ſummam Dei bonitatem, ac eminentes ejus perfectiones ad hoc, ut ad earum conſiderationem incitetur anima ad perfectum dolorem de tam amabilis objecti offensa.

64. P. P. R. Benè noſco, & conſentio eſſe probabile, quod V. P. dicit, aſt novam difficultatem ſentio ex doctrina Thomæ Sanchez dicentis non poſſe eligi in articulo mortis opinionem probabilem, quæ in vita potuit eligi, ſed quòd tutior ſit eligenda.

C. Verum eſt, hoc docuiſſe Thomam Sanchez in ſum. lib. 2. cap. 1. num. 6. ſed contrarium docuit alius Sanchez in ſelect. diſp. 19. num 8. & cum Franciſco Lugo Diana p. 8. tract. 1. reſol. 95. §. Ad ſecundum, quia opinio probabilis tutam reddit operationem, & cum ea operans liber eſt à peccato: ergo ſi in vita licet practicare opinionem probabilem, quia cum ipsa operando non peccatur, ita pariter erit licitum eandem opinionem probabilem practicare in articulo mortis: per quod ceſſare poteſt in V. D. ſcrupulus, & anxietas, & cum ſancta libertate aſſiſtere moribundis, absque obligatione eos moleſtè incitandi, quando confitentur, ad actum contritionis.

65. P. Dicat mihi V. P. poſtquam infirmus fuit cum attritione confeſſus, nónne obligabitur ad eliciendum actum contritionis ex præcepto charitatis obligante in articulo mortis ?

C. Non nego eſſe opinionem valdè pro-

probabilem, & tutiorem, quòd in articulo mortis vigeat obligatio ex præcepto Divino charitatis eliciendi actum contritionis, vel amoris Dei: ita docent Valentia, Suarez, & Coninch apud Palaum tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 4. num. 9. Sanchez tamen, & Azorius quos ibid. sequitur Palaus, docent etiam in hoc casu non vigere talem obligationem, quando infirmus non gravatur culpa mortali, atqui cùm hic benè confessus fuerit cum attritione, anima ejus absque remorsu culpæ mortalis remanet (suppono nullum postmodum peccatum oblitum ei occurrere, nec post confessionem aliud novum commisisse) ergo cùm confessus fuerit cum attritione, non indiget novo actu contritionis.

Verùm ab hoc etiam præscindendo, sic argumentor, aut pœnitens scit in articulo mortis vigere obligationem eliciendi actum contritionis, aut hoc ignorat? si inculpabiliter ignorat, ut ordinariè contingit in illis, qui Theologiæ morali non vacarunt; cur Confessarius debet excitare in eo scrupulum, & afflicto in illo doloroso transitu novam afflictionem addere metuendi, utrùm habeat, vel ne verum actum contritionis? Si infirmus scit hanc obligationem, conabitur eam adimplere, ut tradit Diana ubi suprà §. sed adhuc. Consultum tamen erit, ut Confessarius suaviter hortetur infirmum ad eliciendos actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis: v.g. dicendo creditne V.D. sperat, & amat Deum super omnia propter suam incomparabilem bonitatem &c. Quando tamen moribundus non posset confiteri, tunc pro certo teneo eum obligari saltem per accidens ad eliciendum actum perfectæ contritionis, & amoris Dei, ut dixi 1. part. praxis tract. 10. num. 33. & 2. part. confer. tract. 7. num. 125.

66. P.P.P. confiteor me absolvisse à casu reservato infirmum, qui postmodùm in illa infirmitate occubuit, habuique scrupulum, an quando eum absolvi, fuerit vel ne in articulo mortis.

C. Qualemnam infirmitatem habuit hæc persona?

P. Vehementem costarum dolorem.

C. Non tantùm quando infirmus est in articulo, sed etiam quando est in periculo mortis, potest absolvi à casibus reservatis, ita cum Zambrano, & aliis Thomas Sanchez lib. 2. in Decalog. c. 13. num. 1. & 5. & N.P. Caspensis tom. 2. tract. 24. de pœnit. disp. 5. sect. 3. num. 25. hæc autem est differentia secundùm hos Authores, inter articulum & periculum mortis; quòd articulus mortis dicatur ille, in quo mors est propinqua, &

moraliter est certa, & inevitabilis, quamvis physicè possit evitari: periculum mortis est, quando subest dubium probabile, quòd infirmus sit moriturus, & frequenter in illa infirmitate solent homines mori, v. g. in dolore costarum, morbo contagioso, deliquiis &c. Vide Sancium, & Caspensem citatis locis; pro regula autem in hoc generali existimo, quòd quandocunque Medicus præcipit infirmo, ut Viaticum sumat, reputetur pro periculo mortis; quia modernis temporibus Medici non suadent, ut recipiatur viaticum, nisi in morali periculo mortis.

67. Enarret mihi casum, à quo V. D. absolvit, an habuerit annexam censuram?

P. Ita P. R. habuit annexam excommunicationem ex eo, quòd manus violentas occultè in Ecclesiasticum injecerit.

C. Non repræsentavit infirmo necessariam esse satisfactionem pro injuria huic Ecclesiastico illata?

P. Ita P. R.

C. petiitne cautionem pro hac conditione adimplenda?

P. P. R. ipsemet sponte se obtulit ad eam adimplendam, quo audito acquievi.

C. Erátne infirmus persona fidelis, à qua promissi executio esset sperāda?

P. Ita P. R. & in tali casu videbatur mihi præstandam esse ei fidem.

C. Habuitne infirmus Bullā Cruciatæ?

P. Ita P. R.

C. Omnes Sacerdotes licèt Confessionibus non expositi habent jurisdictionem absolvendi à censuris & casibus reservatis in articulo, vel periculo mortis. Limitant tamen Suarez, & alii apud Sanchez ubi suprà num. 9. hanc doctrinam, quando non est facilis recursus ad superiorem, cui reservatus est casus: Quapropter dicit Sanchez; quòd si casus sit reservatus Episcopo, & facilis sit ad eum aditus pro petenda facultate absolvendi, debeat Sacerdos eum adire pro hujusmodi facultate impetranda, quia inquiunt, posse quemlibet Sacerdotem in hoc casu absolvere, est ex præsumptione, quòd infirmitas non det campum eam obtinendi à Superiore: ergo si est facilis ad hunc recursus, debet fieri, & facultas ab eodem obtineri; Et addit Suarez in 3. part. to. 4. disp. 30. sect. 3. num. 4. quòd præsertim hoc sit observandum in Excommunicatione ob percussionem clerici contracta, & Papæ reservata; quòd si ad hunc non pateat recursus, sed benè ad Episcopum, hic debeat adiri, ab eoque peti facultas absolvendi ab hac censura in articulo mortis.

Ego verò puto valdè probabile contrarium cum Hurtado de Mendoza, quem citat, & sequitur Diana part. 5. tract. 13. resol. 65. nempe licèt facilis sit recursus ad Prælatum, cui reservatus est casus, aut censura, non esse necessarium recursum ad

ipsum

ipsum pro facultate absolvendi, ratio est, quia ægrotus non potest personaliter adire superiorem ad petendam illam facultatem, quando verò per se ipsum immediatè non potest, censetur impeditus. cap. quamvis de sent. excom. nec tenetur mediatè per Confessarium hoc facere, aut superiorem accersere, quia aut non veniet, aut magna nota erit, cum qua ad hoc non obligatur ita Sanchez supr. n. 14.

68. In casu autem V. D. non est hæc difficultas, quia cùm habuerit infirmus Bullam Crucitæ, vi hujus poterat V. D. eum absolvere ab excommunicatione, quam incurrit propter manus violenter injectas in Ecclesiasticum: ut dico in mea Prax. part. 1. tract. 5. cap. 6. num. 48. Et quamvis Doctores communiter dicant, ad hoc requiri, ut pœnitẽs det cautionẽ juratam, aut pignoratiam; dixi tamen cũ Layman loc. cit. prax. n. 49. & modò pariter dico, sufficere veram promissionem pœnitentis de satisfactione exhibẽda, supposito, quòd talis persona fidelis sit, & sperari possit promissionem ab ea fore adimplendam.

69. præterea licèt censura esset ex reservatis Summo Pontifici in Bulla Cœnæ, poterat V. D. vi Bullæ Cruciatæ eum absolvere absque onere se præsentandi post adeptam salutem. Si infirmus non haberet Bullam, teneretur adepta salute se præsentare Superiori quando casus reservatus habet annexam censuram, ut dixi in Appendice 1. part. praxis num. 4. & notat Caspensis tom. 2. tract. 25. de cens. disp. 2. sect. 12. num. 145. hanc præsentationem Superiori, cui casus fuit reservatus, postmodùm posse fieri per procuratorem, vel per literas, quod tamen limitat Suarez in censura, quæ incurritur ob percussionem Clerici; quare si infirmus absolvatur absque privilegio Bullæ, obligabitur immediatè per se ipsum recuperata salute ad Superiorem recurrere.

70. P. P. R. modò mihi incidit aliquis scrupulus, videlicet, quòd antequam essem Parochus, & approbatus pro administratione Sacramenti pœnitentiæ, exceperim confessionem, & absolverim personam in periculo mortis constitutam.

C. Dabatúrne alius Confessarius approbatus, qui eam exaudire valeret?

P. Ita P. R.

C. Confessarius iste adveníťne, postquam V. D. jam inceperat exaudire infirmum, vel antea?

P. Quando advenit, jam inceperam exaudire.

C. Est opinio gravium Authorum, quòd simplex Sacerdos possit exaudire infirmum in periculo constitutum, etiam præsente Parocho, vel alio confessario ad hoc approbato. Ita Navarrus, Sà, Ledesma, Rodriquez, Vega, & Henriquez, relati à Sanchez in Decalog. lib. 2. cap 13. num. 6. Barbosa, Villalobos, Coriolanus, &

alii, quos citatos sequitur Diana part. 1 tract. 5. resol. 5. hac ratione fulti, quòd cùm Concilium Sess. 14. cap. 7 indistinctè, & absolutè dicat, omnes Sacerdotes eâ potestate gaudere in eo articulo, videtur omnibus illis parem jurisdictionem pro eo articulo concedere: *Atque ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint*; cùm autem Concilium absolute, & absque limitatione loquatur, sive sit præsens, sive non, alius Sacerdos approbatus, non est ratio, cur nos id limitemus, & restringamus. *Quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*; *L. de preciv. ff. de publ. in rem act* & quia; *si lex aliud voluisset, expressisset: regul. L. unic. § sin autem &c.* & denique quia: *Lex generaliter loquens generaliter est intelligenda L. pretio ut suprà:* ex quibus principiis valdè probabilem putant hanc sententiam.

71. Contraria tamen est tutior, quam tenent Bonacina, Coninch, Santarellus, Reginaldus, Avila, Vasquez, & alii allegati à Diana ibid Sylvester, Armilla, Sotus, & alii plures, quos citat, & sequitur Sanchez supra num. 7 eamque probabiliorem, quã contrariam adstruit Leander à Sacramento, tom. 1. tract. disp. 11. quæst. 18. quia usus, & consuetudo Ecclesiæ fuit, quòd simplex Sacerdos, nisi in absentia alterius approbati absolveret; & Concilium, inquit Sanchez, nihil novi in hoc casu sancivit, sed veterem consuetudinem approbavit: ergò cùm antiqua consuetudo fuerit, quòd simplex Sacerdos nisi in absentia alterius absolveret, sequitur hoc ei non competere altero approbato præsente: hoc tamen non intelligitur, quando simplex Sacerdos jam incepit exaudire confessionem infirmi, antequam approbatus adveniat; in hoc enim casu potest continuare, eamque concludere in utraque opinione, ita Leander ibid. q. 19. addendo, quòd si infirmus malè confessus fuisset ob alicujus gravis peccati occultationem, vel ob similem causam, posset simplex Sacerdos, qui antecedenter infirmi confessionem exaudierat, denuò eum exaudire, licèt alter Sacerdos approbatus adesset: notat etiam Sanchez num. 8. quòd si Sacerdos approbatus non posset, aut nollet exaudire infirmum, absque ulla difficultate simplex Sacerdos possit hoc facere; concluditque dicendo, in hoc casu non esse scruplosè procedendũ, utrùm tempestivè, vel non, Sacerdos approbatus sit venturus, ne ex hac mora contingat infirmum improviso eventu captum decedere absque confessione, ut frequenter accidit.

Nec his doctrinis contrariatur damnatio Innocentii XI. in 1. propos. vi cujus tutius est eligendum in materia Sacramentorum; quia hæc reprobatio non loquitur de potestate Jurisdictionis, de qua hìc est sermo: circa potestatem autem jurisdictionis possimus

ſumus ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori; ut inquiunt expoſitores dictæ Propoſitionis, & patet ex 1. part. meæ Praxis tract. 10. num. 19.

72. P. P. R. confiteor, quòd abſolverim à caſu reſervato, & cenſura mulierem prægnantem, ac ſi fuiſſet in periculo mortis.

C. Erátne prima vice hæc mulier in puerperio?

P. Non P. R.

C. Difficultérne & cum periculo vitæ ſolita erat parere?

P. Ita P. R.

C. Abſolutè loquendo inſtans partus non reputatur pro periculo mortis, niſi prima vice, aut fæmina ordinariè magnam difficultatem experiatur in pariendo: ita Sanchez ubi ſupr. num. 1. & 4. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 13. §. His adde, & alii; & ratio eſt, quia periculum mortis illud dicitur, in quo eſt dubium ejusdem probabile, & ordinariè ſolet accidere; ſed ſic eſt, quòd dubium ſit probabile, & frequenter contingat, fœminas primò parientes, vel eas, quæ difficilem expertæ ſunt partum mori; hoc verò non ordinariè in omni partu accidit; ergo non omnes partus judicantur periculum mortis, ſed ſolùm primi, vel quando magna difficultas habetur ordinariè in pariendo.

PARS II.

De Modo quo Parochus adminiſtrare debet Viaticum.

MEi muneris non eſt hìc agere de cæremoniis à Parocho obſervandis in adminiſtratione Viatici, ſuppono enim has Parochis eſſe benè notas, & meliùs practicari, prout docet Rituale Romanum: ſolùm ergo loquar de caſibus conſcientiæ ad hanc materiam pertinentibus: Et pariter ſuppono, Viaticum dandum eſſe in periculo mortis, vel quando Medicus id præcipit.

73. P. P. R. me accuſo, quòd delato Viatico ad infirmum, qui poſt interrogationem, prout moris eſt, utrùm de aliquo peccato ſe accuſare vellet, affirmativè reſpondit; ego ejus votis annuens, poſt aliquam turbationem & dubium (dum ſe accuſavit de peccato, quod aliquoties in Confeſſione obticuerat) decreverim eum abſolvere inandita integrè ejus confeſſione.

C. interrogavítne eum, quanto tempore obticuerit illud peccatum?

P. Ita P. R. & reſpondit triginta annis.

C. Si raró obticuiſſet, & intra modicum tempus Confeſſionem absque nota præſentium peragere potuiſſet, exaudiendus erat, at cùm tanto tempore occultaverit peccatum, longum pariter tempus neceſſarium fuit ad perficiendam ejus Confeſſionem, & præteritas revalidandas: adeóque V. D. benè operata eſt eum abſolvendo audito uno, vel altero peccato, cæteris genericè revelatis cum propoſi-

to omnia confitendi in reditu V.D. prout deposito Sanctissimo Sacramento in Ecclesia debuit redire ad cætera omnia audienda: ita docent Zambranus, & Granados apud Dianam part. 5, tract. 3. resol. 75. & ratio est, quia præceptum naturale conservandi famam præfertur Divino de integritate Confessionis; sed sic est, quòd si V.D. se detinuisset pro integrè exaudienda Confessione illius infirmi diu duratura, hoc in ejusdem infamiam apud circumstantes redundasset: ergo non tenebatur infirmus pro tunc facere confessionem materialiter integram, sed potuit eam dimidiare; & V.D. hac audita, & administrato Viatico ad integrandam Confessionem reverti.

Idem dicendum, quando Sacerdos exaudiens ægrotum revelantem aliquod peccatum occultatum, absque modo terminandi Confessionem advertit, quòd Parochus jam adveniat cum Sacramento; tunc pariter potest dimidiare confessionem, & eum absolvere; & percepta SS. Eucharistia denuò eum exaudire, ut confessionem inceptam persolvat: Et ad evitanda adeò gravia inconvenientia procurandum est, ut ducatur ad infirmum Confessarius ignotus, ad hoc, ut liberè conscientiam suam ei manifestet, & sufficiens ad hoc tempus habeatur; Parochus autem cum Viatico non compareat, nisi ei constet, quòd infirmus suam Confessionem perfecerit.

74. P.P.R. me accuso, quòd vocatus ad exaudiendum infirmum, à primordio Confessionis ita malè dispositum, ac in peccatis suis obstinatum noverim, ut absolutionis capacem non invenerim; & hoc non obstante publicè communionem petiit, quam tamen ipsi administrare nolui.

C. Non procuravit V.D. proponere motiva ad ejus duritiem perfringendam, modò repræsentando ei suaviter summam Dei bonitatem, modò infinitam ejus misericordiam, & gloriæ excellentiam, modò ei objiciendo terrorem inferni, æternitatem pœnarum, ejúsque flammarum horribilitatem?

P.P.R. Quantum scivi, & potui, totum in ejus auxilium impendi.

C. Dicat mihi fuítne hic notorius peccator?

P.P.R. pessimè vixerat.

C. peccatori notorio publicè petenti Communionem, potest, & debet hæc denegari; sed peccatori occulto, publicè eam petenti non est deneganda, præsertim si ejus peccatum ex Confessione innotescit; est communis doctrina Doctorum, ut testatur Fagundez super præcepta Ecclesiæ *lib. 3. in 3. præcept. cap. 10. num. 16.* Castropalaus *part. 4. tract. 24. disp. unic. punct. 20. num. 13.* & expressè id docet Doctor Angelicus

cus *part. 3. quæst. 8. art. 6. in corp.* ubi ait: *Manifestis ergo peccatoribus non debet etiam petentibus Sacra Communio dari. Si verò non sunt manifesti peccatores; sed occulti, non potest eis petentibus Sacra Communio denegari.*

75. Nunc mihi dicat, in quo genere culparum notatus erat homo iste?

P. P. R. ludis, juramentis, ac inhonestatibus deditus erat.

C. Quando erat infirmus, habuítne in domo occasionem peccandi, id est, aliquam personam, cum qua in concubinatu vixisse diceretur?

P. Non P. R.

C. pro notorio, seu publico peccatore intelligendus est ille (loquendo de casu denegandi Communionem) qui habet peccata publica, quæ sunt obex ad Sacram Communionem v.g. publicus Usurarius petens Communionem absque restitutione malè acquisiti, Concubinarius nolens è domo ejicere amicam; his & similibus habentibus peccata publica deneganda est S. Communio: illi verò, qui habet notam peccatoris, sed non habet notam peccati publici, quòd sit obex ad dignè recipiendam Eucharistiam, danda est, quando eam petit; quapropter V. D. malè egit denegando S. Communionem memorato: siquidem licèt fuerit publicus peccator, non habuit tamen peccatum publicum impediens Communionem; ejus verò obstinatio, & indignitas fuit occulta.

P. P. R. cùm noverim Communionem ipsi futuram fore in venenum, propterea eam ipsi denegavi.

C. Quod V. D. ipsi præbebat non erat venenum, sed medicina, quamvis ex sua mala dispositione eam in profectum animæ non sumeret, & cùm hæc infirmi imbecillitas fuerit occulta, non benè V. D. egit denegando ei Communionem, quam publicè petebat, siquidem magna infamia in eum resultabat.

76. P. P. R. me accuso pariter cum scrupulo administrasse Communionem uni stolido, seu fatuo in periculo mortis.

C. Erátne phreneticus, à quo posset timeri irreverentiam aliquam esse inferendam Sacramento?

P. P. R. Erat valdè pacificus, & realiter nullam irreverentiam commisit.

C. Erátne aliunde pius, de quo posset sperari, quòd si esset sanæ mentis S. Communionem peteret?

P. Ita P. R.

C. Quamvis Sà verb. Eucharist. num. 3 dicat, amentibus non esse dandam Eucharistiam in periculo mortis: hoc tamen intelligitur cum periculo irreverentiæ, quâ seclusâ addit posse dari amenti, qui à nativitate non est talis, & etiam dicit cum Suarez, porrigendam esse in periculo mortis, si quando fuit sui compos, præbuit signa animi pii: cùm ergo in casu à V. D. proposito nullum fuerit dubium, seu periculum irreverentiæ,

&

& præsumeretur eum petiturum Eucharistiam, si sanæ mentis esset, potuit benè dari, ita Marchadus tom. 2. lib. 4. part. 2. tract. 2. docum. 14. num. 5. & addit cum aliis Diana part. 5. tract. 3. resol. 15. ad hoc necessarium esse, ut quando in amentiam incidit, non constet eum fuisse aliqua gravi culpa infectum, quia cùm in amentia non potuerit eam expiare, absolutè hoc Sacramento indignus censetur.

77. P. Sic pariter me accuso P. R. administrasse cum aliquo scrupulo Eucharistiam infirmo evomere solito.

C. Erántne frequentes vomitus?

P. Ita P. R.

C. Erátne aliquo tempore ab iis liber?

P. Non sumendo cibum per duas, vel tres horas, subinde erat quietus.

C. Nullam V. D. adhibuit experientiam, utrumnam species sacramentales retinere posset?

P. Ita P. R. particulam non consecratam ei dedi, quam advertens eum accepisse, & retinuisse absque aliqua nausea, viaticum ei administrare resolvi.

C. Quando infirmus his vomitibus subjectus est, licèt non sumat alimentum, nequit ei dari Communio, nisi per aliquod determinatum tempus sit quietus, & sufficiens ad consumendum species. Si vomitus procedunt ab alimento, ex eo, quòd stomachus illud detinere non valeat, credendum est parvitatem unius particulæ non moturam stomachum, ideóque fit antea experientia porrigendo ei particulam non consecratam; quam si retineat, potest ei administrari Eucharistia. Ita docet Joan. Sanchez in select. disp. 38. num. 2.

78. P. P. R. me accuso, quòd parvulo filio, qui nondum ad Communionem admissus fuerat, administraverim Viaticum ita rogatus à Genitoribus, sed non sine scrupulo.

C. Habuítne puer usum rationis?

P. Non fui de hoc totaliter certus, quia licèt in aliquibus rebus ostenderit discretionem, non tamen tantam, ut anceps non hærerem an sufficienti usu rationis prædit us esset.

C. Quot annos ætatis habuit?

P. Ultra septem annos.

C. Pro resolutione hujus casus debet fieri distinctio inter præceptum Divinum præcipiens Communionē, & Ecclesiasticum modificans tempus, in quo obligat: Ecclesia præcipiens Communionem in Paschate in cap. omnis utriusque sex. de pœnit. & remiss. & Concilium Lateranense sub Innoc. III. cap. 12 & Tridentinum sess. 13. cap. 9. relinquunt arbitrio, & judicio Parochi, & Confessarii, quandonam pueri sint capaces recipiendi Eucharistiam, ut patet ex meis confer. part. 1. tract. 3. conf. 5 § 3. n. 15. 16 & 17. Sed præceptum Divinum communicandi obligat in articulo mortis omnes, qui sunt capaces malitiæ:

litiæ: ut cum Henriquez, Sanchez, Soto, Navarro, & aliis, dicit Fagundez in 3. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 4. num. 2. & consequenter infantibus usu rationis præditis debet dari viaticum, quamvis antecedenter non communicaverint, ut dico in meis confer. loco citato num. 16. cum Armilla, Cajetano, Vivaldo, Sala, & aliis, quos allegat Castropalaus tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 2. num. 7. in fine; & etiam dicit cum Suarez, Reginaldo, & Possevino, Bonacina tom. 1. disp. 4. de Sacram. Euchar. quæst. 7. punct. 2. num. 4. in fine, Adolescentes usus rationis præditos, non tantùm posse, sed etiam debere comunicare in articulo mortis, & probatur, quia præceptum communicandi in articulo mortis est Divinum, ut dictum est cum Fagundez; quod præceptum ab Ecclesia non fuit limitatum, cùm autem præceptum Divinum obliget hominem præditum usu rationis, sequitur, adolescentem præditum usu rationis teneri ex præcepto Divino in articulo mortis communicare, quamvis non teneatur ex præcepto Ecclesiastico.

79. Cardinalis de Lugo disp. 13. de Sacram. Euchar. sect. 4. num. 45. addit, & quando subest dubitatio, utrùm puer sit compos rationis, licèt cum hoc dubio non sit obligatio dandi ei viaticum num. 44. dicit se non invenire validam rationem, ob quam sit ei deneganda; & Possevinus teste Diana part. 5. tract. 3. resol. 44. in fine, inquit, cum hoc dubio posse ei dari communionem in articulo mortis: Ego censeo, quando subest dubium de usu rationis pueri, dandum esse ei Viaticum, si ad septem annos pervenit; secùs non esse dandum, quando non constet eum usu rationis præditum esse: ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis, sed sic est, quòd puer septem annorum sit in possessione præsumptionis de proprio usu rationis, qua de causa etiam lex in hac ætate permittit, & approbat sponsalia cap. litteris, & cap. accessit de desponsat. impuberum: qui verò non pervenit ad septem annos, non est in possessione hujus præsumptionis; ergò quando dubitatur, utrùm puer habeat usum rationis, debet dari ei Viaticum, si complevit septem annos, & si non complevit, non debet dari.

80. P. P. R. cuidam meo parochiano, post sacram Synaxim in die Sancti Joannis, sumpto prandio mortali accidenti obruto, non fui ausus secunda vice administrare Viaticum, & paulò pòst eadem die mortuus est absque perceptione Eucharistiæ per modum viatici.

C. Non desunt Authores tuentes hunc modum operandi; etenim Suarez, Fagundez, Granadus, & alii quos citat Cardinalis de Lugo de Sa-

cram. Euchar. disp. 16. sect. 3. num. 52. Trullench citatus à Leandro à Sacramento part. 2. tract. 7. disp. 2. q. 6. Faustus, Maracius Zambranus, & alii quos refert Diana part. 5. tr. 3. resol. 33. dicunt, illi, qui ex devotione manè communicavit, non posse dari Viaticum, si eadem die in periculum mortis incidat, & Coninch de Sacram. q. 80. art. 11. dub. 3. num. 100. inquit, neminem dixisse, quòd in hoc casu adsit obligatio sumendi secunda vice Eucharistiam; sed hoc sine fundamento asserit Coninch; quia Ochagavia tract. 2. de Sacram. Euchar. quæst. 14. num. 7. contrarium affirmavit, & licèt Lugo supr. num. 50. in fine dicat Ochagaviam nihil concludere circa iteratam perceptionem Eucharistiæ eadem die; ejus ratio tamen idem probat de die antecedenti, in quo ex devotione sumpsisset Eucharistiam, ac de eadem die, in qua supervenit infirmitas, siquidem Ochagavia dicit, quia in eo casu (intellige communionis ex devotione) Eucharistia non sumeretur tanquam Viaticum, quia hoc tantùm datur proficientibus ex hac vita: quæ ratio æquè verificatur in eo, qui ut sanus communicavit una, vel altera die antea, ac in eo, qui communicavit eadem die absque aliquo novo vitæ discrimine: Sed quidquid sit de hoc posse, & debere communicari per modum Viatici infirmum, qui manè ut sanus communicavit ex devotione, affirmant Casparus, Hurtadus, de Mendozza, Ludovicus à S. Joanne, & alii citati à Leandro à Sacramento part. 2. tract. 7. disp. 2. quæst. 6. Turrianus, & ipsemet Ochagavia, quos citat, & sequitur Diana part. 5. tract. 3. resol. 33. & part. 8. tract. 1. resol. 87. §. sed affirmativum, citatis Hurtado, Zambelo, & Escobar addit cum Christophoro de Garzia hanc opinionem aliquoties practicatam fuisse à PP. Societatis Jesu.

81. Quamvis utraque opinio sit probabilis, ego censeo in hoc casu, non dari obligationem communicandi secunda vice per modum Viatici, quamquam posse licitè fieri non inficier. Probatur prima pars, quia ille, qui ex devotione audit Missam cum ignorantia diei festi, hac ablata non tenetur aliam audire, sed per auditam se satisfecisse securè credere: ut docui in confer. tract. 3. confer. 3. §. 2. num. 19. ergo qui ex devotione communicavit inscius periculi mortis sibi obventuri, non obligabitur communicare secunda vice superveniente eodem periculo mortis. Probatur secunda pars, quia si aliquid obstaret, esset interdictum Ecclesiæ communicandi bis in die: cap. consuluistis de celebr. Miss. Sed de pietate Ecclesiæ non est credendum, quòd cum tanto rigore velit id vetare, ac filios suos privare consolatione sumendi SS. Sacramentum per modum Viatici in simili occasione, cùm innotescat, quemvis Christianum in necessitatibus adeò urgentibus cum ma-

jori fervore, & diligentia se præparare, & disponere ad novum augmentum gratiæ: ergo dicendum erit, posse in hoc casu sumi Eucharistiam secunda vice per modum Viatici.

82. P. P. R. me accuso pariter bis, vel ter administrasse Eucharistiam aliquibus infirmis non jejunis.

C. Detulitne V. D. SS. Sacramentum occultè, vel cum solemnitate ordinaria? quia primum est prohibitum per Decretum D. N. P. Innocentii XI. emanatum 12. Februarii anni 1679. & publicatum Madriti 1. Septembris ejusdem anni, ut testatur N. P. Torrecilla in suis consult. tract. 3. consult. 13. num. 37. quod Decretum refert R. P. M. Lumbier in fine tom. 2. sum. Aran.

P. P. R. Nunquam portavi occultè Viaticum, sed semper cum debita decentia.

C. perseveravítne infirmus in eodem periculo mortis? nam, si convaluit & postmodùm recidit in idem periculum, clarum est, debuisse ipsi dari Viaticum.

P. P. R. non cessavit periculum mortis.

C. Fortassis infirmus post primam sumptionem Viatici lapsus est in aliquod grave peccatum? quia hoc posito, tenebatur infirmus iterum illud sumere in opinione Soti, Tabienæ, & Armillæ apud Dianam part. 5. tract. 3. resol. 43. Quamvis ego sentiam in hoc casu obligari ad iterandam Confessionem, cùm Sacramentum pœnitentiæ sit necessarium ad æternam salutem pro omni tempore, quo quis lapsus sit in peccatum mortale, non teneretur tamen iterum Eucharistiam in eodem articulo recipere, quia hæc non est necessaria necessitate medii ad salutem, sed solùm necessitate præcepti, quod, cùm jam semel præstitum sit, jam deinceps non obligat pro illo articulo, sed pro alio. Ita cum Lugo, Hurtado, & Ochagavia Diana ibid.

P. P. R. Hoc factum est non ex eo, quòd infirmus sumpto Viatico noverit se graviter deliquisse, sed quia habuit devotionem sæpè comunicandi.

C. Administravítne V. D. Eucharistiam ipsi ut jejuno? quia in tali casu certum est, sæpe posse ipsi administrari.

P. P. R. non jejuno eam ipsi administravi.

83. C. Non dubito, quin possit dari multoties Communio infirmo, etiam per modum Viatici perseverante eodem periculo mortis: Ita docet cum Suarez, Henriquez, & aliis Fagundez in 3. præcept. Ecclesiast. lib. 3. cap. 5. num. 20. & cum Lugo, Marchantio, & aliis Diana supr. resol. 37. & cum Coninch, Layman, Palao, Bonacina, & aliis, P. Torrecilla in suis Consult. tract. 3. consult. 12. num. 13. Difficultas in hoc non est sita, sed quot dies debeant elabi ab una Com-

munione ad alteram. Suarez, Reginaldus, Filiucius, & Bassæus eos citans verb. Communio num. 45. existimant, quòd elapsis decem, octo, aut sex diebus possit secunda vice communicari infirmus. Layman sentit, si quis assuetus frequenter communicare, aut sacrificare propter devotionem, ac desiderium difficilè abstineat, permitti ipsi posse, ut altero statim die iterum Sacram Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non jejunus: dummodo mortis periculum instare videatur: ita tradit tom. 2. lib. 5. tract. 4. de Euchar. cap. 6. sub num. 20. quinimò P. Torrecilla ibi num. 14. cum Palao, Sà, & aliis, asserit probabilissimum esse, quòd possit dari quotidie, si infirmus pro sua consolatione, & spirituali subsidio illud petat; verùm hoc universaliter loquendo, est contra consuetudinem receptam, posset tamen admitti, quando infirmaria esset propinqua alicui Oratorio, unde posset Sacerdns decenter dare Communionem, ut contingit in nostris infirmariis.

PARS III.

De modo, quo Extrema Unctio est administranda.

84. P. P. R. dico meam culpam, quòd angar dubio circa tempus, & punctum administrandi infirmis Extremam Unctionem.

C. Non administrat eam V. D. in articulo mortis?

P. Ita P. R. sed meus scrupulus est, an eam administrem, antequam per hoc periculum constituatur in extremis infirmus.

C. Ex D. Jacobi Apostoli Epistol. cap. 5. constat hoc Sacramentum administrandum esse infirmis; non verò iis, qui moriuntur per sententiam Judicis, aut alia morte, quam non præcedat infirmitas; neque infirmis, quomodocunque, sed vita periclitantibus, ita sancit Concilium Florentinum his verbis: *Hoc Sacramentum dari non debet, nisi infirmo, de cujus morte timetur*, & constat pariter ex Tridentino *sess. 14. cap. 3.* "Declaratur etiam, "esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui "tam periculosè decumbunt, ut in "exitu vitæ constituti videantur:" Non est tamen expectandum extremum, aut omninò certum periculum vitæ, aut tempus quo infirmus prorsus sensu careat, ut omninò ejus sit desperata salus, sed administrandum est hoc Sacramentum, si fieri potest, quando infirmus adhuc usu rationis gaudet, ut se magis ad fructum Sacramenti percipiendum disponat; ita cum Henriquez, Coninch, Possevino, & aliis Bonacina tom. 1. disp. 7. de Sacram. q. 1. punct. 5. n. 7. Et Castropalaus part. 4. tract. 26. disp. unic. punct. 6. num. 12. in fine, putat collato Viatico immediatè posse conferri Extremam Unctionem: etenim si Viaticum administratur in peri-

riculo mortis, etiam Extrema Unctio poterit postmodùm dari, & satius est, quia cùm in tali statu infirmus sit compos sui, potest uberiorem percipere fructum Sacramenti, & ne si diutiùs differatur, mors, vel saltem sensuum defectio superveniat, sicque ægrotus absque Unctionis Sacramento decedat.

85. P. P. R. dico pariter meam culpam, quòd subinde omiserim Psalmos pœnitentiales, & Litanias dici solitas in administratione hujus Sacramenti.

C. contigitne hoc, quia periculum videbatur esse in mora, vel infirmus solicitabat? in tali enim casu propter mortis accelerationem, statim incipiendum est ab unctionibus, nec precum solitarum omissio est peccatum, ut notat Henriquez lib. 3. cap. 2. num. 5.

P. P. R. aliquando absque hac necessitate eas intermisi.

C. V. D. malè operatur eas omittendo, quamvis probabile sit earum omissionem absque causa, dummodò non sit ex contemptu, non esse mortale, ita Castropalaus supr. punct. 8. num. 14. quia Rituale eas præcipiens, non utitur verbis imperativis.

86. P. P. R. dico meam culpam, quòd in quadam occasione adeò festinanter fuerim vocatus ad Sanctam Unctionem administrandam, ut absque candelis, stolâ, & superpelliceo eam administraverim, quia clavim Sacristiæ invenire non potui; & nisi festinanter illuc profectus fuissem, infirmus absque hoc Sacramento decessisset.

C. Hoc Sacramentum absque stola, & superpelliceo administrari nequit, quin lethalis culpa incurratur, quantumvis infirmus absque eo mori deberet, ita Castropalaus citatis Suarez Naldo, & Bonacina ubi supr. punct. 8. num. 11. contrarium probabile censet cum Possevino, Leander à Sacramento part. 1. tract. 4. disp. 4. q. 25. qui pro sua opinione allegat Palaum, sed malè, siquidem hic Author oppositum expressè asserit loco ab eodem Leandro, & à me citato; ubi Palaus sic dicit: *ut Sacerdos ministraturus hoc Sacramentũ accedat superpelliceo, & stolâ indutus: & absque his vestibus sacris peccatum esset mortale, si Sacramentum ministraret; etiamsi infirmus absque unctione decederet: quia reverentia Sacramenti cuilibet privatæ utilitati præferenda est.* Nec mirandum de isto Leandri lapsu calami. *Quia aliquãdo bonus dormitat Homerus.* Addit Leander *ibi* administrationem hujus Sacramenti absque ulla causa, & sine luminis delatione, veniale peccatum non excedere.

Ego arbitror cum Amico in cursu Theolog. tom. 8. disp. 19. sect. 8. num. 217. posse ministrari hoc Sacramentum absque stola, & superpelliceo: quando infirmus aliud Sacramentum suscipere non potuit, & si ex

ex mora, quæ fit in accipiendis his ornamentis, infirmus absque Sancta Unctione decedere deberet, quia cùm hoc Sacramentum possit per accidens causare primam gratiam, suæ decenti administrationi cederet, ob ingens beneficium, quod patiens ex eo percipere posset: attamen si infirmus confessus fuisset, aut communicasset, putarem absque stola, & superpelliceo non esse ipsi ministrandum hoc Sacramentum, quamvis absque eo decederet, quia in hoc casu non esset tanta necessitas.

87. P. P. R. dico meam culpam, quòd ministraverim uni infirmo Sacramentum Extremæ Unctionis cum oleo benedicto anni præcedentis, quia novum non habui.

C. Fuitne ex mera necessitate?

P. Tanta fuit necessitas, ut si cùm veteri non ministrassem, infirmus absque hoc Sacramento mortuus fuisset.

C. Est opinio communis DD. validè ministrari Sacramentum Extremæ Unctionis cum Oleo benedicto anni præcedentis, & si hoc fiat cum necessitate, non solùm validè, sed etiam licitè hoc fieri, ita Castropalaus tom. 4. tract. 26. disp. unic. punct. 2. num. 12. & licèt V. D. illud ministraverit cum oleo veteri in casu necessitatis, potuit tamen peccasse propter mox dicenda. Dicat mihi, fuitne V. D. culpabiliter negligens in procurando oleo noviter benedicto?

P. Ita P. R. negligens fui.

C. Et non cogitavit, quòd tempore hujus omissionis potuerit occurrere aliqua urgens infirmitas, ob quam obligaretur ministrare Extremam Unctionem cum oleo veteri?

P. Certum est P. R. me habuisse aliquem remorsum super hunc casum.

C. Est doctrina Possevini, Zambrani, Trullench, & aliorum apud Leandrum à Sacramento tom. 1. tract. 4. disp. 2. quæst. 11. graviter peccare Parochum ministrantem Extremam Unctionem cum oleo veteri extra casum necessitatis, & Leander ibi pro hac opinione citat pariter Dianam part. 3. tract. 4. resol. 176. & part. 9. tract. 6. resol. 46. citatio part. 3. est fidelis, & vera, sed non part. 9. cùm in ea Diana non afferat doctrinam, pro qua eum Leander allegat, sed contrariam, dicit enim ibi Diana: *Item poterit Sacerdos in defectu olei ejusdem anni uti oleo veteri alterius anni:* sed quidquid sit de hoc, affirmat Leander ibi cum Henriquez, Sà, Ledesma, & aliis non peccari graviter ministrando Extremam Unctionem cum oleo veteri etiam absque necessitate, & rectè adducit pro hac sententia Dianam, qui cum eodem Leandro, & Martino à S. Joseph idem ut probabile putat, part. 10. tract. 16. resol. 81.

88. Ex hinc infert V. D. in prima opinione graviter peccasse, non ex eo, quòd infirmum in casu necessitatis cum oleo veteri unxerit, sed ex cul-

culpabili negligentia in providendo sibi tempestivè de novo cum notitia periculi facilè obventuri, de unctione facienda cum veteri superveniente infirmitate, sicut de facto supervenit. Ratio hujus est, quia exponere se periculo gravem culpam committendi, grave peccatum est, sed sic est, quòd culpa sit gravis in prima opinione, ungere infirmum cum oleo veteri; ergo culpa gravis erit hujus se periculo exponere: in altera autem adducta opinione videtur V. D. non peccasse graviter ob negligentiam providendi sibi de novo oleo; quia secundùm hanc opinionem non est mortale ungere cum oleo veteri: ergo neque erit exponere se periculo cum eodem ungendi.

89. P. P. R. Dico meam culpam, quòd ex inadvertentia in ministrando Extremam Unctionem, unxerim infirmum cum Chrismate Confirmationis.

C. Administravitne secunda vice hoc Sacramentum cum oleo proprio?

P. Non P. R.

C. Layman tom. 2. lib. 5. tract. 8. cap. 2. sub n. 3. probabile putat, si Sacerdos per errorem unxit sacro Chrismate infirmum nihil esse repetendum, sed rem Domino commendandam, quia valdè probabile est Sacramentum Extremæ Unctionis validè conferri in materia Sacri Chrismatis, sed hæc ratio non probat; quia, licèt aliàs esset speculativè probabile, quòd S. Chrisma sit materia valida Extremæ Unctionis, modò in praxi non est sequendum ex Decreto Papæ Innocentii XI. damnantis in prima propositione, ut improbabile practicè sequi probabile, relicto tutiori in materia, & forma Sacramentorum, sed sic est, quòd asserere Chrisma esse materiam Extremæ Unctionis sit solùm probabile, & tutius sit contrarium: ergo in praxi minimè est sequenda opinio, astruens S. Chrisma esse materiã Sacramenti Extremæ Unctionis, & cum eo posse conferri.

90. Melior est altera ratio, per quam suam sententiam probat Layman; quia inquit, plerumque non posset fieri iterata Unctio ad emendandum primum errorem sine scandalo, quo supposito valdè probabile censeo, non esse necessariò reiterandam Extremam Unctionem cum oleo, in supplementum defectus commissi; & ratio est: quia hoc Sacramentum non est de necessitate præcepti, nec peccatum mortale esset ejus omissio præciso contemptu, aut scandalo, ut cum Doctore Angelico, Soto, Navarro, & communi affirmat Villalobos part. 1. tract. 1. diffic. 5. num. 1. & P. Caspensis tom. 2. tract. 27. disp. 4. sect. 2. num. 13. ex quo sic arguo, interveniente scandalo, aut prudenti ejus formidine, potest interdum omitti id, quod de lege Divina, aut humana obligat; cùm lex naturalis evitandi scandalum præferenda

renda sit legi Divinæ, aut Humanæ: Ergo à fortiori poterit omitti supplementum defectus commissi in nostro casu posita prudenti formidine de scandalo; cùm nullum exstet præceptum Divinum, aut humanum obligans saltem graviter ad suscipiendum Sacramentum Extremæ Unctionis juxta opinionem relatam.

91. P. P. R. dico pariter meam culpam, quòd in actu ministrandi Extremam Unctionem uni cæco, hujus etiam oculos unxerim.

C. Erátne à nativitate cæcus?

P. Ita P. R.

C. protulítne V. D. formam supra hunc sensum absolutè, vel conditionatè?

P. Absolutè eam protuli.

C. Quando ægrotus caret manibus, ait Layman supr. num. 6. citans S. Thomam, S. Bonaventuram, Riccardum, Sotum, & alios, ungendam esse propinquam partem: & carenti oculis ungendum esse eorundem oculorum locum, & situm; quia licèt cæcus à nativitate per visum non peccaverit, nec surdus per auditum, nec mancus per tactum, potuit tamen peccare per concupiscentiam videndi, audiendi, tangendi: ergo propter hanc rationem Unctio in iis partibus erit facienda: fateor hanc rationem magnam mihi difficultatem causare; quandoquidem si surdus peccavit per concupiscentiam audiendi, cæcus per concupiscentiam videndi, & mancus per eam tangendi; hoc nec fuit peccatum auditus, nec oculorum, nec manuum: ergo videtur non posse dici *quidquid per auditum, per visum, per tactum deliquisti*, sed dicendum erit (supposita hac ratione Layman) *Quidquid per concupiscentiam videndi, audiendi, tangendi deliquisti*, quod nequit concedi: Nihilominus cùm Doctores adeò graves hanc doctrinam asserant, eam sequor; quia, quemadmodum in eo, qui accedit contritus ad confessionem, vel cum solis peccatis vitæ præteritæ, salvatur veritas formæ Ego te absolvo, licèt illa absolutio actualiter nullam culpam deleat; cùm ejus sensus sit: Sacramentum absolutionis tibi impendo, ut inquit Angelicus calamus D. Thomæ part. 2. quæst. 24. art. 3. ad 5. in fine, ita pariter salvabitur sensus formæ Extremæ Unctionis, quamvis persona per sensum non peccaverit.

92. Ex qua ratione infero posse dici formam Extremæ Unctionis absolutè, & non conditionatè, ut inquit Valentia apud Dianam part. 10. tract. 16. Miscel. 6. resol. 81. §. sed hic: quia ipsamet forma efficit sensum conditionalem: Quidquid peccasti, id est, si fortè peccasti; & quia ejus sensus est sicut ille absolutionis data proportione: Sacramentum remissivum reliquiarum peccatorum tibi impendo.

93. P. P. R. dico meam culpam, quòd

quòd uni ægroto bis Sacramentum extremæ unctionis ministraverim.

C. Factum fuitne hoc perseverante eodem periculo, aut articulo mortis?

P. Ita P. R.

C. perseveravitne diù infirmus in hoc periculo mortis?

P. P. R. ultra quatuor menses in eo perseveravit.

C. Quando ægrotus post susceptã Extremam Unctionem convalescit, si postmodùm recidat in periculum mortis, potest denuò ipsi conferri hoc Sacramentum ita Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 3.* his verbis: *Quòd si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint*, quia cùm hoc Sacramentum non imprimat characterem, non est ratio, cur impediat reiterationem, postquam cessavit primum periculum mortis, & secundum advenerit: & notat Bassæus subtiliter, & egregiè Verb. Extrema Unctio 3. num. 3. non esse necessarium, ut infirmus convalescat, sed sufficere, ut meliùs habere cæperit, & medicorum judicio extra probabile, seu propinquum mortis periculum constitutus fuerit ad hoc, ut post aliquod tempus iterum inungi possit: & addit Leander de Sacramento part. 1. tract. 4. disp. 4. qu. 16. tempus sufficiens transeundum ab uno periculo ad alterum, ab una unctione ad alteram esse quindecim, aut viginti dierum, vel ad summum unius mensis intervallum.

94. Si eadem infirmitas gravis diù perseveret (v. g. Hydropisis) si ægrotus ab initio morbi suscepit extremam Unctionem, Sà, Possevinus, & alii relati à Leandro ibid. quæst. 19. dicunt posse in fine vitæ iterum hoc Sacramento muniri, quod videtur censere probabile Leander, cùm dicat oppositum, quod ipse sequitur, esse probabilius, & benè dicit; siquidem valde conformiter menti Concilii loquitur, quod expresè concedit reiterandam esse Extremam Unctionem, duntaxat, quando infirmus è periculo evasit: ergò durante eodem periculo morbi, probabilius est, non posse iterum conferri.

95. P. P. R. dico meam culpam, quòd dum pergerem pro ministranda uni infirmo extrema unctione, repentinus casus eum sensim ad mortẽ reducens supervenerit, & ne absque Sacramento decederet, quinque ejus sensus sub una eademque forma unxerim, dicendo: *Per istas Sanctas unctiones &c.*

C. Hoc docuêre aliqui Doctores in simili casu: alii dixêre unicum tantùm sensum posse ungi, & dici: *per istam Sanctam Unctionem &c. indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum*: ego verò puto, hoc aliqualiter contravenire damnationi

Innocentii XI. in propositione prima, secundùm quam tenemur sequi certum in rebus, à quibus ex institutione Christi Domini nostri pedet valor Sacramentorum; ut sunt materia, forma, & intentio Ministri: sed sic est, quòd hæ doctrinæ versantur circa substantiam Sacramenti extremæ Unctionis, & licèt sint speculativè probabiles, tutius est contrarium, ut videri potest in Bassæo verb. extrema Unctio 1. num. 9. §. Quamvis, & §. verum, ergò hæ doctrinæ aliquantùm opponuntur dicto Decreto.

96. Idem arbitror de eo, quod citando Suarez, Barbosam, & alios affirmat Diana part. 5. tract. 3. resol. 88. videlicet, quòd in casu necessitatis plures Ministri uno, eodemque tempore esse possint in Sacramento extremæ unctionis, ita ut unus unum sensum ungat partiali forma prolata, & alter alterum sensum ungat itidem prolata forma partiali: quia, cùm hæc doctrina sit solùm probabilis, contraria autem tutior, & à Ministro pendeat valor Sacramenti, non est sequendum probabile relicto tutiori: adeóque securius, & satius esse teneo, infirmum absque Extrema Unctione decedere, quàm Sacramentum irreverentiæ periculo exponere; cùm hoc Sacramentum non sit de necessitate præcepti, benè verò reverentia Sacramento debita.

97. P. P. R. dico meam culpam me Extremam Unctionem ministrasse puero, qui nondum ad Sacram Communionem admissus fuerat.

C. Perveneràtne ad septennium?

P. Ita P. R.

C. Fuítne adhuc usu rationis præditus?

P. Ita P. R. In mea opinione.

C. Cur ergo dubitabat de licita in hoc casu Sacramenti administratione?

P. P. R. Quia postquam exaudivi ejus confessionem, nunquam peccatum actuale sibi notum commisisse deprehendi.

C. pueris usu rationis præditis, quod ordinariè circa septennium contingit, danda est Extrema Unctio, tamesi Sacram Eucharistiam nondum receperint, ita Layman tom. 2. lib. 5. tract. 8. cap. 6. num. 2. & licèt constaret nullam eos commisisse culpam actualem, posset ipsis administrari, ita cum S. Bonaventura, Suarez, & aliis, docet Villalobos in sum. part. 1. tract. 10. diffic. 4. num. 7. qui asserit non requiri peccatum actuale, ut hoc Sacramentum suscipi possit: Albertus Magnus quoque ait in Mariali cap. 71. & 74. Mariam Sanctissimam Dominam nostram suscepisse Extremam Unctionem, prout refert. S. Antoninus *part. 3. tit. 14. cap. 8. §. 3. ponit Albertus, quòd Beata Maria in morte se fecerit inungi, sicut enim communicavit; & hoc non quia indigeret, cùm nullum peccatum, etiam veniale, nec reliquiæ peccati essent in ea, sed, ut præberet fide-*

fidelibus in omnibus exemplum humilitatis, & vitæ Christianæ: Idem sentiunt Sylvester in Rosa Aurea, Bernardinus de Busto, & Canisius, teste Suarez tom. 2. in 3. part. quæst. 87. art. 4. disp. 18. sect. 3. §. solùm igitur.

98. Hoc Sacramentum potest pariter ministrari fatuis, seu illis, qui usum rationis amiserunt, licèt tanquam rationis expertes illud non petierint, si ante lapsum in amentiam id interpretativè petierint, Christianè vivendo, & æternæ salutis memores fuerint, quod præsumendum est, dummodò nihil in contrarium constet; Ita Barbosa de potest, Paroch. part. 2. cap. 22. num. 14. (non num. 31. ut ex Correctori serore refert Diana part. 5. tract. 3. resol. 84. in fine) ubi etiam sequitur aliis citatis hanc doctrinam.

PARS IV.

De modo observando à Parocho in testamentis infirmorum.

NOn est meum hìc agere de solemnitate civili, quæ ad testamenta rectè condenda requiritur, quia in hoc sunt satis periti Notarii, neque de subtilitatibus, cautionibus, aut cautelis, quas leges decernunt in hac materia; hoc enim fusiorem, & copiosiorem tractatum postularet. Solùm ergò hìc agam de aliquibus rebus à Parocho, aut Confessario sciendis tempore, quo infirmus eum consulit in ordine ad dispositionem suæ ultimæ voluntatis, aut quando contra conscientiam eum testari animadvertet, ad hoc, ut de ritè faciendis eundem admonere possit.

99. P. P. R. Confiteor, quòd uni infirmo, multùm, & ultra suam substantiam debitori consuluerim, quòd absque scrupulo posset disponere de suis facultatibus necessaria pro funeralibus; & quòd residuum daretur creditoribus.

C. V. D. admonuítne ipsum, ne in exequiis magni sumptus fierent, erigendo Castrum doloris cum apparatibus pretiosis, & nimia pompa; sed moderatè fierent expensæ?

P. P. R. primum quod dixi, fuit hoc, ut fierent cum moderatione suæ paupertati correspondente, & proportionata.

C. Bona, quæ habuit hæc persona, fuerúntne aliena, aut propria, quæ ære alieno essent gravata?

P. P. R. Bona, quæ habuit, fuerunt propria, licèt tantundem, & ultrà aliis deberet.

C. Si omnia bona illius infirmi fuerunt aliena: v. g. si habuit mobilia, aut immobilia, quorum proprietas ad aliam personam spectaret, tunc suo Domino restituenda erant: nec poterant fieri funeralia cum horum bonorum expensis, præterquam, si hoc esset ita necessarium pro exequiis, ut alio modo fieri non posset; in hoc enim casu, de illis bonis posset accipi, quod pro funere moderato opus

 esset.

esset. Si bona illius infirmi fuerunt propria, quamvis debitis, & hypotheca gravata essent, poterat accipi necessarium pro decenti Funere absquè pompa, & apparatu, aut multis expensis, cùm sumptus, qui fiunt pro funeralibus sint privilegiati. Est doctrina Petri de Navarra tom. 2. lib. 4. de rest. cap. finale, dub. 2. num. 23. & 24. & pro sua opinione citat Sylvestrum, Paludanum, & alios.

100. P. P. R. confiteor, quòd infirmus petierit à me consilium, utrùm posset mutare testamentum conditum inter vivos, ad quod respondi affirmativè.

C. primum testamentum fuerátne conditum cum juramento illud nunquam revocandi? secluso enim hoc juramento, cùm testamentum sit ex natura sua revocabile, poterat ex justa causa mutari.

P. P. R. cum juramento primum testamentum firmaverat.

C. Habuitne justam causam revocandi primum testamentum?

P. Mihi videtur eam habuisse.

C Qualem causam habuit?

P. In primo Testamento unicam Filiam hæreditate privavit, nihil prorsus ei relinquendo, ex eo, quòd contra suam voluntatem matrimonium inierit.

C. Contraxítne Matrimonium Filia cum persona conditionis notabiliter inferioris?

P. P. R. persona, cum qua contraxit Matrimonium, non fuit æqualis conditionis; fuit tamen honestis parentibus nata.

C. Fuítne viginti quinque annorum Filia, quando duxit maritum?

P. Adhuc ultrà.

C. Suppono primò pro solutione hujus casus, quòd filia contra voluntatem sui parentis contrahens Matrimonium cum persona inferioris conditionis, non propterea exhæredari possit, quamvis alii affirmativam teneant juxta relata part. 1. Prax. tract. 4. cap. 2. num. 19. pag. 81. sed si filia habet viginti quinque annos, nec operâ parentis duxit antecedenter maritum, non imputatur filiæ secundùm leges, si contrahat Matrimonium cum persona inferioris conditionis; nec parens hac de causa potest eam hæreditate privare, ita Villalobos tom. 2. tract. 30. diffic. 18. num. 2.

Suppono secundò, Testamentum juramento firmatum, communiter non posse licitè, & absque gravi peccato revocari ita cum Julio Claro, & communi Villalobos ibid. diffic. 22. num. 7. quamvis valida erit revocatio, si in ea expressa fiat mentio juramenti emissi in primo testamento. Villalobos ibid. num. 6. Sanchez in Consil. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 17. num. 3.

101. His suppositis dicat mihi V. D. nunquid absque ullo dubio credidit, infirmum condidisse testamentum juratum ex odio concepto ad-

ver-

versus Filiam, propter matrimonium ipso reluctante contractum?

P. Ita P. R.

C. Ergo juramentum emissum cum hoc motivo eum non obligabat, ut dixi part. 1. Prax. tract. 2. cap. 1. num. 12. pag. 37. & licèt non fuisset testamentum juratum propter hoc motivum, poterat tamen illud mutare, ut infero ex doctrina Dianæ part. 5. tract. 3. resol. 22. ubi ait testamentum contra justas leges conditum, licèt sit juratum, posse licitè revocari: sed sic est, quòd hoc testamentum fuerit contra justas leges conditum, siquidem non poterat ob hanc causam filiam exhæredare: ergo hoc testamentum, quamvis juramento firmatum potuit licitè revocari: ex quo evidenter patet, V. D. potuisse licitè, & debuisse huic infirmo suadere, ut primum testamentum revocaret, suamque filiam hæredem institueret.

P. 102. Alius infirmus habuit filium spurium, cui aliquam substantiam relinquere intendebat, ego autem hoc nefas esse dixi.

C. Filii spurii non possunt succedere eorum Parentibus, nec per testamentum, nec ab intestato, nec per contractum inter vivos, secundùm Textum Civilem: Qui ex damnato sunt coitu, omni prorsùs beneficio excludantur, L. licet, C. de nat. liberis, in fine: Quamvis filii naturales possint institui universales hæredes, si Parentes non habeant legitimum: C. de filiis natural. ead. L. & hoc tenet Lessius L. 2. de justit. cap. 29. dub. 6. num. 71. Filius naturalis dicitur ille, qui nascitur ex Genitoribus, inter quos tempore conceptionis, & nativitatis non fuit impedimentum dirimens matrimonium; spurius est ille, qui nascitur ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, & nativitatis fuit impedimentum dirimens; v. g. ille, qui nascitur à parentibus consanguineis inter quartum gradum, vel cujus Pater est uxoratus, aut Sacris initiatus &c.

Modus licitus, quo hic infirmus poterat aliquid relinquere filio spurio, erat, instituendo hæredem amicum, eundem rogando, ut filio talem partem signanter dare placeret, quam postmodùm Amicus posset licitè tradere, & filius spurius accipere; absque tamen obligatione, aut promissione amici exequendi petitionem infirmi; quia hæc promissio esset graviter peccaminosa, eamque adimplere non teneretur: ita Lessius ibid. num. 60. & 62. In hoc casu non comprehenduntur alimenta, quæ certum est Genitorem posse relinquere filio spurio, cùm hæc jure naturæ ipsi debeantur, nec tantùm potest relinquere alimenta ad vitam necessaria, verùm etiam pro decentia sui statûs & personarum, quas filius spurius alere tenetur, v. g. si habeat uxorem, aut filios: Sanchez in Opusc. lib. 4. cap. 3.

dub. 34. num. 3. & seq. & etiam titulo remunerationis meritorum potest Pater relinquere aliquid filio spurio ; Modus hoc faciendi videri potest in Sanchez ibid. dub. 38. num. 1. & 2. & in eodem de Matrim. lib. 6. dis. 6. & in Diana part. 5. tract. 3. resol. 131.

103. P. P. R. confiteor, quòd alteri infirmo prono ad relinquendum præter legitimam aliam portionem uni filio suaserim, ut æqualiter omnes hæredes institueret.

C. Et quodnam motivum habuit Pater relinquendi illi filio portionem præter legitimam ?

P. Quia hunc præ cæteris diligebat.

C. Suppono licitum esse relinquere aliquid plus uni, quàm alteri filio, v. g. tertiam, aut quintam partem, plus, vel minus juxta dispositiones legum municipalium ; verumtamen si justa causa non suppetat, & ex inordinato affectu inter liberos (quorum natura communis est) successionis inæqualitatem constituere plerumque peccatum est, ita Layman tom. 1. lib. 3. sect. 5. cap. 5. num. 13. Licebit tamen ex causa justa aliquam inæqualitatem inter liberos constituere: justæ autem causæ inæqualitatis inter liberos constituendæ sunt, si inter eos aliqui de Testatore domesticis obsequiis, aliisque officiis magis meriti fuerint, si qui plùs indigere videantur, quia bonis adventitiis carent, si adhuc pusilli magno sumptu in studiis educari debeant, denique si secundùm gentis consuetudinem priùs geniti aliis, aut masculi fœminis in successione præferantur &c.

104. P. Alium infirmum, qui præter pauperculum fratrem, alios non habuit consanguineos, nec eum hæredem instituere cogitabat ; sed alium extraneum. nolui absolvere, donec voluntatem mutaret.

C. Frater iste erátne in extrema vel gravi necessitate ?

P. P. R. Non fuit in tali necessitate constitutus, sed aliquo subsidio indiguit, ut decenter, & cum minori labore vivere posset.

C. Fuissétne motivum scandali, si hunc fratrem hæredem non instituisset ?

P. Frater plurimùm conquerebatur, & alii pariter testatorem infirmum arguebant.

C. Si Frater esset in extrema, aut gravi necessitate constitutus, teneretur infirmus saltem necessaria ei relinquere, ut de eleemosyna agendo dixi, part. 1. Prax. tract. 10. n. 44. & seq. pag. 345. de quo fusiùs tractat P. Moya in select. tom. 1. tract. 6. disp. 6. q. 4. si verò in gravi, aut extrema necessitate non fuit constitutus, quamvis alicui miseriæ esset subjectus, non tenebatur testator eum hæredem instituere, nisi fortè scandalum sequeretur: Est doctrina Bonacinæ, Sà, & aliorum apud Dianam part. 1. tract. 8. resol. 85. quia nulla

lex

lex nec naturalis, nec Divina, nec humana obligat ad instituendos hæredes fratres in necessitate gravi, aut extrema non constitutos præciso scandalo. Per scandalum autem non intelliguntur lamentationes, murmurationes, querelæ fratrum, & amicorum, eo quòd hæredes instituti non fuerint. Ita Layman tom. 1. lib. 3. tract. 5. cap. 5. sub num. 17. §. Dico V. Interdum verò à testatore cavere consultius est, si ejusmodi personæ sanguine, amicitia, aut obsequiis conjunctæ legatis honorentur, hæreditate ipsa pauperibus aliisve causis piis relicta in animæ salutem, ut monet Layman ibid.

105. P. Habeo pariter scrupulum ex eo, quòd uni infirmo, pium opus fundare cogitanti, id dissuaserim.

C. Qualenam motivum habuit V. D?

P. Videre, quòd plures haberet filios, & desiderium, ut eosdem divites relinqueret.

C. Fuitne Testator persona opibus affluens, ita ut relictis necessariis pro sustentatione filiorum decenti, posset opus pium pariter fundare?

P. Ita P. R. Capitale sufficiens remansisset.

C. Ergo V. D. non benè egit à pia hac intentione eum retrahendo; quandoquidem valdè conveniens est, ut Testatores recordentur omnia bona à Deo accepta fuisse, & in signum gratitudinis aliquam suorum partem bonorum eidem, & suæ Ecclesiæ offerant in animæ propriæ utilitatem, aut in pauperes erogent; quatenus Christo Domino in persona pauperum, tanquam cohærede cum suis filiis instituto, Divinam assistentiam adeò necessariam pro spiritualibus & temporalibus emolumentis consequantur.

Si Testator non haberet substantiam pro pio opere fundando, ac ejus bona liberis ad sustentationem honestam omninò necessaria videantur, ea legatis minuenda non esse, constat ex L. assert. Non debet tamen hæc liberorum necessitas testatori cordato major apparere, quàm reipsa sit, quo minùs saltem aliquam partem secundùm prudentis viri arbitrium pauperibus pro anima sua relinquat, nisi clarum sit filiis omnia necessaria fore: est doctrina Layman ubi supr. num. 17.

106. P. Remorsum aliquem pariter habeo in casu sequenti: Quidam infirmus mihi revelavit restitutionem aliquam ab ipso esse faciendam, & nulli alteri, quàm suo Confessario prudenter manifestandam; ego autem ignorans modum, & medium satisfaciendi cum requisita cautela, dixi ei, ut in suo testamento præciperet mihi consignandam quantitatem, quam revelavit esse restitutioni obnoxiam.

C. V. D. Non malè operata est, quamvis una defuerit circumstantia; nempe, ut infirmus schedulam pro-

priâ

priâ manu scriberet, si possibile erat, vel per manus V. D. in qua ita exprimeret: *Mea voluntas est, ut meo Confessario tanta quantitas consignetur*, & posteà clausulam specialem testamento apponeret dicendo: *Mea voluntas est, ut schedula, quæ reperietur in manibus Titii, propriâ, aut ejus manu scripta recognoscatur pro mea, ac eidem à meis hæredibus immediatè post meum obitum consignetur quantitas in dicta schedula contenta, & ne ratio ab ipso petatur (sicut peti nequit) de fine ad quem hæc pecunia est destinata.* Ita Marchadus *in sum. tom. 2. lib. 7. part. 3. tract. ult. docum. 2. num. 2.*

107. Similes casus regulariter possunt occurrere Parocho, aut Confessario ægroto interessenti in ordine ad ultimas voluntates. Ut autem Confessarius præsertim Religiosus majore spiritu, libertate, & fructu hominum animas juvare possit, consultum non est, ut confectioni testamentorum ipse intersit; siquidem difficulter evadet illæsus, & immunis à murmurationibus, ægrè ferentium dispositionem infirmi, licèt revera hæc absque suo interventu acciderit: In causis pecuniariis (ait S. Ambrosius lib. 3. de Offic. cap. 9.) intervenire non est Sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur: Præterea Confessarius nullo modo testatori in particulari suadeat, quibus hæreditas, vel legata relinqui debeant; præsertim sibi, vel propriæ Ecclesiæ, aut Conventui, quia hoc sapit avaritiam, à qua debet valdè cavere persona DEO addicta, juxta dictum Christi Domini Lucæ cap. 12. cavete ab omni avaritia. Sed expedit fermè in genere tantùm pias dispensationes commendare, nisi testator consilium petens dirigendus sit ipsique explicandum, quidnam consideratis omnibus honestius, ad animæ salutem ejus utilius, Deóque gratius existimetur.

Debet pariter Confessarius suadere infirmo, ut tempestivè de suis rebus disponat, & ne in mortis agonem differat, sed id facere aggrediatur, antequam mortis periculum timeatur, dum sensus, & ratio vigent, ut quietius meliore consilio, & majore apud Deum merito perficiat, tempore, quo in gratia Dei præmissa etiam sacra Confessione, ac Communione constitutum se esse existimat; insuper eundem admoneat, ut de prædictis clarè, & distinctè disponat, ne litibus detur occasio, quæ sunt origo, & fomentum odiorum, & dissensionum: Demùm ut in dispositione Missarum ita se gerat, ut quantocyus celebrentur pro celeri animæ suæ suffragio, ut vanitatem in apparatu sui funeris abhorreat; etenim valdè dedecens est, quòd cadaver vili terræ consignandum, per plumas vanitatis ad ventum elevari præsumat; & quòd

jacens in sepulchro omnium pedibus subjectum, aliis supereminere ambiat.

PARS V.

De Obligatione Parochi adjuvandi suos Parochianos ad bonam mortem.

108. P. P. R. accuso me fuisse negligentem in assistendo infirmis, & moribundis.

C. Inter cæteras graves Parochi obligationes est assistentia, & visitatio infirmorum cum charitate Christiana, ut ponderat Cardinalis Toletus lib. 5. cap. 5. sub num. 12. his verbis: *debet* (Parochus) *infirmos suæ Parochiæ visitare, & scire, an Sacramento indigeant, quia periculosus est morbus; & debet ministrare, ipsósque ad suscipiendum exhortari, & ad faciendum testamenta, & alia Christiana opera, & in hoc non exequi officium, est gravissimum peccatum.*

Et quamvis citando Possevinum dicat Marchadus tom. 2. lib. 4. part. 2. tract. 3. docum. 23. num. 1. non peccare graviter Parochum deserentem moribundum, quando jam Sanctissimis Sacramentis est munitus, & benè dispositus; vel etiam quando in phrenesim incidit, præterquam si esset impœnitens, confiteri ac occasionem à se amovere renuens: hanc tamen doctrinam Marchadi limitat R. P. Magister Lumbier in fragm. tom. 2. fragm. 9. num. 685. nempe si alius non intersit ad confortandum infirmum, & in bonis suis propositis pro felici subeunda morte confirmandū, teneatur Parochus sæpè eum visitare ad ejusdem statum dignoscendum, & utrùm majori assistentia indigeat.

109. hanc sententiam Lumbier tutissimam, & certissimam censet; quia in illo supremo vitæ discrimine pluribus aggressionibus hostis communis animæ castrum superare contendit, ac suarum deceptionum vi impetuosa id occupare conatur, quapropter si Parochus huic fortalitio in obsidione ita stricta constituto suppetiis non venit, summoperè periclitatur. Tentationes in illo instanti sunt multæ, vires infirmi exiguæ: angustiæ cor opprimunt: dolores potentias supprimunt, & compescunt: angustiæ obstringunt animam: accidentia perturbant sensus: afflictio est magna: pavor tremendus: horror mortis formidabilis: dubium de salute, vel damnatione, tormentum est intolerabile; spes confortat, timor terrefacit, & inter spem, & timorem animæ navicula fluctuans, in submersionis, ac damnationis periculo invehitur. Quomodo ergo non erit necessarium ut Parochus, velut nauta dexter teneat puppim consilii, exhortationis, admonitionum, ut animæ navigium tot undis agitatum ad securum gloriæ portum perducere valeat.

110. Varios solet attentare modos dæmon ad animam in hoc exitu rapiendam, quos sapiens Parochus non

debet ignorare, ut astuti, & versuti serpentis illusiones rejicere queat: aliquos contra fidem, alios contra spem, & alios contra charitatem tentat, adeóque operæ pretium est, ut Parochus frequenter ad actus Fidei, Spei, & Charitatis eliciendos infirmum hortetur. Proponat infirmo magnam Dei misericordiam, immensam ejus bonitatem, & amorem, vi cujus neminem perdere, sed omnes salvare peroptat: nec venisse in mundum ad justos, sed peccatores quærendos; pretiosum Christi Jesu Sanguinem ei repræsentet, in cujus rubicundis corallis redemptionis nostræ pretium asservatur, ac exiguis nostris meritis, non gloriam, sed delictis pœnam æternam deberi: ac proinde Christum Dñm morte sua, & passione Coronam illam im̃ortalem nobis promeruisse: potentissimâ Reginæ Angelorum intercessione eum fulciat, quæ semper fuit, & est peccatorum protectrix, meticulosorum asylum, formidolosorum animatrix, desolatorum refugium, afflictorum consolatrix, derelictorum Mater, pauperum Patrocinium, miserorum Spes, scopus splendens, ad cujus lucem cordis nostri supplicationes, & affectus directi, felix iter inter mortis turbines, & tempestates nobis promittit.

111. Si infirmus nimiùm de Divina pietate præsumat, inscrutabilia Dei judicia ei objiciat: latro enim è Cruce à Christo ad Paradisum ducitur, & alterum è suis humeris in infernum emittit, & tamen primus in vita non fuit minùs iniquus quàm alter: Judam, postquam ad suam mensam, & societatem admissus est, perire sinit; & super injurium, & blasphemum Longinum benedictionem suam effundit: Magos, Regionis adeò longinquæ incolas suæ lucis radiis illuminat; Herodem in eodem districtu commorantem inter suorum eorrorum tenebras relinquit: Terribilis in consiliis Deus! Psalm. 65. His aliisque motivis justum, ac debitum Dei timorem infirmo incutiat, & suadeat.

112. Alios ex præteritarum culparum reminiscentia valdè afflictos deprehendet, hos ad spem animet proposito infallibili Dei verbo, parcendi peccatori verè contrito, ac cælum, & terram potiùs transitura, quàm verbum Domini præteriturum. Alios in suis sceleribus deflendis tepidos, & desides comperiet, quibus Dei offensæ gravitas est proponenda, & quàm abominabilis sit injuria, summum Bonum pro dæmonis servitute deserere: & ut in Christi crucifixi libro culpæ gravitatem legant, siquidem quævis ejus pœna est copiosus tractatus nostrarum culparum turpitudinem detegens.

113. Demùm in hoc articulo juxta necessitatem infirmi Parochus se gerat, ægrè ferenti dolores, Christi Do-

mini cruciatus, purgatorii & inferni pœnas proponat; ob conjugis, Filiorum, Amicorum, & divitiarum amorem afflicto omnia caduca, & terrena eſſet ſpernenda ſuadeat, & quidquid in hoc mundo invenitur, eſſe lutum, cineres, terram, pulverem, nihil: Virtuti, Orationi, frequentiæ Sacramentorum, ac Dei amori deditos, per ſuavem actuum anagogicorum, ac orationum jaculatoriarum tramitem conducat, ac quemlibet juxta ejus neceſſitatem, genium, naturam, & tentationes, & indigentiam ſpirituali ſubſidio fulciat; Hìc quidem libenter adjungerem breves aliquas exhortationes pro juvando infirmo ad bonam mortem, ſed, ne à meo aſſumpto declinem, eas omitto.

114. Non obliviſcatur Parochus munire infirmum indulgentiis, quas vi Bullæ, vel Roſarii, Crucis, aut Numiſmatis, cui ſit annexa Indulgentia in articulo mortis, poteſt aquirere, & licèt non requiratur, quòd infirmus expreſsè ſibi indulgentias applicari petat, ſed ſufficiat interpretativa, quæ includitur in accipiendo Bullam, aut deferendo Roſarium, Crucem, aut Numiſma; nec quòd infirmus ſit perfectè compos ſui, ut videri poteſt in Diana part. 5. tract. 3. reſol 133. nihilominus conſultum eſt, eas ipſi applicare, antequam ſenſibus deſtitutus ſit, eumdem ad actum contritionis, vel etiam ſi poſſibile eſt ad novam reconciliationem hortando, ad hoc, ut per iterarum culparum dolorẽ faciliùs obtineatur remiſſio pœnæ, quæ mediante Indulgentia conceditur: & ſub futuræ mortis conditione Indulgentias pro ejus articulo conceſſas applicare ſatagat. Licèt autem determinata verborum forma pro applicandis Indulgentiis non ſit neceſſaria, poterit tamen fieri his, aut ſimilibus: "Miſereatur tui Omnipotens Deus &c. Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem &c. Auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, quâ fungor, concedo tibi omnes Indulgentias, quas concedere poſſum, & ſpecialiter Indulgentiam peccatorum tuorum plenariam: quam Summus Pontifex tibi indulſit in Bulla Sanctæ Cruciatæ, aut tali cruce, grano, ſive Imagine conceſſit &c. Quòd ſi fortè nunc ex hac vita non diſceſſeris, reſervo tibi hanc gratiam pro hora mortis tuæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen." Et poteſt, ſi placet addere: "Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, & merita beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, vel mali patienter ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum tuorum &c."

Hìc ſe offert tractatus de Modo, quo Parochus debet aſſiſtere Matrimonio, ſed quia is habetur in Rituali, ſuperfluum eſt de eo hìc agere; caſus tamen ad hanc materiam pertinentes,

à Doctoribus discussos, ad tertiam partem conferentiarum remitto.

CAPUT VI.

De Exhortatione facienda Parocho Confitenti.

115. Christiana invidia habenda est, cui Dominus animarum suarum curam demandavit, non tantùm ob custodiæ thesauri adeò pretiosi honorem, verùm etiam ex eo, quòd in statu magnam coronam aquirendi positus fuerit. Summoperè D. V. suum munus, & Officium æstimare debet, quo Creator animas suo sanguine redemptas, ac hortulos, in quibus ejus affectus deliciatur, ipsi consignavit. Adam, ait Sacra Historia, à Divino Artifice ad imaginem & similitudinem suam factus fuit *Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: & Theodoretus ibi quæst. 20. inquit, hanc imaginem sitam fuisse in Dominio Paradisi, quem Deus Adami custodiæ commendavit: ut operaretur, & custodiret illud. Omnes justi per participationem gratiæ Dei imagines sunt, sed singulariter hæc excellentia de Parocho prædicari potest, cùm Dominus conservationem & custodiam Paradisi, ac deliciosum animarum suarum viridarium eidem consignaverit; post cujus solicitiam culturam certum, & ingens consequetur præmium. Pastori illi Philadelphiæ, quem nomine Angeli Scriptura sacra honorat (quia in conspectu Dei similes personæ Angelis æquiparantur) dixit supremus Judex: Ecce venio citò Apoc. 3. Hæc verba in rigore saltem, adventum Judicis indicare videntur: Ita est, non tamen Judicis justitiam vindicativam, sed remunerativam erga hujus Prælati vigilantiam, solicitudinem, & Zelum exercentis. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Si V. D. est Angelus nomine, sit operibus Angelus Custos, oviculas sibi commendatas à luporum dentibus defendens, & in hac vita magnam cælestis gloriæ coronam sibi lucrabitur.

116. Ast si Parochi suo munere fungentis sors est invidenda, in eodem negligentis infortunium est deplorandum: Si in propria Parochia residet, animæ suæ fructum, ac Parochianorum suorum utilitatem consequitur: Si verò ab eadem se absentat, summis miseriis animæ sunt obnoxiæ, & teste sapiente Prov. 27. v. 8. sunt veluti ova, & pulli, quando avis nidum deserit: *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum*, addit Liranus, *ibi: per hoc intelligitur malitia Prælati animarum curam negligentis*: Avicula à nido absente, ova absque fomento remanent, & cum periculo, ne præ frigore corrumpantur, eorumque substantia evanescat; si à nido Mater abest, pulli de facili aut à volucribus rapinâ, aut à serpentibus devorati pereunt; pariformiter si Parochus suos Parochianos derelinquit Draco infernalis eos persequitur, rapit, conculcat, ac bona de-

desideria, & proposita in iisdem tepescunt, & evanescunt: Absentia septem dierum Prophetæ Samuelis: *expectavit septem diebus juxta placitum Samuelis, & non venit Samuel &c.* 1. Reg. cap. 13. v. 8. causa fuit, quòd Saul peregrinaretur à Domino, quòd populus Saul derelinqueret, & mille funestas tragœdis experiretur. Dilapsusque est populus ab eo: ob absentiam trium dierum Davidis Siceleg succensa fuit, ac mulieres captivæ factæ sunt: *Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg; & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni. Et captivas duxerunt mulieres ex ea, à minimo usque ad magnum.* 1. Reg. 30. v. 1. & 2. per quod datur nobis ad intelligendum, ait Nicolaus de Lira, quòd si absens sit Parochus, cui animarum cura concredita est, vitiorum igne corda incendantur. Dæmones incendunt populum suum igne concupiscentiæ carnalis, & cupiditatis, & ducunt eum captivum multiplicibus peccatis irretitum: Si quando sol radiorum suorum jacula emittit, non datur medium interjectum umbram faciens viatori, labor hunc opprimit, & calor inflammat; si Parochis animas suæ præsentiæ umbraculis non tegit, ab igne Passionum suarum percussæ decident; flammæ vitiorum in humanis pectoribus ardent, necessarius est accursus Parochi pro tanto incendio cum salutisferis aquis extinguendo; fraudulentâ calliditate, & versutiâ lupus absentiam Pastoris, & somnum canum, gregem tuentium explorat, inquit S. Ambrosius lib. 7. in Luc. cap. 10. Lupi bestiæ sunt, quæ somnum canum, absentiam, ac desidiam Pastorum explorant, ut carnificinam super pauperculas oviculas defensione destitutas exerceant, & si Parochus eas deserit, summa sua amaritudine Prophetia illa Ezechielis verificabitur cap. 34. v. 5. Dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset Pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri.

117. Nec suffragatur Parochis dicere, se idoneos Vicarios relinquere: reliquit Moyses pro suo Vicario Aaron, quando discessit à populo, ut montem ascenderet: & tamen absentia Moysis fuit ita noxia, ut populus ebrietati, ludis, sensualitatibus, ac demùm idololatriæ se turpiter traderet: sedit populus manducare, & surrexerunt ludere &c. Exodi 32. Nehemiæ perfectissimus Vicarius videbatur Sacerdos Eliasib, & hoc non obstante quando regressus est Nehemias, locum tenentem suum prævaricatorem, & cupiditati obnoxium adinvenit: Veni in Jerusalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobiæ, ut faceret ei Thesaurum in vestibulis domus Dei. 2. Esdræ 13. v. 8. quia Vicarii, aut substituti solum lucrum quærunt, ait Cardinalis Lugo in cap. 32. Exod. & nequaquam animarum salutem, Vicarius pecuniam extorquet à populo si-

bi commisso, de salute animarum parùm curat.

118. Pastores non lac ovium respicere debent, sed pascua salubria, de quibus providere iisdem tenentur pro munere soliciti Pastoris: "sanè augentur oves,, (scribit S. Athanasius Epist. 1. ad Episcop. Cretensem) "& in tuto sunt, cùm præsunt boni Pastores "non autem qui solùm ebibant lac, "& lana tegantur:,, de similibus Pastoribus, proh, dolor! verificatur illa sententia D. Bernardi, serm. ad Cler. in Conc. Remensi: "Ecclesia Dei "vobis commissa est, & dicimini Pa- "stores cùm sitis raptores, & paucos "habemus (heu!) Pastores, multos "autem excommunicatores, & uti- "nam vobis sufficeret lana, & lac, si- "titis enim sanguinem.,, V.D. non sit hujusmodi Pastor, à cupiditate ditescendi, ac locupletandi cum redditibus Ecclesiasticis non sinat se trahi, sed à zelo suo subditos erudiendi, quod Deus indicavit, dum præcepit Aaroni ingredienti Sanctuarium, ut campanulas aliquas aureas ad fimbriam pendentes portaret: "Sacerdos,, (ait S. Greg. lib. 1. regist. Epist. 24.) "ingrediens, & egrediens "moritur, si de eo sonitus non audia- "tur, quia iram contra se occulti Ju- "dicis exigit, si sine sonitu prædica- "tionis incedit:,, V.D. tenetur ex officio oves suas Verbi Dei prædicatione pascere; ne quæso sit negligens in tam Sancto, ac proficuo Ministerio: sciat de peccatis à suis subditis defectu exhortationis, bonæ doctrinæ, patrandis rationem à Deo summo rigore esse exigendam, juxta vaticinium illud Ezechielis, cap. 3. v. 18. "Si di- "cente me ad impium: Morte mo- "rieris: non annuntiaveris ei, neque "locutus fueris ut avertatur à via sua "impia, & vivat: ipse impius in ini- "quitate sua morietur, sanguinem "autem ejus de manu tua requiram.,, Judex Supremus cuicumque peccatori mortem æternam minitatus est, si V.D. per prædicationem suorum Parochianorum crimina impedire non nititur, ipsi peribunt, & V.D. strictissimam rationem reddet, ac declarabitur complex, inquit S. Gregorius in eum locum Ezech. in pœna, sicut est complex per suam somnolentiam in culpa: Morti, cui non contradicis, adjungeris.

119. Excitet se pariter ad instruendas suas oviculas in doctrina Christiana, quia præceptum illud Divinum eam alloquitur: "Doceatisque filios "Israël omnia legitima mea quæ locu- "tus est Dñs ad eos per manū Moysis.,, Levitic. 10. v. 11. Viri, & mulieres, pusilli, & magni necessaria ad salutem scire tenentur, & V.D. operam dare debet, ut ea calleant: audiat dictum S. Joannis Chrysostomi Hom. 34. in cap. 13. Epist. ad Hebræos; "omnium quos regis mulie- "rum, puerorum, atque virorum, tu "rationem redditurus es; tanto igni

"tuum

"tuum subjicis caput.„ Per vitam suam V. D. sedulò suo ministerio incumbat, intentâ mente suam obligationem adimpleat, animarum suarum saluti invigilet, perpendat, & recogitet tantas esse Parochi obligationes: ut ausus fuerit dicere Chrysostomus ibid. Miror, si potest salvari aliquis Rectorum?

120. Bono exemplo pariter pro viribus suis subditis præesse studeat etenim doctrinæ fulgoribus modicùm splendebit lampas, quæ ellychnium habet in tenebris: "Doctor(ait S. Gregorius in cap. 23. Hieremiæ) "priùs "in se virtutum spiritualium radios bene vivendo foveat, quos providendis subditorum itineribus loquens "administret.„ Paucis verbis sententiosè multum dixit Plautus ut Gentilis: Monendus, ne moneas, Tu qui es corrigendus, quomodo alios corrigere audes? si emendatione indiges, quomodo alios emendare præsumis? Correctiones malè viventis sunt sicut sigillum sine figura, dixit Fabius: "Sigillum rasum, ac tersum, nullísque "notulis inscriptum: „ quia sicut sigillum planum, & absque figura nullam imprimit imaginem ceræ, aut massæ, sic verba Parochi malè viventis nullam formam Christianam in Parochianis eum audientibus imprimunt: inter Lacedæmones inquit S. Isidorus Pelusiota lib. 3, Epistol. 23. fas non erat scandalosam vitam ducenti perorare, quia ajebant, Concio est velut umbra; & sicut hæc conformatur figuræ corporis, à quo procedit; sic doctrina recipitur juxta vitam illius, qui eam docet: "Apud La-"cedæmonios, qui sermones actio-"num umbras esse non immeritò de-"finierunt, qui turpiter vixisset, ne "probam quidem sententiam pro-"nuntiare licebat:„ sed omissis ritibus, sententiis, & observantiis Gentilium, sufficiat V. D. pro doctrina terribilis illa Dei comminatio, quæ utrùm sit sibi approprianda, recogitet: "Pec-"catori autem dixit Deus: Quare tu "enarras justitias meas, & assumis te-"stamentum meum per os tuum? „ Psal. 49. v. 16.

121. Postremò hortor V. D. ut in suarum permultarum obligationum speculo conscientiam suam examinet: Sciat strictissimam Deo rationem ab ipsa reddendam esse pro animabus suæ curæ commissis; Reflectat, quòd si negligenter se gesserit in suo Ministerio, suorum Parochianorum sanguis ad cælum clamabit, petendo vindictam contra V. D. Eja ergo ad salutem suarum animarum cum Christo JESU se inflammet: perpendendo quanta pro earum ablutione Redemptor noster perpessus fuerit absque obligatione eas redimendi: Hoc onus V. D. humeris est impositum, si huic solicitè, & graviter vacabit, Deum sibi propitium, & propensum experietur, oviculæ sibi concreditæ bono pabulo nutrientur; anima ejus

in tuto posita, uberes gratiæ fructus acquiret, ac immensa gloriæ præmia consequetur, Amen.

TRACTATUS XIV.

De Statu Religioso.

CAPUT I.

De Ministro cui confiteri debent Religiosi.

IN hoc capite loquar de Sacerdote, cui Religiosi possunt confiteri peccata non reservata suo Prælato, & in sequenti de Ministro habente facultatem eos absolvendi à reservatis. Suppono autem hìc esse sermonem de Religioso confitente alicui Sacerdoti sæculari, vel Religioso alterius Ordinis.

1. P. placétne V. D. meam Confessionem excipere ?

C. Dicat mihi V. P. habétne licentiam à suo Prælato mihi confitendi ?

P. Non Domine Reverende.

C. Estne statutum, aut consuetudo in Religione V.P. dans facultatem Religiosis egredientibus de Monasterio, eligendi sibi Confessarium, qui non sit ejusdem Ordinis ?

P. Domine Reverende si expresse id non concedunt Prælati, non est consuetudo nostra confitendi aliis extra Religionem.

C. Non possunt Religiosi confiteri, nisi Confessariis ejusdem Religionis deputatis, & approbatis ab iisdem eorum Prælatis; & si confitentur Sacerdoti sæculari, aut Religioso alterius Ordinis, quamvis sint approbati ab Episcopo absque licentia proprii Prælati, Confessio erit nulla ex defectu Jurisdictionis. Ratio est, quia Religiosus non est subjectus Episcopo, nec subditus Prælato alterius, sed sui Ordinis : ergo nec Episcopus, nec Prælatus alterius Religionis potest concedere facultatem & jurisdictionem absolvendi Religiosum non suum : Ita Joannes Sancius in select. disp. 49. num. 5. Ochagavia de Sacr. Pœnit. tract. 2. quæst. 37. num. 5. Leander à Murcia in expos. Regul. Seraph. ad cap. 7. quæst. 7. select. num. 1. Nec Religiosi indigent approbatione Episcopi pro excipiendis Confessionibus suorum Confratrum; quia Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 15. de reform. ubi agit de approbatione Episcopi, loquitur de Confessionibus sæcularium; Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire; ita cum Navarro, Henriquez, Suarez, Lezana, & aliis notavit Barbosa super hunc locum Concilii num. 9. Joannes Sancius loco citato num. 1. Coninch disp. 8. dub. 7. num. 48.

2. Possunt pariter Religiosi cum licentia suorum Prælatorum eligere sibi Confessarium Sacerdotem Simplicem non approbatum ab Ordinario: ita Ochagavia supr. num. 4. Trullench

super

super Bullam lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 1. num. 6. & cum Vasquez, Reginaldo, & aliis Bonacina tom. 1. disp. 5. de Sacr. Pœnit. quæst. 7. punct. 4. §. 1. sub num. 10. modò talis Sacerdos simplex non sit vir indoctus, & ignarus, in hoc enim casu nulla esset Confessio, non ex defectu jurisdictionis, sed inhabilitatis, & insufficientiæ Confessarii à Religioso electi: sic Ochagavia loco citato quæst. 8. num. 4. prope medium, Vasquez, Reginaldus, & alii citati à Joanne Sancio ubi supr. num. 8. qui ibi in fine addit, quòd si talis Sacerdos nõ esset vir prorsus rudis, valida esset Confessio, licèt pœnitens teneretur postmodùm iterum confiteri illa peccata, quæ non potuit percipere Sacerdos parùm idoneus & hoc intelligendum est, quando pœnitens eligit hujusmodi Sacerdotem in Confessarium bonâ fide; ut inquit Bonacina ubi suprà §. 2. num. 13. & 14 vel quando ipsemet pœnitens est vir doctus, valens supplere ignorantiam Confessarii, eumque admonere de gravitate, vel levitate peccati, ejúsque circumstantiis speciem mutantibus: ita Lugo de pœnit. disp. 21. sect. 4. num. 70. in fine, & num. 72. aliàs peccaret pœnitens eligendo sibi Confessarium Sacerdotem ignorantem, inquit Lugo eod. num. 72. & consequenter invalida esset ejus Confessio.

3. In aliquibus Religionibus solet esse statutum, aut consuetudo introducta, quòd quando Religiosus itineratur cum obedientia suorum Superiorum habeat facultatem, & licentiam tacitam confitendi suo socio, licèt sit simplex Sacerdos; ita practicatur in nostra Religione Capucinorum teste N. P. Leandro à Murcia super 7. cap. Reg. qu. 2. num. 8. licèt ex oblivione, aut negligentia Religiosi iter facientes non petierint expressam licentiam ab eorum Prælato.

Et si in aliqua Religione esset statutum, aut consuetudo introducta, quòd Religiosi extra Monasterium habeant tacitam licentiam ab eorum Prælatis confitendi Religiosis alterius Ordinis, aut Sacerdoti sæculari, licitum erit ipsis hoc facere.

Portellus in dub. Regul. Verb. Confessor erga Relig. num. 12. (ubi tractat de FF. Minoribus, & fermè de omnibus aliis Ordinibus) censet, quòd si Religiosus iter faciens ex oblivione non petiit licentiam confitendi extraneo Confessario, possit confiteri Religioso alterius Ordinis, vel Sacerdoti sæculari: si verò ante egressum è Monasterio recordetur hujusmodi licentiæ petendæ; teneatur eam à suo Prælato petere.

4. Nunc ergo mihi dicat V. P. si non habet expressam licentiam à suo Prælato, nec est consuetudo, aut statutum suæ Religionis, quòd Religiosi extra Conventum censeantur habere licentiam tacitam confitendi Sacerdoti alterius Ordinis; quomodo

instat, ut ipsius Confessionem excipiam?

P. Hoc dico ei, quia habeo Bullam Cruciatæ.

C. Est opinio Rodriquez, & aliorum DD. Salmaticensium, quos omisso nomine citat P. Leander à Murcia ubi supr. quæst. 2. num. 1. Mendi, Hurtadi, & aliorum apud Leandrum à Sacramento, qui eam probabilem putat part. 1. tract. 5. disp. 12. quæst. 62. affirmantium, Religiosum per privilegium Bullæ posse eligere sibi Confessarium quemlibet approbatum, ut eum absolvat à peccatis mortalibus non reservatis absque ulla licentia sui Prælati, quam opinionem in praxi tutam judicat Diana part. 1. tract. 11. resol. 14. in fine. quare secundùm hanc doctrinam licitè potest V. P. mihi confiteri peccata non reservata.

Contrariam sententiam asserentem, Religiosum vi Bullæ non posse eligere sibi Confessarium extraneum approbatum ab Episcopo, pro absolutione mortalium non reservatorum in sua Religione, sequitur cum Corduba, & Petro Navarro P. Leander à Murcia loco citato num. 3. Bardus, Lugo, & alii apud Dianam part. 11. tract. 6. resol. 38. & hæc sententia est vera, adeóque tenenda; quia Pontifices Clemens VIII. & Urbanus VIII. declararunt, quòd Religiosi in ordine ad Confessionem sint subordinati, & subjecti dispositioni Prælatorum, Bulla Cruciatæ in hoc minimè ipsis suffragante: ergo non poterunt absque licentia suorum Prælatorum eligere sibi Confessarium virtute Bullæ, ut eos absolvat à peccatis mortalibus non reservatis.

5. Attamen dicat mihi V. P. Prælati suæ Religionis consent iúntne, ut Religiosi accipiant Bullam cum notitia, quòd ejus privilegio utantur pro absolutione peccatorum mortalium extra Religionem? quia hac tolerantiâ, & tacitâ licentiâ suppositâ probabile existimo, posse Regulares uti Bullâ ad hunc finem, ut loquendo de peccatis reservatis, tenet cum Henriquez, Lugo, Trullench, & aliis Leander à Sacramento part. 1. tract. 5. disp. 12. qu. 59. in hoc enim casu jam cessat declaratio decreti Urbani VIII. siquidem Religiosi utentes privilegio Bullæ cum tolerantia, & licentia tacita suorum Prælatorum verificatur eos esse subjectos eorumdem dispositioni in ordine ad Confessionem.

P. Domine Reverende in mea Religione hoc non tolerant Prælati, quinimò si scirent, quòd aliquis subditorum utatur Bullâ ad confitendum extra Religionem, eum punirent; sed si V. D. non admittit opinionem, secundùm quam vi Bullæ possim ipsi confiteri; sciat apparuisse modò Jubilæum suæ Sanctitatis, per quod datur facultas cuilibet eligendi sibi Confessarium approbatum ab Ordinario,

&

& in virtute hujus meam Confessionem excipere potest.

C. Et hoc Jubilæum conceditne facultatem generalem eligendi Confessarium, comprehendendo etiam speciatim, & nominatim Regulares.

P. Ita Domine Reverende.

C. Ergo probabile arbitror, quòd in hoc casu possit V. P. confiteri Sacerdoti approbato ab Ordinario, licèt non sit sui Ordinis. Ita Bossius, Leo, & Diana eos citans part. 5. tract. 12. resol. 37. in fine, & Leander à Sacramento ubi supr. disp. 14. quæst. 85. qui dicunt tempore Jubilæi, in quo conceditur facultas generalis eligendi Confessarium comprehendens speciatim Regulares, posse nos confiteri cuilibet Sacerdoti approbato ab Ordinario; & in hoc casu non posse Prælatos esse rationabiliter invitos, quo ad hujus facultatis usum.

6. Hic notandum, licèt Bonacina tom. 1. disp. 5. de Sacram. pœnit. quæst. 7. part. 4. §. 1. num. 25. Sorba, Zanardus, & alii relati à Diana ubi supra, Leander à Sacramento ibid. disp. 11. quæst. 55. dicant, quando in Jubilæo conceditur Regularibus facultas eligendi Confessarium approbatum ab Ordinario, posse confiteri Regulari alterius Ordinis approbato à suo Superiore pro Confessario, licèt non sit ab Episcopo; Sententia tamen contraria est communis, quam cum Suarez, Reginaldo, Vega, & aliis, tenet Joannes de Lugo de Sacram. pœnit. disp. 20. sect. 8. num. 141. quia illa verba eligant Confessarium approbatum ab Ordinario loci, in sensu genuino intelliguntur de Episcopo, nec absque aliqua violentia ad Prælatos Regulares extendi possũt, ergo &c. hæc sententia meo judicio est vera, & rationi magis consẽtanea.

7. Idem dicendum in casu, quo Regulares possent uti Bullâ pro electione Cõfessarii, juxta primam sententiã adductam num. 4. nempe debere intelligi de Confessario approbato ab Episcopo, non de Regulari alterius Ordinis approbato tantum à suo Prælato. Tametsi cum Angelo Valero, & aliis affirmet Joannes Sancius in suis select. disp. 49. num. 6. in hoc casu etiam sufficere, quòd Regularis electus pro Confessario à Regulari alterius Ordinis, virtute Bullæ, sit approbatus tantùm à suo Prælato; primum tamen est verum, & tutum, & semper consulendum.

CAPUT II.

De Ministro habente facultatem absolvendi Regulares à casibus reservatis.

8. Suppono primò, casus reservatos esse triplicis generis; alii reservantur ab Episcopis in Constitutionibus eorum synodalibus: alii sunt reservati Summo Pontifici, & alii Prælatis Religionum. Regulares non incurrunt reservationem casuum, quos Episcopi sibi reservant, cùm non sint eorum Subditi, possunt tamen incurrere reservationem casuum reservatorum Sum-

Summo Pontifici, & Prælatis suæ Religionis.

9. Suppono secundò, per Bullam Sanctæ Cruciatæ concedi facultatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis Summo Pontifici; à reservatis verò in Bulla Cœnæ semel in vita, & semel in periculo mortis (exceptâ Hæresi externâ) & Regulares posse absolvi ab his casibus reservatis Summo Pontifici, vi Bullæ, eorum Prælatis usum non interdicentibus: Verū quidem est, Prælatos communiter non esse invitos, quòd eorum Subditi possint absolvi à Confessariis suæ Religionis à casibus reservatis Papæ, virtute Bullæ, sed solùm, ne utantur ipsa pro eligendo Confessario alterius Ordinis, vel etiam, ne à casibus sibi reservatis absolvantur à Confessario ejusdem Religionis.

10. Suppono tertiò, in nostra Religione Confessarios approbatos, & deputatos pro excipiendis Confessionibus Religiosorum posse absolvere ab omnibus peccatis, & censuris Papæ reservatis (exceptâ hæresi externâ, & casibus reservatis in Religione) in solemnitatibus Christi Domini, & Beatissimæ Virginis Mariæ, in festo Omnium Sanctorum, Apostolorum Petri & Pauli, in festo S. P. N. Francisci, S. Claræ, S. Catharinæ Martyris, in Hebdomada Sancta; & prætereà in quatuor diebus anni eligendis à dictis Religiosis: ex privilegio Leonis Decimi, & per aliud privilegium Sixti Quarti concessum Monialibus Sanctæ Claræ, poterunt absolvi à dictis peccatis, & censuris quotiescumque necessitas aderit: Ita docet N. P. Leander à Murcia in explic. reg. Seraph. ad cap. 7. quæst. 7. num. 19. & 20. quo privilegio potiuntur aliæ Religiones participantes privilegia nostræ Religionis: hoc supposito, dubium tantum est de casibus, quos sibi reservarunt Prælati in Religionibus.

11. P. P. R. accuso me in ludo aliquam pecuniam perdidisse.

C. Lusitne prohibito à legibus, ut sunt aleæ &c. hoc enim esset illicitū, cùm dedeceat Religiosos ludis à legibus prohibitis ludere, nec intentio Prælatorum est, ut ii similibus ludis pecuniam exponant, ita S. Antoninus, Azorius part. 3. lib. 5. cap. 6. quæst. 8. §. 1. pag. (mihi) 357.

P. Non exposui hanc pecuniam ludis prohibitis, sed ludis permissis cartifoliorum.

C. Estne vetitum in Regula, aut statutis Religionis V. P. ne ullus Religiosus tali ludo ludat? hoc enim supposito, non poterat V. P. ludere cartifoliis; licèt esset consuetudo, quòd multi Religiosi sui Ordinis iis luderent; quia hæc consuetudo est corruptela, tanquam contraria legibus Religionis, nec est legitimè introducta: sic Dicastillo apud Dianam part. 7. tract. 9. resol. 14. §. Tertiò dico.

P. Domine Reverende, non est nobis vetitus lusus cartifoliorum.

C. Ex-

C. Exposuitne V. P. ludo quantitatem notabilem? etenim si esset modica quantitas, & honestæ recreationis causa, non esset mortale ludere cartifoliis, seclusa prohibitione, quia rationabiliter præsumitur de consensu Prælatorum, ut subditus moderatè se exhilaret in hoc exercitio, modicam pecuniam exponendo; ita Azorius ubi suprà §. Tertio, insuper dicens, quòd Religiosus aliquid reservans de sibi traditis pro sustentatione, possit ludo licito illud exponere, & posse credi hanc esse tacitam voluntatem sui Prælati.

P. Quod ludo exposui, erit quantitas viginti Regalium.

12. C. Habuitne V. P. à suo Prælato generalem licentiam expendendi ad libitum hanc pecuniam? quia cum hac generali licentia poterat validè eamdem ludo exponere, & etiam residuum, quod cum eadem licentia potuit expendere; Ita cum Salas P. Moya in suis select. tom. 2. ad tract. 6. Apend. disp. 4. quæst. 4. §. 2. num. 21. & Lessius lib. 2. de justit. cap. 26. dub. 5. num. 33. idem tenet. Quamvis cum Navarro affirmet, fore grave peccatum. Diana cum Amico part. 7. tract. 9. resol. 14. in fine putat, Religiosum cum licentia expressa sui Prælati posse ludo exponere quantitatem notabilem, hunc tamen peccaturum eam concedendo. Sententiam Salas, & Moyæ existimat probabilem Diana ibid. resol. 15. cum Medina, Fausto, & Rebello. Et in opinione asserente; quòd Religiosus habens licentiam generalem à suo Prælato expendendi pecuniam, validè eam exponat, quamvis illicitè à consequenter infertur, collusorem eam quantitatem lucrantem posse sibi eam retinere absque onere restitutionis: sic Alcozer, Medina, Angelus, Rebellus, Lopez, & alii apud Moyam ubi supr. num. 22.

Contrariam opinionem amplectitur Villalobos in sum. part. 2. tract. 28. diffic. 5. num. 9. & 10. videlicet, quòd Religiosus habens licentiam à suo Prælato expendendi aliquid pro sua honesta recreatione, si illud ludo exponat, nec validè faciat, & consequenter colludens lucrator obligabitur ad restitutionem: hæc opinio mihi videtur probabilior, quia licentia rationabilis Prælati non est, nec se extendit, nec potest ita se extendere, ut subditus in ludo quantitatem notabilem absumat.

13. P. D. R. Habui licentiam non generalem à meo Superiore expendendi viginti illos Regales, sed specificam in altera re determinata ad meum libitum, nullo verò modo, ut eam ludo exponerem.

C. cùm ergo V. P. non habuerit genericam licentiam expendendi hanc pecuniam, nec specificam pro ea ludo exponenda, nec tacitam, nec expressam, graviter peccavit contra paupertatis votum in Professione Re-

ligiosa editum, & absumendo hanc pecuniam in lusu, incurrit peccatum proprietatis; Quare A. R. P. Lumbier in dub. Reg. addit. ad 2. part. fragm. in fine pag. (mihi) num. 16. ait, quod Religiosus exponens ludo quatuor Regales, aut quantitatem æquivalentem invito suo Prælato, sit proprietarius.

Hinc est, quòd collusor lucrando Religioso quantitatem expositam invito suo Prælato, teneatur ad restitutionem; quam sufficit fieri eidem Religioso, ita Villalobos ubi supr. num. 11. & consequenter, si Religiosus ludens contra voluntatem sui Prælati, lucraretur suo collusori, teneretur eidem restituere totum lucrum, secundùm communem sententiam teste Moya ubi supr. num. 33. & num. 34. qui citat Gabrielem, Armillam, Navarrum, & alios, dicentes Religiosum in hoc casu posse esse exemptum ab onere restitutionis lucri; & hoc probabile censet Diana part. 9. tract. 6. resol. 65.

14. Nunc dicat mihi V. P. peccatum proprietatis éstne reservatum in sua Religione? cùm sit unum ex undecim, propositis à Clemente Papa VIII. Religionibus pro reservatione; ut dicam sequenti capite, in quo patebit hoc Decretum.

P. Ita Domine Reverende, peccatum proprietatis in materia gravi est reservatum in mea Religione.

C. Habétne V. P. facultatem absolutionis passivæ à casibus reservatis suo Prælato? sine qua optimè scit, me non habere jurisdictionem eam absolvendi: attamen si V. P. non potest non celebrare absque gravi nota, aut scandalo, potero eam absolvere à cæteris peccatis non reservatis, ab hoc verò reservato solùm indirectè, cum onere se postmodùm præsentandi suo Prælato, aut ab eodem petendi facultatem, quatenus directè à peccato reservato absolvi possit.

P. Habeo Bullam Sanctæ Cruciatæ, vi cujus rogatam volò V. D. quatenus dignetur me absolvere à peccato reservato.

C. conceditúrne à Prælatis sui Ordinis usus Bullæ, ad hoc, ut subditi à reservatis possint absolvi? hac enim permissione, & licentiâ tacita Prælatorum suppositâ possem quidem in virtute Bullæ eam absolvere juxta dicta supr. cap. 1. num. 5.

P. Domine Reverende, hoc in mea Religione non permittitur, nec toleratur.

15. C. Quæstio celeberrima his temporibus fuit illa, utrùm suffragetur Religiosis Bulla, pro recipienda absolutione à peccatis reservatis in Religione, absque ulla licentia Prælatorum: sententiam affirmativam amplexati sunt multi Doctores, teste P. F. Martino de Torrecilla, qui pro hac opinione ultra sexaginta Authores citat in suis consult. 6. num. 7. ubi hic eruditissimus Theologiæ Moralis Heros

ros fusè tractat quæstionem; affirmativam partem probat, argumenta contraria diluit, & eorum fundamenta convellit, ac demùm n. 137. concl. 1 concludit hanc opinionem se evidenter probabilem, speculativam, & practicam: eamque moderatè censet probabilem R. P. Fr. Emanuel à Conceptione in suo tract. de pœnit. disp. 6. qu. 7. num. 817.

Opposita sententia asserens, Regulares non posse uti Bulla, pro absolutione à casibus reservatis in Religione absque licentia suorum Superiorum est communissima, eamque amplectuntur innumerabiles Doctores, & verissima est, adeóque tenenda, sequenda, & consulenda: contraria verò à multis Doctoribus censuratur: nam à R. P. F. Aloysio Caspensi tom. 2. tract. 24. de Sacram. pœnit. disp. 6. sect. 6. num. 32. vocatur improbabilis: à F. Joanne à S. Thoma non tuta: à Mendoza Fragoso, & aliis parùm probabilis: à Mendo nec extrinsecè probabilis; à Lugo digna majori censura: quæ omnia possunt videri in P. Moya tom. 1. select. tract. 3. disp. 8. quæst. 8. §. 3. num. 28. prope finem. Et ultimatim P. M. Lumbier tom. 3. num. 1696. dicit, non tantùm esse practicè improbabilem, verùm etiam timendum valdè perniciosam fore. Præcipua inter cæteras horum Authorum ratio sita est in Constitutione Clementis VIII. quæ incipit: Romani Pontificis emanata, 23. Novembris anni 1599. & videri potest in Bullario Cherubini inter Constitutiones Clementis Octavi num. 64. & in Constitutione Urbani VIII. quæ incipit: In specula militantis Ecclesiæ edita 19. Julii anni 1630. quam refert idem Bullarium tom. 4. inter Constitutiones hujus Pontificis num. 106. qui declararunt Bullam Cruciatæ non suffragari Religiosis pro absolutione casuum reservatorum, sed in ordine ad Confessionem esse subjectos dispositioni suorum Prælatorum.

16. Quotiescunque hanc Urbani VIII. Constitutionem lego, tale robur, & tantam auctoritatem experior, ut opinionem contrariam nec ingredi, nec eam sequi, aut consulere audeam; quandoquidem in ea Sua Sanctitas respectu Regularium, dicit Privilegium Bullæ: locum minimè habuisse, nec habere, neque illis ullo modo suffragari potuisse, nec posse &c. in quo videtur declarasse mentem, cum qua Clemens Octavus ejus prædecessor, cæterique Pontifices concesserunt Bullam, quæ semper fuit cum restrictione, ut non prodesset Regularibus ad hunc effectum; aliàs non diceret Urbanus VIII. locum non habuisse, non profuisse, aut suffragari potuisse, sed tantùm, nolo, non est mea voluntas, ut meæ Bullæ iis suffragentur pro absolutione peccatorum reservatorum; & quamvis aliqui dicant, pro usu hujus Bullæ supplicatam fuisse suam Sanctitatem; hoc

hoc tamen non est evidens, sed dubium; in dubio autem melioris conditionis debet esse possessio Constitutionis, usum Bullæ interdicentis.

17. Præterea, non licet sequi opinionem tenuis probabilitatis; opinio autem tenuis probabilitatis est illa, quæ non est certè probabilis, sed solùm probabiliter est probabilis; ut asserunt Filgueira, & Lumbier super tertiam propositionem damnatam ab Innocentio XI. Et ego ipsemet dixi super hanc propositionem 1. part. prax. tract. 10. n. 27. illa verò opinio dicitur probabiliter probabilis, cui intellectus aliqua ratione fultus assentitur cum formidine de ejus probabilitate; ita Lumbier tom. 3. sum. num. 1737. & sequenti: sed sic est, quòd dato, quòd intellectus aliqua ratione fultus assentiatur opinioni, juxta quam Bulla suffragatur Regularibus pro absolutione reservatorum, talis assensus sit cum formidine de probabilitate hujus opinionis: ergo erit tantùm probabiliter probabilis: Insuper opinio probabiliter probabilis est illa, quam licèt aliqui Doctores sequantur; alii tamen communiter de ejus probabilitate dubitant, aut eam negant, ut dicit Filgueira ubi supr. & ego dixi loc. citat. prax. num. 17. sed sic est, quòd plures Doctores dubitent de probabilitate opinionis, quæ favorabilem facit Bullam Regularibus pro reservatis, & alii eam negant, ut constat ex dictis suprà sub num. 15. ergo opinio, quæ favet Regularibus virtute Bullæ pro ejusmodi absolutione est tantùm probabiliter probabilis: ergo est tenuis probabilitatis: subsumo: atqui est damnatum ab Innocentio XI. in propositione tertia sequi opinionem modicæ probabilitatis: ergo non possumus sequi opinionem asserentem, Regulares vi Bullæ posse eligere Confessarium, qui eos absolvat à peccatis reservatis.

Dices contra primam rationem: de intrinseca ratione probabilitatis est formido de opposito: ergo non ex eo, quòd intellectus assentiatur cum formidine opinioni, propterea tenuis erit ejus probabilitas: Respondeo duas formidines esse considerandas in opinionibus; una est de veritate objecti, seu materiæ opinionis, altera est de probabilitate ejusdem opinionis: formido de veritate objectiva est de intrinseca ratione opinionis; quia eo ipso, quòd veritas sistat in terminis probabilitatis, & opinabilitatis, necessariò non relinquit certitudinem in intellectu, & consequenter remanet aliqua formido de eadem veritate: At formido de probabilitate propriè & peculiariter convenit opinioni, quæ est modicùm probabilis; ea enim, quæ est certè probabilis non relinquit hujusmodi formidinem; hinc cùm opinio secundùm quam Bulla suffragatur Regularibus pro casibus reservatis, secùm ferat formidinem de suamet probabilitate, propterea

reà dixi esse tenuem ejus probabilitatem.

18. Verùm cùm intellectus humani adeò discrepent in suis judiciis, nec sit facile eos in unam opinionem trahere, non est operæ pretium, ut fusiùs hanc quæstionem discutiam; solùm caveant illi, qui ferent judicium practicum de probabilitate opinionis, quòd Bulla suffragetur Regularibus pro absolutione reservatorum, ut cum moderatione, & parcitate hac opinione utantur, nempe tantùm in aliquo casu quo Religiosus aliquis timoratus, exemplaris, & bonæ famæ ex humana fragilitate in aliquem casum reservatum incideret, (nemo enim in hac misera vita, & doloroso exilio certus est, ne cadat attenta summa fragilitate humanæ naturæ) & propter onus præsentationis comperietur afflictus, & angustiis circumdatus, in hoc inquam casu poterit juvari per usum opinionis Bullæ, si practicum judicium feretur de ejus valore; sed uti ea opinione (etiam admissa ejus probabilitate) indifferenter pro omnibus; quis non videt, per hoc dari libertatem subdito relaxato, ut perspectâ facilitate absolutionis vi Bullæ, absque ullo timore habenas vitio laxet? quis non penetrat, quòd timor adeundi Superiorem pro absolutione sit frænum, continens appetitum intra terminos legis Divinæ? Quis non perpendit per hujus Bullæ abusum reddi irritum, & inanem reservationem casuum, & finem intentum à Religione, & à Summo Pontifice Clemente Octavo, in assignando pro bono Religionis gubernio peccata, quæ reservari in Religione expediebat? Quis non percipit præjudicium, damnum, & detrimentum exinde Religioni secuturum? Absque dubio hoc prævidit Urbanus VIII. quando in Constitutione suprà adducta, ostendit amaritudinem cordis expertam ex notitia, quòd regulares post Decretum Clementis Octavi sui Prædecessoris usi fuerint pro casibus reservatis privilegio Bullæ. *Nihilominus* (ait Urbanus VIII.) *sicut nobis non sine animi nostri molestia innotuit; nonnulli prætextu Bullæ ejusdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum Confessarium hujusmodi, qui eos, ut præfertur, absolvat, eligere posse prætendant &c. Nos præmissis, quantùm nobis ex alto conceditur, obviare &c.*

19. P. Sic ergo V. D. non assentitur opinioni, quòd suffragetur mihi Bulla pro absolutione hujus casus reservati; & si scit, dari Authores Classicos, qui hujusmodi opinionem probabilem existimant, & esse communem sententiam quòd Confessarius debeat se conformare opinioni pœnitentis, cur ergo V. D. meæ non se conformat, nec me absolvit cum hac opinione, quam multi censent probabilem?

C. Non ignoro dari graves Authores, putantes esse probabilem opinio-

nem, asserentem Bullam suffragari Regularibus pro absolutione reservatorum; & esse communem sententiam, quòd Confessarius debeat se conformare opinioni pœnitentis; sed hoc intelligitur in materia Jurisdictionis; quia in hac non tenetur Confessarius se conformare opinioni probabili pœnitentis, sed suam certiorem potest sequi, ita Marchantius, Oviedus, & Espindo apud Dianam part. 9. tract. 7. resol. 59. Lugo, Valentia, & alii, quos recenset Moya in select. tom. 1. tract. 3. disp. 8. quæst. 8. num. 4. & ego ipsemet cum Ponte, & Joanne Sanchez dixi in meis Confer. Moral. part. 1. tract. 1. de conscientia probabili num. 42. pag. 60. idcircò cùm opinio asserens, Regulares posse in virtute Bullæ absolvi à reservatis, concernat punctum Jurisdictionis; hinc est, quòd Confessarius non teneatur in eo se conformare opinioni pœnitentis, sed suam certiorem, & tutiorem sequi.

20. Quod dictum est in hoc, & præcedenti capite, de Confessario Religiosorum pro absolutione peccatorum mortalium reservatorum, & non reservatorum, intelligendum est pariter de Monialibus, videlicet, quòd nequeant confiteri, nisi deputatis, & nominatis à legitimo eorum Superiore (modò tamen sint examinati, & approbati ad hoc ab Episcopo, ut sancit Constitutio Gregorii XV. quæ incipit, Inscrutabilis &c. emanata 1622. ab Antonino Diana allegata in coordinat. tom. 7. de dub. regul. tract. 1. resol. 346.) nec possunt ad hunc effectum uti privilegio Bullæ, nisi cum limitationibus & in casibus supradictis: Hoc tamen non intelligitur de Novitiis sive masculis, sive fœminis, etenim licèt hi fruantur privilegiis favorabilibus religioni, possunt tamē uti privilegio Bullæ, sicut sæculares pro absolutione omnium peccatorum, & censurarum reservatarum; ut videri potest in P. Leandro à Murcia super cap. 2. reg. Seraph. cap. 8. num. 7. 8. 9. & 10. & in Portello in dubiis regul. verb. Novitius num. 36. & addit hic Author ibid. num. 34. cum Rodriquez Novitium non incurrere reservationem casuum reservatorum à Prælatis religionis, idem tenet cum Villalobos, & communi Diana part. 2. tract. 2. resol. 110.

CAPUT III.

Notitia, & Explicatio Casuum qui communiter reservantur in Religionibus.

21. Suppono primò omnibus regularibus innotescere casus reservatos in suo Ordine, sed cùm hic liber imprimatur indifferenter pro omnibus Confessariis regularibus, & sæcularibus, ad hoc, ut hi habeant notitiam reservatorum in religionibus, quandocumque alicujus regularis confessionem excipient, operæ pretium duxi breve hic ponere compendium explicationis casuum, qui frequen-

quentiùs in religionibus reservari solent.

22. Suppono secundò, ad tollendam occasionem Prælatis nimiùm multiplicandi numerum casuum reservatorum cum gravamine conscientiæ subditorum, Sanctitatem Clementis Octavi edidisse constitutionem, quæ incipit: Sanctissimus Dominus noster, quæ in lucem prodiit Romæ 26. Maji 1693. & videri potest in Bullario Magno Cherubini inter Bullas Papæ Urbani Octavi tom. 4. post num. 28. pag. (mihi) 67. In hac Constitutione Clemens Papa Octavus undecim casus assignat, quos Prælati sibi reservare possunt, vel omnes undecim, vel eos tantùm, quorum reservationem expedire judicabunt, absque facultate sibi reservandi alios, præter undecim à sua Sanctitate assignatos; quòd si expediens esset adhuc alios reservare, hoc solùm posse fieri in Capitulo Generali à toto Ordine, aut in Capitulo Provinciali à tota provincia: casus, quos Clemens Octavus assignavit reservabiles in religionibus, sunt sequentes.

"1. Veneficia, Incantationes, Sor-"tilegia."

"2. Apostasia à religione, sive ha-"bitu dimisso, sive retento, & quan-"do eò pervenerit, ut extra septa "Monasterii sui, seu Conventus fiat "egressio."

"3. Nocturna, & furtiva è Mona-"sterio, seu Conventu egressio, etiam "non animo apostatandi facta."

"4. Proprietas contra votum pau-"pertatis, quæ sit peccatum morta-"tale."

"5. Juramentum falsum in Judicio "regulati, seu legitimo."

"6. Procuratio, auxilium, seu con-"silium ad abortum faciendum post "animatum fœtum, etiam effectu non "secuto."

"7. Falsificatio manus, seu sigilli "Officialium Monasterii, aut Con-"ventus."

"8. Furtum de rebus Monasterii, "seu Conventus in ea quantitate, quæ "sit peccatum mortale."

"9. Lapsus carnis voluntarius ope-"re consummatus."

"10. Occisio, aut vulneratio, seu "gravis percussio cujuscunque per-"sonæ."

"11. Malitiosum impedimentum, "aut retardatio, aut apertio litterarum "à Superioribus ad inferiores, & ab "inferioribus ad Superiores."

23. Primus Casus reservatus, Veneficia &c. Omnis actus maleficii, aut cujusque superstitionis per quævis signa, sive sacra, sive naturalia fiat, si ex advertentia, & deliberatione sufficiente procedat, & in materia, quæ sit peccatum mortale, reservatur in hoc primo casu; ita N. R. P. Leander à Murcia super 7. regul. cap. 8. num. 5.

24. Secundus Casus, Apostasia &c. ad incurrendam hujus reservationem requiritur, ut religiosus animo dese-

rendi religionem septa Monasterii egrediatur: quapropter hunc casum non incurrit ille, qui animo apostatandi usque ad portam pergeret, & illicò reverteretur, quamvis ad hunc finem dimisisset habitum, ut videri potest in Bassæo verb. casus reservatus post num. 4. §. 2. Neque incurrit delictum Apostasiæ, secundùm Jus commune, ille, qui transgreditur clausuram non animo deserendi religionem, sed aliquo tempore vagandi, & postmodùm redeundi; neque ille, qui exit è Monasterio ad sublevandos Genitores in extrema necessitate constitutos, vel ad ingrediendam cum debita licentia aliam religionem.

25. Tertius Casus, Nocturna, & furtiva &c. Tria requiruntur ad incurrendam hanc reservationem. Primum est, ut egressio sit nocturna; unde egrediens de die, vel in crepusculo diei, vel noctis non animo apostatandi, non incideret in hunc casum: Secundum, ut egressio sit furtiva, & occulta; ideóque, si aliqui religiosi non complices talis egressionis sint conscii, non erit casus reservatus: Tertium requisitum in Decreto est, ut egressio sit extra Monasterium, seu Conventum, idest septa Monasterii, sive illa sint muri, domus, sive sepes hortorum, prout in unaquaque religione clausura imposita, & recepta est: his tribus simul sumptis conditionibus concurrentibus casus erit reservatus, unica deficiente, non erit.

26. Quartus Casus, Proprietas, &c. potest benè verificari, quòd Religiosus graviter peccet contra votū paupertatis, & tamen non sit proprietarius: v. g. Si ad suum usum haberet res superfluas in quantitate notabili cum licentia sui Prælati, peccaret graviter contra paupertatem; Sed non esset proprietarius, nec hunc casum reservatum incurreret: Hunc tamen incurrit ille, qui acquirit, retinet, alienat, aut absumit aliquam rem in materia gravi, absque licentia expressa, aut rationabiliter præsumpta sui Prælati, siquidem talis verè, & realiter est proprietarius: porrò ad contrahendam lethalem culpam contra votum paupertatis, & hunc casum incurrendum secundùm communem Doctorum opinionem ea quantitas requiritur, quæ ex se præcisis aliis circumstantiis sufficiat ad peccatum mortale furti, sic Bassæus ubi supr. §. 4. Quantitatem quatuor regalium censet esse gravem, Thomas Sanchez in sum. lib. 7. cap. 2. num. 5. sed in poculentis, & esculentis non sumitur cum tanto rigore, quando religiosus ad ea absumenda accipit, & Prælati quo ad substantiam inviti esse non solent, sed tantùm quo ad modum, ut dictum est de famulis, & filiisfamilias prim. part. prax. tract. 7. num. 176. pag. 275. & pag. 283. n. 195.

27. Quintus Casus, Juramentum falsum &c. Incidit in hunc casum religiosus, quando juridicè, & legitimè in-

interrogatur à Superiore, cui secundùm jus ad interrogata tenetur respondere, sive interrogetur ut reus, sive ut testis, si in responsione ad similia interrogata pejeret; Si verò Prælatus legitimè non interrogaret ex eo, quòd nulla, vel nec semiplena esset probatio infamiæ, vel ob aliam causam, non incurreret hunc casum religiosus jurans falsum, & si occultaret veritatem cum externa amphibologia, quando eam manifestare non tenetur, nec peccaret non respondendo juxta mentem Prælati: videantur dicta 1. part. prax. tract. 2. cap. 1. num. 20. pag. 40. & dicenda tract. 15. cap. 1. §. 1. per totum.

28. Sextus Casus, Procuratio, auxilium abortûs &c. quamvis non sequatur effectus abortûs, incurrit in hunc casum religiosus eum procurans, consulens, dans auxilium, ordinando potiones, medicinas, aut onera mulieri prægnanti imponenda, aut quid aliud ad hunc finem, dummodò fœtus sit animatus, sed, si non est animatus, non incurritur reservatio: neque si fœmina non intrò accipiat medicinam, potionem, aut rem ordinatam ad abortum: aut si cum ignorantia prægnationis fœminæ prædicta ordinentur ad reddendam eam sterilem, aut propter alium distinctum finem; præterea procurans, aut consulens abortum, incurrit excommunicationem: ut patet ex 1. part. Dialog. aut prax. tract. 5. cap. 5. num. 34. pag. 98.

29. Septimus Casus, Falsificatio manus aut sigilli &c. Per manum intelligitur ipsa alicujus scriptura, vel signũ scriptum, seu Chirographum; Falsificatio autem scripturæ ejusmodi fit non solùm imitatione, dum scilicet signaturam quis imitatur malo fine, vel aliquid litteris additur, sed etiam cùm aliquid, quo sensus intentus mutatur, detrahitur, vel eraditur ex eis, imò etiam applicatione veri sigilli Superioris ad falsas litteras: falsificatio autem sigilli est, quando aliquis ad imitationem sigilli Religionis, vel Officialium ejus aliud effingit, ut eo utatur, vel illud appendit, vel affigit litteris, sive verè, sive falsò sint Superioris, vel Officialium Monasterii: Nomine autem Officialium comprehenduntur Generales, Provinciales, Commissarii, Priores, Guardiani, Ministri, Vicarii, Præsides, Secretarii &c. Falsificatio scripturæ, vel sigilli cujuscunque ex his Officialibus est casus reservatus: videantur alia ad hoc spectantia 1. part. prax. in Append. casuum reservatorum num. 17. Nota 17. pag. 426.

30. Octavus Casus, Furtum de rebus Monasterii &c. ut hoc peccatum furti sit casus reservatus, debet esse materia gravis, & talis erit quantitas dicta num. 26. qui autem accipit dictam quantitatem de bonis Monasterii; v. g. ex Bibliotheca, Cellario, Sacri-

cristia &c. committit peccatum reservatum; & licèt sit quæstio, utrùm furtum de rebus non spectantibus ad usum communem Monasterii, sed ad usum particularem alicujus religiosi sit in rigore casus reservatus, attento Decreto Clementis Octavi, ut videre est in P. Murcia super 7. regul. cap. 15. num. 13. attamen si in opinione aliquorum non incurrit casum reservatum, qui furatur rem ad usum particularem alicujus religiosi cõcessam, indubium tamen est eum incurrere reservationem quarti casus nempe Proprietatis; quandoquidem erit proprietarius Religiosus, qui furatur alteri id quod ad usum ejus particularem determinatum est, supposito, quòd hoc faciat contra voluntatem Prælati. Hinc sequitur, grave fore peccatum furti, & casum reservatum furari alicui Religioso scripta, vel etiam si solummodò pro iis describendis ea quis accipiat; ita Murcia ibid. num. 4. videatur etiam A. R. P. Lumbier tom. 3. sum. 2066. qui rationabiliter ponderat gravitatem hujus peccati, & notabile præjudicium, quod inde sequitur.

31. Nonus Casus, Lapsus carnis &c. hic casus si reservatur, ut jacet, comprehendit, & se extendit ad omne peccatum opere consummatum in quacunque ex septem speciebus luxuriæ, sive sit naturale, sive contra naturam; si verò non sit opere consummatum, non erit reservatum, v. g. tactus, oscula, amplexus libidinosi, pollutione non secuta; neque erit casus reservatus pollutio voluntaria procedens ex sola interna delectatione morosa, consensu, & desiderio, modò opere externo non sit procurata; ut dixi in Append. casuum reserv. 1. part. prax. num. 25. Nota 25. hunc casum incurrit ille, qui exercet res quæ per se influunt in pollutionem, secuto effectu: licèt eam non intendat, nec velit, v. g. ille, quia habet pollutionem tactibus impuris in se ipso, aut in tertia persona, aut aspectibus libidinosis, aut turpibus, aut obscœnis; ille verò qui procurat pollutionem tactibus aut alio modo, si ea non sequatur, non erit peccatum reservatum, quia non est opere consummatum; & licèt in somnis sequatur pollutio, quæ procurata fuit in vigilia, effectu tamen non secuto, non erit reservatum, ita Murcia supr. num. 2. cap. 16. qui num. 5. addit, nec esse reservatam pollutionem voluntariam, quæ sequitur ex tactu libidinoso, qui sit tantùm peccatum veniale, neque eam, quæ sequitur ex aspectu faciei, aut pectoris fœminæ. Murcia ibid. num. 8. vide etiam Bassæum ubi supr. §. 9.

In aliquibus Religionibus solet hic casus reservari eodem modo, quo eum posuit Clemens VIII. in aliis solet reservari, quando committitur in tertia persona: quilibet sciet, & se accu-

cusabit eo modo, & forma, quo reservatur in suo Ordine.

32. Decimus Casus, Occisio, aut Vulneratio &c. Religiosus occidens, aus vulnerans quamcunque personam Ecclesiasticam, aut sæcularem, Christianam, aut Gentilem incidit in hunc casum, si percusio sit peccatum mortale, & quæ cùm in clericum cadit, habet annexam excommunicationem Canonis. Si quis suadente diabolo. incurrit pariter hunc casum inquit Murcia ubi supr. cap. 17. num. 4. non solùm qui per se, sed etiam qui per alium vulnerat, percutit, adjuvat, ministrat fustem, vel etiam is, qui graviter vulnerat, aut mutilat se ipsum, si verò mors inferretur, aut percussio fieret in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec esset peccatum, nec casus reservatus.

33. Undecimus Casus, Malitiosum impedimentum &c. ille, qui malitiosè impedit, detinet, aut aperit litteras, quas Superior scribit suo subdito, vel subditus Superiori incurrit hunc casum reservatum, & ille dicitur malitiosè hoc facere, qui mala intentione operatur; id est animo inferendi aliquod damnum sive positivum, sive privativum Superiori, aut inferiori: itaque huic peccato reservato non est obnoxiùs is, qui ex curiositate aperit, aut legit supradictas litteras; nec ille, qui jam apertas, aut eas non aperiendo perlegit, nec qui inadvertenter aperit, existimans illas ad se missas, & directas.

Qui ampliorem horum casuum reservatotum explicationem desiderat, consulat Bassæum Verb. casus reservatus num. 40. & in nostro P. Leandro à Murcia in explicat. 7. cap. Regul. Seraph. cap. 8. & seq. hic scripta videntur mihi sat esse pro nostro instituto.

34. In aliquibus Religionibus hi undecim casus sunt reservati ad literam prout sunt in nostra; in aliis non omnes erunt reservati; in aliis erunt plures, aut pauciores; sciant tamen Confessarii hos esse communiores, ut quando exaudient aliquem regularem indoctum, de aliquo ex dictis casibus se accusantem possint eum interrogare, si ipsemet de peccato tanquam reservato non se accusaret; & hoc comperto gerant se in ordine ad absolutionem modo supradicto cap. 2. præcedenti.

CAPUT IV.

De Voto Obedientiæ Religiosæ.

35. P. P. R. dico meam culpam me non adimplevisse rem à mea Regula præceptam.

C. Regula obligátne ad gravem culpam in hoc casu, in quo V. P. deliquit? quia si ejus regula non est ex illis, quæ sub culpa obligant, nec erit peccatum veniale eam non observare, sed subditus erit tantùm subjectus pœnæ à Prælato infligendæ: ita Do-

ctor

ctor Angelicus 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1. in fine, his verbis: "In aliqua tamen religione scilicet Ordinis Prædicatorum, transgressio talis, vel omissio ex suo genere non obligat ad culpam; neque mortalem, neque venialem, sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam: „ nisi quando ex contemptu non observaretur, tunc enim esset mortale juxta dicta in Conf. Mor. tract. 2. sect. 4. Confer. 2. §. 2. num. 40.

P. P. R. Mea transgressio fuit jejunii, ad quod sub gravi culpa nos Regula obligat.

C. Hoc jejunium incidítne in diem, in qua pariter erat jejunium ex præcepto Ecclesiastico?

P. Ita P. R.

C. Suppono quòd Religiosi sui Ordinis emittentes professionem promittant cum tribus votis etiam observantiam regulæ.

P. Ita est P. R.

C. Sanchez in sum. lib. 4. cap. 11. num. 25. in fine cum Vasquez docet, quòd Religiosus transgrediens regulam obligantem sub mortali duo peccata lethalia committat, nempe contra obedientiam, vi cujus promittit observare regulam, & contra virtutem, cui culpa commissa opponitur: Contraria tamen sententia est verior, quam asserit cum Rodriquez, & Miranda P. Murcia in explic. cap. 1. reg. Serap. quæst. 1. select. num. 4. quia quando Religiosus in sua Professione promittit observare regulam, & vota, intelligitur, quòd se obliget ad vota regulæ, tanquam vota; & ad præcepta ipsius, tanquam præcepta: ergo ille, qui transgreditur aliquod grave præceptum suæ regulæ, non committit sacrilegium contra votum Obedientiæ, sed unicum tantùm peccatum contra virtutem, quam per culpam commissam offendit. Hinc est, quòd licèt jejunium, ad quod ipsius regula obligat, inciderit in diem, in qua etiam Ecclesia præcipiebat jejunium, non propterea commisit duo numero peccata, sed unicum tantùm; quia sola multiplicatio præceptorum violatorum non multiplicat numerum peccatorum; ut dixi in Confer. tract. 2. sect. 6. Conf. 2. §. 1. num. 32. pag. 121.

36. P. P. R. dico meam culpam, quòd non obediverim meo Prælato in re, quam mihi præcepit.

C. Quod præcepit ipsi Prælatus, erátne contra regulam, aut contra aliquid in ea contentum? etenim si fuisset contra regulam, aut aliquid in ea contentum, non tenebatur obedire, ut colligitur ex S. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5. ad 3. nisi in casu, quo Prælatus posset dispensare in ea parte regulæ, contra quam est ipsius mandatum, habeátque justam causam dispensandi; tunc enim subditus teneretur obedire, ita Cajetanus super hunc locum S. Thomæ.

P. P. R. id quod meus Prælatus mihi

mihi præcepit, non erat contra Regulam.

C. Erátne supra regulam? nam si hoc esset, si eum mitteret ad prædicandum Mauris, Turcis, vel ad suscipiendum Episcopatum, aut ministrandum sæcularibus tempore pestis, non teneretur obedire. Thom. Sanchez in sum. lib. 6. cap. 2. n. 47. 49. & 58.

P. Nec erat supra regulam præceptum mei Prælati.

C. Quidnam ergo ei præcepit?

P. præcepit mihi Jejunium.

C. præcipiebátne regula illa die jejunium? hoc enim supposito V. P. tenebatur obedire: quia subditus tenetur parere suo Prælato in omnibus, quæ non sunt contra, vel supra regulam, sed secundùm regulam, aut directè, velut in ea contenta, aut indirectè, tanquam media necessaria proxima ad ejusdem observantiam: Sic N. P. Leander à Murcia ad 10. cap. Reg. S. P. N. Francisci cap. 5. num. 7. & 8.

P. P. R. regula non obligabat ad jejunium illâ die, in qua Prælatus mihi idem præcepit.

C. præcepitne ipsi Prælatus hoc jejunium ob aliquam transgressionem Regulæ, vel aliam culpam Regularem?

P. Ita P. R.

C. Quamvis Prælatus non possit præcipere rem, quæ non sit secundùm regulam; potest tamen benè præcipere rem, quæ non sit ex regula, per modum pœnæ ob aliquam transgressionem. Ita Lessius lib. 2. de justit. cap. 41. dub. 9. num. 75. & in hoc casu subditus tenetur obedire, prout etiam V. P. tenebatur, cùm Prælatus hoc jejunium ei præceperit in pœnam suæ culpæ.

37. Dicat mihi V. P. Prælatus imposuítne ipsi hoc jejunium per modum imperii, aut præcepti?

P. Ita P. R. expressè mihi præcepit, ut jejunarem.

C. Fuítne hoc verè factum verbis sonantibus præceptum, v. g. dicendo: In virtute Sanctæ Obedientiæ, In Nomine Jesu Christi Domini nostri; aut similibus quibus juxta sui Ordinis consuetudinem utuntur Prælati, quando ad gravem culpam obligare intendunt?

P. P. R. Meus Prælatus non fuit usus in suo præcepto hujusmodi verbis.

C. Quando Prælatus præcipiendo aliquid utitur verbis, ex quibus vel ex Ordinis constitutionibus, aut consuetudinibus colligi debet, quòd conscientiam ex obedientiæ voto ad parendum obstringere velit, tunc ad culpam gravem obligat: v. g. si dicat: Præcipio in virtute Sanctæ Obedientiæ, vel in Nomine Domini nostri Jesu Christi, aut alia hujusmodi verba; sed quando non adhibet hæc verba, sed tantùm suaviter dicit, præcipio, ut hoc vel illud faciat, nunquam censendum est præceptum Superioris ad gravem culpam obligare. Sic Layman

man tom. 2. lib. 4. tract. 5. cap. 8. num. 3.

38. P. P. R. dico meam culpam, quòd quadam die meus Prælatus verbis præceptivis expresse mihi præceperit, ut celebrarem Sanctum Sacrificium secundùm ejus intentionem, quod tamen non adimplevi.

C. Estne obligatio legendi aliquam Missam secundùm intentionem Prælati in Religione V. P.

P. Ita P. R.

C. Cur ergò V. P. non celebravit illa die secundùm intentionem sui Prælati?

P. Quia cùm applicatio Missæ sit actus internus, videtur mihi Prælatum non habere potestatem eum mihi præcipiendi.

C. Verum est, quòd Superiores non possint præcipere actus internos ita D. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5. in corp. prope medium; sed hoc intelligitur de actibus merè internis; si tamen hi sint annexi externis, benè potest eos Prælatus præcipere; prout dixi in Confer. p. 1. tract. 3. Confer. 1. §. 2. num. 11. cùm ergo actus internus celebrandi Missam sit annexus externo celebrationis, hinc est quòd Prælatus possit præcipere subdito, ut applicet Missam secundùm suam intentionem, & subditus parere tenetur: Et licèt Gavantus & alii relati à Diana part. 2. tract. 14. de celeb. Miss. resol. 72. sentiant, quòd si subditus applicet Missam contra mentem sui Prælati applicatio subditi non sit valida; ego tamen contrarium verius puto: Idemque cum Filiucio, Fagundez, & aliis tenet Diana ibidem; peccabit tamẽ subditus non obediendo suo Prælato justè præcipienti, ut secundùm suam intentionem sacrificium offerat: sed re ipsâ sacrificium juxta intentionem celebrantis validum erit.

Hinc sequitur, quòd si Prælatus præciperet subdito, ut orationi mentali hora, & tempore, à sua Regula statuto operam daret, teneretur subditus obedire; quia, licèt Oratio mentalis sit actus merè internus, subditus tamen voluntariè se ad eum obligavit, quando in professione promisit observare Regulam, in qua dicta Oratio præcipitur. Murcia supr. cap. 3. num. 12.

39. P. P. R. dico meam culpam, quòd cùm Prælatus meus sub præcepto formali obedientiæ inhibuerit, ne ullus subditus cellam alterius ingrederetur post Ave Maria; hoc præceptum transgressus fuerim.

C. Vetátne Regula tali tempore ingressum ad cellas?

P. Non P. R.

C. Estne hoc medium proximè conducens ad observantiam alicujus rei, ad quam Regula obligat.

P. Ita P. R. quia Regula nos obligat ad observantiam silentii post pulsum Ave Mariæ: & ut hoc meliùs, & exactiùs observetur, prohibuit Prælatus eo tempore ingressum ad cellas.

C.

C. His ita ſtantibus, præceptum Prælati obligat juxta dicta num. 36. obligante autem præcepto, cur V. P. id non adimplevit?

P. P. ℟. Dubitatio me invaſit, utrùm hoc obligaret, vel non, ad culpam gravem; quia mihi videbatur materia levis.

C. Liquidò conſtat in re levi non poſſe adeſſe mandatum obligans ad culpam gravem, attamen ſi res in ſe levis ex aliquo fine, aut circumſtantia fiat gravis, ſub culpa gravi præcipi poteſt: quapropter licèt obſervare ſilentium, aut non ingredi cellas videatur res in ſe levis; ex aliquo tamen fine, & circumſtantia gravi, poteſt ſub culpa gravi à Prælato præcipi, ut dixi in Confer. 1. part. Antiloq. quæſt. 2. num. 15. pag. 5.

Dicat mihi, non depoſuit V. P. ſuum dubium ferendo aliquod judicium probabile, quòd Prælatus in hoc ad culpam gravem eam obligare non poſſet? nam ſi probabiliter judicaſſet ſe non peccaturam, hoc ſui Prælati mandatum non adimplendo, neque peccaſſet in ſententia Sanchez in ſuis ſelect. diſp. 33. num. 32. & ſeq. & aliorum.

P. P. ℟. non cum aſſenſu probabili, ſed cum meo dubio fui operatus.

C. peccavit ergò graviter ex duplici ratione; primò, operando cum conſcientia practicè dubia; ſecundò, quia quando ſubditus eſt in dubio, an juſtum vel injuſtum, obligatorium vel non ſit mandatum Prælati, tenetur obedire, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis: Sed Prælatus eſt in poſſeſſione ſuæ poteſtatis imperativæ: ergo in dubio ſubditus tenetur imperata facere; Hæc materia poteſt fuſiùs videri in Thom. Sanchez tom. 2. ſum. lib. 6. cap. 3. per totum; Verùm licèt V. P. graviter peccaverit non obediendo ſuo Prælato, eſt tamen probabile, eam non commiſiſſe duo peccata ſpecie diſtincta contra virtutem Religionis, & obedientiæ, ita Ledesma, Diana part. 1. tract. 7. de circumſtant. aggrav. reſol. 16.

40. P. P. ℟. dico meam culpam, quòd in alia re mei Prælati mandato non paruerim, quia ejus electionem legitimam & canonicam fuiſſe dubito.

C. Res præcepta à Prælato fuítne juſta, ut eam licitè præcipere poſſet?

P. Ita P. ℟.

C. Hic Prælatus éſtne in pacifica poſſeſſione ſui Officii?

P. Ita P. ℟.

C. Quando ſubditus dubitat, utrùmnam Prælatus ſit legitimus Superior, legitimè electus, aut confirmatus, ſi id, quod præcipit, juſtum eſt, & idem eſt in pacifica poſſeſſione ſui officii, tenetur ſubditus ei obedire; quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis: Ita docet P. Murcia in explic. 10. cap. Reg. cap. 4. num. 12. ſed ſi Prælatus non eſſet in poſſeſſione ſui Officii, ac dubium de ejus electione ſub-

subsisteret, non obligaretur in hoc casu ad ei præstandam obedientiam, quia pro tunc ejus libertas, & non jurisdictio Prælati esset in possessione.

CAPUT V.

De Voto Paupertatis Religiosæ.

41. P. P. ℟. confiteor me aliquam pecuniam tradidisse cuidam mulieri cum qua illicitè commiscui.

C. peccatum incontinentiæ ad sequens caput reservo, & modò de peccato, quod in casu potest adesse contra paupertatem, loquor.

Dicat mihi V. P. habuítne licentiam à suo Prælato absumendi in usus profanos hanc pecuniam? non interrogo, ut noscam, utrùm Prælatus possit licitè dare licentiam subdito absumendi res in usus profanos; nec an subditus sit exemptus à peccato eas cum tali licentia absumendo; quia suppono utrumque in hoc peccare: solùm ergo interrogo, ut sciam, utrùm contra justitiam, & contra votum in hoc peccaverit.

P. P. ℟. Non habui hujusmodi licentiam à meo Prælato.

C Licèt Sanchez cum aliis citatis lib. 7. sum. cap. 19. num. 30. teneat, quòd subditus aliquid absumens in usus profanos & turpes cum licentia sui Prælati, peccet contra justitiam & paupertatem, & id recipiens teneatur ad restitutionem; oppositum tamen est probabile, quod tuentur Ubertus, Sylvester, & alii, quos refert P. Murcia in explic. 6. cap. Reg. Seraph. quæst. 12. num. 1. dicentes, Religiosum cum licentia sui Prælati aliquid in usus profanos expendentem, non esse proprietarium, nec contra justitiam operari, nec id recipientem teneri ad restitutionem.

42. Siquidem V. P. non habuit licentiam à suo Prælato expendendi in usus profanos hanc pecuniam, fortè habuit licentiam saltem generalem eam indiscriminatim absumendi? hac enim supposita, probabile est, non peccasse contra paupertatem, & justitiam, in usus profanos eandem dissipando, ut suprà dixi cap. 2. num. 12.

P. P. ℟. Non habui licentiam generalem in sensu explicato, sed specialem eam in res determinatas licitas expendendi.

C. Cùm V. P. non habuerit licentiam generalem sui Prælati, nec specialem, dictam pecuniam profanè expendendi, peccavit contra votum paupertatis pro illicita conversatione eandem elargiendo fœminæ; quæ, absolutè loquendo ad ejusdem restitutionem obligatur; dixi absolutè loquendo fœminam obligari ad restituendum id, quod à Religioso percepit, quia pluribus titulis potest eximi ab hac obligatione: primò, si subditus habens licentiam absumendi pecuniam in licitos usus, mutata intentione donet mulieri, tanquam pauperi, aut alio honesto titulo id, quod pro peccato eidem obtulerat. Se-

cundò, quia postquam mulier accepit hanc pecuniam, prudenter præsumitur Superiores majores non fore invitos in ejus retentione, ne subsit occasio querelarum per quod bonum Religionis nomen denigretur. Tertiò, quia cùm in rigore restitutio pecuniæ sit facienda eidem Religioso, rationabiliter credendum est, prædictos Superiores eam non approbaturos, ne per hoc Religiosus periculo relapsus exponatur. Sic Moya tom. 2. select. ad tract. 6. Miscel. disp. 4. quæst. 4. num. 9.

43. P. P. R. confiteor me non moderato, sed abundanti, & immodico rerum usui fuisse addictum.

C. Excessus fuitne supra consuetudinem laudabilem suæ Religionis ?

P. Ita P. R.

C. Factúmne fuit hoc cum licentia sui Prælati ?

P. Ita P. R.

C. per votum paupertatis Religiosus cujusvis rei temporalis dominium à se abdicat, adeóque se obligat ad nihil accipiendum, dandum, utendum, permutandum, alienandum, aut mutuandum absque licentia expressa, aut tacita sui Prælati: Verùm licèt Religiosus rerum dominium habere nequeat, usus tamen necessarius ipsi licet; porrò hic usus non consistit in indivisibili, sed habet suos latitudinis gradus pro majori, vel minori Religionum arctitudine. Equites Sancti Joannis, & Canonici Regulares sunt verè Religiosi, & hoc non obstante conceditur iis usus rerum temporalium amplior, quàm cæteris Religiosis: & inter alias Religiones est major latitudo quo ad usum in una, quàm in altera; etenim indubium est, uni pauperculo Capucino non licere usum rerum temporalium eâ abundantiâ, quâ licet aliis Religiosis calceatis: omnes tamen Religiosi tenentur in usu rerum se conformare laudabili sui Ordinis consuetudini, & si aliquis in usus superfluos res insumat etiam cum licentia sui Prælati, in opinione probabili, validè quidem, sed non licitè id facit: Moya ubi supr. n. 11.

44. P. P. R. confiteor me rem aliquam recepisse, eáque absque licentia mei Prælati usum fuisse.

C. præsumpsitne V. P. aut probabiliter existimavit suum Prælatum consensurum in acceptionem, & usum illius rei? quia ut subditus excusetur à culpa gravi in usu rerum, non est necessaria expressa licentia sui Prælati, sed sufficit tacita, aut præsumpta.

P. P. R. non fui certus de consensu Prælati, ut ea re uterer.

C. Quamvis V. P. de hoc non esset certa, probabiliter tamen putavit hanc fore voluntatem Superioris? quia ad licentiam tacitam non requiritur, ut Religiosus ferat judicium certum de consensu Prælati in rei usum, sed sufficit, ut ferat judicium probabile; ita cum Gersone, S. Antonino, &

& aliis Thom. Sanchez in ſum. lib. 7. cap. 19. num. 13. prope finem.

P. Nec judicium probabile tuli, quòd meus Superior eſſet conſenſurus, ut absque licentia talem rem acciperem & eâ uterer.

C. Eſtne in ſua Religione conſuetudo introducta, ut Religioſi accipiant, & utantur ſimilibus rebus? quia ſi eſſet talis conſuetudo, hoc idem indicaret licentiam tacitam, aut præſumptam, accipiendi, dandi, utendi, & expendendi id quod absque expreſſa licentia ſolet fieri; ita cum Piſano, Corduba, & communi N. P. Leander à Murcia in explic. 6. cap. Reg. quæſt. 7. num. 2.

P. P. R. Non eſt conſuetudo in mea Religione accipiendi, aut utendi re, quâ ego usus fui absque petitione licentiæ mei Prælati.

C. Viditne Prælatus, quòd V. P. talem rem perceperit, & hoc diſſimulavit? quia quando Prælatus videt, quòd ſubditus utatur re aliqua absque licentia expreſſa, & tacet, cùm poſſit eam exigere, non quidem ex metu, aut alio humano reſpectu; ipsummet ejus ſilentium pro tacita licentia reputatur. Ita Murcia ibidem quæſt. 9. num. 3. & 4.

P. P. R. Non fuit præſens meus Prælatus, nec vidit, quando rem illam ego accepi, eáque uſus fui.

C. Erátne ipſius Prælatus vir ſeverus, aſper, rigidus, ita ut eſſet invitus in hoc, quòd ſubditi uterentur rebus, quas rationabiliter acceptare poſſunt? quia licentia tacita, aut præſumpta non eſt ſpectanda ex genio aſpero Prælati, vel ex eo, quod Prælatus vult, & diſponit ſecundùm ſuum aſperum genium, ſed ſecundùm dictamen rationis, & prudentûm judicium; quare ſi rationabiliter, & absque paſſione cenſeatur, quòd Prælatus deberet conſentire, ut Religioſus tali re utatur, hoc ipsum licentia præſumpta dicitur; ita cum Azorio, Villalobos in ſum. part. 1. tr. 22. diff. 4. num. 6. & alii.

P. P. R. meus Prælatus eſt valdè rationi conſentaneus, neutiquam durus, aut aſper in concedendis licentiis.

C. Si ſic eſt, eſſet contentus, ut V. P. rem illam acciperet (ſuppoſito quòd non ſit dedecus ſuæ profeſſioni) & ut eâ uteretur?

P. Si ego petiiſſem licentiam, pro certo teneo ab eo mihi concedendam; ſiquidem in ſimilibus caſibus eandem mihi conceſſit, non tamen libenter haberet, ut eâ absque ſua licentia uterer.

C. Juxta dicta Prælatus erat conſentiens quoad ſubſtantiam, ſed invitus quoad modum: quoad ſubſtantiam erat conſentiens, cùm non ægrè ferret, ut V. P. acciperet, & uteretur illâ re: erat invitus quoad modum, quia nolebat, ut absque licentia eam teneret: adeóque in hoc casu non eſt mortale, ſed veniale propter de-

fe-

fectum in modo, & non in substantia. Ita Lessius lib. 2. de Justit. cap. 41. dub. 9. sub n. 79. §. crediderim. Petrus de Navarra tom. 2. lib. 3. cap. 1. num. 160. pag. (mihi) 93. Rodriquez, & alii, quos citat Thom. Sanchez lib. 7. sum. cap. 19. num. 13. prope medium. Si autem prudenter crederetur eum fore consensurum quoad substantiam, & quoad modum; id est, quòd non tantùm consentiret, ut subditus eâ re uteretur, verùm etiam absque petita licentia; in hoc casu est probabile, nec fore veniale, ita cum Navarro, & Mendoza affirmat Murcia ubi supr. quæst. 10. num. 5.

45. P. P. R. confiteor, quòd extra Monasterium existens, rem aliquam cum licentia præsumpta mei Prælati perceperim; de qua tamen in meo reditu ipsum certiorem non feci.

C. Consumpsitne V. P. rem, antequam rediret ad Monasterium? nam si res percepta fuit usu consumptibilis, v. g. aliquod comestibile, & fuit insumpta cum licentia præsumpta ante reditum ad Monasterium, non erit opus id notificare Prælato.

P. Non fuit res consumpta ante reditum ad Monasterium.

C. Et licentia præsumpta, cum qua V. P. hanc rem accepit; sistebátne tantùm in eo, quòd pro tunc non posset habere promptum recursum ad Prælatum; vel in hoc, quòd supposito etiam hoc recursu Prælatus esset consensurus in ejus receptionem? Etenim si licentia fundatur tantùm in difficultate recursus ad Prælatum, teneretur subditus redeundo Monasterium, hoc eidem notificare, ac licentiam expostulare: Sanchez ubi supr. n. 8. Murcia q. 8. num. 3.

P. Licentia præsumpta non fuit fundata tantummodo in absentia, & difficultate recursus ad Prælatum, sed in judicio, quòd quamvis esset præsens, consentiret, ut eam acceptarem.

C. In hoc casu non fuit culpa gravis contra paupertatem eam accipere. Murcia ibidem num. 3. Sanchez num. 9. esset tamen peccatum veniale, si Prælatus foret invitus quoad modum; videlicet, quòd subditus revertendo ad Monasterium non manifestaret ei quidquid acceperat; nec licentiam peteret eo utendi.

CAPUT VI.

De Voto Castitatis Religiosæ.

46. P. P. R. accuso me inhonestum accessum habuisse ad mulierem votum simplex Castitatis habentem.

C. Novítne V. P. hujusmodi copulam præter malitiam contra virtutem Castitatis, aliam specie distinctam nempe Sacrilegii contra votum continere:

P. Ita P. R.

C. Licèt fuerit opinio Tabienæ & aliorum apud Thom. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 27. num. 20. asserentium,

tium, fornicationem Sacerdotis, aut Monachi non addere circumstantiam specie diversam à simplici fornicatione, ac necessariò fatendam hac ratione, quia inquiunt, votum non cadit propriè supra materiam alio præcepto debitam, seu prohibitam, at peccatum incontinentiæ non est materia libera, sed jam prohibita: ergo supra hanc non potest cadere obligatio voti. Hanc sententiam erroneam, & longè à veritate, & communi sentiendi modo alienam appellat Castropalaus apud Sanchez ibidem: improbabilem, scandalosam, temerariam, & erroneam D. Tapia in sua caten. tom. 1. lib. 3. q. 3. art. 3. num. 4. & 5. eadémque censura eam afficit Conradus teste Moya in select. tom. 1. tract. 3. disp. 3. q. 2. cap. 2. num. 7. & meritò; quia præterquam quòd sit contra communem opinionem, praxim, & usum Ecclesiæ, ac unanimem Doctorum sensum, fundatur in principio falso; quandoquidem licèt materia voti debeat esse libera, hæc tamen libertas non est spectanda penes præceptum, vel prohibitionem, sed penes indifferentiam voluntatis, ad posse facere, vel non facere rem voto obligatam; Clarum est non tenere votum non habendi pravas cogitationes vel motus irascibiles, aut concupiscibiles, quia hæc non est materia libera, nec est in potestate voluntatis similia non pati; validum tamen est votum non inebriandi per excessum potus, ludendi cum periculo blasphemandi, licèt hæc alia lege sint prohibita: ergo pro certissimo habendum est, quòd votum Castitatis complectens totum id, quod eam labefactare, & commaculare potest, sit validum, ejúsque violationem esse sacrilegam, ac proinde esse explicandam in confessione.

47. Putavítne se duo committere sacrilegia, nempe propter votum proprium Castitatis, & ob votum emissum à persona cum qua peccavit.

P. Ita P. R.

C. putavítne quòd hæc duo peccata Sacrilegii essent distincta specie, aut solùm numero?

P. Ego ipsemet judicavi me committere duo Sacrilegia, ob mei, & alterius personæ voti violationem, absque distinctione, utrùm hæc sacrilegia essent numero, vel specie distincta.

C. Ad ponendam doctrinam super hunc casum, duæ quæstiones à Theologis discussæ, sunt notandæ: una est, an votum solemne Castitatis specie differat à simplici ejusdem voto, altera an in unico, & individuo actu possint esse duo peccata numero distincta. Prima Sententia dicit, votum solemne castitatis esse alterius speciei à specie voti simplicis, & consequenter in confessione hanc circumstantiam aperiendam esse; ita Ledesma, Coninch, & alii, quos refert Diana part. 1. tract. 7. resol. 3. & 4. hæc Sen-

Sententia est probabilis; contraria pariter est probabilis, quæ ait votum solemne à simplici non differre specie, neque alterius rationis vinculum esse, sed solùm accidentaliter, ac sufficere in confessione se accusare de violatione voti, absque explicatione hujusmodi circumstantiæ: ita cum Henriquez, & Villalobos, Diana ibidem, Castropalaus tom. 1. tract. 2. disp. 3. punct. 3. num. 11. Murcia tom. 2. disp. moral. lib. 4. disp. 10. resol. 7. num. 13. Tho. Sanchez à me citatus 1. part. prax. tract. 7. & 7. Quo ad secundam quæstionem propositam Martino à S. Joseph, aliique citati à P. Matthæus Moya in suis select. tract. 3. disp. 2. quæst. 4. §. 1. num. 1. Filiucius, Layman, Suarez, & alii quos citat Diana part. 3. tract. 4. resol. 164. putant, in eodem numero actu physico non reperiri plures malitias morales numero distinctas, & consequenter non censeri plura numero peccata: Contrarium tenet cum Vasquez, Diana, & aliis Trullench in Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 5. dub. 4. num. 7. utraque opinio tam intrinseca, quàm extrinseca probabilitate non caret.

48. Hinc infertur, quòd in Sententia astruente, votum simplex, & solemne differre specie, ac in unico, & individuo actu posse esse plures malitias numero distinctas, V. P. commiserit duo sacrilegia numero, & specie distincta: sed in opinione asserente, votum solemne à simplici non differre specie, & in eodem actu non posse esse plura peccata numero distincta, unicum tantùm specie, & numero sacrilegium commisit, & in propriis terminis Zanardus, Martinus à S. Joseph, & alii citati à Moya supr. quæst. 5. §. 4. num. 11. docent, unum numero peccatum committere eum, qui cum voto Castitatis peccat inhonestè cum persona simili voto adstricta; & addunt Sà, Vasquez & alii relati à Moya ead. quæst. 4. num. 12. & 13. satis esse in Confessione explicare peccatum Sacrilegii, reticendo circumstantiã voti in altero complice. Oppositum est commune, & verius, idque tenet in terminis nostri casus, cum aliis multis, Leander à Sacramento part. 1. tract. 5. disp. 8. §. 3. quæst. 54. & P. F. Emanuel à Conceptione de Pœnit. disp. 3. quæst. 15. num. 521.

49. P. P. R. accuso me, consensisse cogitationi oppositæ virtuti Castitatis.

C. Adfuitne in hoc plena advertentia, & plenus consensus? quæ duo necessariò requiruntur ad constituendam gravem culpam; ut dixi in meis Confer. tract. 2. sect. 4. Conf. 1. §. 2. n. 9. & seq.

P. P. R. plenus fuit consensus, & plena pariter advertentia.

C. Hic consensus fuitne per modum desiderii efficacis, aut simplicis complacentiæ? quia, si fuit desiderium efficax, non solùm fuit Sacrilegium ob

ob violationem voti V. P. annexi, sed etiam habuit eandem specie malitiam cum objecto desiderato.

P. Non fuit efficax desiderium, sed delectatio morosa, seu simplex complacentia.

C. Existimavitne V. P. quòd hæc delectatio morosa haberet malitiam Sacrilegii, & quòd per eam violaretur votum?

P. Ita P. R.

C. Quanquam Eusebius de Herrera apud Dianam part. 7. tract. 11. resol. 34. sentiat, votum castitatis non violari per delectationem morosam, nec committere Sacrilegium eum, qui cum voto absoluto castitatis complacet sibi in cogitatiõibus obscœnis: hanc tamen opinionem non censeo tutam: Contraria est cõmunis, & vera, eamque refert cum Reginaldo, Trullench, Filiucio, & aliis Diana ibid. ratio est, quia votum perfectæ, & totalis castitatis, quale est illud Religiosi vetat omnem obscœnitatem, & turpitudinem in cogitationibus, verbis, & operibus, adeóque tali voto adstrictus, per quodlibet peccatum inhonestum idem violat, & sacrilegium committit; vide etiam Dianam part. 3. tract. 6. resol. 73. §. Nota tamen, in fine. Et licèt sit opinio, quòd delectatio morosa non contrahat malitiam circumstantiarũ objecti quando ad eas delectatio non terminatur; ut docui in confer. tract. 2. sect. 5. Confer. 1. §. 2. eas 1. num. 16. talis tamen delectatio induit rationem circumstantiarum personæ eam habentis, cùm sint ab eadẽ inseparabiles; ut patet ex 1. part. prax. tr. 6. cap. 3. n. 15. ergo dicendum est, quòd voto castitatis adstrictus, consentiens in delectationem morosam committat Sacrilegium: si votum esset partiale, v. g. si quis faceret votum non fornicandi, non nubendi, aut non se polluendi, in hoc casu simplex delectatio non esset contra votum, nec haberet malitiam Sacrilegii.

50. P. P. R. accuso me uni personæ suasisse, ut peccatum contra castitatem committeret.

C. In quo statu hæc persona constituta erat?

P. Fuit persona soluta.

C. Suasitne ipsi, ut cùm V. P. vel cum tertia persona peccaret?

P. Cum tertia persona.

C. Et hæc tertia persona habuitne votum Castitatis?

P. Hæc pariter erat soluta, & nullo voto castitatis adstricta.

C. Habuitne V. P. aliquem venereum consensum, aut morosam delectationem?

P. Non P. R.

C. Si hæc persona habuisset votum castitatis, aut altera, cum qua V. P. suasit, ut peccaret, vel si primam induxisset ad secum peccandum, indubium est, quòd ejus consilium, aut suasio malitiam sacrilegii contineret, quia scandalum generale reducitur ad illam speciem peccati, ad quam inductus est proximus; Sed si alteru-

tra persona habens votum, peccasset, vel etiam V.P. esset peccatum sacrilegii, ergo eandem malitiam sacrilegii haberet hæc suasio; cum verò utraque persona sit soluta, & absque voto, nec V.P. habuerit delectationem, aut consensum venereum, nec protulerit verba obscæna, per quæ pariter violatur proprium votum, ut suprà dixi, probabile censeo V.P. per hanc inductionem, aut pravum consilium sacrilegium non perpetrasse: ita in similibus sentit Sanchez in sum. lib. 5. cap. 6. num. 11. & cum eodem Sanchez dixi 1. part. prax. tr. 5. c. 7. num. 59. hanc sententiam tenet cum Oviedo, Caramuele, & aliis, Moya tom. 1. disp. 3. quæst. 2. cap. num. 1. & 2. Et ratio est, quia si Religiosus inducit eum, qui non habet votum obedientiæ, ad non obediendum suis parentibus, quamvis peccet mortaliter, non tamen contra proprium votum obedientiæ: ergo neque peccabit contra suum votum castitatis ille, qui consulit peccatum inhonestum alteri non habenti votum castitatis, licèt malum consilium foret mortale.

51. P. P. R. accuso me induxisse aliam personam voto castitatis adstrictam ad peccandum cum persona soluta.

C. Habuítne V.P. in se ipsa aliquod obscænum desiderium, aut morosam delectationem?

P. Non P. R.

C. In hoc casu V. P. sua persuasione, & pravo consilio non solùm peccavit contra castitatem, verùm etiam contra Religionem, propter votum personæ inductæ ad turpitudinem, juxta dicta in præcedenti casu, quia scandalum generale reducitur ad speciem peccati, ad quam inductus est proximus: Sed hic proximus fuit inductus ad peccandum contra castitatem, & contra votum; ergo has easdem malitias habuit consilium V. P. Id, de quo dubitari potest, est, utrùm V.P. contra suum proprium votum castitatis in hac inductione, aut pravo consilio peccaverit? quare secundùm doctrinam, quam probabilem asserui in casu antecedenti, infero negativè, sic in propriis terminis cum Caramuele, & Pelizario Diana part. 9. tract. 9. res. 66. & part. 6. tr. 11. res. 27. quia Religiosus per suum votum ad propriam castitatem, & non alienam se obligat; sed sic est, quòd in hoc casu læserit suo malo consilio votum, & castitatem alienam, & non propriam: ergo in hoc casu contra proprium votum non peccavit.

52. P. Me accuso pariter P. R. quòd in quadam occasione murmuraverim de fragilitate unius fœminæ coram viro habente votum castitatis, ex qua murmuratione factum fuit, quod is grave incontinentiæ peccatum commiserit.

C. In discursu immiscuítne V. P. verba indecentia, & provocantia ad peccatum incontinentiæ? hoc enim po-

posito; V. P. non tantùm esset rea peccati scandali, verùm etiam per hunc profanum discursum proprium votum violasset.

P. Non P. R. verba enim à me prolata valdè modesta, castigata, & ponderata fuêre.

C. prævidítne V. P. quòd vir ea audiens, ad incontinentiam esset provocandus ex auditu lapsus illius fœminæ?

P. Ita P. R. experientiâ enim mihi notum erat, quòd ex auditu alicujus lapsus venerei, confestim in idem peccatum laberetur.

C. Vir iste fuitne ita constitutus ut sponte ad peccatum jam se determinaverit? quia, quando proximus est adeò perversus, ut ex se jam sit determinatus ad peccandum, non est scandalum coram eo proferre verba impellentia ad peccatum, ad quod constat jam se determinasse; ut dixi 1. part. tract. 5. cap. 7. de scand. num. 55. pag. 108.

P. Vir, qui fuit præsens, non erat adeò perversus, ut esset ad peccatum determinatus, sed propter meum discursum ad id se determinavit.

C. Certum est, V. P. in hac occasione peccato scandali obnoxiam fuisse; probabile tamen est juxta supradicta, quòd non violaverit proprium votum, siquidem nec cogitationes, nec opera, nec verba V. P. militarunt contra castitatem: Sed ipsius culpa fuit in specie murmurationis contra octavum præceptum; gravis quidem, si delictum illius fœminæ fuit occultum, levis verò, si fuit notorium: Dubium est, an V. P. per peccatum scandali commiserit sacrilegium ex eo, quòd motivum præbuerit viro illi voto obstricto peccandi contra idem votum: Lugo, Navarrus, Suarez, Coninch, Salas, & alii relati à Moya tom. 1. select. tract. 3. disp. 3. quæst. 2. cap. 3. num. 10. censent, quòd licet consulens voto castitatis obstricto ejusdem transgressionem peccet contra votum; eum tamen, qui exercet aliquam actionem, ex qua prævidet suum proximum, votum castitatis habentem, idem fore violaturum, non patrare sacrilegium per hanc actionem, seu inductionem, nec teneri in confessione explicare votum, quo persona scandalizata erat obstricta; ex quo infertur secundùm hanc opinionem V. P. non fuisse operatam contra votum personæ audientis ex eo, quòd per suam detractionem ad voti transgressionem eandem incitaverit: opposita sententia est vera, quam cum Thoma Sanchez sequuntur Vasquez, Bonacina, Azorius, & alii, Moya ibid. num. 14. & juxta hanc asserendum est, quòd V. P. egerit contra votum illius personæ ob causam eidem præstitam illud violandi: & ratio est evidens, ex dictis; quia scandalum generale (quale est hujusmodi) reducitur ad speciem peccati, cujus patrandi data fuit occasio

casio proximo : Sed sic est, quòd proximo fuerit data causa peccandi contra votum, & castitatem : ergo ad hoc idem peccatum, & circumstantiam reducitur scandalum activum V. P. unde colligitur, non satisfieri in hoc casu confessioni manifestando simpliciter scandalum passivum datum, sed debet fieri specifica, individua, seu expressa mentio peccati, in quod ratione scandali activi proximus lapsus fuit, & voti, quo talis proximus obstrictus erat.

53. P. P. R. accuso me, propriis tactibus fuisse causam, quòd sæcularis aliquis effuderit semen.

C. V. P. effuditne & ipsa semen ?

P. Non P. R.

C. Delectationémne aliquam veneream habuit ?

P. P. R. videtur mihi, quòd non.

C. Fuit opinio Nicolai Moscinensis, Gesualdi, & Graffii, quos citat, non tamen sequitur N. P. Leander à Murcia in disq. Moral. tom. 2. lib. 4. disp. 10. resol. 7. num. 9. quòd Religiosus, qui propriis tactibus sæcularem polluit, non committat sacrilegium contra proprium votum, nec in confessione teneatur id explicare : sed quòd satisfaciat dicendo, propriis tactibus pollui sæcularem : qui pariter non obligetur aperire alterius votum, sed satisfaciat, si dicat, tactibus alienis pollutionem passus sum : pro hac eadem opinione Caramuelem citat Diana part. 7. tract. 11. resol. 27. §. Non deseram ; & Llamas part. 1. tract. 9. resol. 53. Grasis & Tamburinum part. 9. resol. 65. sed hæc opinio est improbabilis minimè sequenda ; unde sancitum fuit in expurgatorio Inquisitionis Hispaniæ, ut deleretur ex operibus Llamas, prout fatetur idem Diana part. 9. cit. & Murcia loco supr. cit. quamobrem tanquam certum habendum est, quòd Religiosus vel ligatus voto castitatis, propriis tactibus sæcularem polluens, committat sacrilegium ; primò propter periculum proximum incidendi in aliquam delectationem veneream, secundò, quia similes tactus sunt contra castitatem : atqui quandocunque Religiosus violat castitatem, committit sacrilegium contra suum votum : ergo &c. ac demùm quia Religiosus totum suum corpus DEO consecravit : ergo sacrilegium est tangere impudicè alios, quod est occasio pollutionis.

Hinc est, non satisfacere confessioni Religiosum dicentem : tactibus pollui sæcularem ; sed debet sui voti circumstantiam explicare : & si quis sit constitutus in Sacris, licèt non sit Religiosus, debet pariter hoc explicare ; ita etiam si haberet votum simplex castitatis, quamvis non sit Religiosus, nec Ordine Sacro initiatus : Idem dicendum de sæculari, quòd non sufficiat in hoc casu dicere in confessione ; tactibus alienis voluntariè passus sum pollutionem ; sed de-

 bet

bet explicare, utrùm ii tactus fuerint Religiosi, aut in Sacris constituti, aut personæ voto simplici castitatis obstrictæ, vel saltem dicere: pollutionem passus sum tactibus personæ votum castitatis habentis; probabile est enim, votum simplex, & solemne castitatis inter se specie non differre; ut n. 47. in hoc eodem cap. dictum est.

CAPUT VII.

De aliis rebus particularibus ad statum Religiosum pertinentibus.

54. P. P. R. dico meam culpam de mea tepiditate, omissione, & negligentia, in attendendo ad perfectionem.

C. Hujusmodi negligentia tendendi ad perfectionem, fuitne cum transgressione votorum, aut regulæ suæ religionis?

P. P. R. quandoque ea fui transgressus, prout jam antè confessus fui.

C. Consilia Evangelica, quæ multùm juvant ad perfectionem religiosam acquirendam, ex contemptu fortè non adimplevit?

P. P. R. multoties quidem ea violavi, nunquam tamen ex contemptu.

C. Habuítne nonnunquam internum propositum non tendendi ad perfectionem religiosam?

P. Non P. R.

C. Certum est, quòd Religiosus, quamvis non teneatur esse perfectus; ad perfectionem tamen tendere obligetur, ita D. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 1. ad 3. his verbis; unde non oportet, quòd quicumque est in religione, jam sit perfectus, sed quòd ad perfectionem tendat. Nec tenetur Religiosus tendere ad perfectionem per omnia opera supererogatoria, sed per exercitium eorum, quæ in sua regula ei præcipiuntur; ita Doctor Angelicus eadem *quæst. art. 2. in corp.* ubi ait: *similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa, quæ determinatè sunt ei taxata secundum Regulam, quam professus est.*

Est pariter certum, quòd Religiosus ex contemptu permittens consilia, quæ ad perfectionem ducunt, graviter peccet, non peccaturus tamen, si ex omissione, aut negligentia eadem prætermittat: unde non peccat, si ea prætermittat, sed si ea contemnat, scribit Angelicus calamus eod. art. 2. quòd si ex malo habitu, aut malitia prætermittantur, non propterea dicuntur violari ex contemptu, ita N. P. Leander à Murcia in explic. Reg. Seraph. in cap. 1. q. 4. num. 11. & alii: videantur super hanc materiam dicta in meis Conf. part. 1. tract. 2. sect. 4. Conf. 2. §. 2. num. 40. pag. 106. & §. 3. num. 47. pag. 107.

55. Addit Thom. Sanchez in Sum. tom. 2. lib. 6. cap. 5. num. 10. Murcia supr. num. 9. graviter peccare Religiosum, qui observando suam regulam, vota, & constitutiones, habet in-

intentionem non proficiendi in vitæ religiosæ perfectione, ac in fine ab eadem intento: Casus tamen hic mihi videtur metaphysicus, & practicè incompossibilis, nam si obligatio Religiosi tendendi ad perfectionem est, ex vi observantiæ suæ regulæ, & votorum absque distincto præcepto, eum ad hoc obligante, uti habet Murcia ibi. quæst. 3. num. 7. & Sanchez loco cit. num. 6. ergo videtur moraliter incompossibile, quòd Religiosus suam Regulam, & vota observet, quin habeat animum tendendi ad perfectionem, quæ per hæc media acquiritur: præterea quia hic animus, seu intentio non tendendi ad perfectionem, licèt observentur vota, vel Regulæ; vel est animus ea in futurum transgrediendi, vel non transgrediendi: si est animus, & intentio ea transgrediendi, constat in hoc casu fore culpam gravem, non habere intentionem tendendi ad perfectionem; si non est animus ea transgrediendi, sed ea observandi, eò ipso tenditur ad perfectionem: ergo videtur non posse componi practicè, & moraliter (licèt speculativè, & metaphysicè possit concedi) observantiam Regulæ, & votorum cum animo non tendendi ad perfectionem.

Quamobrem ego dicerem, quòd si Religiosus observans Regulam, & vota ad culpam gravem obligantia, haberet animum non tendendi ad perfectionem per observantiam legum, & statutorum ad culpam venialem obligantium, & non vitandi ullam culpam levem; in hoc casu inquam opinor, quòd peccaret graviter ob morale periculum, cui se exponeret violandi quoque cætera, ad culpam gravem obligantia; in simili docent Sanchez, & Bonacina à me citati in Confer. ubi supr. num. 53. pag. 109. & in terminis nostri casus idem tenet Thom. Sanchez ubi supr. cap. 4. num. 18. Murcia quæst. 4. citat. num. 6.

56. P. P. R. dico meam culpam; quòd in quadam occasione Religionis habitu me exuerim.

C. fuitne factum hoc ex aliqua causa necessaria, v. g. ob infirmitatem, aut somnum capiendum (si id licet, & permittitur à dùm Regulam, & consuetudinem suæ Religionis) quia hoc modo non esset quid singulare; ut notavit Palaus part. 3. tract. 16. disp. 4. punct. 6. num. 5.

P. P. R. non ex causa adeò necessaria habitum dimisi.

C. Sub pœna excommunicationis majoris, ut habetur in cap. ut periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6. vetita est temeraria dimissio habitus Religionis, si quis autem, ait Bonifacius Octavus loc. cit. horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto: quatuor autem conditiones juxta Thom. Sanchez lib. 6. sum. cap. 8.

num.

num. 38. requiruntur, ut Religiosus hanc censuram incurrat: prima est, ut tanquam professus relinquat habitum in Monasterio aut alio loco: secunda, ut habitus dimissus sit suæ Religionis: tertiò, ut temerè eum dimittat, quarta, ut attentis circumstantiis cum periculo divagandi eundem dimittat.

57. Dicat mihi V. P. deposuítne verè habitum Religionis, vel superposuit aliquem habitum sæcularem? licèt enim ad habendum intentum idem formaliter sit deponere habitum, aut superponere aliam vestem sæcularem, & Sanchez ibid. num. 63. utroque modo censeat eandem incurri censuram, attamen num. 62. oppositum putat probabile cum Suarez, Tabiena, Sayro, & aliis, qui dicunt non incidere in hanc excommunicationem Religiosum, qui habitum sæcularem Religionis habitui superponit, licèt graviter possit in hoc peccare.

P. P. R. Habitum Religionis deposui, & alium sæcularem indui.

C. Mutavítne V. P. habitum intra, vel extra Monasterium? Quamvis enim cum Sylvestro, Navarro, & Rosella doceat Azorius tom. 1. instit. Moral. lib. 12. cap. 17. quæst. 15. quòd Religiosus deponens in Monasterio temerè habitum, incurrat excommunicationem, præsertim in conspectu sæcularium, quod ego pariter verum puto: contrariam tamen tenet Santarellus, & alii citati à Diana part. 9. tract. 7. resol. 5. §. Notandum est; ubi in fine affirmat, quòd Pellizzarius probabilem censeat hanc sententiam, & præcipuè si fieret ob honestam aliquam recreationem, v.g. ad repræsentandam in Sacra Comœdia Christi JESU infantis nativitatem, ab omni censura, & etiam à peccato gravi excusaretur; quinimò à levi culpa id eximunt Peyrinus, & alii apud Dianam ibi ab initio: quamvis magis rigorosè loquantur Lezzana, & alii allegati à Diana, quorum aliqui arbitrantur peccare graviter, alii leviter, Religiosum induentem habitum sæcularem, præsertim muliebrem, ob aliquam repræsentationem, vel saltem esse aliqualiter periculosum.

P. P. R. Non in, sed extra Monasterium exui me habitu Religioso, & sæcularem indui.

C. contigítne id longo temporis intervallo? quia aliqui Doctores assignant in hoc parvitatem materiæ: *Ita Sà Verb. Excommunicatio nulli reservata, num. 9. in fine, in edit. Pampelon.* Toletus *in sum. lib. 4. cap. 18. num. 3.* Azorius *ubi supr. cap. 13. sub quæst. 5. §. His igitur fol. (mihi) 1217.* spatium unius horæ breve esse tempus, & consequenter parvitatem materiæ censet in hoc casu P. Murcia super 2. Reg. cap. 19. num. 2. dicens, quòd ille, qui hoc brevi tempore dimitteret habitum ad currendum, saltandum,

dum, &c. non incurreret excommunicationem, sed solùm venialiter peccaret. Contrarium sentit cum Sylvestro, Suarez, & aliis Castropalaus part. 3. tract. 17. disp. 4. punct. 6. num. 11. ubi ait, quòd dimissio habitus per unicam horam animo occultandi statum Religiosum, habeat annexam præfatam excommunicationem, ob morale periculum, cui se exponit divagandi; utraque opinio mihi videtur probabilis.

P. Sciat ergo V.P. per unicam tantùm horam, aut parum plus me dimisisse habitum, & sæcularē assumpsisse, non animo apostatandi, aut divagandi: sed ad liberiùs & faciliùs aliquid mihi illicitum exercendum.

C. Cùm hoc factum fuerit ad breve tempus, licèt cum hac intentione, probabile est, V. P. non incurrisse in excomunicationem: sic tradit Thom. Sanchez lib. 6. sum. cap. 8. num. 57. & addit Diana part. 4 tract. 14. resol. 72. in fine. quòd Religiosus ex causa turpi dimittens habitum, ut gratia fornicandi voluptuosiùs, aut clàm aliquid furandi, vel adeundi lupanar, quamvis peccet graviter ob hujusmodi actionem, distinctum tamen peccatum non committat propter spoliationem habitûs; nisi fortassè ex speciali aliqua regula talis prohibitio cum eo rigore facta sit: Quamvis Paludanus, S. Antoninus, & alii Doctores relati à Sanchez ibid. n. 56. sentiant incurri excommunicationem, & consequenter graviter peccare Religiosum, dimittentem proprium habitum per horæ spatium, ob aliquam turpem actionem: idcircò ad procedendum majori securitate, consultum erit absolvere in hoc casu ab excommunicatione saltem sub conditione, si fortè incurristi; à qua censura potest absolvere quivis Confessarius approbatus, cùm non sit reservata, ita Sà ubi supr. & Toletus loc. supr. cit.

58 P. P. R. dico meam culpam, quòd in alia occasione astiterim agitationi taurorum.

C. Fortè velut Novitius hoc fecit? nam in censura, de qua infrà, lata adversus Regulares non comprehenduntur Novitii, quia propriè & strictè Regulares non sunt.

P. P. R. post emissam Professionem.

C. Erátne tunc V. P. Ordine Sacro initiata? quia non defuit, qui dixit, Religiosos in sacris Ordinibus non constitutos in hac prohibitione non comprehendi; ut videri potest in Marchado tom. 2. lib. 5. part. 2. tract. 2. docum 9. n. 3. & à fortiori, si Religiosus nec Majoribus, nec Minoribus Ordinibus initiatus esset; ita Castropalaus *part. 6. tract. 29. de cens. disp. 3. punct. 37. sub num. 22. §. sed dubium est*: Et de Religiosis laicis tenet Villalobos *in sum. tom. 2 tract. 12. de homicidio, diffic. 20. num. 16.* eos in hoc non comprehendi secluso scandalo:

daio: Mea tamen opinio est cum multis, & gravibus Authoribus, universaliter in hoc Decreto cõprehendi quoscunque Regulares, sive sint Clerici, vel Ordinibus sacris insigniti, sive Laici, quia Constitutio Clementis Octavi, prohibens sub pœna excommunicationis Religiosis assistentiam agitationi taurorum, indiscriminatim de omnibus, & cum omnibus loquitur; *Monachis, & Fratribus Mendicantibus, cæterisque cujuscumque Ordinis, & Instituti Regularibus*; Lex autem, quæ generaliter loquitur, generaliter est sumenda: Lex *generaliter loquens, generaliter est intelligenda, l. de pretio, ff. de public. in rem. act. &c.* licèt cum Villalobos *ibid. num.* 17. putem sub hoc decreto non comprehendi Moniales, quia Constitutio de iis non loquitur: *Quia lex si aliud voluisset, expressisset l. unic. §. sin autem ad deficient. &c.*

P. P. R. jam fui sacris Ordinibus ordinatus, dum mihi occurrit casus.

C. Dantur aliquæ Constitutiones Pontificiæ super has agitationes Taurorum, inter has tamen modò magis viget ea Clementis VIII. emanata 13. Januarii 1596. ad instantiam Philippi II. Catholici Regis Hispaniarum, in qua prohibetur Regularibus cujuscũque Ordinis, & Instituti assistentia agitationi Taurorum: Et licèt aliqui Doctores, quos tacito nomine citat Marchadus supr. num. 2. Thom. Hurtadus, & Remigius citati à Diana part. 11. tract. 4. resol. 11. censeant, solùm venialiter peccare Regulares interessentes agitationi Taurorum; opinio tamen communis, & vera dicit, eos graviter delinquere: Ita Gallegus cum Lopez, Guttierez, Palatio, Soria, Suarez, Vasquez, Salas Rodriquez, quos omnes & alios citat, & sequitur Diana, ibid. Castropalaus *part. 3. tract. 29. disp. 3. punct. 37. à num. 22.* Trullench. *in 5. Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 4. num. 3.* Villalobos *supr. num.* 13. plerique alii; ratio est, quia Clemens Papa Octavus præcepit Regularibus, ne similibus agitationibus assisterent, sub pœna Excommunicationis Majoris: Atqui res præcepta sub hujusmodi pœna obligat ad peccatum mortale: ergo graviter peccabunt Regulares cujuscunque Ordinis, & Instituti, qui in Hispaniis tali agitationi intersunt.

59. P. P. R. Dico meam culpam, quòd semel de Baptismo infantem susceperim.

C. Ex aliqua urgenti necessitate fortè V. P. hoc exercuit?

P. P. R. Solummodo ad preces Genitoris infantis.

C. Vetitum est Abbatibus, & Monachis de Baptismo suscipere Filios, ut constat ex lege Canonica cap. non licet Abbati, vel Monacho de Baptismo suscipere Filios, de consecrat. dist. 4. ita pariter de Confirmatione Monachi sibi Compatres, Commatrésve non faciant ead. distint. 4. Motivum hujus prohibitionis fuit, quia consueverant Patrini osculari Nutri-

ces; ut colligitur ex hoc cap. Monachi, ubi additur ne osculetur fœminas: & quamvis Castropalaus part. 4. tract. 19. disp. unic. punct. 11. num. 4. Coninch., & alii teneant, quod hæc prohibitio non se extendat ad Regulares Mendicantes, nec ad Canonicos Regulares quod pariter affirmat Leander à Sacramento part. 1. tract. 2. disp. 7. quæst. 16. quia inquiunt, Decretum loquitur tantùm de Monachis, sub quorum nomine non veniunt Regulares Mendicantes, nec Canonici Regulares: verius tamen est oppositum, ita cum aliis Layman tom. 2. lib. 5. tract. 2. cap. 9. num. 3. §. sed contrarium. Quia in omnibus Regularibus militat eadem ratio evitandi inconveniens osculi fæminarum (ubi esset consuetudo) & cavendi ab earundem familiaritate, quod pariter fuit motivum hujus prohibitionis.

Et licèt Quintanaduenas apud Dianam part. 9. tract. 6. resol. 32. excuset à peccato, saltem gravi, omnes Regulares Mendicantes, & non Mendicantes, & etiam Moniales, suscipientes absque licentia de Baptismo pueros, & præsertim de Abbatibus, & Monachis, probabile id putat Leander supr. quæst. 17. Contrarium tamen sequuntur communiter Doctores, teste Diana ibidem proindeque dicendum hoc gravem secum ferre culpam: indubium est, id saltem respectu Fratrum Minorum esse vetitum in cap. 11. Reg. Nec fiant compatres virorum, vel mulierum &c.

CAPUT VIII.

De aliquibus rebus speciatim Moniales concernentibus.

Quidquid in hoc tractatu de Regularibus dictum est, tam quo ad electionem Confessarii pro absolutione casuum reservatorum, & non reservatorum, quàm quo ad vota Obedientiæ, paupertatis, & castitatis, etiam respectivè de Monalibus intelligendum est, quæ in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ debent se subdere Confessariis, ab eorum Prælatis assignatis: si sunt subjectæ Episcopo, debent confiteri electo ab Episcopo, si Religioni, à Prælato regulari electo. Videatur Leander à Sacramento part. 1. tract. 5. disp. 11. quæst. 46. & Torrecilla in suis consult. Moral. tract. 2. cons. 4. per totam. Moniales subditæ Prælatis regularibus subjacent casibus, quos ii sibi reservant; & quæ sunt subjectæ Ordinario, subjacent casibus, & censuris, quas ipse Ordinarius generaliter reservat pro sua Diœcesi. Diana part. 10. tract. 13. resol. 52. §. Verum; & P. Emanuel à Conceptione de pœnit. disp. 6. quæst. 10. num. 873.

60. P. P. R. confiteor, quòd in quadam occasione non frequentaverim chorum cum communitate, & postmodùm non recitaverim privatim Divinum Officium.

C. Habuítne V. D. aliquam causam, ob quam excusaretur à recitatione D. Officii, v. g. infirmitatem, vel aliam ex illis, quæ sufficienter ab hoc onere liberant?

P. P. R. non habui ejusmodi causã.

C. Non putavit V. D. se graviter peccare omittendo DivinũOfficium?

P. P. R. Habui in hoc magnum scrupulum, licèt audierim Moniales non teneri ad id recitandum extra chorũ.

C. Verum est, aliquos Authores in dubium posuisse, an Moniales obstringantur ad persolvendum Divinum Officium extra chorum; opinio tamen communis, & vera, est affirmativa, ita cum Maldero, Aragonio, Rodriquez, Navarro, Toleto, & pluribus aliis tenet Diana part. 2. tract. 13. resol. 17. & P. Eusebius de Herrera apud Dianam part. 10. tract. 11. resol. 45. §. sed ego. Oppositam sententiam temerariam appellat, eámque tanquam improbabilem fusè refellit M. Ferdinandus de la Nave teste Diana part. 11. tract. 1. resol. 25. §. Quæro tertiò; Idem dicit de Regularibus, nondum in sacris Ordinibus constitutis. Videatur etiam idem Diana eadem part. 11. tract 2. resol. 10. §. Ad id verò; & part. 7. tract. 11. resol. 4. Certum est, supposito Regulæ, aut Superioris præcepto, obligante Moniales, aut Religiosos sacris Ordinibus minimè initiatos (prout Regula S. P. N. Francisci præcipit cap. 3. *Clerici faciant Divinum Officium, secundùm Ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*) quòd in hoc casu ad Horas Canonicas persolvendas obstringantur, & etiam præscindendo à tali præcepto, tenendum est, dari hanc obligationem ex generali consuetudine introducta, non intercisa & tanquam lege acceptata.

61. P. P. R. confiteor, me simulasse & finxisse deliquium, ob quod in causa fui, quòd Medicus ingressus fuerit Clausuram Monasterii.

C. Factúmne fuit hoc ex aliquo malo, & turpi fine?

P. P. R. non habui perversam aliquam intentionem in hujusmodi cooperatione, sed tantummodo, ut meam fictam infirmitatem celarem?

C. Quale motivum habuit, eandem fingendi?

P. P. R. fuit mera tentatio inimici.

C. Interdictum est viris, & mulieribus ingredi Monasteria Monialium absque vera, & manifesta necessitate, ut constat ex Constitutione Bonifacii Octavi, quæ incipit: Periculoso, in 6. Decretal. lib. 3. titul. 16. de statu Regul. & ex Concilio Tridentino sub pœna excommunicationis idem prohibente *sess. 25. cap. 5. de Regularibus*, ubi ait: *Ingredi autem intra septa Monasterii nemini licet, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda*: Hæc censura est evidens; & solùm circa eam notandum se offert, quòd quan-

quando Concilium dicit, cujuscumque generis, ætatis &c. tantummodo loquatur de illa ætate, quæ est compos rationis; adeóque in ea non comprehenduntur infantes & pueri, qui nondum ad annos discretionis pervenerunt, ita communis cum Barbosa super hunc locum num. 55. Nec prohibetur ingressus aliquarum famularum pro servitio Monialium, & puellarum ad bonam educationem ibidem commorantium, adhibitis cautelis in licentia expressis, & cæteris à Barbosa adductis num. 88. & 89. Et licèt per Decretum Concilii Tridentini ad ingrediendum septa Monasterii licentia in scriptis obtenta requiratur, hoc tamen non intelligitur in casibus ordinariis, puta quo ad Medicos, Chirurgos, Carpentarios, Cæmentarios, & alios similes operarios; quorum operâ passim indigent Moniales: Ita Diana part. 3. tract. 2. resol. 129.

Notandum est pariter istam excommunicationem jure communi reservatam non esse, juxta Bonacinam tom. 1. tract. de Clauf. quæst. 4. punct. 5. sub num. 2. §. Observa; hoc tamen intelligendum est, modò quis non ingrediatur Monasterium Monialium ad malum finem; violatio enim clausuræ Monialium ad malum finem, est casus Summo Pontifici reservatus; si tamen casus sit occultus, potest ab eo absolvere Episcopus vigore Concilii Tridentini, quod etiam potest facere Confessarius vigore Bullæ Cruciatæ, ita Diana part. 2. tr. 16. resol. 35. Hanc autem Censuram non incurrunt Moniales admittentes aliquem intra septa Monasterii, etiam ad malum finem; ita Diana ibid. resol. 32. & 34. quare nec V. D. in eandem incidit ex eo, quòd cooperata fuerit ad ingressum Medici absque vera necessitate, potuit tamen incurrisse aliam censuram, ut in sequenti interrogatione examinabo.

61. Dicat mihi, notum erátne V. D. latam esse excommunicationem contra Moniales, admittentes aliquem intra septa Monasterii absque necessitate?

P. P. R. Notum mihi fuit, quòd ingredientes absque urgenti causa graviter peccent, & excommunicatione afficiantur; & etiam audivi (non tamen à persona multùm docta) latam esse excommunicationem contra Moniales ad ejusmodi ingressum cooperantes; licèt ego pro certo hoc non scirem.

C. Gregorius Papa XIII. in Decreto motu proprio quod incipit: Ubi gratiæ & indulta, & refertur in Bullario Magno tom. 2. inter Constitutiones hujus Pontificis pag. 393. num. 28. sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, & Sedi Apostolicæ reservata prohibuit, ne aliquis sub prætextu licentiæ Monasteria Monialium ingredi præsumat; néve

néve Abbatissæ, Abbates, aut alii Superiores ullo modo cum præsumpta licentia talem admittant &c. Et addit in §. 4. "Quin etiam sub eisdem "pœnis ipso facto incurrendis prohi- "bemus, atque interdicimus omni- "bus & quibuscunque personis Ec- "clesiasticis, & sæcularibus; ac etiam "Ordinum quorumcunque &c. Ne "Monasteria ipsa Monialium pro libi- "tu sed necessitatibus urgẽtibus dum- "daxat ingredi, néve Moniales sub "eisdem pœnis illos aliter admittere "præsumant:" Ad hanc autem censuram incurrendam notat cum Suarez, Sanchez tom. 2. sum. lib. 6. cap. 16. num. 93. requiri concursum directum vel indirectum Monialis ad ingressum personæ in Monasterium, & Bonacina supr. punct. 6. num. 16. adjungit attento hujus constitutionis verbo præsumant, ad eandem incurrendam requiri scientiam vel ingentem temeritatem, quæ scientiæ comparatur, & consequenter non sufficere bonam fidem, inadvertentiam, oblivionem, aut etiam ignorantiam vincibilem, crassam, & supinam: ex quo infertur, quòd cùm V. D. operata fuerit cum aliqua ignorantia hujus pœnæ, licèt crassa, siquidem jam aliquid de hoc audierat, in dictam excommunicationem non inciderit, peccavit tamen gravitet ex eo, quòd fuerit causa ingressûs Medici in clausuram absque vera necessitate.

63. P. P. R. Confiteor, quòd in alia occasione, cùm essem janitrix, virum quemdam admiserim intra Clausuram.

C. Qua de causa V. D. eum introduxit?

P. P. R. ut intrò ferret aliquam supellectilem Sacristiæ, aliis mutuò datam.

C. Non potuisset V. D. eam rem introducere, aut cum alterius Monialis auxilio?

P. P. R. Certum est, quòd si veritatem fateri velim, ego ipsamet potuissem hoc facere.

C. peccavit ergo graviter V. D. admittendo virum intra Clausuram ob tam levem causam. Sic Lumbier tom. 1. sum. Aran. num. 494. pag. (mihi) 466. & hic, nisi bona fides eum excuset, incurrit excommunicationem Concilii Tridentini.

Et si V. D. eundem introduxisset prætextu licentiarum, incurrisset pariter excommunicationem reservatam à Gregorio XIII. supr. nisi fortè excusaret ignorantia, ut suprà dixi: sed si V. D. eam personam admisisset, (quamvis absque vera necessitate) non prætextu alicujus licentiæ, sed precibus, aut proprio genio mota, licèt graviter peccasset; dictam tamen censuram Gregorii XIII. non incurrisset, ita Sanchez lib. 6. sum. cap. 16. num. 78. & 79. quia hæc Bulla motu proprio solùm ad ingredientes, & admittentes prætextu licentiarum extenditur.

64.

64. P. P. R. confiteor, quòd in quadam mea infirmitate, sub conditione futuræ mortis personæ mihi amicitia junctæ effigiem, seu imaginem pretiosam reliquerim.

C. Estne consuetudo introducta, quòd Moniales possint in morte aliquid de rebus disponere?

P. P. R. Interdum hoc vidi practicari non tamen frequenter.

C. Habuítne licentiam à suo Superiore relinquendi illi personæ dictam effigiem?

P. Non P. R. quia erat absens.

C. petiítne licentiam à sua Abbatissa?

P. Ita P. R.

C. Obtinuítne eandem?

P. Ita P. R.

C. Si esset consuetudo jam introducta, quòd Moniales in morte possint disponere de propria suppellectili, ac cubiculi ornatibus, hujusmodi dispositio non esset culpa gravis, obtenta priùs licentia à Superiore, si haberi possit, vel si non possit ab hoc haberi, ab Abbatissâ; aliàs esset contra votum paupertatis: ita Lumbier ibid. num. 493. In omni eventu tutius, & melius est, quòd personæ Religiosæ faciant propriam ad manus Priorissæ, aut Abbatissæ, relinquendo ejusdem dispositioni distributionem rerum ad usum proprium concessarum; & ad summum poterit supplicari sibi fore gratum, quòd hæc, vel altera suppellex consignetur tali personæ.

65. P. P. R. confiteor, me, ut Abbatissam semel præceptum formale sanctæ Obedientiæ imposuisse uni Moniali.

C. In qua materia fecit hoc præceptum?

P. Ut omitteret pœnitentiam aliquam ejus saluti valdè noxiam.

C. Adhibuítne V. D. in suo præcepto hæc verba: præcipio tibi in virtute sanctæ Obedientiæ, aut in nomine Spiritûs sancti; vel solùm, præcipio per Obedientiam, aut sub pœnâ Obedientiæ, aut hujusmodi verba?

P. P. R. verba mea fuerunt, præcipio sub pœna Obedientiæ.

C. Dubium est inter Doctores, utrùm Priorissæ, seu Abbatissæ Monialium possint præcipere in virtute sanctæ Obedientiæ, sicut faciunt Superiores Regulares: Sanchez lib. 6. cap. 1. sum. num. 12. negativam tenet, & benè; sed solùm quòd possint præcipere sub pœna Obedientiæ mihi promissæ aut hujusmodi verba: Est pariter dubium, an possint præcipere res spirituales sub Obedientia, vel tantùm domesticas, concernentes gubernium temporale, & pacem Monasterii; quod potest videri in Marchado tom. 2. lib. 5. part. 3. tract. 4. docum. 5. num. 1. In præsenti casu potuit licitè V. D. præcipere sub pœna Obedientiæ huic Moniali, ut cohiberet suum indiscretum fervorem; quia hoc conducebat ad bonum gu-

gubernium temporale, & ejus sanitatis directionem.

66. P. P. R. confiteor, me satis frequenter colloquia habuisse cum sæculari persona.

C. In hac conversatione, commisitne aliquid contra suum institutum?

P. Ita P. R. aliquoties.

C. In qua materia?

P. P. R. in hoc, quòd verbis nimiùm affectuosis eandem allocuta fuerim.

C. Fuítne admixtus his verbis aliquis affectus indecens, & inordinatus?

P. Semper habui similes cogitationes.

C. Ad has incautas cogitationes accendebatúrne voluntas?

P. Aliqua scintilla ex illis, quas per suas ideas phantasia movit, ignem excitavit, succendit in voluntate.

C. Succensus éstne taliter ignis aliquando in voluntate, ut plenus ejusdem consensus adfuerit, & plena advertentia intellectûs?

P. Quandoque hoc contigit.

C. ex hoc consensu prodiitne aliquis exterior affectus?

P. P. R. hunc effectum causavit ille consensus, quòd interdum dexteram ad eum extendebam.

C. In quo statu fuit hæc persona?

P. P. R. Emiserat votum Castitatis.

C. Consensitne identidem in has cogitationes?

P. plerumque quando me visitavit.

C. Visitavítne valdè frequenter?

P. Ad minùs semel in Septimana.

C. Suppono, quòd, quotiescunque V. D. consensit alicui cogitationi contra castitatem, sive per modum desiderii, sive per modum complacentiæ, seu delectationis, Sacrilegium commiserit, juxta suprà dicta cap. 6. num. 49. & si consensus fuit per modum desiderii, duplex quoque Sacrilegium fuit, secundùm sententiam relatam eod. cap. 6. num. 47. & 48. suppono pariter V. D. esse in proxima occasione peccandi cum hac persona, siquidem adeò frequenter lapsa fuit, & fermè semper, quando eam visitavit, nam ad occasionem proximam non requiritur, ut persona sit intra fores domus, nec ut peccata sint opere completa; ut infrà dicam in tract. 17. super propos. 41. damnatam ab Alexandro VII.

67. Dicat mihi, fuítne V. D. admonita, ut ab ejusmodi visitatione, & colloquiis abstineret?

P. Ita P. R. Confessarii hoc mihi jam dixerunt.

C. Quoties?

P. Multoties; quinque, aut sex vicibus ad minimum.

C. cur ergo non sibi cavet?

P. P. R. ne aliæ Moniales suspicientur aliquid mali de me, si hanc familiaritatem averto.

C. Hoc non sufficit ad hoc, ut V. D. cum tanto animæ suæ detrimento in occasione proxima perseveret, quin-

quinimò magis timere deberet admirationes, & dicta aliarum ex hujusmodi familiaritate insurgentia, quàm quæ dicenda forent ob separationem, & fugam; etenim anima Religiosa à mundo voluntariè sejuncta magnam notam incurrit, noviter contrahendo familiaritatem cum persona sæculi.

P. P. R. Hæc persona aliqua necessaria, quæ à Monasterio habere non possum mihi suppeditat; ideóque non est possibile, ut eam derelinquam.

C. Neque hic titulus est sufficiens ad continuationem hujus familiaritatis cum tali suæ conscientiæ præjudicio.

P. P. R. Quomodo mihi agendum, ut vitam decenter ducam?

C. Laboret suis manibus, prout aliæ solent facere; sit contenta victu, & vestitu moderato, convenienti personæ, quæ contempsit, & deseruit vanitates, & bona terrena ad sequendum in nuditate, & paupertate nudum, & pauperem Christum.

P. P. R. erit mihi impossibilis hujus personæ absentia.

C. Erit pariter impossibile, ut ego eam absolvam; quia in occasione proxima peccandi constitutis (ut in casu nostro) nequit dari absolutio absque firmo proposito eandem vitandi; & opinio contraria damnata est ab Innocentio Papa XI. in propos. 61. & 62. quarum explicatio videatur 1. part. Dial. seu praxis tract. 10. & loquendo in terminis expressis de amicitia Monialium, tenet nostram Doctrinam R. P. M. Lumbier in fine tom. 1. sum. Aran. num. 489. pag. (mihi) 466. & tom. 3. num. 2002. pag. 1247. in impressione Cæsaraugustana ann. 80. sic pariter R. & doctissimus P. Leander à Sacramento part. 1. tract. 1. de pœnit. disp. 7. quæst. 72. cum Thom. Hurtado, Lumbier, & Leandro, idem docet R. P. Emanuel à Conceptione tract. de pœnit. disp. 2. quæst. 16. num. 223. & seq. qui adjunt dependentiam Monialis à suo devoto in temporalibus non suffragari ei, ut perseveret in occasione peccandi; sic DD. citati, & optimè sanè.

68. P. V. P. reflectat, me mox ad sacram Synaxim cum communitate accessuram esse, alioquin scandalum orietur.

C. Nunquid non poterit V. D. sub aliquo prætextu intermittere communionem absque scandalo, nimirum fingendo aliquod deliquium, aut quid simile?

P. Non P. R. quia omnibus nota est mea bona valetudo, quinimò hoc idem esset majoris notæ motivum.

C. Si V. D. non potest absque scandalo intermittere commuuioem, eliciat actum contritionis veræ, aut existimatæ, & communicet velut is, qui non habet copiam Confessarii; ita P. Emanuel à Conceptione supr. n. 232. & patet ex supradic. tract. 12. cap. 1. in simili casu.

P. P. ℟. promitto firmiter emendationem.

C. Ego censeo, hoc verbum non esse serium, & verum, sed tantummodo ad extrudendam absolutionẽ; quasi verò hac obtentâ dimittenda sint ei peccata, licèt non sit disposita; sciat tamen se Sacrilegium patraturam, si ficto animo absolutioem recipiet.

P. P. ℟. hoc me non latet, & quòd non V. P. sed me deciperem; fateor tamen sincerè, ne me in his angustiis ampliùs inveniam, non solùm hoc, sed & rem magis arduam mundi velle facere, & sustinere: sit ergo certa V. P. de meo firmo proposito, derelinquendi hanc personam, quamvis perire, ac mille tribulationes pati deberem, quia animam meam super cætera omnia æstimo.

C. Supposito hoc efficaci suo proposito pro hac vice eam absolvam; at sciat hanc esse postremam, nisi se emendet, & ab hujusmodi familiaritate abstineat, ad hoc me resolvo ex consideratione explanationis casus, ac ferendo judicium, quòd ex corde proponat emendationem, quam ita futuram spero: cum his circumstantiis sentit P. Emanuel à Conceptione ubi suprà num. 225. & num. 232. posse dari absolutionem, dummodo non sit fundamentum dubitandi de inefficacia propositi.

69. Quod dictum est in resolutione hujus casus, idem dicendum, & practicandum, cùm Monialis ejusque devotus ob frequentem mutuam familiaritatem, & conversationem præbent occasionem aliis censurandi, aut suspicandi de aliqua reciproca illicita correspondentia, quantumlibet revera nullum intersit malum; ita egregiè P. à Conceptione ibid. num. 226. nam si persona sæcularis habitans in domo, vel extrà visitans aliquam personam, suspicionem malam de se causat, ac ad tollendam hanc scandali occasionem obligatur, licèt reipsa nihil illicitum contingat; cur idem non est inferendum in nostro casu, in quo eadem ratio, & paritas militat?

70. P. P. ℟. confiteor etiam, me aliquoties faciem fucasse, poliendo me, ac inaniter componendo.

C. Fuitne præceptum Obedientiæ à suo Prælato impositum, ne Moniales insumerent tempus in hujusmodi profanis ornamentis? quia præcepti hujus transgressio, esset grave peccatum. Ita sum. Aran. tom. 1. verb. Vestidos pag. 271. his verbis: "si los "Religiosos, Religiesas profanan el "habito de su orden, o el trage, es pec"cato mortal (y en especial si el præ"lado se les prohibe con precepto, se"ria error dudarlo) porser cosa tan "opvesta à la Regla, y voto di pobre"za, Y viò Sancta Magdalena de Pa"zis muchas Religiosas condenadas "por profanar el habito de su orden.

P. P. ℟. Non fuit præceptum super hoc à Prælatis impositum.

C. For-

C. Fortè V. D. ex sola levitate, ac vanitate hoc fecit? nam Monialis, quæ ut decenter compareat, ornat se, & componit absque alio malo fine, venialiter tantùm peccat, ait Marchadus tom. 10. sum. lib. 5. part. 3. tract. 4. docum. 3. num. 2. quamvis sit res valdè aliena à religiosâ, quæ sui sponsi oculis tantùm pulchra apparere, nullatenus oculis hominum placere, satagere debet.

P. P. ℟. motivum etiam aliquod hujusmodi mearum vanitatum fuit desiderium placendi illi personæ, cui fui amicitia juncta.

C. Advertitne V. D. exinde aliquod damnum spirituale illi personæ advenire?

P. Ita P. ℟.

C. Certum est, quòd mulier ornans se animo provocandi ad concupiscentiam, mortaliter peccet; audiamus doctrinam Angelici Doctoris 2. 2. quæst. 169. art. 2. in corp. ubi postquam concessit mulieres viros habentes posse se ornare ut eorum maritis placeant, subjungit Sanctus: "Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, "nec volunt habere, & sunt in statu "non habendi (ut sunt Moniales) "non possunt absque peccato appetere, placere virorum aspectibus ad "concupiscendum: quia hoc est dare "ei incentivum peccandi: Et si qui- "dem hac intentione se ornent, ut a- "lios provocent ad concupiscentiam, "mortaliter peccant." Hæc Divus Thomas. Nec tantùm se ornare cum hoc pravo fine est peccatum mortale, verùm etiam si Monialis diligenter composita ac circumornata se ostenderet sæcularibus, ac isti hac occasione graviter peccarent: Marchadus ubi supr. Videatur pariter Arana in fin. 1. tom. de fragm. n. 497. & seq. pag. (mihi) 468. ex quo patet V. D. graviter peccasse nimium se ornando, ut hujus personæ obtutui, & conspectui se offerret, conscia occasionis eidem præstitæ Deum graviter offendendi. Num verò fuerit sacrilegium in hoc casu scandalum, & ruina quam V. D. illi personæ voto castitatis obstrictæ intulit, constat ex supradictis in hoc tract. cap. 6. num. 50. 51. & 52.

CAPUT IX.

Bulla Clementis Pap. VIII. interdicens Regularibus largitionem Munerum.

IN fine hujus tractatus volui adjungere Bullam Clementis VIII. quæ omnibus Regularibus tam viris, quàm fæminis interdicit largitionem munerum sub gravibus pœnis privationis activæ, & passivæ vocis, infamiæ, & aliis pluribus; cujus tenor, ac ipsamet Bulla habetur in Bullario Magno tom. 2. pag. 39. inter constitutiones hujus Pontificis num. 28. de qua breviter aliqua disseram.

71. Certò non constat, quòd hæc Bulla recepta fuerit in Regnis Hispaniarum, quinimò aliqui Doctores id expressè negant, ut videre est in Dia-

na part. 1. tract. 6. resol. 1. & in N. P. Leandro à Murcia super sex. cap. Reg. Seraphic. quæst. 16. num. 1. hæc autem Bulla non imponit novam obligationem præter eam, quam Religiosus vi voti paupertatis habet non largien- munera, sed solummodo assignat novam formam, & distinctam ab ea, qua approbanda est causa sufficiens ad largienda munera, taxátque pœnas dictæ constitutioni contravenientibus: Duplex autem fuit finis hujus Bullæ: primus, ne bona Monasterii dilapidentur, secundus ne prava ambitione compulsi Religiosi pro consequendis officiis alter alterius gratiam, vel protectoris, seu aliorum benevolentiam aucupentur: & hæc Bulla loquitur generaliter de omnibus Regularibus Prælatis, & subditis.

72. Non prohibetur per hanc constitutionem largitio leviorum esculentorum, seu ad devotionem, vel Religionem pertinentium, ut ipsamet exprimit; præter esculenta leviora, aut poculenta, seu ad religionem, vel devotionem pertinentia munuscula: Et per extensionem inquit N. P. Murcia suprà n. 6. quòd possint dari alia hujusmodi, quamvis sint alterius speciei, supposita tamen in omnibus tanquam necessaria licentia Prælati: & etiam addit Diana eodem tract. resol. 5. quòd Regularis dans quantitatem duorum aureorum, non incurrat in pœnas hujus Bullæ, quamvis possit peccare contra paupertatem, si id sine debita licentia faciat: Neque contra hanc operatur Religiosus pictor, vel alia arte pollens, qui de licentia sui Prælati picturam aliquam, vel rem aliam suæ artis gratis facit amico, vel cognato; Valerus in dif. utriusque fori, verb. Munera. n. 66. Nec prohibentur regularibus donationes remuneratoriæ, licèt aliquantùm excedant obsequia præstita. Diana resol. 15. & 16. neque vetita est inter Religiosos, & Moniales reciproca munerum largitio, si absit periculum alicujus ambitiosæ subornationis; & universaliter loquendo, cessante illo duplici fine Bullæ numero antecedenti adducto, cessant quoque ejus præcepta & pœnæ. Ita Murcia supr. num. 11. Hæc constitutio pariter non violatur à Religiosis largientibus propria manuscripta, sermones, lectiones &c. Qui cupit majorem habere notitiam hujus Bullæ legat Antoninum, Dianam part. 1. tract. 6. per totum, Valerum in differ. utriusque fori. Verb. Munera; P. Murciam quæst. 16. supr. 6. cap. Reg. N. P. S. Francisci. Omitto hæc, & alia ad statum Religiosum spectantia, cùm ejus professores ea callere non dubitem, & ad instructionem Parochorum, aliorúmque Confessariorũ dicta sufficiant; adhoc ut quandocunque dabitur occasio exaudiendi aliquem Regularem, suæ obligationis magis essentialis notitiam habeant.

CA-

CAPUT X.

Exhortatio ad Personas Religiosas.

73. MAgnam Deus ter optimus exercuit misericordiã erga animam, quando ab innumeris sæculi periculis eam eruens, ad sacrum Religionis statum eandem vocavit. Oh quàm decepti vivunt homines in mũdo! pulchro veritatis lumine carent, cæci ambulant per illusionis tenebras, anxiis rerum caducarum solicitudinibus premuntur, humanarum curarum pondere onerantur, sedentes in tenebris, & umbra mortis. Econtra quantùm in claro Religionis Hemisphærio veritatis radii emicant! lucidis acquisitarum cognitionum fulgoribus inæstimabilia cœli bona æstimantur, vilissima verò terræ emolumenta despiciuntur: singulari pulchritudine splendidiores radii in Religionis firmamento relucent, ubi innotescit, quòd præcipitem vitiorum semitam sequi, ad profundum abyssi laxis habenis sit tendere; & quòd felicem virtutum viam currere, securum sit iter ad amœnam gloriæ patriam capessendam. Mundus denique est turpidum mare, cujus fluctus à furibundis passionum ventis agitati, ac vanitatum spumâ intumescentes, inter ventosas tempestates, inquietam animæ navim cum evidenti naufradii periculo deferunt: Religio autem placitum Æquor est, in quo cælis serenis, tranquillis fluctibus, aquis chrystallinis, vento puppim impellente, navis spiritus ad dulcem, ac desiderabilem felicitatis æternæ portum transmigrat.

74. Verùm pro ratione eminentiæ status religiosi, lachrymabilior quoque erit in eo lapsus. Angelorum peccatum sine remedio fuit, non item illud hominis; è cælo illi ceciderunt, hic in terra decidit, & eorum lapus miserabilior fuit, quia ex statu sublimiori præcipites se dederunt: ad quod illud dictum Poëtæ alludit.

Et Celsæ graviori casu
Decidunt turres: ferúntque summos
Fulmina montes. (*Horatius.*)

Numeror. cap. 4. Toleravit Deus, quòd Philistæi Arcam nudam tangerent: non verò, quòd Israelitæ eandem vel tangerent, vel conspicerent, illi erant in statu imperfecto; hi ex populo Dei electo. Quare si sæculi Filiorum crimina à Deo tolerantur, non sic facilè in sublimi Religionis statu commorantium peccata dissimulantur: cui plus dignitatis adscribitur (dixit S. Cyprianus tract. 3. de simplic. Prælat.) plus ab eo exigitur servitutis.

75. Religiosus promissa Deo facta fideliter observet; in Obedientia exequenda diligens esse satagat ad imitationem Christi Domini, qui non solùm æterno suo Patri obediens fuit: Factus obediens usque ad mortem: ad Philip. cap. 2. Sanctissimæ suæ Ma-

Matri, ac S. Joseph. & erat subditus illis: Luc. cap. 2. verùm etiam aliis inferioribus; ut notavit S. Bernardus in cura illius cæci Evangelici: "Quid vis, "ait Dominus ad cæcum illum, ut "faciam tibi? quanta est miseratio tua "Domine? quanta dignatio tua? sic- "cine Dominus quærit, ut servi faciat "voluntatem „ S. Bernardus serm. 1. de Convers. D. Pauli; Et quod plus est, obedivit iniquis Judicibus, Tyrannis, Pharisæis, & crudelibus Ministris, qui inhumaniter eum vitâ privarunt: Modò si Deus est obediens Magister discipulis, Deus hominibus, S. Bernardus Serm. 19. in Cantic. quantò major erit obligatio Religiosi obediendi suo Prælato? nec ulla est admittenda excusatio, quòd contra proprium genium, vel nimis durum videatur id, quod ex obedientia præcipitur, vel quòd Prælatus sit indiscretus, & absque ratione præcepta imponens: Confundat hujusmodi prætextus JESU Christi exemplum, qui in rebus ita arduis obedivit, & viris sine ratione, sine æquitate & justitia operantibus se subjecit. Simpliciter ergo fili obediat, & exequatur præcepta sui Prælati, hæc est enim via tuta ad cælum; Ut notavit Doctor Mellifluus super audi, & vide Psal. 44. "proinde audi, & inclina aurem tu- "am, ut per auditus obedientiam ad "gloriam pervenias visionis: „ S. Bernardus serm. 41. in cantic.

76. Paupertas voluntaria est pretiosissima Margarita, in cujus emptione tota terræ substantia benè impenditur: pauper spiritu totam spem suam in Deo collocat, & in Divina Majestate pretiosiores thesauros possidet: Tu spes mea, ait Religiosus Deo, portio mea in terra viventium; & addit S. Ambrosius serm. 8. in Psal. 118. cui portio Deus est, totius possessor est naturæ. Adeò certi sunt fructus hujus Divini verorum pauperum capitalis, ut nec siccitate sterilescant, nec diluvia eos inundent, nec imber dissipet, nec calor comburat: à communibus denique periculis, quibus bona terrena sunt exposita, paupertatis prædia sunt exempta. "Portio tua (dixit S. Ambrosius supr.) "non ariditate siccatur, non imbre "diluitur, non frigore uritur, non "tempestate quassatur; „ ea est portio, quam terrenæ partes æquare non possunt: ad sequendam Evangelicæ paupertatis viam Cœlorum Regis Christi Domini sacrum exemplum, multùm confortat, & roborat, qui cùm omnium bonorum supernaturalium, & naturalium esset absolutus Dominus, strictiorem paupertatem elegit unius præsepis angustiis pro sua sua nativitate contentus; Ecce rex tuus (ait Propheta Zacharias cap. 9.) veniet tibi Justus, & Salvator: ipse pauper; Vixit pariter velut pauper, & mendicus: Ego autem mendicus sum, & pauper Psalm. 39. ac demùm super spinarum cervical inclinato capite,

pite, in ligneo lecto, sola nuditate contectus, emisit Spiritum: Et si Deus summè dives pauper factus est: Egenus factus est, cùm esset dives, 2. ad Corinth. 8. quid singulare erit, quòd anima religiosa contemptis omnibus terræ vanitatibus, Cœlorum Regi se conformare studeat?

77. Inæstimabilis denique est castitatis Margarita, quæ homines in Angelos transmutat, ac suæ puritatis alis animas ad cælum elevat, & extollit; ut dixit S. Ambrosius lib. 7. in Luc. cap. 12. "Caro, si consentiens Dei "legi, & exuens se lege peccati, in "naturam animæ sensuum puritate "transierit, alis ad cælum spiritualibus elevatur: „ hæc enim virtus in cælo habitat, inquit Sanctus lib. 1. de virg. in cælo patria est castitatis; hìc advena, ibi incola est: Castitas homines animales in spirituales, brutales in rationales, terrenos in cœlestes, habitatores terræ in cæli incolas invertit. Per hanc gloriosam virtutem Cœlorum Regina, Mater Dei, Angelorum Domina, ac Imperatrix Gloriæ esse promeruit; Hanc si anima Religiosa diligere gloriatur, puritatem quoque summoperè diligere debet, quæ est principale ipsi gratum objectum.

78. Ad trium horum votorum suæ regulæ, ac ei annexarum obligationum exactam observantiam V. D. hortor, & si in his deliquit, reflectat unde exciderit: Memor esto unde excideris, Apoc. 2. A perfectione cecidit in vitium; è cælo in abyssum; è Paradiso in Barathrum; è Regali Throno ad vilissimam servitutem; ut filius factus est mancipium: nunc è mancipio faciat se filium; elevet se à culpa ad gratiam; ut cum gratia consequi possit Gloriam, Amen.

TRACTATUS XV.

De Statu Ministrorum Justitiæ.

CAPUT I.

De Statu Judicum.

Duas Propositiones damnavit Innocentius XI. circa Judices, & unam Alexander VII. Explicatio duarum præcedentium potest videri part. 1. meæ praxis tract. 10. num. 22. & num. 26. tertiæ verò habetur in hac 2. part. tract. 17. pro majori claritate hoc caput in sequentes §§. dividam.

§. I.

De Modo inquirendi Delicta.

1. P. P. R. Ego publico Judicis Officio fungor, & si unquam in hoc deliquissem, me accuso.

C. Habétne V. D. remorsum conscientiæ de re aliqua particulari suum officium concernente?

P. P. R. non deest aliquis scrupulus me affligens.

C. Di-

C. Dicat ergo in qua materia conſcientia eam redarguat ?

P. Magnum ſentio ſcrupulum propter cauſam criminalem, quam agitavi, utrùm ſufficientibus indiciis, & conjecturis inquiſiverim.

C. V. D. Ex Officio, vel ad inſtantiam partis hoc fecit ? quia quando fit ad inſtantiam partis, viâ accuſationis, juridicè proceditur, examinando teſtes ab accuſatore nominatos: Bonacina tom. 2. diſp. 10. circa 8. præceptum quæſt. 2. punct. 6. num. 1.

P. P. R. Ex Officio proceſſi.

C. Quando Judex procedit ex Officio dicitur procedere viâ inquiſitionis, quæ triplex eſt, nempe generalis, ſpecialis, & mixta. Generalis eſt, quando de perſona in communi, quæritur crimen in communi, an ſcilicet ſubditi ſervent leges, an non committantur crimina, an de nullo ſit fama, vel ſuſpicio alicujus criminis: Hac utuntur Prælati, & Superiores in viſitationibus ſuis. Specialis eſt, quando de certa perſona, & de certo crimine quæritur; an ſcilicet Paulus commiſerit homicidium. Mixta eſt illa, quæ conſtat ex generali, & ſpeciali: & poteſt eſſe duplex: aut enim de perſona in communi quæritur crimen particulare, ut ſi invento cadavere quæratur, quis illud homicidium commiſerit; aut de perſona particulari, quæritur crimen generale: ut ſi quæratur, an Cajus homo flagitioſus ſit, vel an aliqua delicta commiſerit.

2. Dicat mihi V. D. quænam harum inquiſitionum præceſſit cauſa ?

P. P. R. Specialis.

C. præceſsitne infamia illius perſonæ contra quam V. D. proceſſit ? licèt enim ad generalem inquiſitionem non requiratur prævia infamia; & etiam in inquiſitione mixta, quando de certo crimine quæritur, & de perſona in communi poſſit procedi abſque prævia infamia; in inquiſitione tamen ſpeciali hæc debet præcedere, ſic etiam in mixta, in qua quæritur de perſona particulari, & crimine in communi; v. g. utrùm Petrus commiſerit aliquod delictum.

P. P. R. Duo, vel tres querelam depoſuerunt, quòd talis perſona delictum, & quidem valdè grave perpetraverit.

C. Ad infamiam judicialem non ſufficit denuntiatio, vel accuſatio duorum, vel trium, etiam cum Juramento, ſed delictum debet eſſe notorium in majori parte populi, aut viciniæ; unde ad infamiam judicialem requiritur, ut ſit frequens opinio, & vox bonorum, vox enim dyſcolorum, & hominum infimæ ſortis non efficit legitimam, & judicialem infamiam, cùm hæc infamia induci poſſit abſque indiciis, & conjecturis ſufficientibus, conſtat *ex cap. Inquiſitionis, de accuſationibus, ubi ad finem cap.* dicitur: *Qui propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet, cujus apud bonos, & graves læſa opinio non exiſtit.*

Dicat

Dicat mihi V. D. fuerúntne aliqua indicia contra hanc personam?

P. Ita P. R.

C. Erántne indicia manifesta, probabilia, vel dubia? indicia manifesta sunt, quæ inducunt conjecturam moraliter certam; v.g. si penes hominem in via occisum, inveniretur alius cum gladio evaginato; hoc esset indicium manifestum, eum fuisse homicidam. Indicium probabile est, quod causat conjecturam probabilem; v. g. si postquam Petrus minatus esset mortem Joanni, hic inventus fuisset mortuus nulla prævia contentione, aut rixâ cum aliis; indicium probabile esset, Petrum fuisse occisorem. Indicium dubium, & leve est illud, quod est causa levis, & tenuis conjecturæ; v.g. si invento Joanne interfecto in aliqua via comperiretur in altera Petrus cum gladio in vagina, esset indicium leve de patrato ab hoc homicidio.

P. P. R. Non fuerunt indicia manifesta, neque probabilia.

C. Quamvis plures Doctores sentiant, non sufficere indicia ad faciendam specialem inquisitionem, nisi adsit probata infamia; quod plusquam verum tenet Trullench tom. 2. lib. 8. cap. 1. dub. 17. num. 2. Alii tamen censent, quòd præviis manifestis indiciis possit fieri inquisitio, ac si adesset infamia; ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 69. art. 2. in corp.* ubi ait: *debet requirere judex secundum Ordinem juris, puta, cùm præcessit infamia super aliquo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerint.*

3. Ex accusatoribus, vel denuntiatoribus fuitne aliquis, qui deposuerit, publicam esse infamiam hujus personæ circa præsentem casum? etenim duo testes publicitatem infamiæ deponentes sufficiunt ad probandam dictam infamiam, & ad procedendum ad specialem inquisitionem; nec est necessarium, ut ipsimet à potiori parte loci hoc audierint, sed sufficit, quòd jurent se id audivisse, tanquam publicum, à personis fide dignis, expressè eas nominando. Trullench. supr. num. 5.

P. P. R. Nemo dixit se audivisse factum, tanquam publicum.

C. præcessitne semiplena probatio contra delinquentem? quia cum hac potest fieri processus ad specialem inquisitionem; ut colligitur ex S. Thoma suprà: & ad hoc sufficit testis omni exceptione major, qui deponat querelam contra delinquentem, hunc reum esse affirmans. Lessius lib. 2. de justit. cap. 29. dub. 16. num. 146 ita opinatur, quando delictum est notorium, & delinquens ignoratur; in quo casu inquisitio est mixta juxta suprà dicta.

P. Nec semiplenam probationem habui contra delinquentem.

C. Factáne fuit inquisitio eo fine, ut innotesceret, utrùm accusatus, esset idoneus ad aliquod officium, aut bene-

beneficium ab ipso prætensum? nam quando quis prætendit aliquod officium, aut beneficium, potest de ipso fieri specialis inquisitio, an sit idoneus, vel ne ad ejusmodi officium, vel beneficium prætensum, licèt nulla præcedat infamia, vel indicia, aut semiplena probatio: Idem dicendum, quando aliqui intendunt contrahere Matrimonium, aut sacris Ordinibus initiari; tunc enim fit specialis inquisitio, num aliquod impedimentum obstet; ita communis Doctorum.

P. Nihil simile prætendit illa persona.

4. C. Erátne delictum in detrimentum boni publici, vel privati? quia si hoc esset, & ita expediret ad impediendum malum futurum publicum, aut privatum, potest procedi ad specialem inquisitionem, licèt nulla præcedat infamia; ita cum Soto, & aliis Thomas Sanchez in Cons. Moral. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 19. n. 15.

P. ex relato delicto nullum damnum bono publico, aut privato imminebat.

C. Delictum erátne Crimen læsæ Majestatis, aut homicidium à mancipio commissum contra proprium Herum? nam in istis etiam casibus potest procedi absque ulla prævia, & probata infamia: Sanchez ibid. num. 17. & 20.

P. Nec hujus generis délicta fuêre.

C. Quo ergo motivo, aut fundamento V. D. processit ad specialem inquisitionem contra hanc personam?

P. Ex eo, quòd illæ duæ, aut tres personæ mihi dixerint, talis delinquentis delicta non debere relinqui impunita.

5. C. Quando delictum est occultum, ille, cui est notum, debet facere correctionem fraternam; & si hæc non speratur profutura, potest eam omittere; quia cùm finis correctionis sit emendatio delinquentis, ut docet Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 33. art. 6. in corp. Correctio fraterna, inquit, cujus finis est emendatio delinquentis, nisi subsit spes obtinendi hunc finem, etiam media non sunt adhibenda: & quando desperatur emendatio delinquentis per monita secreta, ea autem speratur per delationem occultam paternam, tenetur proximus occultè, & paternè crimen deferre Prælato; ita cum Hurtado tenet R. P. Leander à Sacramento part. 6. tract. 6. de correct. disp. 4. quæst. 11. Diana part. 7. tract. 3. resol. 39. §. & ideò notavit, & resol. 43. Coninch, & alii cum Suarez, idem docui cum Bonacina in meis Confer. part. 1. quæst. 4. Antiloq. num. 22. pag. 6. Et hæc denuntiatio debet fieri Judici, non tanquam Judici, sed ut Patri: vi cujus tamen non potest Judex juridicè procedere contra reum, ita cum communi Castropalaus tom. 1. tract. 6. diffic. 1. punct. 11. num. 1. Quapropter cùm illæ duæ, aut tres personæ

notificaverint V. D. delictum occultum delinquentis, fas non erat procedere ad inquisitionem specialem, & juridicam contra accusatum: ad summũ poterat eum vocare, ac præmissâ bonâ correctione, aut reprehensione, aliquam pœnitentiam occultam, præservativam eidem imponere: Palaus ibi num. 2.

P. P. R. Communis Consuetudo nostra est, ut posita sola denuntiatione alicujus privatæ personæ, & præsertim si sit publicus Officialis, procedatur immediatè ad capiendas informationes, & ad probanda indicia, & his habitis ad specialem inquisitionem.

C. Hic modus procedendi éstne consuetus in omni genere delictorum, vel solùm graviorum?

P. Non in omnibus, sed tantùm in iis, quæ specialem gravitatem involvunt.

C. Talis modus éstne receptus, tanquam legitima consuetudo, & ad praxim deducta ab hominibus doctis, & bonæ conscientiæ?

P. Ita P. R.

C. Et hoc solétne practicari præcisè in pœnam, vel ut necessarium ad bonum commune?

P. Quotiescunque hoc practicatur, ideò fit, quia ad bonum commune necessarium esse putatur.

C. Jam video esse Consuetudinem receptam in Tribunalibus sæcularibus, quòd prævia denuntiatione delictoris, aut alterius privatæ personæ, aut querelâ licèt absque obligatione probationis, fiat transitus ad informationem, ad probationem indiciorum, & cum horum probatione formetur specialis inquisitio; hæc tamen praxis, seu consuetudo est contra torrentem Theologorum, & Juristarum doctrinam; hancque cum Glossa affirmat Navarrus cap. inter verba 11. quæst. 3. conclus. 6. Corol. 63. num. (mihi) 253. & in hoc nulla est differentia inter Judicem sæcularem, & Ecclesiasticum: quare sicut Ecclesiasticus nequit procedere absque prævia infamia ad specialem inquisitionem; ut ex cap. Inquisitionis suprà dixi num. 2. ita neque Judex sæcularis.

Lessius tamen de justit. lib. 2. cap. 29. dub. 14. num. 134. censet, non esse reprobandum usum Judicum sæcularium, qui in dicto casu procedunt ad inquisitionem absque prævia infamia, quando hoc fit cautè, circumspectè, & secundùm leges, & consuetudines in Provinciis receptas, præsertim in causis gravibus, ut sunt furta, homicidia, sacrilegia, incestus, & alia delicta, quæ Rempublicam perturbant; nec procedatur ob meram pœnam, sed propter bonum Reipublicæ: idem docet cum Bartolo Cardinali, & Alciato Villalobos tom. 2. tract. 14. diffic. 8. sub num. 8. §. Hæc secunda. Censentit in hoc cum Lessio, Filiucio, & Villalobos cum dictis conditionibus Trullench

 tom,

tom. 2. in Decalog. lib. 8. cap. 2. dub. 17. num. 23. Sicque probari potest; quia cùm sit probabile, quòd antecessio infamiæ non sit de lege naturali, nec Divina, sed humana, potest contra eam prævalere consuetudo; ut videri potest in Sanchez tom. 2. consil. lib. 6. cap. 3. num. 2. ergo si hæc consuetudo Tribunalium sæcularium esset jam introducta, tanquam legitima, posset derogare legi sancienti, ne absque prævia infamia ad specialem inquisitionem procedatur.

6. Dicat mihi, secutúmne fuit aliquod damnum famæ, aut bonorum hujus delinquentis?

P. Non P. R. quia duo testes, quos ego examinavi, sunt viri discreti, nemini revelaturi delictum; & causa est derelicta, nec usque modò constat, me ad talem inquisitionem processisse.

7. C. In communi Sententia affirmante, quòd Judex sæcularis nequeat procedere ad inquisitionem absque prævia infamia, V. D. non tantùm graviter peccavit per talem inquisitionem, verùm etiam si secutum fuisset aliquod damnum, hoc resarcire teneretur; Ita Lex Canonica c. Qualiter, & quando: de accusationibus, his verbis: *Ideòque mandámus quatenus ad conscientiæ vestræ judicium recurrentes, si contra præscriptum ordinem tanquam homines commisistis; non pudeat vos errorem vestrum corrigere &c.* sed cùm nullum fuerit secutum damnum, hæc lex cessat; bonum tamen erit, quòd V. D. iis personis secretum commendet; & si aliquid in scriptis habetur, comburatur, aut laceretur, ut posthac nullum præjudicium ei eveniat. Modus, quo Judex debet reparare errorem commissum in causa, videri potest in Villalobos tract. 14. cit. diffic. 16. per totam; & in Lessio supr. dub. 18.

8. P. P. R. me accuso, quòd post factam inquisitionem specialem contra Reum, & probata jam infamia, inquisitionem fecerim de alio delicto, absque ulla prævia passiva informatione.

C. Delictum, de quo erat infamatus reus, fuítne sufficiens indicium ad comprobandum alterum, de quo nulla erit informatio? quia hoc posito, posset fieri inquisitio, v. g. si unus est infamatus, & convictus de homicidio, & occisus invenitur expoliatus, potest inquiri, utrùm homicida ejus vestes furatus fuerit: Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 2. tract. 3. doc. 5. num. 1.

P. prius delictum non fuit indicium alterius eo modo, quo V. P. dicit.

C. poterátne nosci unum delictum absque altero? v. g. convictus de furto in Ecclesia patrato, seu Sacrilegio, potest interrogari, utrùm fregerit portas: Marchadus ibidem.

P. Casus fuit, quòd vir commiserit adulterium cum conjugata: cujus maritus inventus est mortuus, & quia ad-

adulter convictus fuit de adulterio, fuit pariter de homicidio interrogatus.

C. Quamvis aliquis de uno delicto sit infamatus, non propterea potest fieri specialis inquisitio de altero, de quo non est infamatus, constat ex cap. Inquisitionis de accusationibus: suprà cit. dicitur: *Cùm Inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt*: In casu V. D. cùm vir fuerit infamatus de adulterio, potuit fieri inquisitio de homicidio, licèt de hoc nulla præcesserit infamia, quia adulterium fuit sufficiens indicium homicidii, ita in propriis terminis docet Villalobos tom. 2. tract. 14. diffic. 9. num. 2.

9. P. P. R. me accuso pariter, quòd post examen juridicum Rei, & probationem ejus infamiæ, de complicibus in suo delicto eundem etiam interrogaverim.

C. Culpa huic Reo imputata fuítne talis, ut sine sociis patrari non potuerit v. g. si fuisset deprehensus magnam cistam abstulisse, quam solus exportare non potuisset &c. aut quando delictum licèt ab unico committi posset, constat tamen à pluribus patratum fuisse?

P. P. R. Notum fuit, habuisse complices in delicto.

C. Hi complices erántne pariter infamati de tali delicto? In hoc enim casu, poterat V. D. speciali inquisitione procedere contra ipsos modo supradicto.

P. Non P. R.

C. Hæc inquisitio fuítne facta in generali, vel in particulari?

P. P. R. Ad generalem, non verò particularem inquisitionem processi.

C. Est decisio legis Canonicæ, cap. cùm Monasterium 1. de confessis, quòd non ex eo, quòd reus sit convictus de aliquo delicto, possit fieri inquisitio de complicibus non infamatis: *Cùm secundùm utriusque juris statuta de se confessi, super aliorum conscientiis interrogari non debent &c.* Ast quando delictum nequit committi absque complicibus, aut constat, reum illos in eodem habuisse, potest fieri generalis inquisitio de dictis complicibus, nullâ interrogatione factâ de aliqua determinata persona: v. g. si deprehenditur persona à tribus, vel quatuor interfecta; & horum unus convincitur fuisse aggressor defuncti, potest hic interrogari in genere de sociis homicidii, Marchadus supr. num. 2. Villalobos loc. cit. diffic. 10. num. 2.

§. II.

De Jurisdictione, & sufficientia Judicum.

10. P. P. R. accuso me semel, ut excommunicatum munere Judicis functum fuisse.

C. Fuítne minor excommunicatio?

 quia

quia hæc non obstat, quo minùs licitè, & validè Judex suo officio fungi possit.

P. Erat Excommunicatio major.

C. Erátne publica, seu notoria? nam si fuisset occulta, potuisset pariter suum officium licitè & validè exercere. Sylvester verb. Excommunicatio 5. num. 3. & plures alii: ratio est; quia lex naturalis conservandi suam famam prævalet positivæ, quæ prohibet Judici excommunicato sui officii exercitium, ergo ad conservandam indemnitatem suæ famæ, poterit validè & licitè suo Officio fungi, si occulta sit excommunicatio.

P. P. R. notorium erat, me esse excommunicatum.

C. Erátne excommunicatus toleratus, aut vitandus? quia excommunicatus vitandus, & non toleratus, non tantùm peccat graviter exercendo actus Jurisdictionis sui Officii, sed etiam irriti, & nulli sunt tales actus, cùm sit privatus usu jurisdictionis. Sic DD. communiter Diana part. 5. tract. 9. de excom. resol. 108.

P. P. R. non eram vitandus, sed toleratus.

C. Dicat mihi, exercuítne V. D. sponte actus judiciales, vel postulatus à parte?

P. P. R. sponte hoc exercui.

C. Gesta per Judicem excommunicatum toleratum valida sunt; quia Ecclesia eum tolerando non privat jurisdictione: Bonacina tom. 1. disp. 2. de censur. quæst. 2. punct. 7. num. 3. & si est postulatus à partibus ad ferendam sententiam, non peccat fungendo officio: Sed si ipsemet sponte hoc agit mortaliter peccat in communi sententia: quamvis Cajetanus, & Henriquez censeant solùm peccare venialiter: quod probabile asserit Trullench tom. 2. in Decal. lib. 8. cap. 1. dub. 9. num. 4. Verius tamen, & tutius est asserere à mortali non excusari, eo quòd actio judicandi, quæ prohibetur excommunicato, per se videatur valdè gravis, & sufficiens ad peccatum mortale. De excommunicato tolerato, & vitando videatur prima praxis tract. 5. cap. 6. num. 42. & seq.

11. P. P. R. Sic pariter accuso me judicis officio functum fuisse in aliqua causa, in qua dubito, me non habuisse jurisdictionem.

C. Evidens est, Judicem hoc munere fungentem absque jurisdictione, graviter peccare, ac ejus acta invalida esse; quæ jurisdictio abest, vel quia persona non est subjecta, v. g. Ecclesiastici, qui non subditi Judicibus sæcularibus; vel licèt persona sit subjecta, cessat esse talis in aliqua causa particulari. v. g. si ab Ecclesia extrahatur sæcularis, qui illuc confugit in casibus, in quibus imunitas Ecclesiastica viget. Nunc dicat mihi V. D. in quonam ex his duobus modis defuit ipsi jurisdictio?

P.

P. P. R. primo modo, cùm persona fuerit Ecclesiastica.

C. Hic Ecclesiasticus erátne solummodò primâ tonsurâ initiatus, incedens vestibus sæcularibus, & absque ullo beneficio Ecclesiastico? quia, si hoc esset, non gaudebat Privilegio Fori, ut constat ex Conc. sess. 23. cap. 6. de reform.

P. P. R. Ordine sacro initiatus fuit.

C. Fuitne degradatus, ac brachio sæculari traditus? quia in hoc casu, Tribunalis quoque sæcularis judicio subesse posset, ut constat ex leg. Canonica ex cap. degradatio de pœnis in *6.*

P. Non fuit degradatus talis Ecclesiasticus.

C. Fortè ob delictum assassinii? quia hujuscemodi delictis est annexa ipso facto degradatio, ex cap. pro hum. de homicidio in *6.* verum est, quòd ad hoc ut Judex sæcularis possit id judicare, requiratur sententia saltem declaratoria Judicis Ecclesiastici, ut videri potest in Diana part. 1. tract. 2. resol. 52.

P. P. R. non commiserat hujusmodi delictum ille Clericus.

C. Cur ergo V. D. se intromisit in causam hujus Ecclesiastici?

P. P. R. ego non me intromisi animo eum processandi, ac ferendi sententiam, sed accipiendi judicialiter secretò informationem, & postmodùm ad Judicem Ecclesiasticum eandem remittendi.

C. Neque hoc modo potuit V. D. se intromittere, ac proinde non tantùm graviter peccavit, verùm etiam in excommunicationem 15. Bullæ Cœnæ incidit, ita Bonacina tom. 3. disp. 1. qu. 20. punct. 1. num. 7. plerique alii: quapropter non licet Judici Laico (exceptis aliquibus casibus à lege permissis) in causis Criminalibus judicialiter informationem accipere contra personas Ecclesiasticas, quia has processare dicitur in iisdem causis; & hoc verum est, etiamsi Judex Laicus hanc informationem occultè sumat animo præsentandi processum Summo Pontifici, vel Prælato, adhuc enim contra Bullæ dispositionem delinquit; cùm in ea simpliciter sua anathematis districtione interdicatur, processum contra personas Ecclesiasticas in causa criminali instituere. Videatur Leander à Sacram. part. 4. tract. 3. disp. 15. per totam: eandémque censuram incurrunt non solùm Magistratus, & Judices, verùm etiam Notarii, Scribæ, Justitiæ Ministri, aut executores Curiæ sæcularis quomodolibet se intromittentes; ut constat ex textu ejusdem Bullæ.

12. P. P. R. me accuso, quòd delinquentem ad Ecclesiam confugientem per vim extraxerim.

C. Est culpa gravis Sacrilegii de Ecclesia Reum capere, quando prodest ei Immunitas Ecclesiastica: Ita D. Thom. *2. 2. quæst. 99. art. 2. ad 3.*

Sacrilegium interdum invenitur --- puta si quis Judex capiat aliquem de loco Sacro &c. & prætereà Excommunicatione Bullæ Cœnæ afficiuntur ii, qui statuta, & decreta contra Immunitatem Ecclesiasticam faciunt, & ordinant: hæc tamen non incurritur ab eo, qui facto ipso non ratione statutorum per vim aliquem reum ab Ecclesia extrahit; quia non utitur statutis, vel decretis contra libertatem Ecclesiasticam: Ita Bonacina tom. 3. disp. 1. quæst. 16. p. 1. sub num. 10. §. ex dictis. Alia tamen Excommunicatio major contra Immunitatis Ecclesiasticæ violatores lata est à Gregorio XIV. in Constitutione, quæ incipit: Cùm alias non nulli &c. prima Junii 1591. edita, eámque refert Bullarium Magnum tom. 2. pag. 707. inter Constitutiones hujus Pontificis num. 7. & licèt Barbosa in collect. super cap. 20. sess. 25. Concilii, num. 14. allegando unam decisionem, dicat, hanc Censuram esse reservatam Sedi Apostolicæ, est tamen probabile, posse absolvi ab Episcopo; ut cum Riccio docet idem Barbosa de potest. Episcop. part. 3. alleg. 51. casu 3. n. 72. idem etiam alii tenent: hanc tamen Bullam Gregorianam in Hispania non esse usu receptam notat Diana part. 1. tract. 1. resol. 39.

13. Dantur aliqui casus, in quibus licet Judicibus laicis, de Ecclesia capere delinquentes, hósque breviter per sequentes interrogationes resolvam.

Dicat mihi V. D. prædictus delinquens occiditne proximum per industriam, & per insidias? tales enim homines beneficio Immunitatis redduntur indigni. Id probatur ex cap. 21. Exodi, "Si quis per industriā occiderit "proximum suum, & per insidias: ab "altari meo evelles eum." Cujus rei exemplum habemus in Salomone Rege. 3. Reg. 2. qui Joab ad altare confugientem impunem non reliquit: quia per insidias Abner occiderat. 2. Reg. 3. & Amasam 2. Reg. 20. Et simile est, si quis hominem veneno enecet: cùm id sit homicidium qualificatum, ac proditorium; ita Layman cum aliis tom. 2. lib. 4. tract. 9. cap. 3. sub num. 8.

P. Hujusmodi crimen non perpetraverat.

C. Erátne publicus latro, vel nocturnus depopulator agrorum, vel assassinus, qui vias publicas paratis insidiis obsideret ad homines interficiendos, vel agros depopulandos? quia nec hi immunitatis asylo gaudent. Palaus tom. 2. tract. 11. disp. unic. punct. 9. num. 2. & seq. Controversia autem est inter Authores, utrùm diurnus agrorum de populator tali immunitate fruatur; & Palaus ibi n. 5. affirmativam probabilem tenet.

P. Neque hujusmodi delictum commiserat.

C. Fortassis fuit ab Ecclesia extractus, quia dum duceretur ad carcerem è manibus satellitum evasit, ac ad

locum Sacrum confugit? in quo casu multi sustinent immunitatem nihil ei prodesse, quamvis alii piè contrarium tueantur: Ita Fagundez super præcept. Eccl. in 1. præcept. lib. 4. cap. 4. num. 57.

P. Neque hujusmodi delictum fuit.

C. Cujusmodi ergo delictum commiserat hæc persona?

P. P. R. in ipsamet Ecclesia vulnus inflixit personæ.

C. Et persona vulnerata erátne pariter in Ecclesia? quia si aggressor in Ecclesia existens vulnerasset alium extra Ecclesiam existentem, probabile est, privilegium immunitatis non amisisse: ita Bonacina, Diana part. 1. tract. 3. resol. 9. quamvis alii in hoc casu immunitatem nihil profuturam sentiant, ille tamen, qui extra Ecclesiam existens, ferit in Ecclesia commorantem, immunitate non gaudet; ita citando Suarez docet Portel. in dub. regul. verb. Ecclesiæ immunitas, num. 15.

P. P. R. tam vulneratus, quàm aggressor in Ecclesia erant.

C. Vulnus fuítne inflictum in ipsamet Ecclesia, aut violenter fuit extractus ab aggressore ad eundem vulnerandum? quia tali modo probabile est, pœnam privationis immunitatis non incurri: sic tenet contra alios Bonacina tom. 2. in 1. præcept. Decalog. disp. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 2. n. 4.

P. P. R. Delictum non fuit taliter patratum.

C. In scalis, atrio, vel porticu, vel tecto Ecclesiæ fuit fortè commissum? quia juxta Dianam part. 6. tract. 1. resol. 7. §. Oritur, in hoc quoque casu immunitatis privilegium non amittitur.

P. Intra ipsammet Ecclesiam casus contigit.

C. Ex vulnere secuta fuítne mutilatio, vel mors? secùs enim non amittitur immunitas, Diana ibid §. unde. Nec sufficit quæcunque mutilatio v. g. abscissio digiti, quia digitus non est membrum, sed pars membri, proindeque debet esse mutilatio pedis, manus &c. est enim mutilatio abscissio alicujus membri, seu partis corporis habentis Officium distinctum à reliquis. Castropalaus tom. 2. tract. 11. disp. unic. punct. 9. n. 10.

P. P. R. abscidit manum ictu gladii.

C. Inter vulnerantem, & vulneratum præcessit fortè aliquod jurgium, & dissensio, ita ut exinde percussor provocatus ad iram alium vulneraverit?

P. Non P. R. sed vulnerans animo feriendi alium, Ecclesiam adivit.

C. Si casus contigisset ob aliquam rixam ortam per accidens, & percussor fuisset provocatus, docet Diana ibid. §. sed quia, quòd Jus immunitatis non amisisset; sed cùm casus in dicta forma non successerit, nec aliqua ex dictis circumstantiis, aut aliis allegatis à Doctoribus in locis supracitatis concurrerit, hujusmodi crimen

asylum Ecclesiasticæ immunitatis amisit: hoc constat ex cap. final. de immunitate Ecclesiarum, ibi dicitur: Tales (id est illi, qui occidunt, aut abscindunt membrum in Ecclesia, vel Cœmeterio) non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos: idem habet Bulla Gregorii XIV. suprà citata.

14. P. P. R. me accusô pariter de aliquo remorsu conscientiæ supra meam habilitatem, & sufficientiam.

C. V. D. fortè non habet ætatem requisitam ad Officium Judicis, nempe viginti sex annos, aut in Universitate approbata annorum seriem non transegit? nam juxta legem decem sunt impendendi anni in longo causarum Civilium, & Canonicarum studio. Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 2. tract. 1. docum. 2. num. 2.

P. P. R. in hoc non habeo scrupulum, siquidem triginta ætatis annos habeo, ac per decem annorum curriculum legis studio incubui; meus remorsus est, quia non nimia solicitudine huic muneri vacavi.

C. V. D. saltem non ignorat necessaria ad executionem sui Officii?

P. P. R. fateor pro certo me in hoc esse aliquantulum imperitum.

C. Erravitne V. D in aliqua lite cum detrimento partium?

P. In nonnullis paulisper erravi, sed Divinâ opitulante gratiâ absque ullo secuto damno errorem correxi.

C. Est doctrina Angelici Doctoris ab omnibus recepta, quòd fungens Officio, cujus obligationibus satisfacere nequit, sit in malo statu, nisi illud deserat. Quapropter si V. D. se ad hoc munus exercendum inhabilem noscit, graviter peccat id non deserendo, ac ad resarcienda damna ex sua inhabilitate secuta tenetur; nec potest absolvi, nisi vel dimittat Officium, vel scitu necessaria sibi comparet; Marchadus ubi suprà.

§. III.

De Modo procedendi in ferendis sententiis.

15. P. P. R. dico meam culpam, quòd in lite Civili tulerim Sententiam juxta probata in processu, & allegata ab Advocato.

C. Novitne V. D. plura potuisse in favorem partis condemnatæ allegari?

P. Ita P. R. si Advocatus doctior, & habilior fuisset, plura quoque in suæ partis favorem allegare potuisset.

C. Et per allegationes novas, quæ fieri potuissent, effectáne fuisset probabilior ratio partis læsæ?

P. Non fuisset probabilior, sed æquè probabilis.

C. Tametsi cum Vasquez, & Sanchez doceat Castropalaus tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 10. num. 9. quòd Judex debeat duntaxat juxta allegata, & probata, non verò allegandа, & probanda ferre Sententiam: contrarium tamen est verum, quod

docet Dicastillo apud Dianam part. 9. tract. 9. resol. 41. & si id, quod poterat allegari probabiliorem effecisset rationem partis, censeo absque dubio Judicem debuisse id respicere in ferenda Sententia, nam oppositum est conforme propositioni damnatæ ab Innocentio XI. quæ asserebat Judicem posse secundùm opinionem minùs probabilem ferre Sententiam: sed sic est; quòd, quando Judex scit ex allegandis ab una parte probabilius reddi ejus jus, & rationem, noscit pariter hanc partem majori probabilitate fulciri: ergo non solùm ad allegata, verùm etiam ad alleganda attendere debet.

Et si objicias dicendo, quòd Judex teneatur ferre Sententiam juxta opinionem, quæ sibi probabilior videtur virtute allegati, & non allegandi: Respondeo hoc esse verum, quando allegatio est sufficiens, non quando est tenuis, & insufficiens; sed valdè mihi arridet id, quod ait Diana in fine resol. 41. citatæ, Itaque in facti contingentia, ora Deum, ut Judex tibi amicus sit.

16. P. Dico pariter meam culpam, quòd in causa Criminali condemnaverim Reum, privatâ notitiâ mihi notum insontem, ex eo, quòd habuerim plenam probationem de ejus delicto.

C. Non adhibuit V. D. aliquam diligentiam ad eum liberandum, & absolvendum? v. g. Suadendo accusatori, vel per se, vel per personas Religiosas, ut desisteret à causa, aut aliâ viâ quærendo ejus liberationem.

P. Omnem conatum adhibui pro ejus liberatione, sed accusator ita fortiter institit, ut post omnia remedia adhibita eũ condemnare debuerim.

C. Gravis controversia est inter Authores super hunc casum, quidnam debeat facere Judex, quando hominem secundùm publicas allegationes, & probationes convictum, privatâ tamen notitiâ scit esse innocentem? S. Th. 2. 2. quæst. 67. artic. 2. in corp. plerique alii sentiunt, posse Judicem in hoc casu eum morti adjudicare; quia notitia, quam habet Judex, est privata, Sententiam verò ferre debet, tanquam persona publica secundùm allegata, & probata; nonnulli sentiunt, non posse Judicem in hoc casu innocentem morti adjudicare: ita cum Nicolao de Lyra, Adriano, Angelo, Navatra, & aliis tradit Lessius de justit. & jure lib. 2. cap. 29. dub. 10. num. 18. quia inquit hominem innoxium per se, ac directè occidere (nisi Deus ita jubeat) per se, & intrinsecè est malum, sicut fornicari: quare sicut Judex Matrimoniũ, quod secundùm publica allegata validum apparet, ipse verò invalidum esse scit, nullo modo suadere potest, ne dicam præcipere homini, ut conjugi putatitio carnaliter adhæreat, cùm hæc sit copula intrinsecè mala, cujus potestatem Ecclesia nemini vult, aut potest facere c. inquisitioni de sent. ex-

com. ita pari ratione Communitas, vel Gentium jura neque volũt, neque possunt Judici dare potestatem, ut hominem, quem certò innocentem esse scit, morti adjudicet. Verum quidem est, quòd Ecclesia, & quævis Communitas velit Judicem in publicis Judiciis etiam gravioribus, seu Criminalibus procedere secundùm publicas allegationes, sed ex præsumptione, quòd eæ veræ sint, si autem contrarium Judici manifestum est, non potest esse locus præsumptioni: utramque opinionem probabilem putat Marchadus tom. 2. lib. 16. part. 2. tract. 1. docum. 4. in fine Id, quod Judex in hoc casu tenetur facere, est, omnia possibilia media adhibere pro liberatione innocentis, avertendo actorem ab accusatione, quòd si non obtineat, sedulam operam det, ut actor litem cæptam non prosequatur, curétque sive ipsum, sive testes secretò admoneri per doctos, & prudentes de sua falsitate, vereantúrque Dei judicium. Si nihilominus nolint desistere, litem protrahat, testes bis, ter, quater seorsim per intervalla diligenter examinet super circumstantiis facti, per earum species, partes, & accidentia ad deprehendendam variationem eorum, sive à seipsis, sive inter se, nec facilè permittat, ut quæ variatio fortasse deprehenditur, censeatur esse duntaxat de impertinentibus: sicut Daniel non censuit esse impertinentem circumstantiam in facto Susannæ, quòd testium unus diceret contigisse sub schino, alter sub Pino. Quòd si hac via non proficit, si commodè, & absque scandalo queat; carcerem curet manere apertum, ut reus fugiat, si ne hoc quidem succedit, ad Superiorem Judicem remittat, vel Principes in Paschate visitantes carceres, de hominis innocentia certiores reddat supplicationibus non intermissis: Verùm si postquam omnes vias tentaverit ad innocentem liberandum, nihil profecerit, deponat Officium potiùs, quàm eum condemnet, etiam cum periculo vitæ. Ita Doctores citati secundæ Sententiæ; vide Dianam part. 5. tract. 4. de homicidio, resol. 22. in causis Civilibus, ac minoribus criminalibus, quibus de pecuniarum mulcta agitur, vel de exilio, privatione Officii, aut Beneficii, docet Lessius suprà num. 84. quòd Judex debeat Sententiam ferre, & secundùm publica allegata, & probata condemnare accusatum, quem ipse privatim scit innocentem esse, si ejus innocentiam demonstrare non possit; quandoquidem plurimùm Reipublicæ interest, ut secundùm publicas allegationes judicia terminentur. Quod probabile censet Marchadus ubi suprà, ídque cum eodem Lessio, & Casparo, Hurtado sequitur Diana part. 10. tract. 15. resol. 16.

17. P. P. R. dico meam culpam, quòd in causa, cui præfui tanquam

Judex; uni parti informationem alterius oſtenderim.

C. Oſtenditne utrique parti informationes contrarias?

P. Non P. R. tantummodo uni mihi amicitiâ junctæ, hanc gratiam præſtiti.

C. Cardinalis de Lugo tom. 2. de juſtit. & jure diſp. 37. ſect. 15. num. 183. dicit, quòd per ſe loquendo, non ſit illicitum Judici ex amicitia uni parti informationes alterius oſtendere: quia hoc, inquit, prodeſt Judici pro majori dominio cauſæ ſibi comparandæ, ex notitia ſolutionis allegationum utriusque partis: addit tamen hoc utrique parti eſſe præſtandum; aliàs incurret acceptationem perſonarum oppoſitam æquitati requiſitæ in Judice: Ego puto, hoc eſſe ſemper periculoſum, tanquam expoſitum multis fraudibus, & deceptionibus, quas poſſunt adhibere litigantes habitâ notitiâ informationum, ac probationum partis contrariæ.

Et advertit Sanchez in Conſil. tom. 1. lib. 3. cap. unic. dub. 44. & ult. non licere parti alterius informationes ſibi uſurpare, aut eas petere à famulo Judicis, aut Advocato, aut Typographo, nec his eas dare, aut ſcribæ tranſumptum; niſi fortè una pars collegerit & habuerit informationes contrarias, tunc enim poſſet hæc in compenſationem colligere adverſas, ſuppoſita certitudine, quòd altera pars ſuas habuerit, non verò in caſu dubio.

18. P. P. R. dico meam culpam, quòd reo mulctam irrogaverim, ac mihi ipſi pecuniam applicaverim.

C. Eſtne V. D. Judex perpetuus; ſeu ſupremus, prout ſunt Duces, Marchiones, Comites in ſuis dominiis? quia hi poſt latam ſententiam, poſſunt ſibi applicare pœnam pecuniariam: ſic Sanchez ubi ſuprà dub. 8. num. 4.

P. Non fuit, nec modò eſt hujusmodi meum Officium.

C. Applicuitne ſibi pœnam pecuniariam ante, vel poſt latam ſententiam?

P. poſtquam tuli ſententiam.

C. Reus interpoſuitne appellationem?

P. Minimè.

C. Eſtne lex aut ſtatutum Civitatis, quòd Judex ſibi ipſi mulctam applicare poſſit?

P. Non P. R.

C. Nequeunt Judices temporanei ſibi ipſis applicare nec totam, nec partem mulctæ præterquam ſi hoc leges, aut ſtatuta Civitatis concedant, in quo caſu poſſent id facere poſt latam ſententiam, & ſuſpenſionem appellationis, ac rem completè judicatam. Sanchez ibid. num. 1. 2. & 3. Trullench tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 1. dub. 12. n. 4. Quare cùm V. D. hanc pecuniam illicitè acceperit, tenetur eam reſtituere Fiſco, aut perſonæ, cui juxta leges eſt applicanda.

19. P. P. R. dico pariter meam cul-

 pam,

pam, quòd in decisione valdè dubia unius litis cum aliquo scrupulo remanserim, utrùm ritè sententiam pronuntiaverim.

C. Fuítne dubium juris, vel facti? vel positivum, aut negativum? quia in dubio positivo; nimirum quando sunt opiniones probabiles, tam circa factum quàm circa Jus, debet Judex ferre sententiam secundùm opinionem probabiliorem, cujus oppositum damnatum est, ut in principio hujus capitis adnotavi: In varietate opinionum æquè utrinque probabilium jam dixi alibi, Judicem posse judicare secundùm quam maluerit sententiam, vel affirmativam, vel negativam secluso scandalo; ita cum Navarro, Decio, & aliis Joannes Valerus in differ. utriusque fori, verb. Opinio, diff. 3. num. 1.

P. P. R. adeò dubia fuit mareria, ut nec de facto, nec de jure probabile judicium ferre quiverim.

C. Fuítne in possessione aliquis litigantium? quia existente pari dubio juris utriusque partis, ita ut Judex sit omninò pendulus, tenetur possidenti favere: *Quia in dubio melior est conditio possidentis.*

P. Neutra partium fuit in possessione.

C. Res illa erátne divisibilis? in eodem enim dubio si neuter possidet, tenetur Judex inter utrumque dividere, quia æquum est utriusque jus. Diana part. 4. tract. 3. resol. 40.

P. Non erat res divisibilis, sed individua.

C. Quomodo se gessit V. D. in hoc casu?

P. præcepi, ut litigantes ponerent sortem, & is super quem sors caderet, rem possideret.

C. Bene fecit: nam in casu dubio, si res est individua, consignanda est sorti, & is super quem cadit sors, majus Jus in effectum habere debet: Diana ibidem.

20. P. P. R. dico meam culpam, quòd aliquantùm piger fuerim in expediendis celeriter causis.

C. Distulítne hoc V. D. ob legitimum impedimentum, ratione cujus impossibile fuerit eas expedire?

P. Fui valdè negligens, & piger in applicatione.

C. Mortaliter peccat Judex contra proprium Officium causarum expeditionem notabiliter differendo; imò tenetur parti læsæ damna, & expensas, quarum causa est, restituere, quia causa injusta damni ad illius restitutionem obligatur. Bonacina tom. 2. disp. 10. in Decalog. quæst. 2. punct. 3. n. 4 Res hæc valde ponderanda est à Judicibus cæterisque Ministris Justitiæ pro solicita causarum expeditione; quandoquidem ex earum dilatione gravibus damnis, ac sumptibus miseri litigantes sunt obnoxii; cùm pro litium prosecutione proprias domus, familias, & bona deserant, ac proinde si Judices diuturna

turna ſpe eos detinent, maxima incommoda iis inferunt.

Utrùm Judex pœnam reo debitam remittere, & condonare poſſit, dictum eſt 1. part. confer. tract. 3. confer. 6. §. 3. caſ. 5. n. 22. ubi reſolutum fuit, Judicem inferiorem hoc non poſſe, bene verò Superiorem. Prolixum eſſet hìc agere de omnibus ad Judicis Miniſterium pertinentibus, integer enim tractatus ad hoc requireretur, hæc magis ad praxim neceſſaria ſufficiat exaraſſe pro inſtructione Confeſſarii.

CAPUT II.

De Statu, & Officio Advocatorum.

21. P. P. R. confiteor me habere remorſum conſcientiæ ſuper cauſam perditam, cujus patrocinium ſuſcepi, nec ſcio utrùm meâ culpâ id advenerit.

C. Fuitne lis in causa civili, vel criminali?

P. In cauſa civili.

C. Judicavitne V. D. quòd fuerit juſta causa partis, cujus ſuſcepit patrocinium?

P. Judicium certum non tuli, ſed probabile.

C. Exiſtimavit fortè probabiliorem eſſe opinionem contrariæ partis?

P. Ita P. R. Oppoſitam majori probabilitate fulciri mihi viſum fuit.

C. probabilitas rationum partis, quam V. D. defendit, fuitne ita modica, ut rarò Judices eam ſequi ſolerent?

P. Non fuit ita modica, quin multoties eam judices ſecuti fuerint.

C. Advocatus cauſæ injuſtæ patrocinari nequit, ſecùs enim non tantùm violat juramentum emiſſum de non patrocinandis cauſis contra juſtitiam; ut inquit Marchad. tom. 2. lib. 6. part. 3. tract. 1. docum. 2. n. 5. ſed etiam peccat contra juſtitiam cum onere reſtitutionis damnorum. Attamen ſi Cauſidicus cenſet ſuæ partis rationem eſſe probabilem, poteſt ei patrocinari; & etiam licèt judicet eſſe minùs probabilem oppoſitâ, ita Caſpenſis tom. 1. tract. 11. de conſcient. diſp. 3. ſect. 8. num. 61. & ipſemet dico cum Lumbier, & Torrecilla 1. part. praxis tract. 10. ſuper propoſ. 2. dam. ab Innoc. XI. num. 25. In hoc tamen caſu ait Diana part. 2. tract. 13. de opin. prob. reſol. 4. tenetur manifeſtare parti minorem probabilitatem ſuæ cauſæ, ut hujus conſcia, conſentiat vel ne in initium litis; quòd ſi non adimpleat, tenetur reficere damna, & expenſas, ſin verò opinio ſuæ partis eſſet talis, ut rarò, aut nunquam Judices in eam inclinarent, non poteſt ejus patrocinium ſuſcipere, quia exponit ſe manifeſto periculo perdendi cauſam; & ſi hanc ſuſcipit, præſertim non manifeſtando clienti, quòd Judices rarò, aut nunquam ſoleant juxta talem opinionem judicare, ad reſtitutionem tenetur.

Trullench in Decalog. tom. 2. lib. 8. cap. 5. dub. 4. n. 4.

Si probabilitas esset modica, aut tenuis, sive intrinseca, sive extrinseca, neutiquam erit sequenda; cùm hoc sit damnatum ab Innocentio XI. in 3. propos. cujus explicatio videatur in mea Praxi ubi supr. num. 26. Multò minùs Causidicus seu Advocatus potest suscipere causam, quando est merè dubium Jus suæ partis: Quidquid in contrarium senserit Lorca apud Caspensem ubi suprà.

Advertentia.

22. ADmoneo hìc speciali attentione PP. Confessarios, ut quando ad eorum pedes procumbet aliquis Advocatus eidem objiciant gravia inconvenientia, quæ sequuntur ex patrocinio causarum injustarum, cupiditate, & avaritiâ ducti, nihil ponderantes ex litibus oriri odia, aversiones, malevoleptias, amaritudines, expensas, & quamplurima alia inconvenientia, nonnulli enim cujusvis causæ defensionem suscipiunt, montes valde asperos explanando, quod est valde dubium, tanquam verum pingendo, promittendo, justitiam propitiam, cui injustitia arridet, injustissimas prætensiones velut justas laudando; bonum exitum ex pessimis principiis pollicendo. Admoneant ergo hujusmodi Advocatos non tantùm de gravi peccato cum onere restitutionis, verùm etiam, quòd post cæptam litem si in progressu causæ iniquitatem videant, teneantur ab ea tuenda desistere juxta juramentum ab iisdem emissum; & si noverint, quòd quantumvis pars habeat rationem probabilem; Judices tamen plerumque juxta talem opinionem non judicent, litigantes de hoc certiores reddere debeant, ac Christianâ Charitate eos ad pacem hortari meliorique modo eos componere; aliàs væ illis!

23. P. P. R. confiteor pariter, me aliam causam criminalem defendisse cum opinione minùs probabili.

C. V. D. Defenditne Actorem, vel Reum? quia in Rei defensionem bene potest Advocatus cum opinione minùs probabili ejusdem patrocinium suscipere: Lessius lib. 2. de Just. cap. 32. num. 52. cum Soto ab eo citato.

P. P. R. Actorem defendi.

C. Quando Justitia Actoris seu Accusatoris est minùs probabilis, quàm ea Rei, docent Jo: de la Cruz, Martinez, & alii, apud Dianam suprà, Valentia, & Sylvester apud Palaum part. 1. tract. 1. de conscient. disp. 2. punct. 11. num. 1. Salon, & Sotus apud Trullench, loco citato num. 3. quòd nequeat Advocatus defendere Actorem; quia cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori de reg. jur. in 6. regul. 11. Verùm communis sententia est, posse Advocatum causam sibi probabilem,

bilem, etiam relictâ probabiliori patrocinari attento jure Canonico: ita Lessius suprà, Bonacina tom. 2. disp. 10. in Decalog. quæst. 3. p. 4. num. 8. Trullench suprà, Salas, uterque Sanchez, Villalobos, & alii, quos citatos sequitur Palaus supr. n. 2. munus enim Advocati est, veritatem partis, quam defendit, elucidare, & rationibus ac allegationibus Judicem ad sententiam in favorem sui Clientis inflectere, quod ubi est causa probabilis, fieri pro libito potest; nam licèt sibi jus contrariæ partis probabilius appareat, fortè Judici non apparebit; quare Advocatus non petit à Judice sententiam in favorem Actoris contra reum; casu quo Judex illam dare non possit, sed repræsentat Judici jus actoris, ut ipse examinet, & videat, an possit pro illo sententiam ferre, ipséque Advocatus existimat posse, eò quòd pars, quam defendit, habeat probabile jus, & fortè aliis probabilius; unde regula juris allegata intelligenda est de Judicibus, non de Advocatis, qui sententiam in causa non ferunt; hanc secundam sententiam valde probabilem censeo, licèt prima magis pia, & benigna sit, tanquam misero favorabilis.

24. P. P. R. confiteor, quòd in nonnullis causis aliqua astutia usus fuerim, ad evincendum meum Adversarium.

C. Lis, quam defendebat V. D. erátne injusta? quia si hoc esset, non potuit uti his artibus, & damna illata reficere teneretur.

P. P. R. Non erat injusta lis, quam defendebam, sed valde probabilis.

C. Hujusmodi astutiæ, & solertiæ fuerúntne cum falsitate, & mendacio? Etenim cùm mendacium sit intrinsecè malum, non potest adhiberi ut medium ad vincendam partem.

P. P. R. nulla falsitas intervenit, sed solummodo petii dilationes, & interposui suspensiones, ac similia, ut hoc modo victor evaderem.

C. Nefas est Advocatum allegare instrumenta falsa, dolosos testes, hosque subornare, superfluas dilationes introducere in partis adversæ detrimentum; ita Sylvester verb. Advocatus, num. 4. Navarrus, Filliucius, & alii, citati à Fagundez, tom. 2. in præcept. Decalog. lib. 9. cap. 38. num. 18. verum est, Advocatum cum justo dictamine defendentem suum clientem posse licitè uti aliqua arte, aut solertia occultando aliqua, quibus posset ejusdem processus, & emolumentum impediri, ita D. Th. 2. 2. quæst. 71. art. 3. in fine, his verbis: "Unde, & Advocato defendenti causam justam, licet prudenter, occultare ea, quibus posset impediri processus ejus: non autem licet ei aliqua falsitate uti:" videatur Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 3. tract. 1. docum. 7. num. 2.

25. P. Sic pariter confiteor P. R. quòd in quadam occasione duos colli-

litigantes adversarios defenderim.

C. In eadem, vel in diversis causis hoc factum est? quia bene potest in una causa defendi litigans, ejusque adversarius in altera, modò exhinc nullum sequatur scandalum.

P. In una eademque causa.

C. Manifestavítne V. D. parti adversæ fundamenta, & rationes, quibus suam partem justè tuebatur? hoc enim culpam gravem contra justitiã redolet; ut cum Soto Navarro, & aliis tenet Lugo tom. 2. de justit. disp. 41. sect. 1. n. 6. in fine, proindéque cum onere restituendi damna secuta; ita cum Rodriquez, & aliis Fagundez in 8. præcept. Decalog. lib. 8. cap. 47. num. 13.

P. Non manifestavi parti adversæ fundamenta, & rationes in favorem meæ partis militantes.

C. Defendítne V. D. in una eadem instantia, aut in differentibus ambas partes?

P. In diversis instantiis; nam meam partem defendi in prima instantia, & contrariam in causa appellationis.

C. Secutúmne fuit exinde aliquod scandalum?

P. Minimè.

C. Secluso scandalo, non est illicitum, secundùm se, Advocato in diversis instantiis advocare pro duobus collitigantibus, videlicet pro uno in causa principali, & pro alio in causa appellationis, sic Thom. Sanchez in Consil. tom. 2. lib. 6. cap. 7. dub. 7. num. 3. Dixi, secundùm se, hoc non esse illicitum, quia posset esse vigore legum Municipalium interdicentium, ne Advocatus in una causa, & instantia defendat unam partem, & in altera contrariam; idem Sanchez ibidem citando lib. 2. de las Orden tit. 16. lib. 31.

26. P. P. R. confiteor, me in alia causa, in qua functus fui Officio Advocati, postmodùm tanquam Judicem tulisse Sententiam.

C. Tulítne V. D. Sententiam juxta leges, & Justitiam?

P. Ita P. R.

C. Ductáne fuit V. D. ab aliquo inordinato affectu, dependentia, aut respectu humano?

P. Non P. R. cum omni libertate, & æquitate possibili Sententiam ferre nixus fui.

C. Tametsi secundùm dispositionem Juris videatur, quòd Advocatus in eadem causa nequeat esse Judex; attamẽ cùm hæc lex fundetur in præsumptione alicujus inordinati affectus, hoc cessante, & Sententiam ferendo juxta leges, ait cum Corduba Diana part. 3. tract. 5. resol. 56. quòd in foro conscientiæ possit esse Judex in causa is, qui fuit in eadem Advocatus.

27. P. Confiteor etiam P. R. quòd defectu debitæ, & possibilis applicationis lis, pro qua advocavi, perdita fuerit.

C. Non adhibuit V. D. diligentiam circa punctum, & materiam litis?

P.

P. aliquam diligentiam adhibui, majorem tamen adhibere potuissem.

C. pro resolutione hujus casus supponendum est, triplicem esse culpam Juridicam: latam, levem, & levissimam: culpa lata, est omissio diligentiæ, quam passim Advocati mediocriter incumbentes litibus adhibere solent: culpa levis, est omissio diligentiæ, quam ordinariè solent impendere Advocati soliciti, diligentes, & docti, ac timoratæ conscientiæ: culpa levissima, est omissio diligentiæ, quam solent præstare doctissimi, & diligentissimi Advocati in similibus causis.

Si omissio Advocati est culpa lata, & propterea amittitur causa, certum est, teneri ad restitutionem damnorum ex sua omissione consequentiũ: si ex culpa levissima, certum quoque est, non teneri ad restitutionem, licèt causa perdatur: Controversia verò est inter Authores, utrùm Advocatus obnoxius sit restitutioni, quando perditur lis ex culpa ejus levi (dicitur levis, non quia duntaxat sit peccatum veniale, sed comparativè ad culpam latam) nonnulli sustinent, teneri ad restitutionem, alii contrarium sentiunt, ut videre est in Diana part. 2. tract. 15. resol. 59. & in Marchado tom. 2. lib. 6. part. 3. tract. 1. docum. 3. num. 3.

Ego verò existimo, si contingat causam amitti ob culpam levem Advocati, non adhibentis eam diligentiam, quam passim solent adhibere cæteri boni Advocati, eundem teneri ad compensationem damnorum exinde parti consequentium; ratio est, quia inter Advocatum, & clientem est contractus onerosus, in quo uterque habet Jus, cliens quidem ad sui defensionem, & Advocatus ad stipendium pro labore: sed sic est, quòd in contractibus onerosis, in quibus utraque pars habet jus, adsit obligatio restitutionis, quando res amittitur ob culpam levem, ut tenet communis sententia Theologorum, & Juristarum, & docui 1. part. prax. tract. 7. cap. 5. part. 1. num. 97. ergo si Advocatus ob levem culpam amittat causam, ad restitutionem in integrum obligabitur.

28. P. P. R. Confiteor me annuatim percipere ab aliquibus personis certum stipendium pro defendendis causis, eo anno ipsis occurrentibus; & subinde accidit, quòd per totum annum nulla causa fuerit patrocinanda, quo non obstante salarium percepi.

C. Contigitne, quòd aliis annis fuerint plures causæ, excedentes pretium ordinarii salarii?

P. Ita P. R. multoties.

C. Accepitne V. D. tunc auctius salarium?

P. Non P. R.

C. In hoc casu vult Diana ubi suprà resol. 42. Azorium, quem citat, opinari, quòd Advocatus nequeat acci-

 pere

pere stipendium, quando eo anno non occurrunt causæ; Azorius tamen non docet hanc opinionem in terminis, à Diana possitis, sed in casu valde diverso; quandoquidem, quod dicit Azorius 3. part. lib. 13. c. 29. dub. 10. est solummodo, quòd si ob aliquem casum fortuitum non potuit Advocatus laborare in lite, nequeat pariter accipere totum salarium: sed verius est (inquit Azorius) nimirum Salarium tantum deberi, pro rata temporis, quo laboratum est in lite; in quo casu supponit hic Author, quòd pars habuerit litem, & quòd Advocatus ob aliquod impedimentum ei incumbere nequiverit; & in hoc casu inquit, quòd nequeat totum Salarium recipere, sed tantùm partem, pro rata temporis, quo laboratum est in lite: quod ut patet, est valde diversum à casu proposito à Diana, in quo supponit toto anno nullam fuisse causam: Sententia Azorii mihi videtur vera, quia si Advocatus non poterat vacare liti, pars alium solvere obligabatur, ergo non erat justum, quòd Advocatus conductus integrum Salarium acciperet.

Revertendo ad nostrum casum, valde probabilem censeo sententiam Guttierez apud Dianam ibid. nempe quòd licèt toto anno nulla occurrat causa, possit Advocatus accipere à parte salarium sibi assignatum; ratio est, quia stante dicta conventione, etiamsi cliens plures causas eo anno haberet, & respectu eorum exiguum esset salarium, non posset hoc casu Advocatus majus salarium petere: ergo ut æqualitas in contractu servetur, æquitas dictat, posse eum accipere taxatum salarium, seclusis etiam litibus: Secundò probatur ratione vinculi obligationis, quô ipse Advocatus adstrictus erat ad advocandum pro suo Cliente; quæ quidem obligatio in habitu, licet ad actum non sit redacta propter defectum causarum, tamen pecuniâ est æstimabilis, maximè cùm talis Advocatus propter hanc obligationem non possit pro aliis contra suum Clientem advocare; sicque privatur sua libertate, spéque lucrandi ab aliis. Potuit enim verisimiliter contingere, ut auctius salarium sibi ab adversis partibus offerretur, si pro suo cliente non teneretur: quæ omnia considerabilia sunt, atque pecunia æstimanda. confirmatur à paritate Medicorum, qui posito contractu de Salario ipsis tribuendo, licèt pauci, aut nullus fit infirmus, id tamen recipere possunt, ergo idem dicendum de Advocatis.

29. P. P. R. confiteor, me angi aliquo scrupulo, utrùm interdum perceperim stipendium, excedens meritum mei laboris.

C. Licet Advocato accipere justam mercedem sui laboris, ita D. Thom. 2. 2. quæst. 7. art. 4. in corp. his verbis:

bis: "Manifestum est autem, quòd "Advocatus non semper tenetur pa- "trocinium præstare, aut consilium, "dare causis aliorum; & ideò si ven- "dat suum patrocinium, non agit "contra justitiam:" attamen dicat mihi V. D. éstne taxatum à lege salarium dandum Advocatis pro eorum labore?

P. Ita P. R.

C. Excessítne V. D. taxam assignatam à legibus?

P. Aliquoties excessi.

C. Hujusmodi leges, quæ taxarunt stipendia, suntne in vigore, aut per usum contrarium fuit iis derogatum?

P. P. R. communiter videtur neminem eas observare.

C. Tolerántne hoc principes, conscii, quòd taxa à lege assignata non observetur?

P. Ita P. R. etenim nunquam vidi propter hoc eos aliquem punivisse.

C. Quando stipendium est taxatum à lege, nihil plus potest accipi, nisi fortè consuetudo in contrarium prævaleret eidem legi; ut colligitur ex S. Thom. *in contextu art. cit. Moderatè accipiant considerata conditione personarum, & negotiorum, & laboris, & consuetudine Patriæ*: idem habet Trullench *in 8. Decalog. lib. 8. cap. 5. dub. 5. n. 2.* Marchadus ubi suprà docum. 6. n. 2. Verùm ut consuetudo deroget taxæ legis, requiritur consensus saltem tacitus Principis, & aliæ conditiones, quas refero in meis conferent. tract. 3. confer. 7. §. 3. n. 17. Villalobos tamen in sum. tom. 2. tract. 18. diffic. 4. num. 2. exaggerat, & meritò hanc materiam his verbis: "Mas quanto al precio, que han de "lleuar, obbliga en conciencia, por- "que esta tassa es justa como la tassa "del trigo, y ortas Y si dizen, que "non se pueden sustentar, se respon- "de, que si pueden, sustentandosi "moderatamente. Y mas, que aora "será esto, porque son muchos los "Abogados, y. a lcunas vezes son "mas, que los pleytos, y essa multi- "plicacion no ha de ser causa para en- "carecer el precio, sino antes para ba- "xarle, que quando ay mucha frutta, "vale mas barata." Usque huc Villalobos; consulat hunc Confessarius, & meo judicio non pœnitebit.

Et addit num. 3. quòd nequeat Advocatus pacisci cum cliente de aliquota parte litis, puta si vincat, ut pro pretio det dimidiam, tertiam, vel quartam partem illius; quia hujusmodi pactum vetitum est L. Si qui C. de postulando, & l. sumptus ff. de pactis, ne via, & aditus advocatis aperiatur vincendi lites per fraudes, ut parte promissa fruantur: licet tamen pacisci absolutè de tanto pretio solvendo, sive causa obtineatur, sive non, & tunc Advocatus ex vi prædictæ pecuniæ promissæ tenetur pro tota causa prosequenda. Ita Trullench suprà num. 5. Navarrus, Reginaldus, Azorius, & alii communiter.

30. P. P. R. confiteor, me parùm fuisse pium, & addictum causis pauperum tuendis.

C. Negavitne V. D. patrocinium alicui in extrema necessitate constituto? in hoc enim casu gratis patrocinium præstare debuit: Extrema necessitas tunc est, quando pauper sic eget patrocinio, ad quod tamen habendum, pecuniâ, & similibus destituitur, ut nisi adjuvetur, causâ sit casurus, & vel injusta morte plectendus, vel suis quantulæcunque sint, rebus omnibus spoliandus, ac in extremam inopiam redigendus.

P. Non fui ita tyrannus, ut in casu adeò urgenti deliquerim.

C. Fortassis denegavit patrocinium alicui pauperi, in gravi necessitate posito? gravis necessitas est, quando nisi gratis juvetur, litem perdet, ratione cujus aut gravem bonorum jacturam patietur, aut ad triremes, dirúmve carcerem condemnabitur, aut in morbum periculosum incidet; Et in hoc casu sub mortali tenetur gratis Advocatus ei patrocinari: Ita Sylvester verb. Advocatus num. 11. Sotus lib. 5. de Justit. quæst. 8. art. 1. §. sed alterum, prope medium, & alii; ratio est, quia si Advocatus gratis non adjuvet pauperem, gravi necessitate laborantem, cùm possit, habet substantiam, quâ juvare illum potest, ac nihilominus claudit viscera sua ab eo; igitur mortaliter peccat. Juxta illud 1. Joh. 3. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? nihilominus certum est, in nulla necessitate teneri Advocatum ferre patrocinium cum gravissimo suo incommodo; quia opera charitatis non obligant cum tanto damno: ita Villalobos suprà diffic. 1. num. 4. quod damnum raró aut nunquam accidet.

P. Neque pauperes, quos defendi, fuerunt in gravi necessitate.

C. Ergo horum pauperum necessitates fuerunt communes? communis necessitas est, quando nisi juvetur pauper litigans, is jacturam aliquam patietur; quamvis non adeò gravem: ut notabiliter statum ejus imminuat.

P. Erant hujusmodi necessitates pauperum, quos tueri neglexi.

C. Jure communi sancitum est, ut Advocati abque mercede aliqua defendant pauperes, ubi nullus alius Advocatus conductus patrocinium præstiturus est, quinimò antequam huic muneri dent operam, jurant se eosdem gratis defensuros. Ita Marchadus supr. docum. 5. num. 1. & num. 4. qui citat nonnullos asserentes, in communibus necessitatibus pauperum non teneri præcisè eos defendere: at Villalobos ibid. num. 5. sentit adesse talem obligationem in iisdem necessitatibus; licèt affirmet, non peccari graviter unum vel alterum pauperem non defendendo, modò

Ad-

Advocatus nullum absolutè defendere intendat; Verùm D. Thom. 2. 2. quæst. 41. art. 1. ait Advocatum cum levi suo detrimento teneri patrocinari etiam in communibus pauperum necessitatibus; nam ex superfluis tenentur homines facere eleemosynas in communibus necessitatibus; patrocinium autem eleemosyna quædam est, & hoc ipso, quòd levi cum detrimento fieri potest, habet rationem superflui.

Ego verò sequor Doctrinam Lessii lib. 2. de justit. cap. 31. dub. 7. sub n. 6. in fine, ubi ait; in hac materia vix posse dari in pauperibus necessitatem, quæ sit merè communis. *Communis necessitas vix locum habet in ista materia; quia causæ Judiciales sunt ordinariè magni momenti respectu pauperum. vel certè pauperes non sunt.* Sic Lessius, cui relatis iisdem verbis consentit Trullench loc. cit. dub. 2. num. 2. quia, etsi causæ pauperum (præsertim Civiles) sint parvi momenti respectu personæ divitis, respectu tamen pauperis multùm intersunt: ergo &c.

31. P. P. R. confiteor, me semel ut excommunicatum functum fuisse Officio Advocati.

C. Tametsi dixerim suprà cap. 1. §. 2. quòd actus Judicis excommunicati non tollerati sint nulli, & invalidi: ii tamen Advocati non sunt hujusmodi, licèt si esset vitandus, peccaret exercendo suum Officium, vel venialiter ut vult Villalobos tom. 1. sum. tract. 17. diffic. 14. num. 8. aut mortaliter, ut sentit Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 3. tract. 1. docum. 8. num. 1. verum est, quòd Judex possit, & etiam debeat rejicere dictum Advocatum excommunicatum vitandum, ut constat ex cap. Decernimus de sent. excommunic. in 6. Et si de facto Judex eum rejiciat, nulli sunt actus à tali Advocato rejecto facti: sed si est toleratus, non solùm sunt validi ejus actus, sed nec peccat exercendo suum Officium postulatus à parte; si verò ex se hoc agit, peccat, communicando in hac occasione cum fidelibus. Aliqui casus sunt, in quibus Judex, Advocatus, & alii excommunicati, quantumlibet vitandi, & non tolerati, possunt communicare cum fidelibus, & fideles cum ipsis, & solent comprehendi in illis verbis: Utile, lex, humile, res ignorata, necesse, quorum explicatio videri potest 1. part. prax. tract. 5. cap. 6. num. 47. pag. 104.

32. P. P. R. confiteor, quòd post aliquot annos in advocando impensos, sacrum Presbyteratus Ordinem susceperim; & hoc non obstante primum officium exercere non intermisi.

C. Hoc contigítne in forma Juridica; vel duntaxat consulendo? quia clericis in casibus, in quibus etiam interdictum est advocationis officium, fas est domi consulere, & conficere juris allegationes in scriptis: Diana part.

part. 10. tract. 11. resol. 69. §. Nota tamen.

P. P. R. In forma Juridica quandoque advocavi.

C. Factum éstne hoc in causa criminali contra aliquem reum? quia si hoc esset, & sequeretur sententia mortis, aut mutilatio, sicut incurritur irregularitas, ita fas non esset Clerico advocare in hujusmodi causis.

P. Non fuit in causa criminali, sed civili.

C. Decisio Canonica est in cap. Clerici, de postulando; ne Clerici sive minoribus, sive majoribus Ordinibus initiati ante Judicem sæcularem advocare queant: Clerici in Subdiaconatu & suprà (ait cap. cit. & Concilium Lateranense cap. 12. sub Alex. III.) & in Ordinibus quoque minoribus, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, coram sæculari Judice advocati in negotiis sæcularibus fieri non præsumant: verùm ut notat idem textus, si Clericus in minoribus Ordinibus stipendio Ecclesiastico non sustentetur, non est hìc ei vetitum Officium advocati exercere.

33. Sed dicat mihi V. D. in propria causa fortè advocavit? hoc enim non prohibetur, sed ipsamet lex hoc permittit cap. cit. Nisi propriam causam, aut Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti.

P. P. R. non fuit in propria causa.

C. Forsitan pro miserabilibus personis, non habentibus media prosequendi suas causas, ut sunt pupilli, viduæ &c. quia in similibus etiam casibus permittunt Canones, ut Clericus advocare possit. "Aut pro miserabilibus fortè personis, quæ proprias "causas administrare non possunt," eod. cap.

P. Non fuerunt hujusmodi conditionis personæ.

C. Fortè ad administrandam causam alicujus personæ conjunctæ? quia etiam hoc concedunt Canones cap. cum Sacerdotis final. de postulando, si talis persona indiget: vel (si necessitas immineat) pro personis conjunctis: quod Barbosa, cum aliis, citatis à Marchado tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 3. docum. 4. num. 4. dicit, posse extendi ad amicos qui in illis verbis personis conjunctis comprehenduntur.

P. Nec conjuncti, nec amici fuerunt ii, pro quibus advocavi.

C. Defenditne V. D. plures causas simul & semel?

P. Non P. R. unicam tantùm, qua finita, aliam tuendam suscipiebam.

C. Non obstante hac prohibitione Canonica, docent Garzia, & F. Martinus à S. Joseph apud Dianam ubi suprà, & teste Marchado loc. cit. est communis; quòd possit Clericus munus Advocati exercere coram Judice sæculari pro uno tantùm negotio, & hoc finito, pro alio, & sic de singulis: quod puto probabile, quia cap. Clerici cit. dicit in negotiis in plurali, nempe

nempe quòd non administret plures causas uno eodémque tempore, quia hoc esset impeditivum quietis, requisitæ ad Divinum servitium: ergo non prohibebitur ipsi, quin possit suscipere patrocinium unius causæ, postmodùm alterius, & sic consequenter.

34. P. P. R. confiteor, me aliquoties non jejunasse tempore præcepto, ob labores mei Officii.

C. Laborabátne V. D. tota die in suo Officio?

P. Ita P. R.

C. Leander à Sacramento part. 3. tract. 5. disp. 8. quæst. 122. cum Pasqualigo, & aliis, probabile censet, quòd Advocati, Judices, & Procuratores, laborantes tota die in suo munere (secùs non) non obligentur ad jejunium; eò quòd labor eorum sit valde ingens, & notabilis, spectata diurna continuatione: quamvis contrarium teneant Azorius, Ledesma, & alii, quos refert Leander ibi; quia modicum esse eorum laborem existimant. Et R. P. Torrecilla super Proposi. 30. damnatam ab Alexandro VII. num. 11. sentit, non damnari hanc opinionem Leandri.

CAPUT III.

De Officio, & Statu Procuratorum.

35. Officium Procuratorum non multùm differt ab Officio Advocatorum, & fermè totum, quod dictum est in præcedenti capite de Advocatis, convenit & applicari potest Procuratoribus, qui graviter peccant, procurando in causis injustis, aut modicæ probabilitatis, aut in iis, quibus rarò, aut nunquam solent favere Judices in ferendis sententiis, nec debent assumere tot causas, quas celeriter expedire non possint, multò minùs quærere, aut dilationes superfluas, aut falsitatibus, & fraudibus partem adversam defatigare; & si lis perdatur ex eorum culpa lata, aut levi, ad restitutionem tenentur: Quapropter ingenuè & simpliciter debent manifestare parti qualitatem causæ, quam administrant, an cum fundamento sit spes, vel ne eam vincendi; neutiquam verò explanare difficultates, aut pontem vitreum velut aureum repræsentare; cùm Excommunicatione sunt irretiti, suum Officium exercere nequeunt, nisi cum limitationibus supradictis de Advocatis; & si essent Clerici Beneficiati, aut Ordine sacro initiati, eodem fungi non possunt coram Tribũalibus sæcularibus, præterquam cum conditionibus, quæ ut suprà Advocatis suffragantur: & pariter, sicut hi in iisdem casibus tenentur gratis defendere pauperes; ita Villalobos tom. 2. sum. tract. 18. diffic. 1. num. 6. Eorum Officium est tueri suam partem per omnes vias justas, ipsis possibiles, porrigendo supplices libellos, petendo dilationes, &c. iisdem cautum est lege Recompilationis conficere allegationes more Advocatorum; nec tali munere fungi

possunt absque prævio examine de habilitate, & juramento præstito fidelitatis, & sinceritatis. vide Marchadũ tom. 2. lib. 6. part. 3. tract. 1. doc. 13. per totum.

36. P. P. R. accuso me angi aliquo scrupulo, utrùm stipendium mei laboris meritum excedens acceperim.

C. accepítne V. D. ultra id, quod communiter solent cæteri in similibus causis accipere?

P. Suadeo mihi nihil plus cæteris Procuratoribus accepisse.

C Non licet Procuratori accipere excedens stipendium, ita Bassæus verb. Procurator, num. 7. & juxta excessum stipendii gravem, vel levem, gravis quoque vel levis erit culpa cũ onere restitutionis ejusdem excessus: cùm autem à jure communi non sit taxatum Procuratorum stipendium, debent se conformare legibus Regni, vel consuetudini legitimè introductæ, vel determinationi justæ prudentum, attento labore, diligentia, & peritia Procuratoris. Marchadus ubi suprà docum. 1. num. 2.

37 P. P. R. accuso me pariter in aliqua causa accepisse stipendiũ, etiamsi Notarius, & Advocatus nihil acceperint.

C. Solvítne pars V. D. id, quod pro suo labore debebatur? secùs enim potuit sibi retinere, quod pro Advocato, & Notario acceperat: modò nihil ultra sibi debitum retinuerit.

P. P. R. pars in integrum mihi satisfecit.

C. Concesseruntne gratis acta Advocatus, & Notarius intuitu, & in gratiam V. D. solummodo? quia in hoc casu probabile est, quòd potuerit eorum stipendia sibi retinere; ita Bonacina tom. 2. circa 8. præcept. disp. 10. quæst. 3. punct. 4. num. 13.

P. Verè nescio, an mei intuitu hoc fecerint.

C. Fortassis intuitu partis consanguinitate, aut amicitia junctæ hæc cessio stipendii ab Advocato, & Notario facta fuit? si enim cessisset intuitu partis, non poterat V. D. eorum stipendium sibi retinere, sed teneretur eidem parti restituere: idem dicendum, si indistinctè acta gratis concedunt, videlicet nec intuitu Procuratoris, nec intuitu partis.

P. Nec scio, an intuitu partis, vel in gratiam mei acta gratis concesserint; quia utrique eramus Advocato, & Notario amicitiâ juncti.

C. In dubio non potuit V. D. stipendium Advocato, & Notario aliàs debitum, vel dari consuetum recipere, vel retinere, ac proinde parti id restituere debet: sic Bonacina suprà §. Quando autem. Bassæus verb. Procurator, in supplem. num. 1. quia in dubio est melior conditio Clientis, suam pecuniam possidentis: atqui Cliens est in possessione juris ad suam pecuniam: ergo in dubio utrùm Advocatus, & Notarius acta gratis concesserint intuitu V. D. Clienti eadem pecunia applicanda est.

38. P. P. R. me accuso, quòd cùm pro salario ad tuendam litem percepissem viginti coronatos, mediante alio Procuratore, cui duodecim coronatos largitus sum, hoc impleverim.

C. Procurator substitutus fuítne æquè idoneus, peritus, & aptus?

P. Ita P. R.

C. Duodecim coronati eidem traditi, fuerúntne sufficiens stipendium pro labore illius causæ?

P. Maximè.

C. Si ergo duodecim fuerunt sufficientes, cur V. D. viginiti percepit?

P. Quia cùm non detur taxa limitans stipendia causarum, consuetudo introducta est, quòd in causis alicujus momenti fiat conventio cum parte de salario, & hoc accipimus.

C. Labori hujus causæ vel debebatur stipendium viginti, vel duodecim tantùm coronatorum? si viginti, quomodo V. D. potuit asserere, quòd dando substituto dimidium, justum stipendium ei præberet? si dimidium duntaxat promerebatur, qua conscientia V. D. de viginti coronatis accipiendis pacisci voluit?

P. P. R. mox ei dicam: ab initio causa videbatur valde ardua, ejúsque apparatus diutinam litem prædicebat; ac proinde attenta ejus arduitate, viginti coronati tenue stipendium erant pro solutione laboris, qui exinde prudenter timebatur: Placuit tamen Deo, quòd diligentia quadam à me adhibita, via plana reserata fuerit, cum qua litis materia de facili tractabilis devenerit, ita ut duodecim coronati residui laboris congrua, & bona merces fuerit.

C. Est opinio probabilis, quòd Procurator, vel negotiorum gestor, qui stipendio v. g. quinquaginta aureorum conductus fuit in singulos annos, vel pro sola causa, possit integrum sibi stipendium retinere, si alium Procuratorem, vel Advocatum idoneum substituat; assignata illi dimidia solùm, vel tertia stipendii parte, reliquâ sibi retentâ; modò hoc faciat de consensu saltem tacito, & sine damno eorum, quorum patrocinium suscepit; ratio est, quia nulli facit injuriam, non enim facit injuriam clienti, cùm tantum illi rependat, quantum promisit, & per alium æquè idoneum suppleat; non substituto; cùm illi justum stipendium tradat, ut supponitur, ita Bonacina suprà num. 12. quare supposito, quòd V. D. videns arduitatem negotii, se exposuerit labori excedenti stipendium viginti coronatorum, suáque diligentiâ explanaverit taliter materiam, ut residuus labor duodecim solummodo coronatos promereret, sufficienti probabilitate potuit ab initio viginti accipere, & dimidiam solùm partem hujus stipendii substituto assignare.

39. P. P. R. accuso me in die festo unius causæ informationem dedisse Judici.

C. Lucri, vel pietatis gratiâ V.D. hoc egit?

P. Ne occasionem lucrandi duos regales perderem.

C. Inter alias res die festo prohibitas, dantur Judiciales, quæ à Textu Canonico vocantur Placitum, *cap. omnes* 1. *de feriis*, ubi ait: *Omnes dies Dominicos, à vespera in vesperam, cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere; ut in eis mercatum minimè fiat, neque Placitum &c.* Prohibetur pariter in his diebus citare partem, formare processum, recognoscere causam, ac ferre sententiam: Sylvester quoque Verb. Dominica, quæst. 5. sub num. 7. dicit non licere Advocato, aut Procuratori (quem nomine Doctoris appellat) consulere ob finem principalem lucri, hoc tamen exercere posse non inficiatur ad expediendum è regione longinqua venientem, secuto etiam lucro: Leander tamen à Sacram. part. 3. tract. 1. disp. 5. quæst. 43. cum Suarez, Cajetano, & aliis probabilius esset censet, quòd Advocatus, & Procurator possint informare Judicem oretenus, aut scriptotenus in die festo, etiam lucri causâ, idem asserui in simili casu 1. part. prax. tract. 3. cap. 2. num. 13. pag. 67. quia cùm non sit vetitus labor informandi Judicem in scriptis, nec erit illicitum id facere ob finem lucri. Qui fusiùs desiderat videre hanc materiam, & ea, quæ sunt licita, & valida, & quæ non in diebus festivis circa lites, & causas, consulat Leandrum à Sacram. disp. 5. cit. quæst. 15. usque ad quæst. 46. inclusivè.

40. P. P. R. me accuso, quòd post susceptum patrocinium causæ unius litigantis, absque præcedenti conventione de stipendio, peractâ causâ acceperim à litigante stipendium ab eo dandum Procuratori, quem conduxisset.

C. advenítne V.D. aliquod damnum, vel cessavit aliquod lucrum ex prædicto patrocinio? quia ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, posset sibi compensare tantundem, nisi fortè expressam intentionem habuisset nihil accipiendi, superveniente etiam damno, aut lucro cessante. Trullench tom. 2. lib. 8. cap. 6. dub. 1. num. 4.

P. Ex hoc patrocinio nullum mihi damnum emersit, vel lucrum cessavit.

C. Habuítne V.D. animum accipiendi stipendium ab hoc litigante pro dicto patrocinio? quia si non gratis, nec liberaliter suscepit munus, sed animo mercedis, potest mercedem, quæ ordinario Procuratori tradita fuisset, prætendere; dignus est enim operarius mercede sua; & quoties alia subest causa, quàm donationis, non præsumitur donatio; Bassæus Verb. Procurator in supplemento num. 3.

P. Nihil de mercede ab initio cogitavi.

C. Erátne litigans consanguineus, aut sibi addictus?

P. Nihil horum.

C. Si V. D. habuisset animum gratis suscipiendi tale munus, non poterat peractâ causâ sibi retinere stipendium sui laboris, bene verò cum intentione recipiendi justum stipendium: in nostro autem casu cùm nihil cogitaverit de mercede, dicunt Trullench, & Bassæus loc. cit. quòd sit attendenda conditio Procuratoris; si enim nobilis sit, amicus, vel consanguineus principalis litigantis, censetur gratis munus, & officium suscepisse; si autem sit mercenarius, qui locare solet ad id operas suas, & sit peritus in hac arte, poterit sibi retinere si eandem operam præstitit quam Procurator præstitisset. Videatur etiam Bonacina tom. 2. circa 8. præcept. disp. 10. q. 3. p. 4. n. 14.

41. P. Sic pariter me accuso, P. R. quòd cum aliqua persona mihi præceperit, ut consulerem Advocatum circa aliquod negotium, ego ipsemet proprio marte consilium confecerim, quod ab eodem Advocato firmari, & approbari curavi, medietatem autem pecuniæ ad hunc finem mihi traditam reservavi, & aliam Advocato consignavi.

C. Fuítne conscius Advocatus totius casus, & detentionis pecuniæ?

P. Ita P. R. quinimò libenter accepit, quidquid ipsi tradidi, tum, quia alium laborem non habuit, quàm firmare consilium, tum, quia cùm in meo arbitrio esset eum, vel alium consulere, fuit contentus oblata mercede.

C. Consilium factum à V. D. fuítne eruditum, & bonum in causa?

P. Ita P. R. quia causa non erat adeò ardua, ego verò fui valde versatus in ejus Theoretica, & practica.

C. Concurrentibus his conditionibus, casum licitum asserunt Bonacina suprà num. 15. Trullench loc. cit. num. 5. Bassæus ibid. num. 4. dicentes, id videri lucrum industriæ, & nulli fieri injuriam: nulliúsque jus violari; cùm subscriptio totum stipendium non mereatur, ipsísque Procuratoribus liberum sit, quem velint Advocatum eligere, nec quicquam contra clientum voluntatem faciant; dum Procuratores ad consilia, vel instrumenta conficienda æquè sunt idonei, ac ipsimet Advocati, vel Notarii, ut suppono.: Nihilominus verior mihi videtur doctrina Cardinalis Toleti in instruct. Sacerd. lib. 5. cap. 61. num. 5. affirmantis fas non esse Procuratori more Advocatorum consilia conficere retenta sibi parte stipendii, & altera Advocato pro subscriptione tradita; primò, quia difficulter Procurator ita perfectè, ac Advocatus attinget casum, secundò, quia hoc fit reluctante rationabiliter cliente, qui vellet consilium per in-

instructiorem Advocatum non solùm subscribi, verùm etiam proprio marte confici, nec tantum stipendium daret, si sciret per Procuratorem consilium confici.

42. Et licèt suprà num. 38. diximus, quòd Procurator stipendio conductus possit substituere æquè idoneum collato illi minori stipendio, & retenta sibi alia parte; disparitas tamen est, quia ibi fit transitus à Procuratore ad Procuratorem, hìc autem à Procuratore ad Advocatum; minúsque discrimen est inter illos, quàm inter hos, & facilius præsumitur de consensu implicito clientis, quòd Procurator substituatur alteri Procuratori, quàm quòd Procurator fungatur Officio Advocati.

CAPUT IV.

De Officio, & Statu Notariorum, Secretariorum, & Scribarum.

§. I.

De Publicis Notariis, seu Tabellionibus.

43. P. P. R. dico meam culpam, de aliquibus defectibus probabiliter commissis in meo Officio.

C. Quinque conditiones requiruntur in publico Notario, nempe Scientia, Obligatio, Veritas, Fidelitas & Justitia; quamnam harum V.D. violavit?

P. In publico Instrumento necessariam clausulam prætermisi.

C. Clausula fuítne talis, ut ejus defectu nullum, & irritum esset instrumentum?

P. Ita P. R. fuit quid essentiale.

C. prætermisítne eam V.D. ex malitia, oblivione, aut ignorantia?

P. pro tunc ejusmodi Clausulam, essentialem esse ignoravi.

C. Ex illius clausulæ omissione secutúmne fuit aliquod damnum tertio?

P. Non P. R. quia Advocatus advertens diminutum esse instrumentum, præcepit mihi, ut aliud cum omnibus requisitis conficerem; quod & factum est.

C. Nequit licitè fungi Officio Notarii, qui ignorat, quæ ad hoc Officium pertinent; ut sunt clausulæ, quæ in contractibus opponi consueverunt, aliæque solemnitates, quæ servari, & adhiberi solent; quilibet enim ea scire tenetur, quæ ad proprium Officium pertinent, solemnitates autem, quæ ad validum, & authenticum instrumentum requiruntur, sunt Invocatio Divini Nominis, Annus ejusdem, Indictio, dies mensis, in quo celebratur contractus, locus, in quo legitur instrumentum, testes, Nomen, & signum Tabellionis. Quamobrem si ob Notarii negligentiam, vel ignorantiam prætermissa est aliqua solemnitas, ex cujus omissione pars aliquod damnum patiatur, Notarius tenetur ad illius restitutionem, cùm

cùm verò in casu V. D. nullum fuerit secutum damnum, cessat ejusmodi obligatio; non fuit tamen à gravi culpa immunis, exercendo tale Officium cum annexæ obligationis ignorantia, nisi fortè bona fides eam excuset.

In Concilio Tridentino sess. 22. cap. 10. de reform. sancitum est, ut Episcopi valeant Notariorum sufficientiam scrutari, quamvis sint creati à Sede Apostolica aut ab Imperatoribus, & Regibus, & minùs idoneos è negotiis Ecclesiasticis repellere.

44. P. P. R, dico meam culpam, quòd vocatus ad conficiendum instrumentum, & testificandum, quamdam personam solvisse quantitatem pecuniæ, id testificatus fuerim licèt revera coram me illa pecunia exbursata non fuerit.

C. Creditor dixítne coram V. D. quòd illam quantitatem perceperit?

P. Ita P. R.

C. posuítne V. D. in suo instrumento, quòd coram se exbursata, & consignata fuerit ea pecunia.

P. Non P. R. sed duntaxat, quòd ea quantitas soluta fuerit.

C. Non habet ergo V. D. unde scrupulo aliquo angatur; quia Notarius non peccat, si dum partes fatentur se pecuniam recepisse, scribat pecuniam acceptam fuisse, quamvis reipsa accepta non fuerit, nam perinde est, ac si pecunia accepta fuerit, cùm pars juri suo cedat, & Notarius non propriè asserat pecuniam realiter acceptam fuisse, sed potiùs referat confessionem partium, secùs si dicat pecuniam coram se exbursatam fuisse, cùm revera coram se exbursata non fuerit; ut in contractu census, in quo ad ipsius validitatem actualis solutio præscribitur. Sic Bonacina tom. 2. disp. 10. circa 8. præcept. qu. 3. punct. ult. num. 2. Bassæus Verb. Notarius num. 3.

45. P. P. R. dico etiam meam culpam, quòd in quodam Instrumento clausulam, & circumstantiam falsam apposuerim.

C. Ex inadvertentiáne, aut ex malitia hoc factum fuit?

P. P. R. advertenter hoc feci.

C. advenítne exinde aliquod damnum proximo?

P. Maximè P. R.

C. Damnum fuítne in vita, fama, aut facultatibus?

P. In facultatibus solummodo.

C. Fuítne in re gravi?

P. Damnum fuit, quantitas triginta ducatorum.

C. Duo peccata mortalia specie distincta commisit V. D. in hac occasione; unum nimirum contra virtutem Religionis, ob violationem juramenti, fidelitatis, & veracitatis, quod Notarii, Secretarii, & Scribæ emittere solent; alterum contra justitiam, ex eo, quòd fuerit causa damni proximi, cum onere restituendi triginta prædictos ducatos personæ dam-

damnificatæ: nam ille, qui est causa efficax alicujus damni, obligatur ad restitutionem: at V. D. fuit causa efficax hujus damni: ergo ad ejusdem restitutionem obligatur.

P. P. R. pro nunc non habeo commoditatem solvendi hanc pecuniam.

C. In cujus utilitatem redundarunt triginta prædicti Ducati?

P. In utilitatem personæ collitigantis.

C. Hæc ergo persona primariò tenetur ad restitutionem, & in hujus defectu V. D. tanquam causa secundaria: proindéque eidem suadeat eorundem restitutionem; quod si adimplebit, V. D. liberabitur ab onere restitutionis; secùs, de propriis supplere tenetur: & in casu, quo superveniret V. D. mors, aut periculosa ægritudo, debet admonere hanc personam (si priùs facere nequeat) quòd injustè acceperit, & detineat triginta illos ducatos: adeóque ut eos restituat, sub secreto naturali illius clausulæ falsitatem manifestando; & si V. D. dictam personam ad se vocare nequeat, schedulam suo Confessario relinquat cum revelatione facti, ac in suo testamento remittat hæredes ad dictam schedulam, præcipiendo, ut de suis bonis, si adsint, fiat restitutio. Sic Cardinalis de Lugo tom. 2. de just. disp. 41. sect. 2. num. 17.

46. P. P. R. dico meam culpam, quòd in alia occasione confecerim instrumentum, in quo quædam persona se obligabat ad solvendam cum usura pecuniam, mutuò acceptam.

C. Instrumentum fuítne taliter confectum, ut evidenter pateret contractum esse usurarium?

P. Non P. R. usura fuit palliata titulo colorato alterius contractus.

C. Non tantùm peccat Notarius hujusmodi instrumenta conficiens, ut bene dixit Navarrus cap. 25. n. 4. verùm etiam in Excommunicationem incurrit, ex Clementina unica de Usuris; Imò cum onere restitutionis, ita Castropalaus part. 7. tract. 32. de justit. commut. disp. 4. punct. 26. num. 7. si verò in instrumento contineatur expressè usura, etiamsi peccet Notarius in eo conficiendo, nulli tamen restitutioni est obnoxius; ita Sà Verb. Usura num. 12. quia cum hujusmodi instrumento tanquam manifestè irrito, & nullo, nequit exigi usura; quando autem in instrumento adinvenitur usura palliata, dissimulata, & colorata, Notarius obligatur solummodo ad restitutionem, si Usurarius tale lucrum percipiens, eandem non adimpleat.

47. P. Dico pariter meam culpam, quòd litiganti causam ante Judicem, & Referentem &c. deferre volenti suaserim, ut eandem ante alios deferret, prout reipsa meo consilio annuit.

C. Secundùm Ordinem Tribunalis, erátne causa deferenda ante illos,

ad

ad quos ex intentione litigantis eadem ventura erat ?

P. Ita P. R.

C. Ministri ad quos V. D. eum remisit, erántne aliis æquè idonei ?

P. Omnes sunt examinati, & approbati, & funguntur hoc munere, sicut cæteri.

C. Tametsi aliqui Doctores, quos omisso nomine citat Cardinalis de Lugo ubi suprà num. 16. dicant, in hoc casu nullam fieri injuriam litiganti, siquidem omnes Judices sunt approbati, & quòd sicut pars ex aliquo fine potest recusare talem Ministrum, ita etiam Notarius possit eidem suadere, ut hos, & non alios Ministros eligat; gravamen verò, seu damnum illatum Ministro, ad quem pertinebat causa, inquiunt, posse resarciri, apponendo ei alias causas, per quas lucrum ex prima lite obventurum recuperare valeat; Oppositum tamen est verum, quod docet cum aliis ibid. idem Lugo dicens, graviter peccare cum onere restitutionis Notarium, aut Secretarium, qui causas ex lege, aut consuetudine ad aliquos Ministros pertinentes, ad alios defert; in quo non tantùm fit injuria Ministris suo jure privatis, sed etiam litiganti, cujus plurimùm interest, ut ejus causa ad hunc, & non alium Judicem, vel Referentem deferatur; postremò nec Notarius, nec Secretarius habent potestatem pervertendi Ordinem Tribunalium; Verum est, quòd litigans non operetur contra justitiam, discretè & rationabiliter solicitando, ut ipsius causa ad tales, vel tales Ministros deferatur, & ut ab habente facultatem eadem tractetur. Sic Lugo ibi.

48. P. P. R. dico etiam meam culpam, venditionis contractum me confecisse, ut cujus res modico pretio empta fuit.

C. Fuitne res empta infra dimidium justi pretii ?

P. P. R. res constabat octoginta, & 50. empta fuit.

C. Si res empta fuisset infra dimidium justi pretii, v. g. si valeret 80. & emeretur minori pretio quàm 40. in hoc casu emptor teneretur tam in foro interno, quàm externo ad restitutionem; quam obligationem pariter haberet V. D. tanquam cooperans per scripturam contractus: cùm autem res empta fuerit ultra dimidium justi pretii, v. g. justum pretium fuit 80. & 50. empta fuit, in hoc casu aliqui relati 1. part. prax. tr. 7. c. 5. p. 3. n. 115. pag. 248. docuerunt, secluso dolo, aut fraude, non adesse obligationem restituendi residuum in foro conscientiæ, sicut nec est in foro exteriori: Et consequenter adhærendo huic opinioni nec V. D. hujusmodi obligatione vinciretur, quia in hoc casu principalis, & primaria causa est emptor, & Notarius secundaria & accessoria: adhærendo ergo opinioni eximenti à restitutione illius, quod ultra

ultra dimidium justi pretii emptum fuit, ad hanc V. D. non obligatur.

Hoc non obstante sententia opposita astruens obligationem restitutionis, licèt res ematur ultra dimidium justi pretii, si præcisè justum pretium non solvatur, est communior, & vera; Et quamvis loco citato Praxis, seu Dialogi adduxerim hanc opinionem non tamen dixi, eam me sequi, sed solùm eam allegavi ad aliud probandum: modò verò expresse communem sequor, ad quam sequendam sufficit mihi auctoritas Angelici Doctoris 2. 2. quæst. 77. art. 1. ad 1. eam docentis; etenim quamquam in foro exteriori ad evitandas lites non puniatur is, qui emit, aut vendit, ultra, vel infra dimidium justi pretii, non propterea id admittitur ut licitum in foro interiori: Sic leges Civiles non puniunt maritum, interficientem uxorem inventam in actuali adulterio, & nihilominus nefas est marito in foro interiori uxoricidium in hoc casu, ut declaravit Alexander Papa VII. in propositione 19. damnata, cujus explicatio patebit infrà in tract. 17.

Hinc infertur juxta hanc communem sententiam, obligari ad restitutionem etiam Notarium, ob scripturam venditionis, in qua res empta fuit infra justum pretium, etsi non sit infra dimidium; præterquam si scriptura non esset vera, sed ficta, in qua manifestè appareat injustitia facta emptori: sic Emanuel, Sanchez Verb. venditio, num. 28. vide Palaum part. 7. tract. 31. disp. 5. punct. 17. §. 12. num. 3. & 5.

49. P. P. R. dico meam culpam, me confecisse testamentum moribundi ratione destituti.

C. Erátne adeò rationis impos, ut à se disponenda non nosceret?

P. Ita P. R. usu rationis prorsus destitutus fuit.

C. Noverátne hoc tunc V. D.

P. Ita P. R.

C. Quem instituit hæredem?

P. Cùm non haberet alios hæredes necessarios: ne ab intestato moreretur, animam suam hæredem instituit.

C. audivítne fortassis, antequam usum rationis amitteret, ultimam suam voluntatem fore animam suam hæredem instituendi?

P. Multoties P. R. hoc mihi dixit.

C. Scivítne eum hujusmodi voluntatem retractasse.

P. P. R. pro certo habeo, eandem non retractasse.

C. Notarius, Secretarius, aut Scriba, conficiens testamentum nuncupativū alicujus non sanæ mentis peccat, & tenetur restituere legitimis hæredibus, qui ab intestato successissent, si hoc scienter faciat. ita Navarrus cap. 25. Bassæus Verb. Notarius, num. 4. cùm autem hæc persona non habuerit hæredes, & V. D. sciverit ultimam ejus voluntatem fore, animam suam hæredem instituendi, licèt peccaverit, conficiendo testamentum in-

invalidum, & in foro externo pœnæ obnoxius fuerit; probabile tamen censeo, in foro conscientiæ ad nullam obligari restitutionem, cum nulli injuria facta sit, & voluntas antecedens infirmi, nunquam retractata, adimpleta fuerit.

50. P. P. R. dico meam culpam, quòd multo tempore non manifestaverim legatum, à Testatore factum.

C. Quamdiu V. D. hoc neglexit?

P. per integrum annum.

C. Detrimentum aliquódne passus est exinde Legatarius?

P. Absque dubio; quia eo anno non potuit frui suo legato.

C. Quænam quantitas fuit relicta?

P. Decem Ducati.

C. Quisnam hoc tempore iis potitus fuit?

P. Ego P. R. & ut exinde aliquam utilitatem haberem, legatum manifestare intermisi.

C. Restituítne V. D. hos decem ducatos legatario?

P. Usque modò eos non restitui.

C. Notarii obligatio est manifestare quantocyus legata, præsertim si sint ad pias causas facta: Bonacina tom. 2. in præcept. 8. disp. 10. quæst. 3. punct. ult. num. 5. quòd si non impleat, tenetur resarcire damnum, quod sequitur, ut patet, adeóque V. D. satagat quamprimùm solvere decem ducatos legatario; alioquin hoc negligendo per duas, tres, aut quatuor Confessiones exponit se periculo negationis absolutionis.

51. P. P. R. dico meam culpam, me habere aliqua protocolla, & licèt consignaverim partibus eorum transumpta extensa; attamen penes me habeo ea breviter, & succintè adnotata ob varias, & multas meas occupationes.

C. Hæc protocolla súntne talia, ut possint fidem facere in judicio?

P. Non P. R. sunt duntaxat aliqua adnotata pro habenda notitia essentiæ rei.

C. Cardinalis Toletus in sum. lib. 5. cap. 61. sub n. 3. censet, graviter peccare Notarios, servantes ejusmodi protocolla, quia inquit & bene, superveniente morte ante formalem eorum extensionem, plurima absurda exinde oriri possunt. Cardinalis de Lugo tom. 1. de justit. disp. 41. sect. 2. num. 15. mitiùs sic arguit, aut protocolla sunt talia, ut possint fidem facere in judicio vel non? si hoc secundum, dictamen Toleti sectatur, ac peccati gravis damnat; si primum, dicit, Confessarium posse cum Notariis benigniùs se gerere, hortando eos, ut successivè ejusmodi protocolla extendant, & componant: Certum est, in hoc quàm plurimam adinveniri negligentiam, quapropter ponderandum est damnum, ex hinc partibus resultans, si Notarius è vita decedat, ut potest, & solet interdum contingere, relinquendo instrumenta diminuta, etenim data occasione ex-

trahendi transumptum, quomodo poterit fieri absque vero, & formali Originali?

52. P. P. R. dico meam culpam, quòd denegaverim litiganti, petenti transumptũ Originalis instrumenti.

C. Denegavitne V. D. ex eo, quòd strenam aliquam, seu munus ab Adversario collitigante perceperit?

P. Non ob aliquod munus, benè verò quia Adversarius erat meus consanguineus.

C. Accidítne aliquod damnum parti, cui V. D. denegavit transumptum?

P. Ita P. R. ad viginti ducatorum mulctam damnatus fuit.

C. Mulctatúsne fuisset, si ostendisset transumptum à V. D. occultatum?

P. Non P. R. quia ex hoc instrumento cõstabat non fuisse debitorẽ.

C. Graviter peccavit V. D. cum onere restitutionis, occultando prædictum instrumentum, ac denegando transumptum parti: Toletus ubi suprà n. 4. Trullench tom. 2. in Dec. lib. 8. c. 7. dub. unic. num. 4. Bonacina, suprà n. 3. quia Notarius est persona publica, & ad obsequium omnium ex Officio deputata, & consequenter tenetur ad restitutionem damni, quod pars ex denegato sibi instrumento, seu transumpto Originalis instrumenti patitur; cùm faciat contra propriũ Officium cum damno aliorum: Porrò licèt teneatur dare transumpta existentia in suis manibus, debet tamen retinere Originalia ad hoc, ut quando opus fuerit, possit ex eis transumptum transcribere, & petentibus dare: Bassæus Verb. Notarius, num. 3. ideóque tenetur Notarius quamprimùm commodè poterit dicta instrumenta extendere, & redigere in completam, & perfectam formam, prout habetur ex leg. si quis ff. de edendis instrumentis.

§. II.

De Secretariis.

Eædem fermè obligationes, quas diximus pertinere ad Notarios, conveniunt pariter Secretariis; adeóque scientiâ, obligatione, fidelitate, veritate, & justitiâ pollere debent, graviter aut leviter juxta qualitatem excessus peccaturi, si aliquam ex prædictis conditionibus violaverint: & si culpa omissionis, aut commissionis secum ferret detrimentum proximi, restitutioni sunt obnoxii.

53. P. P. R. confiteor, me uni litiganti manifestasse statum causæ adjudicandæ.

C. Quo motivo hoc egit?

P. Quia bonam quantitatem pecuniæ mihi obtulit.

C. Agitabatúrne hæc causa in Secretaria V. D.

P. Ita P. R. Ego fui Secretarius in hoc negotio.

C. Ex prædicta manifestatione advenítne aliquod damnum parti adversæ?

P. P. R. Exposui rem periculo plurium

rium absurdorum, quandoquidem per eam revelationem præbui occasionem litiganti utendi fraudibus, interponendi difficultates, dilationes ad rem non facientes obtinendi, ac hoc modo causam lucrandi; justitia tamen Adversarii erat ita evidens, ut absque ullo damno, aut dilatione litem vicerit.

C. Duo in hoc sunt notanda; primum perceptio pecuniæ pro revelatione secreti, de quo loquar in sequenti casu; secundum revelatio secreti, quod tanquam publicus Minister custodire debuisset: suppono autem in quolibet Christiano universalem dari obligationem de Jure Divino, naturali, & humano servandi secretum sibi commissum; & ex ejus violatione peccatum incurri cum onere resarciendi damnum inde obventurum.

Hujusmodi obligatio est strictior in Ministris publicis, & Secretariis; quæ ab ipsamet etiam Etymologia nominis desumitur, Secretarius enim à secreto servando dicitur; taliter, ut si causa, de qua agitur, sit valde gravis, v. g. de vita hominis, de aliquo statu, aut Majoratu, de aliquo titulo, Duce, aut Comite; aut de re magni honoris, nequeat Secretarius revelare statum causæ, etiam cum periculo propriæ vitæ; ita cum Soto sentit Sanchez in Opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 6. dub. 2. num. 4. (idem dicendum de Judicibus) hoc limitat D. Navarrus in sum. Hisp. cap. 18. n. 32. in fine, dicens, quòd quando ex ejusmodi revelatione secutura esset mors, aut mutilatio membrorum, nunquam licitè possit manifestari status causæ, etiam cum eodem periculo; si verò tantùm sequeretur pœna pecuniaria, aut exilium, non adsit obligatio servandi secretum cum tanto periculo proprio, siquidem hæc damna, inquit, possunt compensari per pecuniam. Certum est, quòd V.D. gravissimè peccaverit, cùm absque tormentis, aut periculo vitæ, sed solius avaritiæ impulsu revelaverit, quod sub tam rigoroso sigillo silentio præterire debuisset; & si aliquod damnum contra Justitiam ex V.D. infidelitate obvenisset, ad restitutionem teneretur: quod in hoc casu dictum est de Secretariis, intelligendum est pariter de Scribis, & Notariis; vide Trullench tom. 2. in Decalog. lib. 7. cap. 10. dub. 32. num. 9. prope medium.

54. P. Confiteor pariter P. R. quòd præter mercedem mihi debitam, aliqua munera à litigantibus perceperim.

C. Restituítne ea V. D.

P. Non P. R. quia sponte ea mihi data fuêre.

C. per legem recompilationis, quam refert Thom. Sanchez in Opusc. tom. 1. lib. 3. cap. unic. dub. 1. num. 4. prohibetur strictissimè Secretariis, ne dona, & mu-

munera à litigantibus accipiant, licèt sint esculenta, aut poculenta, nec titulo gratitudinis, nec per se, nec per alios, sub pœna quatuor nummorum aureorum pro prima vice, & pro secunda, sub pœna suspensionis ab Officio, & addit lex: "Y que juren de assi lo guardar, y pagar las penas, en las quales los condenamos desde aora, por manera que sean obligados a las pagas (in foro conscientiæ) sin que mas sean condenados en ellas:" Juxta quæ verba obligantur Secretarii in foro conscientiæ ad solutionem pœnæ, ad quam hìc damnantur ob munerum perceptionem, absque alia sententia declaratoria. Ita cum communi tenet Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 3. tract. 2. docum. 1. num. 4. Quapropter secundùm hanc doctrinam valde timendum est de damnatione aliquorum Secretariorum, qui sine ullo respectu, & indifferenter dona, & munera accipiunt, cùm pauci restitutioni succumbant, prout hìc declaratur: Oh periculosum Officium!

§. III.

De Scribis.

55. Tametsi Scribæ multoties sint Secretarii, distinguuntur tamen aliqualiter ab his, & à Notariis, Secretarii enim sunt, & vocantur scribæ cubicularii, suntque deputati pro Consiliis, Cancellariis, & Rebus publicis: Notarii regulariter sunt ii, qui deputantur ad causas Ecclesiasticas, nullatenus ad profanas, & sæculares: Scribis incumbit conficere scripturas, actus judiciales, & extrajudiciales, quibus integra fides præstatur; quorum aliqui vocantur scribæ publici, seu de Numero, & alii Scribæ Regii: videatur Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 3. tract. 2. docum. 1. & 2. & utrique tenentur ad Veritatem, Scientiam, Fidelitatem, Obligationem, & Justitiam, sicut Notarii, & Secretarii; peccántque graviter scribæ generales clausulas scripturarum ignorantes: Res falsas sub pœna restitutionis damnorum sequentium scribere nequeunt, nec conficere usurarias scripturas, aut testamenta eorum, qui rationis usu destituti videntur: Legata à Testatore relicta manifestare debent; protocolla extendere instrumentorum, quæ in scriptorio habentur, transumpta præbere Originali detento, eorúmque adnotationem facere.

56. P. P. R. accuso me, confecisse instrumentum immunitati Ecclesiasticæ contrarium.

C. Qui statuta immunitati Ecclesiæ contraria conficiunt, non tantùm graviter peccant, verùm etiam in Excommunicationem 15. Bullæ Cœnæ incidunt: & quamvis Marchadus ubi suprà docum. 4. num 4. dicat, in eandem non incidere ipso facto scribam, ejusmodi instrumentum contra ipsam conficientem, verius tamen est op-

oppositum; quòd si quis dicat, non incurrere hanc Bullam Cœnæ, in aliam tamen à Textu Canonico editam incurret cap. Gravem de sent. Excommunic. & clariùs, cap. Noverit eod. tit. ubi dicitur: Item excommunicamus Statutarios, & scriptores Statutorum ipsorum &c. ita docet Leander à Sacramento part. 4. tract. 3. disp. 15. quæst. 33. Idem dicendum de Notariis, & Secretariis conficientibus instrumenta contra immunitatem Ecclesiasticam, nempe non tantùm graviter peccare, verùm etiam in excommunicationem majorem incurrere.

57. P. P. R. accuso me, majori excommunicatione irretitum, publicum instrumentum confecisse.

C. Erátne V. D. excommunicatus toleratus? quia in hoc casu validum esset instrumentum; & si postulatus à parte id fecisset, nec graviter peccasset, quamquam sponte hoc agere nefas fuisset.

P. P. R. Non fui toleratus, sed vitandus.

C. Confecítne V. D. ejusmodi instrumentum cum consensu partis?

P. Maximè P. R.

C. Graviter peccavit V. D. communicando cum fidelibus in confectione hujus instrumenti, tanquam excommunicatus vitandus; & in foro fori irritum & invalidum fuit instrumentum; quamvis in foro poli validum esse potuerit, ob naturalem obligationem à partibus contractam mutuò consentientibus in instrumenti confectionem. Sic Suarez de censur. tom. 5. disputat. 16. sect. 5. num. 5. & num. 6. partes quoque peccarunt communicando cum V. D. ut excommunicato vitando, nisi hæ duæ conditiones necesse, & utile, id excusent, juxta ea generalia principia: Utile, lex, humile, res ignorata &c. Videantur circa hoc supradicta de Judicibus, & Advocatis.

58. P. Me accuso pariter P. R. quòd in stipendiis mei laboris taxam solitam, & assignatam prætergressus fuerim.

C. Magna dissensio, & controversia est inter Authores, utrùm Taxa à Lege assignata obliget in foro conscientiæ Ministros. Villalobos tom. 2. tract. 18. diffic. 4. num. 4. citando Lopez, & Ledesma affirmativè respondet. Idem docet insignis Doctor Navarrus cap. 25. num. 54. & cum Rodriquez, Reginaldo, Clavi Regia, Fernandez, & aliis: idem sentiunt noster P. Bassæus Verb. Notarius num. 5. Toletus lib. 5. cap. 61. n. 9. Trullench tom. 2. lib. 8. circa 8. præcept. cap. 7. dub. unic. n. 9. nec solummodo affirmant peccare Scribam, Notarium, aut Secretarium excedentem taxam, sed etiam restitutioni esse obnoxium: Mitior, & suavior est opinio Marchadi supr. docum. num. 3. dicentis, taxam non obligare in foro interno, cùm sit lex pœnalis,

nalis, ut habet Fagundez in Decalog. tom. 2. circa 8. præcept. lib. 8. cap. 27. sub num. 8. §. primò quia: sed sic est, quòd probabiliter leges pœnales non obligent in foro interno; ut dixi in meis Confer. tract. 3. Confer. 6. §. 2. n. 6. fol. 160. & licèt hæc lex taxæ esset mixta, probabile quoque est, hujusmodi leges non obligare in foro interno: sic cum Villalobos, & aliis Diana part. 1. tract. 10. resol. 20. ergo in hac opinione probabile erit, taxam in foro conscientiæ non obligare.

59. Verùm, ut prorsùs tutè procedamus, dicat mihi: id, quod supra taxam accepit, fuítne ab aliquo Magnate, v. g. Marchione, Comite &c. ipsi datum? quia, si aliquid datur ultra taxam non ratione scripturæ, sed ob excellentiam dantis, vel ob consanguinitatem, absque culpa posset accipi; Trullench suprà in fine num. 9.

P. Non erant hujusmodi personæ, quæ stipendium excedens taxam mihi præbuerunt.

C. Fortassis ob laborem, & industriam extraordinariam in his occasionibus percepit majus stipendium? etenim in hoc casu non esset mortale aliquid plus accipere, pro ratione & qualitate majoris laboris: Bassæus ubi supr. eod. num. 5.

P. P R. Interdum hoc titulo aliquid plus accepi, & subinde ob ordinarium, & communem laborem.

C. Cæteri Scribæ soléntne ex consuetudine aliquid ultra taxam accipere?

P. Omnes plus accipiunt, absque respectu ad taxam.

C. Quod V. D. percepit, videbatúrne ei meritum sui laboris excedere?

P. P. R. Secundùm rectum dictamen rationis cujusvis viri timorati, valor accepti non excessit meritum mei laboris.

C. Supposito, quòd introducta sit consuetudo accipiendi majus taxato stipendium, & quòd hoc correspondeat merito laboris judicio viri timorati; ac tempora ita esse mutata, ut modò res pluris valeant, quàm pro priori, taxámque antiquitùs justam, modò talem non videri, probabile est non ampliùs obligare antiquam taxam: Ita cum Molina, & aliis Diana part. 2. tr. 17. resol. 60. nec obstat dicere, quòd scribæ juramentum emittant observandi statuta, & pandectas, quia respondetur in dessuetudinem ea abiisse ut injusta, & illud juramentum esse de solis statutis servandis, quatenus ea obligant: ergo si ex aliqua causa obligare desinant, cessabit juramenti obligatio, eò quòd jam illa non sunt statuta, & juramentum fuit illis accessorium, quatenus statuta erant; igitur juramentum aliquod servandi statutum intelligitur, quatenus illud justum est, & obligatorium, non ergo obligabit illud juramentum ad illam taxam, quatenus injusta est.

Ita

Ita Thom. Sanchez in ſum. tom. 1. lib. 3. cap. 14. num. 13. Diana ibidem, Marchadus ſupr. docum. 5. n. 3. ſi in aliquo Regno adeſſet nova taxa, hæc obligaret, quia ſupponitur facta ſpectatis temporibus, pretio rerum victualium, & Miniſtrorum labore, vide infr. c. 9.

60. P. P. R. me accuſo, quòd aſſumto itinere pampelonenſi pro patrocinanda causa unius perſonæ, quæ viginti regales ſtipendii mihi dedit; eodem tempore ad inſtantiam alterius perſonæ cauſæ non adeò urgentis patrocinio ſuſcepto, ab eadem duodecim regales ſtipendii percepe-rim.

C. Utrumque ſtipendium erátne juſtum reſpectu laboris?

P. Ita P. R.

C. pro agitanda ſecunda cauſa impediebatúrne V. D. ab adhibenda diligentia pro prima? quandoquidem ſi una cauſa impedivit bonam expeditionem alterius, non poterat V. D. eodem tempore ambas tueri, nec duo ſalaria recipere.

P. Absque primæ præjudicio poteram tractare negotium ſecundæ.

C. Quando quis pluribus obligat operam ſuam ſingulis in ſolidum, & illa æquè commoda fuit ſingulis, ac ſi pro illis ſolis fuiſſet exhibita, poteſt à ſingulis tantum exigere, quantum ab uno poſſet, ſi pro eo ſolo præſtitiſſet; ita Leſſius lib. 2. de Juſtit. cap. 24. dub. 5. ſub num. 28. §. Dico tertiò, proindéque V. D. ſingulis operam ſuam obligare, ac à ſingulis ſtipendium accipere potuit, modò patrocinium unius cauſæ non fuerit impeditivum alterius: Contrarium tenet Tannerus, Ortiz, & alii, quos refert Diana part. 3. tract. 5. reſol. 77. Trullench tamen tom. 2. in Decalog. lib. 8. cap. 7. dub. unic. num. 13. in fine, ſentit opinionem Leſſii eſſe veram attento jure naturali; & oppoſitam eſſe tenendam ſpectato jure poſitivo aliter diſponente, modò ei conſuetudo legitimè introducta non derogaverit: ſi nullum eſſet jus poſitivum in contrarium, ſententiam Leſſii, & Trullench valde probabilem cenſeo, tum quia ſicuti Chirurgo, aut Medico ab una Communitate ſtipendio conducto non eſt vetitum, proviſis ſuis, in alio loco alios curare, ac ſuum ſtipendium accipere, ita neque Miniſtro absque damno primæ cauſæ valenti tractare ſecundam, hujus negotium prohibetur: tum pariter, quia contractus cum primo initus, eſt ſolicitandi, & ſuæ cauſæ incumbendi; atqui hic contractus non violatur, quando absque ejus detrimento defenditur alia cauſa, ergo &c.

61. P. P. R. accuſo me pariter aliquibus diebus feſtis confeciſſe inſtrumenta.

C. Erántne ex iis, quæ prohibentur, & annullantur à legibus, ſi diebus feſtivis conficiantur? vetita enim à legibus non debēt fieri diebus feſtis.

P. P. R. Nulla lege cautum erat prædicta conficere.

C. Extendebátne formaliter ejusmodi instrumenta, & Scripturas, vel solummodo consensum partium, quod fit per interrogationes? quia hoc tanquam quid leve, ad summum posset esse peccatum veniale.

P. Formaliter, & per extensum ea conficiebam.

C. Sylvester, & alii relati à Sanchez in conf. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 10. num. 1. sentiunt, non licere Notariis, Secretariis, Scribis, aut eorum Ministris conficere instrumenta, & scripturas diebus festivis: oppositum tenet cum Navarro, & aliis, idem Sanchez n. 2. etiam pro mercede: ratio est, quia in die festo prohibentur tantùm opera servilia; atqui scribere non est opus servile; ut cum Soto, & aliis tenet idem Sanchez ibid. dub. 8. n. 1. nec intentio faciendi pro mercede pacta mutat naturam operis: ergo nefas non erit in die festo conficere scripturas, & alia instrumenta à lege non prohibita.

Et quamvis idem Sanchez eod. dub. 10. num. 5. putet, quòd acta transcribere non liceat in diebus festivis; contrarium tamē docet cum Lopez, Suarez & Medina. Layman tom. 2. lib. 4. tr. 7. c. 2. n. 3. Diana part. 2. tr. 15. resol. 35. quod rationi magis consonū mihi videtur; quia scribere, & transcribere sunt essentialiter idem: ergo si scribere non est opus servile, neque erit transcribere: præterea actio transcribendi de se mentalis, & spiritualis est, & per accidens ad illam est, quòd hac, vel illa intentione fiat ab operante; ergo inde non efficitur servilis ex officio, vel lucro seu mercede. Videatur suprà cap. 3. num. 39.

62. P. Sic pariter me accuso P. R. quòd in aliquibus diebus jejunii de præcepto non jejunaverim ob meos labores.

C. Tota diéne laboravit in scribēdo?

P. Quandocunque non jejunavi, tota die laboravi.

C. Controvertitur inter Authores, utrùm Scribæ, Notarii, Secretarii, qui totam diem in scribendo impendunt, teneantur ad jejunium: Azorius, Reginaldus, Vega, Filliucius, & alii, quos refert Leander à Sacram. part. 3. tract. 5. disp. 8. quæst. 132. affirmativæ adhærent. Jo. Sanchez in select. disp. 4. num. 16. ait, in hoc consulat Scriba suam imbecillitatem; per quæ verba indicat, non excusari præcisè ob suū laborem, sed ob debilitatem complexionis, ita ut idem labor, qui non eximeret alium robustum à jejunio, possit excusare viribus debilitatum; sed Leander ibi, cum Angelo, & aliis probabilius judicat, scribas non obligari ad jejunium, quando tota die laborant in scribendo, & transcribendo: quod non damnatur in propositione 30. Alexandri VII. ut infrà dicam, tract. 17. in explicat. hujus propos. 30.

CA-

CAPUT V.

De Officio, & Statu Referentium.

63. P.P.R. dico meam culpam de negligentia commissa in dando operam litibus in Concilio referendis.

C. prætermisítne aliquid substantiale defectu studii, vel per incuriam?

P.P.R. semel defectu studii non percepi aliquid valdè necessarium.

C. Secutúmne fuit inde aliquod damnum Clienti?

P. Fuit manifestum periculum; etiamsi ea die causa votis non fuerit subjecta, adeóque mihi præceptum fuit, ut alia vice negotium referrem, & pro tunc in supplementum primi defectûs post bonum studium id retuli.

C. Officium Referentis est referre lites, & causas in Cancellariis, & Conciliis, quapropter debet antecedenter iis vacare, & incumbere; quia si ex suâ omissione sequitur clientibus aliquod damnum, peccat cum onere restitutionis; ac per se, non per alios relationes à scripturis litigantium eruere debet; nec permittat, ut partes possint eas videre, & statum causæ adnotare: multò graviùs peccabit, si Sententiam alterutri parti manifestet, priusquam evulgetur, unde possint gravia incommoda sequi, v. g. Judex recusari &c.

64. P.P.R. dico meam culpam, me pariter aliam causam referentem, magis ad unam, quàm ad alteram partem inclinasse.

C. Factúmne fuit hoc unius clientis justitiam magis, quàm alterius explicando?

P.P.R. Fateor unum intimum mihi fuisse amicum, & optasse, ut in ejus favorem causæ decisio fieret; verumtamen spero me fideliter, & sincerè gessisse, allegando, & referendo utrique parti favorabilia.

C. Referens peccat, si partialis sit, conetúrque unius partis justitiam magis, quàm alterius ob humanam dependentiam explicare: ut inquit Bussemb. in sua sum. lib. 4. cap. 3. dub. 4. num. 2. ídque ratio naturalis suadet; sed fideliter rationes processûs juxta statum facti referre tenetur, & jus, quod unicuique juxta allegata, & probata convenit; cùm ex opposito multa damna possint partibus advenire, ad quorum cempensationem Referens partialis tanquam causa obligatur.

65. P. Sic pariter dico meam culpam P. R. quòd in stipendiis ob meũ laborem perceptis, taxæ non me conformaverim.

C. Cæteri eodem Officio fungentes paréntne taxæ?

P.P.R. nemo illam taxationem observat.

C. Accepítne sibi illud incrementum usque ad limites justi pretii, & meriti sui laboris?

P. Ita P.R.

C. Circa hoc punctum, quæ de scribis num. 58. & 59. dicta sunt, hìc

applicanda; & in propriis terminis de Referentibus dicit Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 3. tract. 1. docum. 11. num. 2. hanc legem taxæ esse pœnalem, nec obligare in foro interno, præsertim si attenta varietate temporum judicetur veterem taxã de præsenti esse tenuem, & nimiùm restrictam.

66. P. P. R. dico meã culpam, aliqua quoque munera à litigantibus supra mercedem mihi debitam accepisse.

C. Lex positiva munerum acceptionẽ Referentibus prohibet, quamvis Marchadus ibid. num. 2. dicat, hujusmodi legem esse pœnalem, proindéque ad pœnam taxatam duntaxat obligare, ídque post declaratoriam Judicis Sententiam.

CAPUT VI.

De Obligatione Testium.

67. P. P. R. confiteor, quòd in una causa testimonium ferre recusaverim.

C. Erátne necessarium V. D. testari ad evitandum aliquod grave personæ insontis damnum? in quo casu ex Charitate etiam non citatus à Judice, tenetur quivis offerre se ad testandum pro avertendo ejusmodi damno: præterquam si ex testimonio sibi, vel suis immineat notabile damnum; tunc enim non tenetur. Est doctrina S. Thomæ 2. 2. quæst. 70. art. 1. in corp.

P. Erat necessarium meum testimonium, ad prædictum damnum avertendum.

C. Judex, seu Superior habens potestatem, præceperátne legitimè, ut compareret ad examen?

P. Ita P. R.

C. Innotuítne ei hoc præceptum?

P. Ita P. R. & hoc non obstante aufugi, & me occultavi.

C. Evidenter constat V. D. graviter peccasse non comparendo ad examen, ad malum proximi avertendũ: dubitatio superest, utrùm propterea ad restitutionem teneatur. Quocirca si habitâ notitiâ præcepti Judicis ad comparendum, V. D. se abscondit, ne id ei notum fieret, non tenetur ad restitutionem; ita communis teste Marchado in sum. tom. 2. lib. 6. part. 4. tract. 2. docum. 1. n. 2.

Sin verò fuit ipsi citatio notificata juxta Filiucium, Salonium, Navarrũ, de Navarra, Fagundez tom. 2. in Decalog. lib. 8. cap. 42. num. 9. & 24. & alios, tenetur ad restitutionem damni, quod testificando potuisset avertere in favorem innocentis. Oppositum probabiliter defendunt Lessius lib. 2. de justit. cap. 30. dub. 8. num. 59. & cum Molina, Bonacina tom. 2. disp. X. in 8. præcepto quæst. 3. punct. 3. n. 13. Ratio est, quia obligatio restitutionis oritur ex læsione justitiæ commutativæ, non legalis; in hoc casu non læditur justitia commutativa, sed duntaxat legalis: ergo nec est obligatio restitutionis; utraque opinio est probabilis, prima tamen tutior.

68. P. confiteor pariter P. R. quòd in

in quadam occasione, agendo testem contra reum accusatum de damnificatione vineæ, quamtumvis me juridicè interrogaverit, veritatem noluerim aperire, ac per hoc Reus fuerit obsolutus.

C. Noverat V. D. se graviter peccare, occultando veritatem, dum eandem manifestare tenebatur?

P. Ita P. R.

C. Fuitne facta compensatio damni Domino Vineæ?

P. Ita P. R. ipsemet Reus occultè satisfecit: sed quia ego occultavi veritatem, non fuit damnatus ad pœnam debitam Fisco.

C. Qui falsò jurat in judicio, duplicem gravem specie distinctam malitiam incurrit: nempe contra virtutem Religionis, & contra justitiam: sic Tho. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 3. cap. 1. n. 9. in fine: probabile tamen est, V. D. teneri quidem parti de damno, non tamen Fisco de mulcta, & pœna pecuniaria, quæ inflicta fuisset reo, si veritatem aperuisset: Ita Sà Verb. Restitutio num. 44. quia hæc pœna non debetur ante sententiam Judicis; & siquidem V. D. fatetur, ipsumet Reum satisfecisse parti ob damnum causatum in vinea, ab hoc onere liberatur.

69. P. confiteor, me accepisse pecuniam pro subeundo examine in personæ favorem.

C. contigitne aliquod damnum V. D. ex hoc examine? nam ad justam compensationem potest aliquid accipi: v. g. si mercenarius ad subeundum examen in favorem alicujus extra suum domicilium proficiscens, mercedem diurnam perderet, potest curare, ut sibi ab eodem reficiatur damnum emergens, & lucrum cessans pro tempore, quo se subeundi examinis causa detinet.

P. Nullum exinde damnum pertuli.

C. Accepitne V. D. dictam pecuniam pro vero testimonio ferendo? quia Navarrus cap. 25. num. 25. & alii sentiunt, quòd testis accipiens pecuniam pro vero testimonio ferendo, non solùm peccet, verùm etiam ad restitutionem pecuniæ acceptæ teneatur; & est communis Doctorum teste Trullench tom. 2. in Decalog. lib. 8. cap. 3. dub. 8. num. 1. Quamquam idem Trullench ibi probabile judicet non adesse ejusmodi obligationem. Prima tamen sententia est vera, quia nullo titulo potest testis sibi retinere dictam pecuniam.

P. P. R. non pro vero, sed pro falso testimonio ferendo, pecunia mihi tradita fuit.

C. Et reipsa emisitne V. D. juramentum? etenim in hoc casu tenetur ad restitutionem pecuniæ acceptæ pro falso testimonio, ita communiter Doctores.

P. P. R. Fateor, quòd falsum testimonium tulerim.

C. Suppono V. D. duo peccata mortalia commisisse per hoc falsum

juramentum, videlicet contra Religionem, & Justitiam, & quæro, an teneatur ad restitutionem pecuniæ acceptæ pro falso testimonio ferendo? cujus resolutio pendet ab illa quæstione, utrùm promissio facta pro re peccaminosa obliget? in qua duæ sunt opiniones, & ambæ probabiles, ut videri potest in meo Dialogo part. 1. tract. 2. cap. 1. ad finem n. 25. pag. 42. In sententia asserente, quòd promissio rei malæ obliget, V. D. non teneretur ad restitutionem: ita Navarrus in propriis terminis nostri casus loc. cit. Bonacina ubi suprà n. 18. Trullench ibid. num. 2. In opinione affirmante, quòd promissio pro re peccaminosa non obliget, consequenter dicendum est, testem obligari ad restitutionem rei acceptæ pro falso testimonio ferendo; quod valde probabile censet Marchadus ubi supr. docum. 3. in fine. Utraque opinio est valde probabilis.

Dices contra hoc: Diximus communem, & veram esse opinionem, quòd testis teneatur restituere id, quod accepit pro vero testimonio ferendo: ergo à fortiori tanquam communis, & vera erit doctrina, quòd testis obligetur ad restitutionem rei acceptæ pro falso testando: Respondeo concesso antecedenti nego consequentiam; disparitas patet, quia testis tenetur ex sola charitate testari, quando ex hac omissione imminet damnum proximo; pro eo autem, quod tenetur facere, nequit accipere solutionem, aut mercedem; sed cùm non teneatur falsò testari, cùm hoc sit liberum, potest post factum retinere pecuniam acceptam; quemadmodum Assassinus, qui accepit pecuniam ratione homicidii patrandi, potest post patratum homicidium retinere acceptam pecuniam, quia exercet actionem, ad quam nullatenus obligabatur.

Et si instes dicendo, quòd testis non teneatur comparere ad subeundum examen, & verum etiam testimonium ferendum: ergo si quando falsò jurat, potest detinere pecuniam hac de causa acceptam, quia spontaneè hoc facit, ita pariter eandem detinere, verum jurando, quia facit id, ad quod non obligatur. Respondeo testem ex charitate obligari ad examen subeundum, quando ipsius testimonium prodest ad vitandum damnum proximi, ut dictum est num. 67. & quando pars offert ipsi pecuniam, signum est evidens, quòd depositio testis sit eidem necessaria ad aliquod imminens damnum avertendum: ergo jam testis ex charitate tenetur subire examen, ac proinde in communi, & vera opinione non poterit propterea detinere pecuniam.

70. Novitne V. D. se falsum testimonium ferre?

P. Non P. R. quia occultavi veritatem, amphibologicè respondendo.

C. Erátne in causa Criminali, vel Civili?

P. In causa Criminali.

C. Habuítne Judex semiplenam probationem contra Reum, vel præcessit infamia publica delicti? quia si juridicè non interrogavit, juxta dicta cap. 1. hujus tract. nec V. D. tenebatur aperire veritatem.

P. P. R. anceps eram, utrùm inquisitionem Judicis præcesserit semiplena probatio.

C. Quando testis, aut Reus dubitant, an Judex habeat, vel ne semiplenam probationem, nec tenentur manifestare veritatem; ita cum Murcia dixi 1. part. prax. tract. 2. cap. 1. num. 21. pag. 40.

Fuítne adhuc aliquis præter V. D. conscius delicti? nam si sola V. D. id scivit, non tenebatur idem manifestare Judici, sive procedenti ex Officio, sive ad instantiam partis; quod cum Joanne de la Cruz, & aliis probabile putat Diana part. 3. tract. 5. resol. 100.

P. P. R. Bene credo adhuc aliis id notum fuisse.

C. Scivítne hoc V. D. sub sigillo naturali? in hoc enim casu non est obligatio manifestandi Judici crimen, sub secreti naturalis sigillo patefactum; quia lex naturalis servandi sigillum magis obligat: modò tamen testificatio non sit necessaria ad avertendum aliquod damnum publicum, vel privatum: Bassæus verb. Testis num. 7.

P. P. R. non sub secreti naturalis sigillo res mihi revelata fuit.

C. Timuítne V. D. ex manifestatione veritatis, sibi, aut suis aliquod notabile damnum obventurum? lex enim charitatis neminem cum tanto incommodo ad manifestandam veritatem obligat, nisi aliter postulet bonum commune: Bonacina tom. 2. in 8. præcept. disp. 10. quæst. 3. punct. 3. num. 8.

P. Nullum damnum nec mihi, nec meis, ex vero juramento imminebat.

C. Accusatus fuítne Reus de violatione alicujus puellæ, ut obligaretur ad contrahendum cum ea sponsalia? quia si hæc nota fuisset Reo imposita, & hic ad id non obligaretur, posset juramentum emitti absque ullo ejusdem gravamine: Sanchez tom. 1. sum. lib. 3. cap. 6. num. 32.

P. De hoc non fuit accusatus Reus.

C. Fortè de aliquo furto? quod, si fuisset factum in occultam compensationem sibi debiti, poterat V. D. jurare, quòd rem furto non acceperit. Palaus part. 3. tract. 14. disp. 1. punct. 7. sub num. 5. §. 3.

P. Nec hujusmodi delictum fuit ei impositum.

C. Delictum fuítne notum V. D. ex auditu? quia, quando testis interrogatur, num sciat delictum, potest respondere negativè, si duntaxat ex auditu hoc habet. Sanchez verb. Judiciales actus de testibus num. 8.

quod

quod certius est, quando auditur factum à personis modicæ fidei: sed si delictum consistit in verbis: v.g. in aliqua contumelia, aut verbo injurioso, in hujusmodi inquam delictis idem est audire à contumelioso verba offensiva, ac in aliis videre committi delictum.

P. P. R. Ex visu novi delictum.

C. Ob quam causam ergo occultavit veritatem?

P. Casus fuit iste, quòd cùm quidam vir habuerit obligationem providendi Reipublicæ de vino, adeò vili pretio fuit taxata mensura, ut ultra duos Regales non potuerit eam vendere, mihi verò constabat virum cariori pretio id empsisse; quamobrem se tali damno obnoxium cernens, occultè vinum aquâ adulterabat, in me confidens; Judex autem prævia rei informatione me obligavit ad juramentum, quod ego emisi jurando, nihil injustum eum patrasse.

C. Supposita veritate rei mihi narratæ, quòd V. D. non constaret, Judicem habuisse semiplenam probationem, nec præcessisse publicam infamiam, & quòd attenta qualitate casûs taxa fuerit injusta, ac vir licitè potuerit admiscere vino tantum de aqua, quantum requirebatur, ut ejus bonitas æquipararetur pretio taxæ, juxta dicta 1. part. prax. tract. 7. cap. 5. part. 3. num. 120. pag. 250. V. D. non tenebatur in juramento fateri veritatem, ut in simili casu affirmat P. Moya in suis select. tom. 1. disp. 2. quæst. 6. §. 2. num. 6. quia quotiescunque Judex legitimè, & juridicè non interrogat, & testis, aut Reus justam habent causam occultandi veritatem, non tenentur respondere ad mentem Judicis: sed sic est, quòd in hoc, & in relatis casibus Judex legitimè, & juridicè non interroget, & testis justam habeat causam occultandi veritatem: ergo non tenetur respondere ad mentem Judicis; proindéque potest uti amphibologia externa, seu sensibili ad eandem occultandam, ac miserum Reum ab injusta condemnatione liberandum.

71. Objicies contra hoc Decretum Innocentii XI. in propositione 26. & 27. damnans usum amphibologiæ, juxta quod, etsi olim doctrinæ adductæ essent probabiles, modò tamen non sunt: Respondeo suam Sanctitatem solummodo damnasse amphibologias præcisè mentales, & internas, non verò externas, & sensibiles, ut dixi 1. part. prax. in explic. harum propos. tract. 10. n. 79. & seqq. pag. 355. ex circumstantiis autem quæ faciunt sensibilem amphibologiam, ea est, quæ desumitur à tempore, Officio, persona & modo interrogandi; quapropter si Judex juridicè non interrogat, ipsomet suo Officio facit, ut sit sensibilis amphibologia, cum qua testis, aut reus veritatem occultat: & quando causa urgens subest ad eam non manifestandam,

potest

potest etiam adhibere verba metaphorica, ut dixi loc. cit. num. 89.

Quòd si intentio Judicis non sit prudens, & rationabilis in extorquendo veritatem rei, quæ justissimè potest, & debet ei occultari, ipsomet suo modo interrogandi, præbet responsioni fundamentum amphibologiæ sensibilis videatur P. Torrecilla in suis Consult. moral. tract. 5. super propos. 26. & 27. Papæ Innocentii XI. num. 134. qui num. 164. & seq. tenet, circa testes, quòd possint absque violatione dicti Decreti occultare veritatem, tam quando Judex juridicè non interrogat, quàm in pluribus aliis casibus.

Verùm ad cautè, & subtiliter adhibendas amphibologias sensibiles, & absque peccato occultandam veritatem, videantur dicta loc. cit. prax. præsertim num. 110. & seqq.

72. P. P. R. confiteor, quòd alio testimonio ferendo occultaverim Judici veritatem.

C. Adfuítne aliqua ex circumstantiis supradictis, in quibus potest testis respondere Judici utendo amphibologia?

P. Non P. R.

C. Falsóne juravit in detrimentum proximi?

P. Non P. R. sed solùm interrogatus utrúmnam rem aliquam scirem, negativè respondi.

C. Secutúmne fuit exinde damnum aliquod proximo?

P. Utinam non evenisset.

C. Certum est, quòd V. D. peccaverit contra charitatem, non avertendo hoc damnum proximi per revelationem rei sibi notæ, & si adhibuit amphibologiam absque necessitate occultandi veritatem, si ea fuit interna, perjurium incurrit. Dubium est, an peccaverit contra justitiam cum onere restitutionis Azorius inst. moral. part. 3. lib. 13. cap. 27. dub. 4. affirmativam docet, quia si testis in judicium vocatus non manifestat veritatem cum damno tertii, peccat contra justitiam commutativam: ergo tenetur ad restitutionem. Negativam sententiam probabilem tuetur Diana part. 3. tract. 5. resol. 101. cum Joan. de la Cruz, Sylvio, & aliis dicens, quòd licèt hujusmodi testis graviter peccet contra Charitatem erga proximum, & contra Obedientiam, & Justitiam legalem erga Judicem, non peccat tamen contra Justitiam commutativam, nam ante mandatum Judicis non tenetur ex justitia commutativa, etiam secundùm Authores contrariæ sententiæ; sed per mandatum Judicis solùm accedit obligatio Justitiæ legalis, & Obediendiæ: ergo nullum est vinculum Justitiæ commutativæ, & consequenter nulli restitutioni est obnoxius. Quamquam tutiorem existimem sententiam Azorii, improbabilem tamen non damno contrariam; quia testis antequam in judicium vocaretur, non te-

nebatur ex justitia, sed ex charitate veritatem dicere, ad sui proximi damnum vitandum, ut dictum est num. 67. sed sic est, quòd per mandatum Judicis solùm supervenerit vinculum juramenti, & obedientiæ Judici præcipienti revelationem veritatis, & Justitiæ legalis, bonum publicum respicientis: sed nec virtus Religionis, dictans rectè jurandum, nec obedientia, nec Justitia legalis inducunt obligationem restitutionis: ergo &c.

73. P. Sic pariter confiteor P. R. quòd in alia occasione falsò testatus fuerim contra Reum.

C. Ex ignorantiáne, oblivione naturali, aut mala fide V. D. ita se gessit? quia testis cum ignorantia inculpabili falsò jurans, nec peccat, nec tenetur reparare secuta exinde damna; quandoquidem obligatio restitutionis ob injustam damnificationem ortum habere debet à culpa Theologica, atqui non adest culpa Theologica dum res fit cum ignorantia invincibili: ergo si testis falsò jurat cum ignorantia invincibili, non obligatur ad restitutionẽ: Et quamvis ignorantia esset venialiter culpabilis, neque teneretur probabiliter ad restitutionem; quia culpa venialis tantùm non inducit obligationẽ restitutionis ratione injustæ damnificationis; ita Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 23. num. 160.

P. Non cum ignorantia, sed mala fide juramentum præstiti.

C. Accidítne Reo aliquod grave damnum, ob ipsius falsum juramentum?

P. Ita P. R.

C. Erátne convictus adhuc Reus per alios contestes? nam si Reus hoc modo fuit convictus, tunc testimonium V. D. nihil effecit, eò quòd pœna propter illud non est addita, nec Judex firmior redditus est ad eam irrogandam; adeóque V. D. non tenetur ad restitutionem quia etsi injuriam ei fecisset, non tamen esset causa efficax damni; quod ex prioribus testimoniis jam censetur illatum: Diana part. 3. tract. 5. resol. 105.

P. Non erat convictus per alios contestes Reus, & certum est, quòd secluso meo juramento, neutiquam fuisset condemnatus.

C. Estne jam lata sententia contra Reum?

P. Necdum P. R.

C. Tenetur ergo reparare damnum imminens Reo, etiam cum retractatione.

P. P. R. Si tanquam falsus testis me retracto, irremissibiliter ad patibulum damnabor.

C. cujusmodi pœna taxata est à lege, pro delicto à V. D. huic Reo imposito?

P. P. R. pœna mortis.

C. Sperátne V. D. ex sua retractatione liberandum fore miserum Reũ?

P. Nullo modo P. R. quia licèt sententia nondum sit lata, tamen Judices con-

conveniunt in prædictam pœnam, adeò ut impossibile sit eos divertere.

74. C. V. D. (& quivis falsum testimonium dicens) tenetur omnia media possibilia adhibere pro liberatione Rei, etiam suam primam depositionem retractando, & cum pari periculo vitæ; quare si Reus est suspendendus ad patibulum, V. D. tenetur sua dicta retractare, etiam cum periculo similis pœnæ incurrendæ; si aliud non subsit medium ad eum liberandum: ratio est, quia in æquali damno habenda est potior ratio innocentis, cujus melior est conditio. Ita docet cum Corduba, Soto, & communi, Petrus de Navarra de restit. tom. 1. lib. 2. cap. 3. num. 233. & 234. quòd si retractatio nihil sit profutura, testis falsus non tenetur illam facere; idem eod. num. 233. Fagundez in Decalog. tom. 2. lib. 8. cap. 42. n. 4. in fine. Diana part. 4. tract. 4. resol. 99. Bonacina tom. 2. disp. 10. circa 8. præcept. quæst. 3. punct. 3. num. 16. tenetur tamen ad reparationem damnorum, quæ ex morte, mutilatione, aut alia pœna Rei consequuntur. Et notandum cum Marchado tom. 2. lib. 6. p. 4. tract. 2. docum. 2. n. 4. quòd quando falsus testis dubitat, an ejus revocatio sit profutura, vel non, teneatur dicta retractare, licèt sibi similis pœnæ periculum timeret; sin verò damnum ex retractatione secuturum esset majus, quàm illud innocentis, non tenetur: Marchadus ib. sed aliâ viâ restaurare debet damna, expensas, &c. innocenti, aut ejus hæredibus ob suum falsum testimonium secuta; hìc pariter notandum, quòd in lib. 4. Recompilationis legũ Regni Navarræ, tit. 7. l. 1. præcipiatur, ut falsi testes in causis criminalibus suspendantur ad patibulum, & in causis Civilibus abscindatur eorum lingua.

75. P. Confiteor pariter P. R. me duos alios contestes ad falsum testimonium ferendum induxisse.

C. Erátne in Causâ Criminali?

P. Ita P. R.

C. Tenetur ergo ex justitia V. D. suadere prædictis testibus, ut falsum retractent; & iis recusantibus ipsamet retractare, & si aliunde non subsit remedium in favorem Rei, tenetur Judici fraudem apperire, quamvis sibi vitæ periculum manifestum immineat. Ita Lessius lib. 2. de justit. cap. 3. dub. 7. num. 54. Petrus de Navarra ubi supr. sub. num. 235. §. ex quo infero. Fagundez loc. cit. Sin verò nulla sit spes liberandi Reum, aut pro priori sit jam convictus, nec erit obligatio retractandi, aut manifestandi fraudem, sed damna restaurandi; juxta dicta num. præcedenti.

76. P. Confiteor etiam P. R. me in examine plurium articulorum, super eorum quatuor, falsum testimonium tulisse.

C. Suppono circa obligationem restitutionis, dicta in duobus præcedentibus casibus, & pariter duas spe-

cie distinctas malitias hic adfuisse; unam contra Religionem ob invocationem Divini nominis in testem mendacii, alteram contra justitiam, cùm fuerit juramentum legitimum, & juridicum; & si hoc fuisset factum ex odio, aut vindicta, alia quoque esset malitia contra quintum præceptum, opposita virtuti Charitatis; modò multiplicationem numericam peccatorum in hoc casu inquiramus.

Dicat mihi: quot numero peccata putavit V. D. se committere, falsum jurando super quatuor distinctos articulos?

P. P. R. verè nescio.

C. Sine dubio noverat se magis peccare jurando super quatuor distinctos articulos, quàm super unicum?

P. Verum est P. R.

C. Est opinio probabilis, quòd falsum jurans in unica depositione super plures articulos, unum duntaxat numero peccatum committat: ita docet P. Henriquez Societatis Jesu lib. 5. cap. 5. num. 6. in Glossa Margin littera F. Leander à Sacra, part. 1. tract. 5. disp. 8. §. 8. quæst. 6. cum Lugo, Suarez, & addit, sat esse in confessione dicere, me accuso, quòd falsò juraverim absque explicatione, utrùm hoc fuerit in uno, vel pluribus articulis: quod sic probari potest, probabile est circumstantias intra eandem speciem aggravantes non necessariò esse aperiendas; ut docui in meis Confer. tract. 2. sect. 2. Confer. unic. §. 3. pag. 26. n. 36. sed sic est, quòd juramentum falsum super plures articulos, sit solummodo circumstantia aggravans respectu juramenti falsi emissi super unicum articulum; ergo probabile est, quòd jurans falsum super plures articulos non teneatur id explicare in confessione, sed satisfacere dicendo, se falsò jurasse in judicio, cum, aut sine damno proximi pro ratione materiæ juramenti.

77. P. P. R. confiteor, quòd majori excommunicatione affectus, testem egerim.

C. Fortè examen fuit de rebus fidei? quia in hujus favorem concedit lex in cap. fidei, de Hæreticis in 6. quòd excommunicati possint testari: & addit Glossa ibi hoc quoque posse extendi ad crimina læsæ Majestatis & etiam ad delicta Simoniæ.

P. P. R. Non erat ejusmodi causa ea, in qua fui testis.

C. Fortè in causâ Matrimonii? quia excommunicatus potest in hac agere testem. Ita Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 41. num. 5.

P. Neque in hac materia.

C. Erátne V.D. excommunicatus, toleratus, aut vitandus?

P. P. R. Toleratus.

C. Vetitum est majori excomũnicatione excomũnicato testimonium ferre, non solùm ex generali prohibitione in tales lata communicandi cum fidelibus, verùm etiam ex speciali

De-

Decreto Textus Canonici, cap. Decernimus de sent. excommunicat. in 6. ubi dicitur: "Decernimus: ut Ju"dices sæculares repellere excommu"nicatos ab agendo, patrocinando, "& testificando in suis Curiis, & Ju"diciis, compellantur:" toleratus, si requisitus testetur, non solùm validè, sed etiam licitè id facit; si verò est vitandus nullum erit ejus testimonium, modò tempore depositionis ei objiciatur exceptio censuræ, secùs verò putant aliqui validum fore ipsius testimonium; oppositum tamen est verum, quod docet Diana part. 5. tract. 9. resol. 113. quia ei non est obligatio credendi, valor autem testimonii consistit in eo, quòd ei debeat credi; præterea peccat si sit testis in judicio, solummodo tamen venialiter ratione excommunicationis juxta Suarez de Censuris disp. 16. sect. 6. num. 10. modò nulla injustitia, aut falsitas intercedat.

CAPUT VII.

De Statu, & Obligatione Rei.

78. P. P. R. me accuso, quòd in examine interrogatus de homicidio mihi imputato, id denegaverim, licèt verum fuerit me illud perpetrasse.

C. Interrogabátne Judex juridicè, seu juris ordine servato? quia si is non servatur, ex eo, quòd non præcesserit semiplena probatio delicti, nec infamia, nec testis exceptione major, testificans contra Reum, non tenetur hic fateri suum crimen: neque si dubitet de semiplena probatione, quæ debet ipsi constare ex depositionibus à Judice ostendendis (absque tamen manifestatione subscriptionis testium) ut veritatem fateatur: Trullench tom. 2. in Decalog. lib. 8. cap. 4. dub. 2. num. 2. Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 4. tract. 1. doc. 8. num. 3. & alii.

P. P. R. Judex juridicè procedebat, quia constabat mihi, eum semiplenam probationem contra me habere.

C. V. D. commisítne hoc homicidium in justam defensionem suæ vitæ, famæ, aut substantiæ cum moderamine inculpatæ tutelæ? quia in hoc casu poterat id occultare, cùm Judex inquirat de occisione criminosa, qualis non est hæc, quæ facta est ad sui defensionem absque notabili excessu. Sic Bassæus Verb. Reus num. 3. Quamobrem Titius qui defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel saltem absque mortali culpa occidit Cajum, non tenetur fateri se Cajum occidisse, sed negare potest, etiamsi de homicidio ab ipso commisso præcesserit infamia.

P. Non in meam defensionem, sed ex malitia homicidium perpetravi.

C. Quomodo ergo subticuit veritatem, & occultavit patratum homicidium, sciens Judicem habere semiplenam probationem?

P. Quia durum mihi videbatur mei ipsius carnificem agere, ac per ipsammet meam confessionem ad mortem me damnare.

C. Communis sententia dicit, posita semiplena probatione, teneri Reum apertè veritatem dicere, ac crimen suum Judici manifestare: contrariam tamen constanter tuetur Jo. Sanchez in suis select. disp. 43. num. 29. & seq. dicens, Reum damnandum ad mortem, triremes, exilium, aut amissionem bonorum, non teneri crimen suum Judici exponere, etiam cum semiplena probatione inquirenti, & interroganti; ac pro se citat Navarrum, Rodriquez, Reginaldum, Filliucium, Malderum, & alios; quia nemo tenetur esse ita immanis in seipsum, ut proprio ore suæ damnationis ad mortem, triremes, exilium, aut confiscationem bonorum auctor efficiatur; quinimò lex naturalis jus, & actionem ad se servandum indemnem ei concedit; sed sic est, quòd si posita semiplena probatione Reus teneretur fateri suum delictum, proprio ore se damnaret ad prædictas pœnas, alioquin à Judice ob solam semiplenam probationem non infligendas: ergo Reus non tenetur Judici, habenti semiplenam probationem, vel indicia æquipollentia aperire suum delictum: Hæc sententia videtur probabilis Bassæus ubi suprà num. 4. probabilissimam pariter & in praxi tutam existimat Diana part. 2. tract. 15. resol. 27. in fine; & Marchadus ubi suprà num. 6. modò communiorem esse censet. Et ratio ulterior est, quia est quidem hominibus à natura inditum, ut se defendant, & à mortis faucibus incolumem vitam reddant. Hinc leges oriuntur, quibus invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere licet, & aliena subripere extrema famis necessitate ad id impellente &c. deinde ex leg. 4. ff. de testibus, nemo cogi potest ad testificandum contra parentes sanguine junctos, sed nemo cuiquam magis est conjunctus sanguine, quàm sibi ipsi: ergo. Postremò lex humana non obligat cum periculo mortis, nisi magnitudo negotii aliud exigat; ergo non obligabit præceptum humanum, nam utriusque eadem est ratio cæteris paribus.

79. Verùm ego non discederem à prima Sententia, cùm sit juxta mentem expressam Angeli Doctoris *2. 2. quæst. 69. art. 1. in corpore.* ubi ait Sanctus: *Et ideò ex debito tenetur accusatus Judici veritatem exponere, quam ab eo secundùm formam juris exigit.* Ex quo sic arguitur, accusatus, seu Reus, secundùm D. Thom. tenetur aperire veritatem, quando Judex eam exigit secundùm formam & Ordinem Juris; sed sic est, quòd quando Judex habet semiplenam probationem, exigat veritatem secundùm formam, & ordinem juris: ergo tunc accusatus,

tus, seu Reus secundùm D. Thom. veritatem aperire tenetur.

Et etiam Fautores contrariæ Sententiæ cum limitatione debent eam docere, nempe si occultando veritatem sit spes evadendi, siquidem hac sepòsita, aut quia aliâ viâ haberi poterit plena probatio, aut alia de causa, non poterit veritas occultari, etiam stando secundæ opinioni, quando Judex habet semiplenam probationem: debet etiam intelligi, quòd occultatio veritatis fiat absque mendacio; cùm hoc sit intrinsecè malum, & nullo jure cohonestari possit: ac proinde est occultanda cum amphibologia non merè mentali, quæ tanquam mendacium damnatur, sed cum amphibologia, seu æquivocatione externa, juxta dicta cap. præced. num. 71. & fusiùs 1. part. prax. loc. cit. in dict. num. 71.

80. P. P. R. me accuso, quòd non manifestaverim postmodùm veritatem, denegatam Judici interroganti cum semiplena probatione mei delicti.

C. Ledesma, Vega, & alii, quos refert Diana part. 3. tract. 5. resol. 103. sentiunt, Reum, qui negavit veritatem, post judicium finitum, etiamsi contra illum sit lata à Judice sententia condemnatoria teneri eam manifestare. Contrarium tenet Diana ibi Bassæus supr. num. 5. & cum Rodriquez, & aliis idem docet Villalobos tom. 2, tract. 16. diffic. 3, num. 4. A Diana, & Villalobos citatur pro hac opinione Navarrus, attamen hic eximius Doctor, & illustris calamus nostræ Navarræ hoc non asserit, in Sum. Romance; & in latina cap. 25. num. 38. qui est locus ab iis citatus, cum limitatione id affirmat, nisi sequatur inde notabile aliquod damnum? hæc sunt formalia verba Navarri: *Ad novè autem quæsitum respondeo, eum qui ritè interrogatus, negavit delictum, quod confiteri tenebatur, & nihilominus damnatus ducitur ad supplicium, non teneri ad confitendum illud, nisi notabile aliquod damnum inde alicui probabiliter sequeretur.*

Thomas Sanchez in sum. tom. 1. lib. 3. cap. 7. num. 6. & 8. & 10. docet, Reum, qui negavit veritatem, non obligari postmodùm ad eam manifestandam, sive sententia absolutoria, sive condemnatoria, sive neutra sit contra eum lata, modò exhinc notabile damnum alicui non sequatur; quod (addit) moraliter impossibile mihi videtur: Cum limitatione nostri Navarri, & Sanchez huic opinioni adhærerem: nec credo esse moraliter impossibile, quòd possit sequi notabile damnum tertio, ex eo quòd Reus postmodùm non manifestet veritatem, occultatam Judici legitimè interroganti; quia in hoc casu redundat infamia in Judicem, & testes, commovetur enim populus, & scandalizatur, credens à Judice illum injustè occidi, & testes falsum dixisse.

Ad-

Addunt Diana, & Bassæus loc. cit. & Marchadus num. 7. quòd Confessarius caveat urgere Reum pœnitentem, qui ducitur ad supplicium, ad manifestandum delictum antea occultatum; cùm id occultaverit secundùm opinionem probabilem, juxta quam non obligabatur manifestare peccatum, licèt Judex haberet semiplenam probationem: quod approbo cum dicta limitatione, nisi exinde notabile damnum alicui immineat.

81. P. Me accuso pariter P. R. quòd in alia leviori causa accusatus, occultaverim Judici interroganti delictum, cùm tamen verè id perpetraverim.

C. Interrogavítne Judex legitimè servato Juris ordine?

P. Ita P. R.

C. Erátne delictum in damnum tertii?

P. Non P. R. solummodo ad mulctam Fisco Regio applicandam damnatus fuissem, si veritatem fassus fuissem, qua occultata liber fui ab ejusmodi pœna.

C. probabile est, quòd V. D. non teneatur in foro conscientiæ solvere mulctam, ad quam damnatus esset manifestando veritatem: Sic Navarrus in sum. lat. cap. 18. num. 49. Azorius in inst. moral. part. 1. lib. 5. cap. 8. quæst. 5. & alii, quia hæc pœna non est debita, nec Fiscus habet in eam Jus ante sententiam Judicis condemnatoriam: Atqui non fuit sententia Judicis condemnatoria ad hujusmodi pœnam; ergo nec ad eam tenetur in foro conscientiæ: verum est, graviter peccasse occultando veritatem, dum Judex juridicè interrogavit; quia opinio relata num. 78. asserens, Reum posse occultare veritatem, licèt Judex cum semiplena probatione interroget; intelligitur, quando pœna, quæ timetur est valde gravis: v. g. mortis, triremis &c. non quando est levis, ut in præsenti casu.

82. P. P. R. accuso me ob delictum falsò mihi imputatum, tormentis expositum fuisse, quæ cùm sufferre non possem, falsum crimen mihi imposui, licèt scirem capitalem sententiam pro eo esse taxatam.

C. Judex nequit torquere Reum, quando habet plenam probationem, sed quando indicia sunt talia, ut etsi non sufficiant ad eum plectendum, sufficiunt tamen ad eum torquendum; qualitas autem tormentorum est arbitria judici, juxta qualitates, & complexiones fortes, aut debiles personarum; quocirca quædam personæ torqueri non debent, ut impuberes, quamvis terreri, & virgis castigari possint; item Senes decrepiti, quamquam etiam hi terreri possint, ostendendo locum tormentorum. Mulieres prægnantes ob periculum abortus, quarum tortura differenda est, donec vires ex puerperio confirmatæ sint, vel ob privilegium, videlicet viri nobiles, seu ordinis equestris,

ſtris, Doctores, & Conſiliarii Principum, eorúmque liberi, qui omnes ne leviter quidem torqueri poſſunt, præterquam in criminibus exceptis, ut hæreſis, proditionis, læſæ Majeſtatis, veneficiorum, & aliis quæ recenſet Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 2. tr. 3. docum. 6. & 7.

83. Modò dicat mihi V. D. habuítne Judex ſufficientia indicia ad eam torquendam?

P. Ita P. R.

C. Tormentum, cui fuit expoſita, fuitne valde atrox?

P. Fuit tam horrendum, ut ignominioſiorem mortem ejus ſufferentiæ prælegiſſem.

C. Eſt communis opinio Doctorum, teſte Diana part. 3. tract. 5. reſol. 7. non peccare mortaliter Reum, qui ob vitanda gravia tormenta ſibi falsum crimen imponit. Et aliis citatis addit Joh. Sanchez in ſelect. diſp. 46. num. 16. quòd ad eadem vitanda excuſabitur quiſpiam etiam à veniali labe, falsum ſibi imponendo, licèt ob illius confeſſionem eſſet morte plectendus: quia non eſt digna (inquit) tanto dolore vita, & mendacium excuſatur, reſpondendo cum amphibologia, aut æquivocatione externa ſcilicet crimen commiſiſſe non re, ſed ſolùm ut fateatur Judici ad evitanda tormenta. Approbat Diana ibi hoc dictamen Joh. Sanchez, quod & ego valde probabile judico; quia ſi deberet eſſe peccatum, aut eſſet ob amiſſionem famæ, aut vitæ, aut ob mendacium, ſi primum, non eſſet duntaxat veniale, ſed mortale, cùm ſit materia gravis: atqui juxta communem ſententiam non eſt mortale, ergo nec erit veniale: prætereà quia ſi non eſt mortale ex eo, quòd præceptum ſervandi vitam, aut famam non obliget cum tanto dolore: ergo in hoc caſu jam ceſſat præceptũ conſervandi vitam, ſubſumo, ſed ubi non eſt præceptum nec eſt mortale, nec veniale: *ubi non eſt lex, nec prævaricatio*: Ad Rom. 4. Sed ſic eſt, quòd in hoc caſu ceſſet præceptum: ergo nec erit mortale, nec veniale: Quòd neque ſit veniale ratione modi, probatur; quia in uſu amphibologiæ externæ non adeſt mendacium; ut dixi 1. part. prax. tract. 10. n. 82. & ſeq. Atqui in hoc caſu poteſt quis ſibi imponere delictum falsum cum æquivocatione, aut amphibologia externa: ergo nec mentietur, nec venialiter peccabit.

Dubium poteſt eſſe, an Reus ob grave tormentum vitandum poſſit cum juramento ſibi falsum crimen imponere. Aliqui Doctores negativam tenent; Verùm ſuppoſita probabilitate adductæ ſententiæ, quòd Reus ob prædictam cauſam poſſit absque juramento ſibi falſum crimen imponere, non dubito, quin poſſit etiam cum juramento: Ita Trullench tom. 2. lib. 7. cap. 10. dub. 7. n. 5. in fine, & alii: Ratio eſt, quia ſi quid ob-

obstaret, quòd Reus non posset cum juramento hoc facere, esset perjuriũ: atqui potest hoc facere absque perjurio: Ergo nihil obstabit, quo minus cum juramento falsum crimen sibi imponere queat, minor probatur, perjurus est ille, qui cum mendacio jurat, & qui taliter non jurat, non est perjurus; sed sic est, quòd Reus possit sibi falsum crimen imponere absque mendacio, utendo ut dixi amphibologia externa: ergo Reus absque perjurio falsum crimen cum juramento sibi imponere poterit.

84. Nunc dicat mihi, post tormentum nónne iteratò interrogarunt eam de dato responso? quia ex præsumptione de violenta confessione Rei emissa in tormentis, noviter interrogatur de dicto, ut pateat, an liberè fateatur, quod antea per vim fasus fuerat.

P. Omninò P. R. iteratò fui interrogatus de veritate primæ confessionis.

C. Et V. D. ratificavit secunda vice jam dicta, confirmando impositionẽ falsi criminis?

P. Ita P. R.

C. Et si V. D. in hæc spontanea confessione denegasset delictum, iteratáne fuisset tortura?

P. Non est dubium P. R. quia leges ita sanciunt.

C. Qui ad evitanda tormenta sibi crimen falsò imposuit, non tenetur id retractare, quando prudenter judicat, sibi de novo infligenda esse gravia tormenta, retractando dicta: ratio est, quia non tenetur cum tanto incommodo vitam conservare, & perjurium jam transactum est; ita cum Navarra, & aliis docet Bonacina tom. 2. disp. 2. de rest. quæst. 4. punct. 10. num. 8. quod ex supradictis valde probabile puto.

85. At dicat mihi; habuítne V. D. familiam, quæ ob hujusmodi falsam impositionem posset inhonorari?

P. Ita P. R.

C. Quamquam verum sit, quòd vita, & fama non sit digna tanto dolore; prout est is, qui suffertur in crudeli tormento; attamen cùm Reus non sit Dominus famæ alienæ; si hæc damnificatur per propriam impositionem falsi criminis, dubitari potest, utrùm liceat dicta impositio cum dispendio famæ sui stemmatis, & familiæ; ad quod respondeo cum Trullench supr. num. 6. Bonacina loc. cit. & Lessio lib. 2. de just. cap. 11. dub. 7. num. 10. si tormenta præponderant alienæ famæ, non teneri pro hujus conservatione ea sufferre; & si infamia inde secutura præponderat tormentis, hæc ad eam indemnem servandam toleranda sunt: *sed quænam, quæso, trutina tormentorum, & infamiæ pondera æstimabit?* satius esset, quòd Reus, postquam evasit è tormentis (si possibile foret) famam læsam restauraret, manifestando se non patrasse crimen, sed illud patefecisse

ad evitanda tormenta, etsi neque hoc modo suorum fama illæsa evadet; vel si hoc non prosit, adhibeat media efficacia penes Judicem, ne tormentis eum exponat operâ discreti Confessarii, qui efficaciter de veritate certiorem reddat Judicem; aut aliâ viâ, quæ attentis circumstantiis prudentia sugeret, & pietas Divina in defensionem innocentiæ dictabit.

86. P. Me accuso pariter P. R. quòd in alia denuntiatione contra me data, infamaverim testem objiciendo eidem suum delictum occultum.

C. Erátne verum ejusmodi delictum?

P. Ita P. R.

C. Objectio hujus delicti fuítne medium necessarium ad propriam defensionem?

P. Unicum, & necessarium medium fuit ad meam justam defensionem.

C. Habuítne V. D. animum infamandi testem, vel solùm se defendendi dicto modo?

P. Solummodò me defendere intendebam.

C. Damnum ex hujusmodi revelatione secuturum Reo, præponderabátne illi, quod V. D. imminebat, nisi hoc modo se defendisset?

P. Non erat adeò notabile, ut posset damnum mihi obventurum attingere.

C. Non licet Reo ob defensionem sui honoris, & innocentiæ falsum crimen testi imponere; & contrarium damnatur ab Innocentio XI. in propos. 44. Potest tamen Reus objicere testi delictum occultum verum, modò sit præcisum medium ad suam defensionem, & absque animo eundem infamandi, nec damnum inde testi eventurum sit gravius imminente Reo; & quòd testis non vi, & coactè, sed voluntariè testimonium tulerit: ita docui 1. part. prax. tract. 10. num. 168. & videri potest in Villalobos tom. 2. tract. 16. diffic. 6. per totam.

87. P. Sic pariter me accuso P. R. quòd à Judice vocatus ad examen delicti, de quo fui accusatus, dixerim accusatorem mentiri.

C. Erátne verum, quòd V. D. commiserit delictum? nam si erat falsum, licitè pôtuit dicere, quòd accusator mentitus fuerit. Sic Fagundez tom. 2. in Decalog. lib. 8. cap. 31. num. 17.

P. Verum erat, me commisisse delictum, de quo me accusavit.

C. Erátne occultum delictum?

P. Ita P. R. erat adeò occultum, ut probari non posset.

C. Ante Decretum Papæ Innoc. XI. satis probabile erat, quòd Reus accusatus de aliquo delicto, potuerit mendacem appellare accusatorem: ita docuit Fagundez ibid. Lessius lib. 2. de just. cap. 31. dub. 2. num. 6. plerique alii. Difficultas est, an hæc doctrina possit subsistere post dictum decretum: ratio dubitandi est; quia non licet imponere falsum crimen alicui, ut quis

quis suam justitiam, & honorem defendat; sicuti constat ex Propositione 44. damnata: sed sic est, quòd accusatorem, qui deposuit delictum verum, licèt occultum, appellare mendacem, sit eidem falsum crimen imponere: ergo damnatur assertum, quòd Reus possit appellare mendacem accusatorem, denunciantem delictum verum, licèt occultum.

88. Non obstante hac ratione dubitandi, probabile puto, Reum posse dicere Judici, quòd mentiatur, denuncians delictum occultum, quod probari nequit, licèt sit verum: Primum probatur authoritate Glossæ in cap. cum dilectus, de calumniatoribus, ubi dicit; Quòd si denuntians non probat, quod intendit, calumniari præsumitur: calumniari autem idem est, ac mentiri; ut habet lex L. 48. ff. de abolitionib. crim. lib. 1. his verbis: calumniari est falsa crimina imponere: Et addit Glossa in cap. si quem 2. quæst. 3. sic videtur, quòd calumnietur, qui non probaverit: Modò sic argumentur; is, qui accusat, & non probat, est calumniator: atqui calumniator est ille, qui imponit falsum crimen: ergo is, qui accusat, & non probat, dicitur imponere falsum crimen: subsumo; sed eum, qui imponit falsum crimen, potest Reus appellare mendacem, etiam post Decretum Innocentii XI. ut dictum est: ergo accusatori delicti occulti, quod probare nequit (licèt si verum) potest objici, quòd mentiatur, etiam post Decretum Innocentii XI.

Secundum probatur, quia duplex est mendaciũ; unum speculativum, alterum practicum: speculativum est, quando verba sunt contraria conceptui mentali: practicum est, quando verba sunt contraria voluntati directæ à recta ratione; ita docet Villalobos tom. 2. tract. 11. diffic. 37. sub. num. 5. Et ego dixi 1. part. prax. tract. 8. cap. 5. num. 33. pag. 308. & in hoc sensu verificatur illud Omnis homo mendax, Psal. 115. non quòd omnis homo mentiatur ex eo, quòd verba ipsius non sint conformia menti, sed quia omnis homo practicè mentitur; quia omnis homo est peccator, & ut talis sua opera, & verba non conformat voluntati directæ à recta ratione: sed sic est, quòd accusans Reũ de aliquo delicto occulto, licèt vero, non conformet sua opera, & verba voluntati directæ à recta ratione: ergo qui accusat Reum de aliquo delicto occulto, licèt vero, est practicè mendax: Minor probatur; quia recta ratio dictat; neminem accusandum esse ante Judicem de delicto occulto (licèt alias posset ipsi manifestari tanquam Patri; ut occultè eum corrigat; non tanquam Judici, ad hoc ut judicialiter procedat contra Reum) ergo is, qui accusat Reum ante Judicem de aliquo delicto occulto, non operatur con-

conformiter voluntati directæ à recta retione: ergo practicè mentitur; ergo fas erit Reo dicere, quòd mentiatur is, qui imposuit ipsi aliquod delictum verum, sed occultum, quod probari non poterat.

89. Unde constat solutio rationis dubitandi suprapositæ; quia Sua Sanctitas solùm damnat assertum, quòd possit imponi falsum crimen alicui ad propriam justitiam, & famam tuendam: atqui dicendo accusatori imponenti delictum occultum, licèt verũ, quòd mentiatur, non imponitur ipsi delictum falsum, sed verum, quia verum est, quòd practicè mentiatur: ergo hæc doctrina non opponitur Decreto condemnatorio Papæ Innocentii XI. in propositione 44. relata.

Neque opponitur Propositionibus 26. & 27. damnatis ab eodem Pontifice circa amphibologias; quia hoc verbum, mentitur, quod Reus imponit accusatori in dicto casu, est ex se æquivocum, potens significare, quòd mentiatur vel speculativè, vel practicè: ergo non erit amphibologia interna, qualis est damnata, sed sensibilis, quæ non est talis, juxta dicta in explic. dict. Propos. part. 1. prax. tract. 10. num. 82. pag. 356. quare Reus habens intentionem dicendi, quòd denuncians suum delictum occultum verum, practicè mentiatur, non contraveniet damnationi earum Propositionum.

Verum est, quòd si Reus possit se indemnem servare absque impositione mendacii ad hoc teneatur; & etiam supposita impositione, tenetur id facere absque animo eum infamandi, cum limitationibus circa testimonium supradictis in casu præcedenti num. 86.

90. P. P. R. me accuso, quòd in aliqua occasione post sententiam contra me latam ab inferiori Tribunali, ad superius Tribunal appellaverim.

C. Jure naturali conceditur Reo appellatio, cùm fit ei injustitia: & si credendo bona fide hanc sibi fieri, appellat, non peccat, quòd si mala fide faciat, cognita justitia sententiæ solummodo ad finem dilationis, graviter peccat, & ad expensas statim damnandus est, uti habet Textus Canonicus cap. cum appellationibus, de appellationibus in 6. quia appellatio non fuit introducta in defensionem iniquitatis, sed in refugium innocentiæ; sic Glossa in eo cap. Non enim fuit inventa, ut esset iniquitatis defensio, sed innocentiæ præsidium.

P. Mihi videtur rationi consonam fuisse meam appellationem.

C. Post sententiam supervenerúntne V. D. novæ rationes, vel testes aut instrumenta alleganda ante Judicem Superiorem? quia his supervenientibus cum spe fundata, quòd Judex superior ad earum conspectum esset revocaturus primam sententiam, absque ullo dubio licita esset appellatio.

P. Nihil novi mihi supervenit, habui tamen spem fundatam, quòd Superior primam sententiam esset revocaturus.

C. In ferendo primam sententiam, secutúsne fuit Judex opinionem minùs probabilem? licèt enim damnatum sit, quòd Judex possit sequi opinionem minùs probabilem, si tamen passione ductus, vel errore, aut ignorantia cum hujusmodi probabilitate condemnaret, licita esset appellatio ab ejus sententia.

P. Tametsi mihi faveret opinio probabilis, Judex tamen cum opinione probabiliori vel ad minùs æqualis probabilitatis operatus fuit.

C. Quando Judex fert sententiam, sequendo opinionem probabiliorem, vel æquè probabilem, Reum non posse appellare: censet cum Ledesma Villalobos tom. 2. tract. 16. diffic. 8. num. 4. contrarium tenet cum Turriano, & aliis Diana part. 3. tract. 5. resol. 104. tam in causis criminalibus, quàm in civilibus, dicens, quòd quamvis Judex tulerit sententiam secundùm opinionem probabiliorem possit Reus appellare ad Superiorem, dummodò contraria opinio, pro qua appellatur probabilis sit.

91. Contra hoc dices: in Propositione secunda damnatur ab Innocentio XI. assertio, quòd Judex possit judicare secundùm opinionem minùs probabilem; quod tam de Judice inferiori, quàm superiori intelligitur; ergo si Judex Superior, ad quem appellatur, tenetur judicare secundùm opinionem probabiliorem, frustranea erit appellatio, facta cum opinione minùs probabili; & cùm sit frivola, inter damnatas à Lege Canonica computabitur: cap. cum appellationibus frivolis, de appellation. in 6. Respondeo primò, hanc objectionem nullius esse roboris in causis sanguinis, quia in his potest Judex ferre sententiam in favorem Rei, etiam cum opinione minùs probabili, ut dixi in explic. hujus 2. Propos. dam. 1. part. Prax. tract. 10. num. 24. pag. 340. Respondeo secundò, loquendo de omni genere causarum tam criminalium, quàm civilium, quòd cùm judicia hominum adeò discrepent; opinio, quæ Judici inferiori videbatur probabilior, Judici Superiori videbitur minùs probabilis: & quam inferior judicavit minùs probabilem, superior existimabit: ergo non prohibetur Reo, nec ejus appellatio frivola dicetur, si opinione probabili fulta sit; quia licèt secundùm dictamen Judicis inferioris minori probabilitate fulciri appareret, in judicio tamen Superioris, majori probabilitate pollere potest.

92. P. P. R. accuso me, majori excommunicatione obstrictum, in judicium citatum comparuisse.

C. Fuitne excommunicatus vitandus, aut toleratus?

P. Vitandus.

C.

C. Potuiſsétne per Procuratorem idoneum comparere, & ſe defendere?

P. Procurator non deerat, aſt non potui plenè mihi ſuadere, eum me pari efficacia defenſurum.

C. Evidens eſt, & deciſum per ſacros Canones, cap. intelleximus, de judiciis, quòd Reus poſſit, & debeat comparere in judicio, etiam ut excommunicatus, non tantùm in cauſa ſuæ excommunicationis, verùm etiam in quavis alia, ſive Criminali: ne videatur de ſua malitia commodum reportare: inquit Textus, & etiam Gloſſa ibi, num verò teneatur per ſe, vel per Procuratorem reſpondere, controverſia eſt inter DD. aliqui ſentiunt, debere reſpondere, per Procuratorem, & pro hac opinione Diana part. 5. tract. 9. reſol. 111. citat Hurtadum, & Avilam, Avila tamen hoc non aſſerit abſolutè, ſed conditionatè, ut paulò pòſt patebit. Contrarium verius putat idem Diana ibidem, addit tamen, quòd ſi excommunicatus poſſit obtinere abſolutionem ab excommunicatione, omninò decentius eſſe, ut ante illam per ſe non reſpondeat. Pro ſua ſententia citat Diana cap. cùm inter de exceptionibus, & cap. ult. eod. tit. Pace tamen tanti, & adeò perdocti viri reor, non favere hæc capita ſuæ opinioni; ſiquidem in cap. cum inter, ſolùm conceditur Reo (qui erat perſona nobilis) poteſtas ſe defendendi in ordine ad recuſandum Judicem: Prædicto nobili legitima defenſio in judicio reſervatur, & maximè Judicis recuſatio, non obſtante excommunicatione, qua irretitus erat. Neque ei favet cap. ult. venerabilem de exceptionibus; quia duntaxat decernebatur appellationem excom̃unicati eſſe validam; eamque proſequi poſſe: *Quia nihil excommunicato appellare prodeſſet; ſi non poſſet appellationem ſuam proſequi.* Ex quo conſtat in nemine horum textuum concedi Reo excommunicato, quòd poſſit per ſe ipſum reſpondere, ſed quòd per Procuratorem ſe defendere valeat.

93. Quapropter primam opinionem veram judico, juxta quam Reus majori excommunicatione irretitus non per ſe, ſed per Procuratorem reſpondere poteſt: quod conſtat ex cap. intelleximus, de judiciis, ubi dicitur: *quia poſtulaſti à nobis, utrùm excommunicatus in judicio ſtare poſſit? reſpondemus, quòd converiri poteſt: & debet per alium in judicio reſpondere:* Verum eſt, quòd Reus, ſive accuſatus excommunicatus, ſi Procuratorem idoneum non haberet, per ſe ipſum reſpondere poſſet; & hic eſt caſus & limitatio, cum qua Avila de cenſ. p. 2. cap. 6. diſp. 7. dub. 2. aſſerit, Reum poſſe per ſe ipſum reſpondere in judicio: quandoquidem cùm defenſio jure narurali concedatur, non eſt veriſimile, quòd Eccleſia Reo excommunicato eam per ſe faciendam

dam

dam negare voluerit: quando Procuratorem idoneum in sui defensionem non haberet.

Si verò Reus non esset excommunicatus vitandus, sed toleratus, posita citatione, & rogatione Fidelium, posset ad eorum utilitatem comparere, & respondere per se ipsum in judicio, ex generali Concessione Concilii Constantiensis, annuentis communicationi Fidelium cum excommunicato tolerato, ad evitanda pericula animarum, non in hujus favorem, sed in aliorum fidelium beneficium.

94. P. P. R. me accuso, quòd pœnam mihi à Judice impositam, & à me ipso executioni mandandam, renuerim exequi.

C. Erátne pœna gravis, vel mitis, & levis? quia rectè potest Judex imponere Reo, ut se ipsum, pœna tamen miti plectat; v. g. in Religionibus præcipiunt in pœnam Prælati subditis, ut propriis manibus se flagellent.

P. P. R. Satis aspera fuit pœna taxata à Judice.

C. Erátne pœna positiva, vel privativa?

P. P. R. erat pœna positiva.

C. Quando Judex pœnam privativam imponit Reo, v. g. suspensionem ab officio, aut honorifica dignitate, ipsemet Reus debet esse pœnæ executor, privando se officio, aut dignitate; Si autem pœna esset positiva, & ardua, nequit Judex ad ejus executionem, à Reo immediatè faciendam, eundem compellere: v. g. nequit Judex imponere Reo, ut sibi ipsi membrum abscindat, ut se ad patibulum suspendat, se interficiat, aut venenum bibat: potest tamen ad hujusmodi pœnas operâ aliorum subeundas eum cogere; & pro tunc Reus tenetur adhibere media conducentia ad executionem, v. g. si damnatur ad patibulum, debet è carcere egredi, pergere ad supplicium, ascendere scalam &c. & si plectitur exilio, aut pœna pecuniaria, debet discedere à patria, pecuniam taxatam solvere. Sic Villalobos in sum. tom. 1. tract. 16. diffic. 10. per totam.

95. Utrúmnam reus, ante Sententiam Judicis incurrat pœnas taxatas à legibus, dictum est in meis cons. Moral. part. 1. tract. 3. cons. 6. §. 2. num. 8. & seq. pag. 41. & an liceat reo fugere è carcere, disrumpere portas, ante, & post Sententiam, & an alii possint in hoc eum adjuvare, dictum est pariter loc. cit. cons. §. 3. num. 18. & 19. pag. 162.

CAPUT VIII.

De Officio, & Statu Accusatoris.

96. P. P. R. dico meam culpam, in quadam occasione me accusasse personam coram Judice, ob injuriam ab eadem mihi illatam.

C. Ex

C. Ex odio, vel zelo justitiæ, aut publicæ vindictæ V. D. id egit?

P. Fuit aliquis zelus justitiæ, non nego tamen, quin fuerit admixtus aliquo odio, & malevolentia.

C. Accusatio "est Delatio Rei de crimine ad vindictam publicam libello "facta cum obligatione probandi de"lictum." Per quod distinguitur à denunciatione; quia denuncians non obligatur ad probandum delictum; bene verò accusator. Sex conditiones requirit accusatio: prima, ut fiat in scriptis; secunda, ut in accusatione ponatur nomen accusati, & accusatoris; tertia, ut fiat specifica mentio delicti, de quo accusatur *Reus*: quarta, ut declaretur locus, in quo delictum commissum est, annus, & mensis: quinta, ut annus, & mensis, in quo fit accusatio exprimatur: Sexta, ut accusator sigillo seu subscriptione firmet suam accusationem: Excluduntur ab officio accusationis pupilli, impuberes, hostes infensi, & alii; ut videre est in Villalobos tom. 2, tract. 15. diffic. 4. per totam.

97. Hoc supposito, dico, certum esse, & de fide, quòd accusatio si debito modo fiat, nimirum cum veritate, bono zelo, absque mala intentione, non solùm sit licita, sed etiam meritoria; ita Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 4. tract. 1. doc. 1. num. 4. Est tamen pariter certum, si fiat ex odio, & mala intentione peccatū esse mortiferum contra charitatem, & si falsò fiat, etiam contra justitiam cum onere restitutionis: & quia regulariter loquendo, solet ex odio, & passione fieri: idcirco multùm refert, quòd Confessarii, & Patres Spirituales animarum suadeant personis injuriatis, ut ab accusationibus desistant; idem faciant Procuratores, & Ministri, non præstando illicò fidem accusatori, qui irâ & indignatione scatens coram eis comparet, sed satagant eum pacare propositis ipsi molestis curis, peccatis, expensis & damnis exinde secuturis, & etiam infamia incurrenda per agitationem negotii in Tribunalibus; siquidem id, quod resultat, est quòd post multos rancores, & expensas solùm habeatur, quòd locus, & districtus summo suo dedecore repleatur ejus dictis, & factis. Quapropter Sanctum, & Christianum est, interponere in his casibus aliquam personam auctoritatis, ut inducat offensorem ad satisfactionem injuriæ illatæ, per quod pars læsa redintegretur, offensor corrigatur, dissensiones sopiantur, & eliminentur, sicque plures Dei nostri Domini offensæ evitabuntur.

98. P. Dico pariter meam culpam P. R. quòd semel intermiserim accusare personam de delicto ab eadem commisso.

C. Delictum redundabátne tantummodo in offensam V. D. sic enim non solùm non tenebatur eam accusa-

sa-

ſare, ſed ſanctè fecit Chriſtianâ patientiâ injuriam remittendo.

P. Non erat delictum in meam offenſam.

C. Vergebátne in damnum boni publici? v. g. crimen læſæ Majeſtatis, vel actio proditoria contra Rempublicam? nam in delictis, quæ ſunt contra Rempublicam tenetur homo accuſare malefactorem, ita D. Thom. 2. 2. q. 68. art. 1. in corp. & ideò (ait Doctor Angelicus) *ſi crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accuſationem.*

P. Non erat hujuſmodi delictum commiſſum.

C. Erátne tale, ut poſſet probari? ſecùs enim non erat obligatio accuſandi; ita D. Thom. ibid. Dummodò ſufficienter poſſit probari, quod pertinet ad officium accuſatoris; In delicto tamen hæreſis eſt obligatio denunciandi eum, quem evidenter conſtat eſſe hæreticum, quamvis probari non poſſit; & contrarium damnatur ab Alexandro VII. in propoſ. 5. cujus explicatio videri poteſt in hoc libro, tract. 17. num. 32.

P. poterat ſufficienter probari delictum, cujus accuſationẽ prætermiſi.

C. Erátne delictum in Damnum alicujus innocentis? quia ſi eſſet tale, nec adeſſet aliud medium defendendi innocentem, niſi accuſando delinquentem, tunc eſſet obligatio hunc denunciandi: ſic Trullench tom. 2. in Decalog. lib. 8, cap. 2. dub. 2, num. 2.

P. Neque hujuſmodi delictum erat.

C. V. D. fortè ex officio tenebatur ad accuſationẽ, velutCuſtos &c. quia, ſi tales perſonæ ex Officio obligatæ ad accuſationem, ſecùs faciant, peccant contra juſtitiam: de onere autem reſtitutionis locutus fui 1. part. prax. tract. 7. ſuper 7. præcept. cap. 5. part. 9. num. 154. & ſeq. pag. 268.

P. Nullum ex his officiis habui.

C Cujuſmodi ergo fuit delictum, cujus accuſationem prætermiſit?

P. P. R. erat Concubinatus.

C. Erátne publicus, & ſcandaloſus?

P. Ita P. R.

C. Erátne edictum, aut præceptum cum cenſura promulgata ab aliquo Judice, aut Prælato manifeſtandi peccata publica?

P. Omninò P. R. Epiſcopus in viſitatione Diœceſis, ſub pœna Excommunicationis majoris præcepit, ut manifeſtarentur peccata ſcandaloſa.

C. Tenebatur ergo V. D. in hoc caſu manifeſtare hunc delinquentem Prælato, aut per modum accuſationis, vel ſi ad hoc non inclinabat, nec obligaretur ad probandum delictum, ſaltem debuit hoc facere per modum denunciationis judicialis, ad hoc, ut Judex procederet ad pœnam, & tanti mali remedium: Villalobos ubi ſupr. diffic. 2. n. 4. & n. 10. quod cum neglexerit, incidit in excommunicationem latam ab Epiſcopo; quia verò peccatum erat publicum, & ſcandaloſum

non

non erat facienda fraterna correctió ante ejusdem denunciationem; ita D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. in corp. "Siquidem sint publica (peccata) non "est tantùm adhibendum remedium "ei, qui peccavit, ut melior fiat, sed "etiam aliis, in quorum notitiam de- "venit, ut non scandalizentur; & ideò "talia peccata sunt publicè arguen- "da &c.

99. Concludo breviter hoc caput, animadvertendo, quòd Actor assimiletur Accusatori; Actor autem dicitur ille, qui postulationem ponit in judicio; & postulatus dicitur Reus: actus verò facti ab Actore excommunicato sunt validi, nisi Reus, aut Judex exceptionem excommunicationis ei objiciat: & si est vitandus, debet Judex eum recusare, licèt reus excommunicationem non objiciat: Avila de cens. part. 2. cap. 6. disp. 7. dub. 1. Verùm si prætenderet esse Actor in causa suæ excommunicationis, vel probando se non esse excommunicatum, vel absolutionē esse ei impartiendam, debet admitti in judicium: videatur Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 4. tract. 1. doc. 3. per totam.

CAPUT IX.

De Taxa stipendiorum, pro Ministris Regni Navarræ.

100. In decursu hujus Tractatus disserui aliquoties de stipendiis, quæ secundùm taxam legum Recompilationis, possunt, & debent accipere Ministri Tribunalium; & hoc capite loquar de iis, quæ circa hoc leges Navarrenses sanciunt, ad hoc ut Confessarii hujus Regni ea calleant pro majori directione, & securitate in excipiendo eorundem Confessiones.

101. In lege 16. lib. 2. tit. 18. de Judicibus ponitur taxa facta pro Ministris Justitiæ anno 1679. & assignatur id, quod debent accipere referentes Regiorum Tribunalium, scribæ Aulici, & Secretarius Concilii: præcipiendo, ne excedatur taxa sub pœna quadruplicis solutionis, cujus medietas sit applicanda personæ, à qua acceperunt ultra permissum, & altera Cameræ, Fisco, & Denuncianti, nimirum horum cuivis tertia pars hujus medietatis: In lib. 5. tit. 1. de Obispos, habetur taxa pro Notariis Ecclesiasticis, Secretariis, Advocatis, & Procuratoribus. In lege 15. ejusdem libri tit. 12. præcipitur Scribis Judicialibus, ut observent taxam, eámque non excedant; sub pœna viginti ducatorum æqualiter distribuendorum Ministro, Fisco, & Denuncianti: in lege 1. eod. lib. tit. 14. præcipitur, ut Parochi, cæteríque Officiales taxam servent.

102. Prædicti Ministri Justitiæ taxam in conscientia servare tenentur nulla admissa excusatione, quòd tempora sint mutata, & quòd licèt antiquitùs dictæ leges justæ fuerint, modò tamen non sint; quia id neutiquam habet locum in hoc Regno, cùm lex

ſit adeò moderna, tanquam condita anno 1679. à decem autem annis ejus conditionis tempora non ſunt taliter mutata: ut propterea reputetur lex injuſta, quæ tam rectè ejusmodi ſtipendia taxavit.

Neque ſufficit dicere prædictam legem eſſe pœnalem, ut conſtat ex num. 100. & à lege 16. lib. 2. tit. 18. ibid. citata. quæ ad quadruplum condemnat Miniſtrum, excedentem taxam: probabile autem eſt, leges pœnales non obligare in foro conſcientiæ: Reſpondeo enim, quòd licèt hæc lex ex ea parte qua eſt pœnalis, poſſit non obligare in conſcientia; obligat tamen ex ea qua taxavit, & limitavit ſtipendium debitum labori Miniſtri: quod ita concludo: Nemo poteſt in conſcientia accipere pretium excedẽs valorem rei: ſed ſic eſt, quòd hæc lex moderna condita cum communi conſenſu tam Venerabilis Senatus, & totum Regnum judicaverit laborem Miniſtrorum Juſtitiæ, non promereri ſtipendium majus ab eadem taxato: ergo nullus Miniſter Juſtitiæ poteſt pro ſuo labore accipere majus ſtipendium à lege taxato.

103. Nec valet excuſatio, quòd litigantes gratuitò dent exceſſum ſtipendii, quia falſum eſt dicere, gratuitam eſſe hujusmodi donationem, ſed bene ſat coactam: primò, quia Miniſtri æquo plus ſolent petere, ſecundò, quia ad interrogationem partis de pretio debito pro aliqua expeditione, reſpondent hoc ejus arbitrio remitti; quare miſer litigans, vel cauſa gratificandi Miniſtrum, vel proprii decoris, vel vitandæ opinionis de propria inopia, & miſeria ultra poſſe offert; proindéque nec à Miniſtro accipiendum. Poſtremò; quia vident multoties magis ſuſcipi patrocinium, majorem ſtipem dantis, quàm majorem rationem habentis, ac citiùs expediri majori liberalitate pollentem: adeóque avaritiâ & ſocordiâ Miniſtrorum eos cogente, æquo plus dant, alioquin non daturi, ſi ſemitæ juſtitiæ ſervarentur.

104. Taxa aliorum Regnorum non eſt mihi nota, nec an talis lex ſit antiqua, & ob variationem temporum aliqua reformatione indigeat; idcirco Confeſſarius à Miniſtro Pœnitente de hoc certior fiat, ſuppono enim omnes Curiales debere habere notitiam ordinariæ taxæ, pro accipiendo juſto ſtipendio, tam in foro interno, quàm externo; & quòd interrogati à Confeſſario, Chriſtiana ingenuitate hoc, & alia, ad eorum ſalutem neceſſaria manifeſtabunt: ſiquidem in hoc ſacro Tribunali Confeſſionis non favet ſcientia, & Juris peritia, ſed humilitas, devotio, ingenuitas, & contritio: hìc nihil proſunt cavillationes legales, ſed veritas, compunctio, lacrymæ, propoſitum verum generalis emendationis.

CAPUT

CAPUT X.

De Irregularitate, quam incurrunt cooperantes in causis Sanguinis Criminalibus.

UT separatim tractarem de hac materia irregularitatis, quam ex defectu lenitatis incurrunt Ministri Justitiæ, Testes, & Accusatores in causis sanguinis, in præcedentibus hujus Tractatus Capitibus de ea non disserui; sed ad hunc locum reservavi, ubi breviter ad ea spectantia sequentibus Paragraphis discutiam.

§. I.

De Judicibus.

105. JUdex sive Ecclesiasticus, sive sæcularis, ferens sententiam in causa sanguinis, plectendo morte, aut mutilatione membrorum, est irregularis; constat *ex cap. in Archiepiscopatum de raptoribus, cap. suscepimus, de homicidio, & cap. ex litteris de excessibus Prælatorum*: eandem irregularitatem incurrit Assessor Judicis, ferens ejusmodi Sententiam: ita cum Soto, Villadiego, & communi, Avila de cens. part. 7. disp. 8. sect. 2. dub. 1. valde probabile tamen est, Judicem, & Assessorem, ferentes Sententiam mortis, aut mutilationis, non incurrere irregularitatem, nisi sequatur effectus, & executio Sententiæ: sic Navarrus cap. 27. num. 211. & alii: Ne irregulares sunt, damnantes Reum ad triremes, licèt ob ærumnas brevì moriatur: Leander à Sacram. part. 5. tract. 2. disp. 7. §. 1. quæst. 18. Non est pariter irregularis Judex, qui plectit Reum tormento aut aliâ pœnâ, per quam debilitatur aliquod membrum usque ad amissionem usus, ita cum Panormitano, & aliis Navarrus ibid. num. 206. Est tamen irregularis Judex, damnans ad mortem, vel mutilationem, quamquam Reus non sit baptizatus, vel sit excommunicatus; & in multis aliis casibus, qui possunt videri apud Leandrum à Sacram. supra qu. 3. usque ad quæst. 40. inclusivè.

§. II.

De Advocato.

106. ADvocatus in causâ criminali contra Reum, si hic plectatur morte, aut mutilatione, secuto effectu, est irregularis; hanc tamen non incurrit Advocatus defendens causam rei, licèt ad mortem damnetur, nisi fortè hoc ex sua negligentia, aut ignorantia sequatur: Villalobos in sum. tom. 2. tract. 21. diffic. 27. num. 6. Et licèt ad tuendam innocentiam Rei, sequeretur per accidens, sententia mortis in Accusatorem, non propterea irregularis esset Advocatus, Reum defendens, præterquam si Accusator, operâ Advocati convictus de calumnia; damnaretur ad mortem: Sic Palaus part. 6. tract. 29. disp. 6. punct. 15. §. 3. num. 6. Irregularis pariter est Advocatus, qui

qui injustè defendit Reum, & ob injustam ejus defensionem secuta est mors, vel mutilatio Accusatoris, tunc enim actione sua injusta censetur causa omnium malorum, inde provenientium; consequenter etiam censetur reus irregularitatis ex delicto, nisi hoc bona fide fecerit, credens accusationem fuisse injustam; tunc enim ratione bonæ fidei, sicut excusatur à delicto, ita etiam videtur excusandus ab irregularitate: ita Bonacina tom. 1. disp. 7. de irregul. quæst. 4. punct. 3. num. 5.

107. Quod diximus in hoc Paragrapho de Advocato, dicendum est pariter de Procuratore; cùm de utrisque currat eadem paritas, & eadem ratio militet: ita Bonacina supr. num. 7. Incidit pariter in irregularitatem consilium dans Judici ad ferendam Sententiam contra Reum, qui ejus consilio pœnâ sanguinis, aut mortis plectitur: Confessarius tamen eam non incurrit, renuens absolvere Judicem, nisi ferat Sententiam mortis, supposita obligatione eam ferendi; nec quando Reus obligatur ad fatendum delictum, jure naturali revelandum, licèt morte dignum sit: videatur Palaus loc. cit. n. 7. 8. & 9.

§. III.

De Accusatore, & Denunciante.

108. Accusator, aut Denuncians Reum, si exhinc contra hunc feratur Sententia sanguinis (nimirum mortis, aut mutilationis alicujus membri) in irregularitatem incidit: ex cap. Clericis, ne Clerici vel Monachi, & cap. Sententiam, eod. tit. sin verò ex accusatione, aut denunciatione non sequatur mors, sed ex alia causa v. g. si de aliqua levi culpa accusavit Reum, Judex autem Justitiæ terminos prætergrediens, damnet eundem ad mortem, aut mutilationem, non propterea accusator, aut denuncians est irregularis; neque si postquam accusavit Reum de crimine non tam gravi pœnâ Digno, superveniat alterum, ob quod morte, aut mutilatione plectatur, quia id accusatori imputari non posset, ita Layman tom. 1. lib. 3. part. 3. tract. 3. cap. 7. sub n. 6. §. Aliter verò: Minùs incurrit in irregularitatem Accusator, aut Denuncians, qui protestatur expressè, se non intendere pœnam sanguinis contra accusatum, quamvis aliàs de jure pœna sanguinis in tali casu sit irroganda: constat ex cap. Prælatis, de homicidio in 6. ubi habetur: *Protestando expressè, quòd vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet: quamvis aliàs in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irrogari: si Judex mortem illis inferat justitia exigente*: & addit ibi Glossa, id neque imputandum accusatori, aut denuncianti, si Judex propriâ sævitiâ, ignorantiâ, vel ob aliam accidentariam causam moveretur ad mortis, vel mutilationis Sententiam Reo infe-

inferendam : Porrò non requiritur , ut hæc proteſtatio fiat ſimul cum accuſatione , ſed ſufficit , ut fiat , antequam Judex Sententiam ferat ; & etiam eſt probabile , non incurrere in irregularitatem , licèt internè habeat animum , quòd Reus plectatur pœnâ ſanguinis , ſi externè proteſtatur ſuam intentionem ab hoc eſſe alienam : ita cum aliis Avila part. 7. docum. 5. ſec. 2. dub. 9. Notandum tamen , quòd ad hoc , ut accuſator præmiſſa proteſtatione excuſetur ab irregularitate incurrenda , debeat eſſe negotium in propria cauſa , in qua prætendat ſatisfactionem ob læſionem factam in propria perſona , aut in propriis bonis ; idem eſt , quando accuſat ob læſionem factam eis , qui ſunt ipſi commiſſi , aut ei ſunt ita propinqui , ut eorum injuria ad ipſum pertinere cenſeatur , quales ſunt Parentes , Filii , Fratres &c. ita cum Hurtado , & aliis Diana part. 4. tract. 2. de irregul. reſol. 33.

§. IV.

De Teſtibus.

109. IRregularis eſt Teſtis, qui teſtimonium fert contra Reum in cauſa criminali , quando ex ipſius teſtificatione ſequitur mors , aut mutilatio ; ſecùs autem ſi deponat in favorem Rei , quamvis per accidens ſequatur mors accuſatoris , ut dictum eſt de Advocato ; neque quando teſtatur contra Reum in delicto , quod non promeretur pœnam ſanguinis ; etiamſi Judex ex malitia , ignorantia , aut alia cauſa plecteret Reum pœnâ mortis : Villalobos tom. 1. tract. 21. diffic. 27. num. 2. Probabile eſt pariter , irregularitatem non incurrere teſtem ex præcepto Judicis obligatum , aut metu gravi coactum ad teſtificandum in cauſa ſanguinis , quamvis Sententia capitalis contra Reum ſequatur : ita Coninch de irregul. dub. 10. n. 96. Et quamquam Leander à Sacramento part. 5. tract. 2. diſp. 7. §. 3. quæſt. 70. cum aliis putet , quòd teſtis (idem eſto judicium de Advocato) teſtificans in causa ſanguinis excuſetur ab irregularitate , ſi præmittat proteſtationem eo modo , quo facit accuſator , ego verò non cenſeo hoc verum ; ſed bene oppoſitum , quod eſt commune inter Doctores ; quia textus cap. Prælatis ſuprà citatus , ideò excuſat accuſatorem , ut habeat juſtam defenſionem ſuæ cauſæ : Petunt (ait Textus) emendam ſibi fieri , & provideri , ſed ſic eſt , quòd teſtis non poſſit teſtificari in propria cauſa , ob quod lex præmiſſa proteſtatione excuſat ab irregularitate : ergo non excuſabitur teſtis teſtificans in causa ſanguinis ab irregularitate , etiam præmiſſa proteſtatione , ab eadem excuſante Accuſatorem.

§. V.

De aliis Ministris concurrentibus ad ferendam, & exequendam Sententiam sanguinis.

110. IN irregularitatem incurrunt Notarii, Secretarii, aut Scribæ, qui depositionem testium contra Reum ad mortem, aut mutilationem damnatum scribunt; sic pariter ii, qui dictant Sententiam sanguinis, aut hanc scriptam à Substituto conficiunt, & firmant: si verò horum scriptura non esset authentica, sed velut privatæ personæ, probabile est, eos non incidere in irregularitatem; sicut neque Scriba Notarii dictam Sententiam transcribens. Leander à Sacram. supr. §. 4. quæst. 86. & 87.

111. Irregulares pariter manent 1. Lictores, & alii Ministri comitantes Reum ad supplicium ne aufugiat: 2. Custos carceris portam Reo aperiens: 3. Carnifex crucians delinquentem, eum suspendens, vel ejus caput abscindens: 4. Præco, qui per vias, & plateas publicat causam condemnati: 5. Accelerantes mortem Rei: v. g. is, qui dicit Reo, ut supponat caput ad excipiendum ictum, & ideò citiùs supponat; vel ut ascendat scalam, item si quis dicat carnifici, ut securim acuat, quò citiùs is, qui morte plectitur, extinguatur, ii tamen qui comitantur Reum, si inadvertenter dicerent pro ejusdem consolatione, ut exultanter pergeret, aut jumentum, super quod sedet, casu instigent, non intendentes, nec cooperantes ad accelerationem mortis, non essent irregulares. Neque is, qui causa honoris, vel ad majorem infamiam evitandam, vel ad leniendum dolorem consanguineorum, aut rei verecundiam obtinet à Principe, vel Judice, ne reus ducatur per talem viam, vel domum, quamvis fortè ob id mors citiùs inferatur, nam mors censetur solùm per accidens accelerari ex bono opere, ex quo non intenditur mors, sed evitatio infamiæ, vel doloris: Neque est irregularis Confessarius, qui Reum bene dispositum cernens, dicit carnifici: nemo te impedit, quin tuo fungaris munere, quia ego functus sum meo in confessione, & exhortatione: vide Villalobos supr. n. 10. & sequent. prætereà non incurrit irregularitatem is, qui in genere docet carnificem modum construendi nodum, præparandi truncum eo tempore, quo nullus particularis Reus est plectendus. Item non sunt irregulares, vendentes in genere ligna, funes, & alia instrumenta, adhiberi solita, ad puniendos malefactores; erit tamen irregularis, fabricans patibulum, cordam, laqueum, aut ensem determinatè pro aliquo particulari Reo plectendo: Videatur Leander à Sacram. ubi supra quæst. 94. & 95. & generaliter omnia, quæ pertinent ad irregularitatem incurrendam, ex defectu lenitatis, videri possunt in hoc

Authore,qui ex proposito ea recenset. loc. cit. disp. 7. per totam.

CAPUT XI.

Exhortatio à Confessario facienda Ministris Justitiæ.

112. OBligatio V. D. humeris imposita, nonnisi summa, ac strictissima est. Justus Judex Deus Tribunalia in terra erexit, ob justitiæ conservationem, innocentiæ defensionem, vitiorum frænum, veritatis declarationem, peccatorum remedium, quibus effrænis Filiorum perditorum sæculi audacia, rebellem se Creatori ostendit, scandalizando Mundum, molestando Bonum, perturbando Justum, ac infernalem discordiæ Zizaniam inter virentes pacificorum plantas seminando.

Et si illi, qui ex officio ad consolidandam pacem, servandam æquitatem, relegandum vitium, ad augendam virtutem obligantur; econtra fovendo lites, & tuendo injustas dissensiones, rancores causant, & justitiam eliminant, veritatem pervertunt, falsitatem, dolum, mendacium, & fraudem sequuntur, injustitiam æquitatis coloribus pingunt, iniquitatem rationis, & veritatis pallio vestiunt, & contegunt; quæ strages! quæ perturbationes? quæ mala ex hujusmodi noxiis excessibus non insurgent? quàm egregiè ea intellexit, quàm eleganter, & veridicè ea ponderavit Sanctus Cyprianus lib. 2. Epist. 2. ad Donat. Forum (ait Sanctus) fortasse videatur immune: illuc aciem tuam flecte, & plura illic, quæ detestaris, invenies. Tribunal videbitur imunitatis Sacrarium, in quo solummodo Sanctitas resplendeat, ast si in illud mentis oculos attentè, & diligenter flectas, non virtutes amandas, sed vitia detestanda videbis, & comperies.

Prosequitur Sanctus: Inter leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur; innocentia, nec illic, ubi defenditur, reservatur. Sævit invicem discordantium rabies, & inter togas, pace rupta, forum litibus mugit insanum! Quæ major miseria quàm quòd leges, quæ murus & antemurale pro tuenda virtute esse deberent, cum peccato fœdus ineant; quòd jus alioquin rectitudinis Ministrorum regula, obliquis & irrectis suis negotiationibus interturbatum appareat? & quòd innocentia fulcimento careat, cujus patrocinio niti valeat? homines furore amentes litigant, & pacis inter Ministros rupto vinculo, odiorum, & passionum igne Tribunalia ardent? addit Sanctus Cyprianus: Quis inter hæc verò subveniat? Patronus? sed prævaricatur & decipit. Judex? sed sententiam vendit. Qui sedet crimen vindicaturus, admittit, & ut Reus innocens pereat, fit nocens Judex. Flagrant ubique delicta, & passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur: Et quis tot malis obviàm ibit? Fortè Advocatus, qui patrocinatur? sed ipsemet præ-

varicatur, & ad dicipiendum leges adulterat! Forsitan Judex? sed quomodo id faciet, si justitiam vendit? neque poterit tot malis mederi, qui assidens Tribunali ad conservandam justitiam, in foveam impietatis, & injustitiæ, in præceps ruit. Inter rogos vitiorum ardentes tota terra flagrat; bitumen pestiferum per virulentos noxiarum affectionum canales effunditur; & in Ministris saluberrima zeli aqua pro tanto igne temperando, virtutisque opportuna theriaca pro tanta contagie sananda, penitus deest: Inimicus insimulat (concludit D. Cyprianus) calumniator impugnat, testis infamat, utrobique grassatur, in mendacium criminum prostituta vocis venalis audacia; cùm interim nocentes, nec cum innocentibus pereunt: hostis infestus simulatione, & rabie affluens accusat, adversarius calumnia, & fraude contectus impugnat, testis absque Dei, Sanctissimi Nominis reverentia testimonium ferens, infamias, & falsitates deponit: circumquaque, & undequaque mendacium, & impietas sparguntur, audacia elatis, & perversis vocibus intumescit; sontes multoties absolvuntur, & insontes plectuntur.

113. Idcircò V. D. munera à litigantibus accipere renuat: mercede à lege & ratione taxata sit contenta: quia Minister muneribus addictus de sua salute summopere periclitatur. "Nec accipies munera," (dicit Deus Exod. 23. 8.) "quæ etiam excæcant "prudentes, & subvertunt verba ju- "storū." Si prudentes & justi muneribus pervertuntur, idem timeat V. D. iisdem etiam qualitatibus prædita. Dexteram ad munera extendere, idem est, ac eandem ad iniquitatem pronam habere, juxta proloquium David. *Psalm.* 25. *v.* 10. *In quorum manibus iniquitates: sunt dextera eorum repleta est muneribus.* Laqueus nō magis volucrem perstringit, quàm beneficium, & donum recipientem illaqueet: Ut aves laqueo, sic homines auro capiuntur ait S. Gregorius Nazianzenus in sentent. Magnus ille Orator Demonsthenes dum Athenis contra Milesios perorare cogitabat, ab his per Nuntium quantitas non mediocris auri eidem missa fuit, ob cujus fulgorem cæcutiens, contra eosdem perorare destitit, ab improviso faucium morbo cruciari insimulans; quod concordat cum dicto S. Petri Damiani *lib.* 2. *Epist. Acceptis muneribus, si contra datorem aliquid agere volumus, mox in ore nostro verba molescunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentia præpeditur*: intellectus muneribus excæcatur; voluntas iisdem corrumpitur, lingua contra remuneratores loqui tepescit; ac proinde nec Judex suam integritatem tueri; nec Advocatus justum trutinare; nec Procurator injustitiæ resistere; nec Secretarius servare leges; nec testis verum te-

sti-

ſtimonium ferre; nec Accuſator delictum manifeſtare poterunt, ſi cupiditate ducti ad prædicta recipienda propenſi ſint.

114. Recogitet illa Dei verba; per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. cap. 11. quapropter V. D. aſſidens Tribunali, ad aliud magis ſeverum, & incorruptum comparere ſe præparet; maturè perpendat, ſe perventurum ad horam, in qua coram Supremo vivorum & mortuorum Judice pro ſubeundo judicio ſiſtet: ibi veritas, æquitas, & juſtitia adinveniuntur: Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua. Pſalm. 95. Ibi non proderunt fraudes, pro nihilo erunt ingenioſi diſcurſus à vana præſumptione excogitati: ibi falſitates crimina, exceſſus celari non poterunt, nec cauſam coram juſtiſſimo ac potentiſſimo Judice, cordis abſcondita penetrante, agitandam cavillationibus invertere fas erit. Ibi injuſtitiæ, quæ humana Tribunalia impunè prætererunt, patebunt, ac paſſionem juſtitiæ, cupiditatem veritati, interceſſiones ad Miniſtri conſtantiam inflectendam, & virgam æquitatis inclinandam prævaluiſſe manifeſtabitur; juſtitiæ interim trutina munerum, & humanorum reſpectuum pondere dejecta.

115. Magnum verè inter Dei Judicium, & humanum erit diſcrimen; uti advertit Cardinalis Petrus Aliacus in meditationibus ſuper Pſalm. 42. Judica me Deus &c. dicens: Nam propter tria, quæ his notantur verbis humanum habeo ſuſpectum judiciũ, ideóque ad divinum recurrere compulſus ſum. Propter teſtium falſitatem, quia ſæpè gens non ſancta teſtis eſt, propter Judicum iniquitatem, quia ſæpè homo iniquus Judex eſt: propter Advocatorum, & Procuratorum doloſitatem, quia ſæpè homo doloſus Advocatus, vel Procurator eſt. Econtra verò in Divino Judicio teſtis erit tua infallibilis veritas, Judex erit tua inobliquabilis æquitas, Advocatus & Procurator erit tua imperturbabilis pietas, miſericordia, bonitas, clementia, atque benignitas. Si in humano judicio teſtes falſum teſtimonium ferentes nocere poſſunt, non ſic in Divino, in quo teſtes veritate infallibili fulcientur, ſiquidem idem teſtis erit, & Judex. Ego ſum Judex & teſtis. Hierem. 29. v. 23. ſi in terra Judex perverſus iniquam Sententiam ferre præſumit; ſupremus verò non niſi juſtiſſimam operum merito reſpondentem feret. Nec juſto injuſtitia per diminutionem præmii ipſi debiti, nec ſceleſto injuria per æternam damnationẽ ipſi inflictam fieri poterit. Si in mundo Advocatus, & Procurator dolo, & aſtutia manifeſtæ injuſtitiæ, velut evidenti juſtitiæ patrocinantur: in cæleſti Tribunali nullius cauſæ, niſi juſtæ & legitimæ defenſio, & patrocinium ſuſcipietur. Pietas, Bonitas,

Clementia, & Benignitas Domini pro ratione meritorum, & demeritorum omnibus patrocinabitur. Demùm Accusator hìc in suo munere delinquere potest; Sed illic ipsamet conscientia hominem de patratis criminibus accusabit: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus ad Rom. 2. v. 15.* conscientia inquam perversum Ministrum de iniquis tergiversationibus, de irrecto fine, ac pessimis in conclusione causarum mediis adhibitis redarguet: omissionem & negligentiam, in differendo expeditionem miseri litigantis, cum ejusdem gravamine, ac permultis damnis, tam spiritualibus, quàm temporalibus objiciet, & increpabit.

116. Postremò V. D. meminerit se fungi munere valde periculoso; & quamplurimis æternæ Salutis naufragiis obnoxio: dumque id deserere non suadeo, mea interest hortari, ut cum cautela, vigilantia, attentione illud exerceat; in omnibus suis operibus arctissimam rationem Deo reddendam, ante oculos habere satagat, ad hanc suas causas dirigendo, ac taliter se gerendo, ut ante Divinum Judicem comparere non erubescat, qui si suæ justitiæ gladio terræ injustitiam vindicabit, à rectitudine, ac zelo Christiano non aberantes, æterno præmio in cælis remunerabitur.

TRACTATUS XVI.

De aliis Statibus, & Officiis particularibus.

CAPUT I.

De Officio, & Statu Militum.

ARs militaris, ejúsque exercitium, est inter magis honorifica, & utilia munera, quæ in temporalibus habeant Respublicæ: quia verò quamplures milites nimiam libertatem sibi arrogantes, non paucas committunt injustitias, peculiares obligationes hìc ponam pro directione Confessarii, militum Confessiones excipientis.

1. P. P. R. confiteor, me semel dubitasse, num justum fuerit bellum excitatum à Rege, sub cujus vexillis militabam.

C. Erátne ipse Vasallus, & subditus Regis pro quo militabat? quia Vasallus potest bellare pro suo Rege, modò ei non constet bellum esse injustum, licèt speculativè dubitet de ejus justitia; siquidem practicè potest deponere conscientiam dubiam, judicando, Regem bellum non gessisse inconsultis Theologis, & Doctoribus, ita cum Victoria, & aliis Gregorius de Valentia tom. 3. in 2. disp. 3. quæst. 16. punct. 2. §. Sextò certum est.

P. P. R. fui extraneus, & nequaquam

quam Vasallus Regis, cui bellabam.

C. Fuítne annuo stipendio conductus à Rege? quia etiam miles extraneus si sit conductus, potest bellare, licèt speculativè dubitat de justitia belli; ita cum Cajetano Villalobos part. 1. tract. 1. diffic. 18. num. 2.

P. P. R. nec fui conductus, sed miles voluntarius.

C. Putavítne probabiliter bellum esse justum? etenim miles voluntarius potest bene pugnare, ferendo judicium practicum probabile de justitia Regis; ad quod ferendum sufficit, quòd Rex sit in æstimatione justi, & prudentis apud homines, nec præceps sit ad belligerandū absque justa causa; ita Valentia ibid. §. si autem, in medio: & etiam sat esset, si vir doctus, & sapiens diceret militi, posse absque scrupulo eum pugnare. Ita Villalobos suprà. num. 4. in fine.

P. Ego P. R. non tuli judicium probabile de justitia belli, sed cum meo dubio remansi.

C. Habuítne animum pugnandi, sive justum, sive injustum esset bellum? nam apud omnes in confesso est milites paratos sequi quemcunque ad bellum vocantem, sive justum sit, sive injustum, dummodò stipendium præbeat, in malo statu versari, ut nisi propositum corrigant, à Confessario absolvi non possint.

P. P. R. si bellum fuisset injustum, nullo modo ad bellandum processissem.

C. Miles extraneus, qui sponte & voluntariè bellat cum dubio de justitia belli, juxta Petrum de Navarra tom. 1. lib. 2. cap. 2. num. 260. §. Tertiò mihi non peccat, nec ad restitutionem tenetur; quod cum Suarez probabile censet Diana part. 3. tract. 5. resol. 96. sed stando in hac opinione miles debet deponere suum dubium per aliquod dictamen practicum; cùm certum sit peccatum esse operari cum conscientia practicè dubia: Contrarium nimirum, graviter peccare militem extraneum, & voluntarium cum dubio de justitia belli pugnantem, est verius, & communius, ita Valentia suprà, idem cum Molina, Sylvestro, Gabriele, & aliis tenet Villalobos eod. num. 4. quia cùm non sit Vasallus, nec Subditus, nec mercede conductus, non est, cur necessitetur ad pugnandum: ergo si cum hoc dubio de justitia belli pugnat, graviter peccat; quia ut inquit illa regula Legalis, non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet, de regul. jur. in 6. regul. 19.

2. P. P. R. confiteor, quòd postquam annumeratus fui aliquamdiu inter milites mei Regis, postmodùm eum dereliquerim, & desertaverim.

C. Fuítne traditum ipsi justum stipendium, secùs enim miles non tenetur militare, & potest fugam capere, sicut quivis alius famulus, cui Dominus salarium non præbet.

P. P. R. ſtipendia à Rege exactè habemus.

C. Neceſſariáne fuit ejus perſona pro bello? quia ſi ſatis liquet, ſuam abſentiam non fore noxiam, nec peccaſſet per fugam; ita Villalobos in ſum. tom. 2. tract. 4. diffic. 11. num. 4. Advertendum tamen, ut dixi, debere evidenter conſtare, quòd miles nullum damnum inferat; quia ſi hoc militum arbitrio, & opinioni relinquatur, propria utilitate ducti, ſemper dicent, ſe non eſſe neceſſarios, adeóque hodie unus, cras alter, poſteras alter aufugiet, & ſic plures, cum boni publici detrimento.

P. Non eſt dubium, quin mea perſona fuerit neceſſaria, ſicut & aliorum ad bellum.

C. Diſceſsítne à Caſtris, ſeu exercitu ex juſta cauſa, v. g. ob ſenectutem, infirmitatem, aut quid ſimile, obtenta priùs Ducis licentia?

P. Non diſceſſi ob hujuſmodi cauſas, nec dicto modo, ſed furtivè.

C. Miles juſto ſtipendio conductus, caſtra deſerendo, graviter peccat, cum onere reſtituendi acceptum ſtipendium; ita cum communi affirmat Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 5. tract. 1. doc. 6. num. 2. & ratio eſt, quia Rex multos ſumptus facit in milite, ſuſtentando, & aſportando abſque ulla utilitate eo fine, ut fideliter inſerviat, & pugnet: ergo ſi id non adimplet, ſed fugit, graviter peccat cum onere reſtitutionis.

3. P. Confiteor etiam P. R. quòd ſtationem à Duce mihi demandatam non ſervaverim, ob manifeſtum meæ vitæ periculum, ac in ſecuriori loco me collocaverim.

C. Erátne aliqua ſpes victoriæ in eo bello?

P. Non erat res deſperata.

C. Secutúmne fuit damnum, aut victoria fuit deperdita ex eo, quòd eandem ſtationem non ſervaverit?

P. Non P. R. quia illicò alter fortior, & animoſior me, ſtationem occupavit.

C. Miles tenetur ſervare ſtationem à Duce ſibi concreditam, etſi adſit evidens mortis periculum: ita Caſpenſis tom. 2. tract. 17. de Charit. diſp. 7. ſect. 1. n. 21. & eſt communis; aliàs obligatur omnia damna inde provenientia reparare; præterquam ſi nulla ſupereſſet ſpes reſiſtendi: Palaus tom. 1. tract. 6. diſp. 5. punct. num. 4. quandoquidem tali pacto à belli Duce miles conductus cenſetur, ut obtemperet, & ſe exponat periculo in defenſionem boni publici præferendi bono particulari. Peccat verò miles contra fortitudinem, ſi ſe temerè, & abſque ulla neceſſitate periculo vitæ exponeret; at quando eſt probabilis ſpes cum proprio, vel aliquorum damno, fructum copioſum eſſe conſecuturum; laudabile erit, & actus fortitudinis, ſe mortis periculo tradi, ſicuti fecerunt viri fortiſſimi, ità Palaus ibidem.

4. P.

4. P. P. R. Confiteor, me pro hyemali hoſpitio percepiſſe duas ſchedulas, ad id obtinendum apud duos hoſpites, ego verò apud unum duntaxat hoſpitatus ſum, & ab altero accepi pecuniam, ne apud eum hoſpitarer.

C. Graviter peccavit cum onere reſtituendi pecuniam ſecundo hoſpiti: peccaret quoque graviter cum eodem onere, præſcribens hoſpitia, ſi advertenter uni, & eidem militi Chirographa diverſa concederet: Caſpenſis ubi ſuprà, Villalobos loc. cit. num. 8. cùm nullus adſit titulus, ob quem miles recipiat dictam pecuniam, aut duo hoſpitia ei aſſignentur, quando unum ſufficit.

5. P. Sic pariter confiteor P. R. quòd non fuerim contentus alimentis mihi præſtitis in hoſpitiis, idcircò ab hoſpitibus aliquid plus extorſi.

C. Nunquid non ſubminiſtrarunt hoſpites neceſſaria juxta eorum poſſe.

P. Ita P. R.

C. Inſolitis, ac indebitis extorſionibus, & exactionibus ſolent milites gravare eos, apud quos hoſpitantur, ſubripientes, aut ab invitis extorquentes, præter ea, quæ ex Conſtitutione Principis debent iis ſubminiſtrari, quæ ſervitia vocare ſolent; ut ſunt lumen, ignis, lectus, paleæ, per quod non tantùm graviter peccant, verùm etiam ad reſtitutionem tenentur: Marchadus ubi ſuprà num. 3. Palaus, & Caſpenſis loc. cit. Villalobos ſuprà num. 9. Diana part. 6. tract. 4. reſol. 26. Nec excuſantur, ſi hoſpites petentibus, aut quandoque etiam ultrò iis offerant pecuniam, aut ſimilia, quia donationes illæ communiter non ſunt ſpontaneæ, ſed coactæ metu majoris mali, atque ita peccant accipientes, niſi conſtet eas omninò liberè fieri.

6. P. Confiteor etiam P. R. me in tranſitu per villas, & agros aliqua ruſticis ſubripuiſſe.

C. Fuítne in extrema neceſſitate conſtitutus? tunc enim licitè poſſunt neceſſaria accipi, in gravi tamen hoc non licet, cùm ſit damnatum, velut ſcandaloſum ab Innocentio XI. in Propoſitione 36.

P. Non fui in extrema neceſſitate.

C. Induxítne aliquem ex ſuis commilitionibus ad furandum in his occaſionibus?

P. P. R. absque ulla inductione omnes indifferenter ſubripiebant.

C. Quamplures injuſtitias ſolent committere milites, tranſeuntes per oppida, & villas, atque adeò graviter peccant, cum onere reſtituendi omnia absque cauſa, & Dei timore ſubrepta: Caſpenſis ſuprà, & eſt communis: verum quidem eſt, non obligari ad compenſanda omnia gravamina quemvis militem, quando ad ea alios non induxit; ſed ſolummodo partem ſuo furto reſpondentem. Aſt Duces, & Præſides militiæ, qui ex officio tenentur avertere ab hujusmodi damnis milites, ad omnium, quæ

quæ ex eorum consilio, aut culpabili omissione perpetrata sunt, restitutionem obligantur. Ita cum Navarro, & Lessio Caspensis tom. 2. tract. 18. de restit. disp. 1. sect. 9. §. 3. n. 114.

P. P. R. Non est possibilis mihi hæc restitutio, quia ex personis damnificatis aliquas non nosco, vel eæ quas nosco, valde distant.

C. In hoc casu pauperibus facienda est restitutio, vel per Missas aut Bullas compositionis, ut docui 1. part. Praxis tract. 7. cap. 2. num. 20. pag. 208. quia ad impossibile nemo tenetur: ergo cùm sit impossibile compensare gravamina iisdem personis gravatis, per eleemosynam, aut Bullas compositionis satisfacere sat erit.

Advertentia.

Gravissimi solent esse insultus, quos milites præcipuè novi committunt, putantes, quòd aggregatio ad militiam sit ad vitam licentiosam liber aditus. Furta, injustitiæ, damna ab iis causata, sunt permulta: turpitudines, & sensualitates apud hos sunt vulgares; piæ aures abhorrent à basphemiis, juramentis & execrationibus, à pestiferis eorum faucibus prolatis; ter venerando Dei nostri nomine infideliter contempto: Duella pariter inter eos sunt frequentia; multoties omittunt sacrum, quamvis sint in locis, ubi possent id audire. In vigiliis, & jejuniis sæpè vescuntur carnibus, aliisque cibis vetitis. In frequentandis Sacramentis negligentissimi: quinimò multi nec in Paschate annuam Confessionem, & Communionem instituunt: in ludo die noctúque consummunt ordinarium stipendium, & cùm non persolvitur, furantur ad ludendum; exhinc posteà innumeræ iræ, perturbationes, rixæ, duella, blasphemiæ, & maledictiones resultant: Murmuratio in ipsis est panis quotidianus. Totum hoc docuit me experientia; proindéque PP. Confessarios instructos volo, ad hoc, ut dum exaudiunt milites, sciant relata vitia esse iis communiora, atque adeò examinanda, & curanda pro ratione morbi; objiciendo iisdem evidens periculum salutis æternæ, nisi resipiscant, & convertantur: nec in Castris, & conflictibus quidquam boni sperandum, dum perpetuum inimicum ob tot abominationes, & impietates Omnipotentem Deum exercituum habent.

CAPUT II.

De Belli Ducibus, & Capitaneis.

7. P. P.R. me accuso, quòd etiamsi in Centuria ultra octoginta milites non habuerim, stipendium tamen pro centum solvendis acceperim, retento alio.

C. Fuítne hoc tempore belli? quia hoc tempore graviter peccant Duces, & Capitanei, qui cùm in suis Centuriis tot milites conscriptos habere debeant, pauciores tamen retinent, ut stipendium aliorum sibi attri-

tribuant, & ad suos usus convertant.

P. Non P. R. fuit tempore pacis.

C. Notúmne fuit principi, quòd V. D. defuerint tot milites? etenim si cum hac notitia stipendium pro centum persolvendis præbuisset, videtur consensisse in retentionem stipendii, respondentis imminutioni militum.

P. P. R. Existimo, quòd Rex solutiones mittat juxta numerum militum, & si putaret octoginta duntaxat esse milites pro centum persolvendis absolutè non mitteret.

C. Quamvis Duvallius apud Dianam part. 6. tract. 4. resol. 27. §. Sed non, sentiat, quòd Dux, vel Capitaneus tempore pacis pauciores habens milites, quàm Rex edixerit, possit percipere stipendium excedens numerum militũ, & sibi retinere correspondens imminutioni eorundem; quia inquit Rex in istud tacitè consentit, videt quippe hoc, cùm ordinarium sit, tacet: ideóque annuit. Diana tamen hoc non approbat, sed bene contrarium, dicens, Capitaneũ graviter in hoc peccare cum onere restitutionis stipendiorum, quæ in proprios, & privatos usus propter parvum illum militum numerum convertit: ita pariter docet Petrus de Navarra, Rodriquez, Molina & alii, Bonacina tom. 2. disp. 2. de restit. q. ult. punct. ult. §. 3. num. 27. siquidem nullus est titulus, ob quem Capitaneus possit sibi retinere hunc excessum stipendii: nec Rex scit, cum pauciores habere milites, quàm ab ipso constitutum fuerit. Si autem Capitaneus non haberet à Rege sibi debitas solutiones, tunc posset in harum compensationem sibi retinere stipendia militum in sua Centuria deficientium.

8. P. Me accuso pariter P. R. me solicitè non præparasse ea, quæ ad bellum necessaria sunt ex voluntate Principis, & debito mei officii.

C. Neglexítne V. D. providere alimentum necessarium militibus? peccat enim graviter Dux, aut Minister Principis, cui incumbit necessaria ad bellum parare, nisi suo tempore id adimpleat.

P. P. R. non defuerunt alimenta, sed non fuerunt adeò bona.

C. Erántne corrupta taliter, ut milites inde infirmarentur?

P. P. R. Hujusmodi fuerunt aliqua etiam alimenta.

C. Graviter peccant Duces, & Ministri Principis, si ob negligentiam, necessaria ad bellum parantes, parent cibũ & potũ, & cætera hujusmodi corrupta, ex quibus infirmitas, aut mors militibus provenit, aliæque ærumnæ sequuntur; atque adeò tenentur ad compensationem damnorum, tum quæ inde passus est princeps, tum quæ passi sunt privati in vita, vel in bonis: sic Bonacina ubi suprà §. Addo. Peccant similiter, si nulla cogente necessitate in locis palustribus, & valde insalubribus castra figant cum pe-

periculo morbi, vel contagionis; vel si absque necessitatis causa temerè exponant milites certæ internecioni, aut vitæ periculo Diana loc. suprà cit.

9. P. sic pariter me accuso P. R. quòd ducendo semel exercitum, acceperim ab uno populo pecuniam ad redimendam vexationem; ut videlicet non ad ipsum, sed ad alios adduceretur, quod etiam adimplevi.

C. peccant mortaliter Duces, & tenentur ad restitutionem, quando extorquent pecuniam à populis, ut eâ acceptâ exercitum aliò transferant, hac enim ratione videtur populus injustè gravari: Ita Villalobos in sum. tom. 2. tract. 5. diffic. 21. num7.

10. P. P. R. accuso me, signasse meum famulum in militem, & centurionem, illique solitum & justum minuisse stipendium.

C. Erátne idoneus famulus ad peragendum ejusmodi munus? secùs enim peccasset V. D. id ei conferendo, non tantùm ob injuriam, quæ potuit fieri aliis veteranis exercitatis, & benemeritis militibus, verùm etiã ob detrimentum, quod Regi, aut Reipublicæ imminere potest ex inexperto Ministro.

P. Valde expertus, & idoneus fuit meus famulus, ad subeundum munus ipsi collatum.

C. Cesśitne gratis V. D. famulus portionem stipendii sibi debiti? quia supposita hac voluntaria, & gratuita donatione nulla injustitia fuit in detentione.

P. P. R. verè nescio, an sponte, & gratis id fecerit: fuit bene notum ipsi, quantum stipendium annexum fuerit tali officio, quo non obstante nihil ultra imminutum stipendium petiit: suadeo etiam mihi, quòd libenter accepisset, si ei id tradidissem.

C. Duces signantes in milites, & centuriones suos famulos, ut stipendium à Principe signatũ imminuant, & sibi illam partem reservent, peccant cum onere restitutionis, nisi constet ipsos gratis Ducibus donare: Bonacina supr. quod raro est credendum, ait Diana ead. resol. 27. nec ex silentio famuli inferenda est voluntaria donatio: quia ob metum reverentialem erga suum Dominum, & Benefactorem facile à prætensione abstinet.

Alias fraudes solent exercere Duces, Capitanei, & Ministri Principum in solutionibus militum, vel sibi retinendo aliquam partem, vel non subministrando suo tempore pecuniam, panem, & alia alimenta; vel dimissis veteranis, & exercitatis militibus, in eorum locum novos inexpertos minore stipendio, hocque sibi retento, ut splendidiùs vivant, substituendo. Magni ponderis, & consequentiæ est hæc materia, ac gravissimorum damnorum causa.

Alias prolixitates circa Duces, & Ca-

Capitaneos solent discutere Doctores, quas curiosus Lector videre poterit in Marchado tom. 2. lib. 2. part. 5. tract. 1. per totum.

CAPUT III.

De Obligatione, & Statu Medicorum.

11. P.P.R. dico meam culpam, me cum scrupulis vivere, utrùm sufficienti scientia pro meo officio exercendo præditus sim.

C. V.D. non peregit cursum ordinarium in hac arte faciendum prævio examine Protomedici, ac praxi duorum annorum sub directione alicujus Medici?

P. Ita P.R. more aliorum, integrum hunc cursum peregi.

C. Si ergo V.D. subiit examen, suppono necessariâ scientiâ eam pollere; & si posthac negligens fuit in hujusmodi studio, necessaria pariter sciet pro adimplendo suo munere.

P.P.R. multoties insimulant nostram ignorantiam hujus artis examinatores, vel ob interventum efficacium mediorum, vel ratione alicujus obsequii, & etiam ob spem, quòd comitante practica Theoreticam, ad meliorem & uberiorem notitiam essentiæ, & modi curandi infirmos perventuri simus.

C. Medicus cum carentia scientiæ sufficientis fungens suo officio mortaliter peccat, & tenetur reparare damna, quibus obnoxius fuit ægrotus ob ejus ignorantiam: ita Sylvester verb. Medicus q. 1.

12. Dicat mihi, fuítne V.D. stipendio conducta in aliquo paupercculo pago, aut intra montes, ubi nullus fuerit, vel potuerit esse doctior, & expertior Medicus curans? quia in exiguis locis, in quibus nequit stipendio conduci Medicus idoneus, non peccat graviter alius Medicus, etiam non nimiùm expertus, & doctus, exercens suum officium. Marchadus in sum. tom. 2. lib. 6. part. 8. tract. 1. doc. 2. num. 2.

P. Alii Medici magis periti, & idonei dabantur in loco.

C. Occubuítne aliquis ægrotus ob suam imperitiam, & ignorantiam?

P.P.R. pro certo teneo uni mortem intulisse ob errorem curæ.

C. Habuítne ægrotus Hæredes, qui ex ejus morte damnū paterentur?

P. Non P.R.

C. Graviter peccat Medicus ignorans, suo officio fungens, licèt infirmus convalescat, quia hoc est per accidens, & jam se exposuit periculo eum interficiendi; & si interficiat, tenetur resarcire damnum Filiis, Parentibus, vel Conjugi exinde secutū, nisi eum excuset carentia hæredū, aut aliqua alia ratio à me adducta 1. part. prax. tract. 5. cap. 3. n. 21. & seq. pag. 92. si ex ignorantia Medicus est causa, quòd infirmus, si non moritur, insumat tamen suam substantiam in medicinis, vel diù ægrotet, expensas, & lucrum ex aliquo officio cessans resar-

cire debet; nec absolvi potest Medicus ignorans, nisi deserat Officium, usque dum necessaria pro eo debitè exercendo sibi comparet.

13. P.P.R. dico etiam meam culpam de negligentia in vacando studio meæ artis.

C. Quanquam Medicus sit in sua facultate doctus, tenetur quandoque vacare studio, cùm plures curæ difficiles, ac arduæ infirmitates obvient, ad quas curandas non semper sufficit scientia olim acquisita: sic Navarrus in sum. cap. 25. num. 60. nec debet suscipere curam tot infirmorum, ut studium, & congruam visitationem impediant; neque tutâ conscientiâ potest protrahere curas, vel ex negligentia, vel majoris lucri gratia: quare in omnibus his casibus obstringitur obligatione resarciendi damna ex sua culpa secuta.

14. P.P.R. dico meam culpam, me neglexisse curam egenorum.

C. Estne V.D. stipendio conducta in aliquo loco cum onere curandi egenos? quia cum hac conductione graviter peccat, eos non visitando, ac iis non assistendo.

P. Non sum conductus, nec obligationem justitiæ ad hoc habeo.

C. Aderat alius Medicus pro eorundem cura? etenim si huic alius doctus Medicus incumbebat, V.D. ab hac obligatione immunis erat, quamvis foret opus magnæ pietatis, si ex charitate assisteret.

P. præcisâ meâ assistentiâ nemo aderat assistens Medicus.

C. Hujusmodi pauperes erántne in gravi & extrema necessitate positi?

P. Omninò P.R.

C. Medicus ex charitate tenetur visitare, & assistere gratis infirmis egenis, in gravi, vel extrema necessitate constitutis; ita Trullench super Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 1. dub. 11. num. 6. in fine, idem dicit cum Filliucio de ægrotis divitibus, licèt exactè non solvant, cùm postmodùm ex justitia eos obligare possit ad solutionem laboris.

15. P.P.R. dico meam culpam, quòd interdum cum aliqua perplexitate fuerim operatus in medicamentorum applicatione.

C. Intermisítne V.D. aliquando applicationem medicamenti certi, pro applicando probabili tantùm, aut dubio? quandoquidem non licet Medico, omisso medicamento certo applicare dubium, aut probabile.

P. Nunquam prætermisi medicamentum certum pro probabili, vel dubio.

C. Applicuítne V.D. aliquod medicamentum dubium ad faciendam experientiam, utrumnam esset profuturum, vel nociturum? illicitum est enim Medicis experientiam facere de medicamentis, an sint salutaria, vel nociva, etiam in ægrotis desperatis: sic Palaus part. 1. tract. 1. disp. 2. punct.

punct. 9. n. 3. cum Azorio, Corduba, Sayro & aliis.

P. Neque de Pharmacis hujusmodi experimentum sumpsi.

C. Erátne æquè dubium, an profutura, vel nocitura esset medicina?

P. Ita P. R.

C. Erátne dubium, quòd esset profutura, & certum, quòd non esset nocitura? nam Medicus, quando nullum, aut probabile exstat pharmacum, seu remedium, potest applicare dubium, modò certò sciat, non nociturum, licèt dubitet profuturum.

P. Non erat certum, quòd pharmacum non esset nociturum, sed dubium, an esset nociturum, vel profuturum.

C. Erátne desperata salus infirmi?

P. Judicavi infallibiliter eum moriturum, nisi illud pharmacum esset profuturum.

C. Quando nulla est spes de salute infirmi, nec aliud remedium adest præter medicamentum, de quo æquè dubitatur, an sit profuturum, vel nociturum, aliqui Doctores opinantur, posse Medicum applicare remedium dubium cum tali dubio: ita docet cum Valentia Thom. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 39. & ratio est, quia ex duobus malis minus est eligendum: sed sic est, quòd in casu desperatæ salutis infirmi, minus malum sit exponere eum periculo accelerandæ mortis, quàm privare eum spe recuperandæ salutis cum medicamento dubio: ergo cùm sit desperata salus infirmi, nec adsit remedium certum, aut probabile, poterit applicari remedium, licèt subsit dubium, an sit profuturum, vel nociturum. Nihilominus communissima Sententia, & probabilior negat: ita cum Angelo, Salas, Vasquez, plerisque aliis Palaus ubi supr. num. 5.

Hi proinde docent, non posse licitè Medicum applicare medicamentum, de quo dubius omninò est, an sit profuturum vel nociturum, etsi desperata sit salus infirmi; sed necessariò requiri, vel quòd certus sit non obfuturum, vel quòd probabile sit profuturum; ratio eorum est, quia applicans medicamentum, de quo nullam probabilitatem habet esse profuturum, sed potiùs dubitat, an nociturum sit; quantum est ex se, applicat causam efficacem mortis: ergo non est licita talis applicatio. Confirmatur, quia ut suprà diximus, ideò omnes Authores negant, Medicis licitum esse, in infirmis desperatis medicamenta experiri, quia per hanc experientiam manifesto periculo infirmum exponunt ejus mortem accelerandi, sed idem prorsùs est in præsenti casu: ergo; adde: qui dubius est, an nociturum, vel profuturum sit medicamentum, non format judicium de ejus nocumento, vel utilitate, sed hæret suspensus, ac proinde propriè, & in rigore nescit, an utile sit, an damnosum, ergo cùm applicat, ap-

plicat ad experiendum; experientiam autem facere de medicamentis, est omninò illicitum: ergo &c.

16. P. P. R. dico pariter meam culpam, quòd aliis vicibus applicaverim infirmis medicinas, quas probabile tantùm erat profuturas.

C. Habuítne V. D. medicinam certam applicandam? quia ut dictum est, non licet applicare medicamentum probabile, relicto certo.

P. In his casibus non habui medicamentum certum.

C. Habuítne V. D. medicamentum probabile, quod probabiliter crederet profuturum, & non nociturum? quia si probabile esset ex duobus medicamentis, unum nociturum, aut profuturum, & de altero constaret, non esse nociturum, sed probabiliter profuturum, hoc esset applicandum relicto eo, quod probabiliter esset nociturum, & probabiliter profuturum. Sic Caspensis tom. 1. tract. 11. de conscient. disp. 3. sect. 8. n. 62.

P. Omnia medicamenta, quæ in casu poterant applicari, probabiliter erant profutura, & meo judicio non nocitura.

C. Ex his erántne aliqua aliis probabiliora?

P. Omninò P. R.

C. Applicuítne ea, quæ probabiliora ipsi videbantur?

P. Cùm tot sint opiniones in nostra facultate; medicamenta, quæ aliqui Authores censent probabiliora, aliis ea minùs probabilia videntur.

C. Attamen secundùm proprium dictamen nónne V. D. applicuit ea, quæ sibi probabiliora videbantur?

P. Non semper P. R. licèt ego judicarem ea probabiliora, scivi tamen alios Authores minùs probabilia tenere.

C. Dubitant Doctores, num liceat Medico applicare medicinam probabilem, relicta probabiliori: Thom. Sanchez supr. num. 41. sentit Medicum peccare contra charitatem, applicando medicinam probabilem, relicta probabiliori; quia certiori modo, qui sibi videtur, infirmum curare tenetur: Atqui relinquendo probabiliorem, non curat certiori, qui sibi videtur, modo; ergo &c. Oppositum tenet cum Azorio, Aragonio, & aliis Jo. Sanchez in select. disp. 44. num. 36. quia operans cum opinione probabili, rationabiliter operatur; tum, quia durum gravamen esset Medicis hæc obligatio examinandi continuò probabilitatem opinionum: tum etiam, quia, cùm probabilitas opinionum pendeat à judicio hominum, & opinio, quam aliqui probabiliorem putant, aliis videatur minùs probabilis; si daretur opinio communi Authorum judicio probabilior, tunc bene credo, Medicum fore obligatum ad eam sequendam, relictâ eâ, quæ communiter reputatur minùs probabilis.

17. P. Sic pariter dico meam culpam P. R. quòd fermè ſemper ad pharmacopæam unius mei amici miſerim ſchedulas medicamentorum.

C. Infirmi erántne obligati aliis Pharmacopolis? quia in hoc caſu V. D. feciſſet ipſis injuſtitiam, non mittendo ſchedulas ad eorumdem pharmacopæas.

P. Non erant obligati P. R. ſed quivis ad placitum poterat ſchedulas mittere.

C. Et Pharmacopola, cui V. D. eas mittebat, bonáne medicamenta miniſtrabat?

P. Ita P. R.

C. Graviter peccant Medici mittentes ſchedulas ad pharmacopæas, in quibus dantur medicinæ, vel non bonæ, adulteratæ, aut imminutæ à Pharmacopolis; ac proinde Medicus non debet cuilibet fidere quo ad uſũ medicamentorum, niſi certò ſciat eſſe virum bonæ conſcientiæ, ac in ſua arte expertum: Marchadus ubi ſupr. doc. 3. num. 3. Sin autem Pharmacopola, ad quem V. D. mittebat ſchedulas, erat vir fidelis, ac bonis medicamentis proviſus, non peccavit mittendo ad eum ſchedulas ob reciprocam amicitiam & ſecluſa alia obligatione infirmorum, modò V. D. fraudulenter non egerit, repræſentando, alios non habere bona medicamenta, ſed ſolummodo ſuum amicum, quod tamen re ipſa non eſſet verum.

18. P. P. R. dico meam culpam, me aliquoties cum aliquo ſcrupulo remanſiſſe, ob datam licentiam comedendi carnes aliquibus infirmis.

C. Fuítne ſufficiens neceſſitas pro hujuſmodi diſpenſatione impertienda? quia quemadmodum graviter peccat Medicus absque cauſa dans licentiam veſcendi carnibus, vel non jejunandi, non audiendi Miſſam, aut non recitandi D. Officium; ita quoque licitè operatur, in his diſpenſando, poſitâ causâ non tantùm certâ, verùm etiam probabili.

P. P. R. ordinariè dedi licentiam, præmiſſo judicio practico de ſufficienti neceſſitate; una vice tantummodo diſpenſavi cum dubio de ejus ſufficientia.

C. Quando cauſa diſpenſandi in comeſtione carnium eſt dubia, Medicus nequit dare hujuſmodi licentiam, quia in caſu dubio diſpenſatio pertinet ad Superiorem: ita cum Azorio, Angelo, Roſella, & Sylveſtro, Fagundez in 4. præcept. Eccleſ. lib. 1. cap. 9. num. 3. Alii Authores ſentiunt, quòd in hoc caſu poſſit diſpenſare Medicus, quod intelligi debet, ait Jo. Sanchez in ſelect. diſp. 51. num. 9. in fine, quando damnum, ex cibis eſurialibus proventurum dubitatur, fore grave, & tale, ut ſi actualiter adeſſet, ab iiſdem excuſaret; ſi verò hujuſmodi nocumentum futurum non eſſet adeò notabile, & tale, ut ſi de facto ſuccederet, non excuſa-

ret

ret à cibis esurialibus, nequit Medicus impertiri licentiam vescendi carnibus; ratio hujus secundi est, quia damnum leve non excusat à jejunio: ergo neque excusabit dubium de eodem damno: ratio primi est, quia nulla est obligatio exponendi salutem notabili ejus periculo: atqui cum dubio de notabili damno eventuro ex cibis esurialibus, exponitur salus gravi periculo: ergo in casu dubio, de damno gravi saluti obventuro ex cibis esurialibus, poterit Medicus dare licentiam vescendi carnibus: Hanc opinionem valde probabilem censeo cum dicta limitatione; ad evitandos autem scrupulos, si infirmus habet Bullam Cruciatæ, poterit ex consilio Confessarii, & Medici vesci carnibus, etiam cum causa dubia: Sic Trullench in Bullam, lib. 1. §. 4. dub. 1. num. 8. & 9. Nec est opus, ut Confessarius id in Confessione consulat, sed extra eam potest dare consilium; ita cum Rodriquez Villalobos in sum. tom. 1. tract. 27. clausul. 7. num. 2. neque requiritur, ut sit Parochus, sed quivis Confessarius approbatus pro exaudiendis Confessionibus sufficit.

Advertentia.

19. RElaxatissima est materia jejunii inter Catholicos: summa est potestas, cum qua Medici licentiam elargiuntur vescendi carnibus; quam multoties largiuntur ex respectu humano, ut Nobilibus complaceant, ne disgustentur amici, ut potentes sibi gratos reddant, & ob plurimas alias causas ipsis notas: cupiúntque nobilem commiserationem Dæmonis in ejusmodi licentia impertienda, & obtinenda: Multoties tamen in hoc ipsimet infirmi sunt culpabiles nimiùm augendo, & amplificando propriam imbecillitatem, quocirca Medicus sæpè se dirigens juxta dicta, & prætensiones ægrotorum, nec habens indicia ad dignoscendam veritatem excusationis, facile est, quòd bona fide procedat, & quòd tota culpa sit malè informantis. PP. Confessarii igitur zelo Apostolico ferveant in hac materia, objiciendo Medicis propriam obligationem; & hortando imbecilles ad tolerantiam; quando imbecillitas non est multùm molesta.

20. P. P. R. dico meam culpam, quòd in curando prægnantem in periculo mortis constitutam, applicuerim aliqua remedia, ex quibus secutus est abortus.

C. Procuravítne V. D. directè abortum? quia hoc non licet, ut inquit Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 14. sub n. 96. in fine.

P. P. R. non procuravi directè abortum, sed solummodo remedia ad ejus salutem necessaria administravi, quamvis ex ipsis per accidens, indirectè, & præter intentionem secutus fuerit abortus.

C. Erátne spes, quòd infans posset ad Baptismum pervenire? supposita enim

enim probabili ſpe, quòd infans ſit naſciturus, ſi ea remedia non applicentur, licèt ex eorum omiſſione ſecutura ſit mors Matris, nequaquam debent applicari; cùm vita ſpiritualis infantis præferenda ſit corporali Matris: Ita Petrus de Navarra lib. 2. de reſtit. cap. 3. num. 134. licèt Thom. Sanchez lib. 9. de Matrim. diſp. 20. num. 15. arbitretur eſſe moraliter impoſſibile, quòd ſtante mortali infirmitate Matris, infans vivus egrediatur: quia vitiatis humoribus Matris, ex quibus infans alitur, eſt fermè miraculum, inquit, quòd fœtus non pereat. Anno tamen præterito 1687. mihi conſtat, natum fuiſſe vivum infantem, ac baptizatum fuiſſe ſtante gravi infirmitate Matris, quæ etiam intra mediam horam defuncta eſt.

P. P. ℞. modica, aut nulla ſpes fuit, quòd fœtus animatus naſciturus eſſet.

C. Remedia à V. D. applicata tendebántne magis ad ſalutem Matris, quàm ad expulſionem fœtus? quia ſi æquè ad utrumque tendebant, non fuit licitum ea applicare: Ita Rodriquez, & alii, quos recenſet Trullench in Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 3. num. 5. Villalobos tamen tom. 2. tract. 12. diffic. 13. ſub. num. 2. §. & dicit, contrarium tenet, fultus ratione adducta à Sanchez, quòd graviter ægrotante Matre raró, & miraculosè ſit victurus infans.

P. Remedia applicata potiùs, & principaliùs virtutem habuerunt ſanandi Matrem, etſi haberent pariter vim ad enecandum infantem.

C. Hoc ſuppoſito, fas fuit applicare remedia, directè ordinata ad ſalutem Matris, quantumvis indirectè ſequeretur abortus. Trullench ſuprà n. 4. & addit Sanchez cum Corduba ibid. num. 15. quòd in hoc caſu, in quo licet matri ſumere hujusmodi remedia, non ſolùm poſſit Medicus applicare, ſed quòd interdum teneatur id facere; cùm poſſit ſuccurrere vitæ Matris, & modica ſubſit ſpes, ea moriente de vita infantis.

Neque huic obſtat Decretum Innocentii XI. in propoſ. 34. quia in ea ſua Sanctitas tantùm damnat opinionem, ſecundùm quam licitum erat procurare abortum, ne puella deprehenſa gravida occideretur, aut infamaretur; noſter autem caſus eſt valde diverſus, quia loquimur de morte, quæ ab intrinſeco poteſt accidere Matri, cujus remedium tentatur mediantibus remediis neceſſariis, etſi hæc per accidens poſſint cauſare abortum: quod non damnatur in hac propoſ. 34. ut dixi 1. part. prax. tract. 10. n. 130. pag. 367.

21. P. P. R. dico pariter meam culpam, quòd alii infirmo aliqua medicamenta habentia vim expellendi materiam ordinatam ad generationem applicuerim.

C. Hujusmodi medicamenta erántne ex ſe ordinata ad expulſionem dictæ materiæ? nam ex hoc directo in-

fluxu inferretur procuratio effuſionis ſeminis: quod in nullo eventu licet, ubi etiam ad tuendam vitam neceſſarium eſſet: ita communis Doctorum apud Thom. Sanchez lib. 9. de Matrim. diſp. 17. num. 15. & 16.

P. P. ℞. Medicamenta non tendebant directè ad expulſionem materiæ generativæ, ſed ad expellendos alios humores, quamvis ex horum commotione poſſet ſequi alterius effuſio.

C. Erátne periculum, quòd ægrotus conſentiret in delectationem, quæ poterat ſequi ex effuſione hujus materiæ? quandoquidem ſicut ægroto non licet ſumere medicinas, nec exercere res etiam licitas, ex quibus prævidet ſecuturam pollutionem, cum periculo conſenſus in eandem, ut dicit Sanchez ſupr. diſp. 45. n. 6. ita neque licet Medico ordinare medicinas, ex quibus ſecutura eſt effuſio ſeminis, ſi in ægroto animadvertat periculum conſenſus in delectationem veneream.

P. P. R. Non novi tale periculum in ægroto, quinimò habui magnum fundamentum de oppoſito, cùm fuerit perſona devota, timorata, & bonæ conſcientiæ.

C. Secluſo hoc periculo, licet Medico præſcribere medicinas directè ordinatas ad ſalutem infirmi; etſi prævideat ex hinc ſecuturam præter intionem effuſionem materiæ aptæ ad generationem: Thom. Sanchez ibid. num. 9. Jo. Sanchez in ſelect. diſp. 21. num. 33. & quando materia generativa eſt infecta, & corrupta, ex qua poſſit juſtè timeri infectio corporis, licitè poteſt Medicus præſcribere medicinam, tendentem ad expulſionem humoris vitioſi, quamvis accidentaliter ſequatur effuſio ſeminis non corrupti; quod probabile cenſet Trullench tom. 2. in Decalog. lib. 6. cap. unic. dub. 8. §. 1. num. 14. ratio eſt, quia nefas non eſt exercere aliquod opus licitum: v. g. excipere confeſſiones: quamvis ſequatur involuntariè effuſio ſeminis, secluſo periculo conſenſus in delectationem: ergo cũ liceat procurare ſalutem corporis expellendo noxios humores, non erit peccatum præſcribere, aut ſumere potiones, aut medicinas directè ad eorundem expulſionem ordinatas, quamvis indirectè ſequatur pollutio involuntaria, præciſo ſemper periculo conſentiendi in delectationem veneream.

22. P. P. R. dico meam culpam, aliquo ſcrupulo me angi ob infirmũ, absque perceptione Sacramentorum defunctum.

C. Tenentur Medici admonere infirmum ut Sacramentis ſe muniat, conſtat ex cap. cum infirmitas de pœnit. & remiſ. decernente, quòd Medicus, antequam curet infirmũ ab infirmitate corporali, præcipiat ut ſe curet à ſpirituali per Sacramenta: Pius Quintus pariter in ſua Conſtitutione, quæ incipit ſuper gregem, interdixit

ſir-

Medicis, ne ultra tertium diem post monitionem Confessionis visitent infirmum, nisi Confessarius testetur, ipsum fuisse confessum vel judicet longius tempus ex justâ causâ infirmo esse concedendum; sanciendo pariter, quòd Medici accipientes lauream Doctoratus, hoc servare jurent, quãvis non ubique sit consuetudo emittendi hoc juramentum.

Dicat mihi, erátne periculosa infirmitas hujus personæ?

P. P. R. Non fuerunt signa gravis ægritudinis: postmodùm tamen supervenit ei improvisum accidens, à quo de repente vitâ privata fuit.

C. Tametsi prædicta Decreta loquantur cum tanto rigore, & aliqui Doctores in iis fundati sentiant, Medicum obligari ad monendum de confessione ægrotum, & ut domui suæ disponat; contrarium tamen tenent Rosella, Angelus, Navarrus, & alii apud Fagundez tom. 2. in Decalog. lib. 2. cap. 25. num. 11. dicentes, hujusmodi obligationẽ vigere tantummodo, quando infirmitas est periculosa, vel de hac dubitatur; non est tamen necessarium, ut id per se immediatè Medicus faciat, sed sufficit per Confessarium, vel amicos, aut consanguineos infirmi; ita Sanchez in sum. tom. 1. lib. 3. cap. 16. num. 8. præcipit etiam in suo Decreto Pius Quintus, ut renuente infirmo Confessionem, Medicus eum derelinquat; quod intelligi debet, modò infirmus non sit in periculo constitutus; tunc enim Medicus poterit in ejus cura perseverare, ita cum Suarez, Villalobos in sum. tom. 1. tract. 9. diffic. 27. num. 5. Et quamvis Medici emittant juramentum admonendi infirmum de confessione peragenda, attamen non violabunt juramentũ id prætermittendo, quando infirmitas non est periculosa; quia juramentum ad mandatum Pii V. emittendum, intelligitur, juxta usum & consuetudinem; ut inquit Sanchez ibi num. 15. non est autem consuetudo admonendi infirmum de persolvenda confessione, nisi infirmitas sit periculosa.

23. P. Dico etiam meam culpam P. R. de pusillanimitate in annuntiando infirmis periculum, & mortem certò eis obventuram.

C. Contigítne hoc cum aliquo infirmo, qui de suis nihil disposuerit?

P. Minimè P. R.

C. Quando Medicus sibi suadet, ægrotum esse in bono statu, nec esse necessariam, vel profuturam suam admonitionem, cùm sit jam bene dispositus, non tenetur ei annuntiare mortem, secundùm Navarram in sum. cap. 25. num. 63. quamquam in omni eventu sit valde conveniens, quòd Medicus vel per se, vel per alium bono modo id annuntiet ægroto, ne ex spe supervivendi immemor sit urgentissimi negotii salutis animæ; & ut certior redditus de fine vitæ temporalis majori conatu solicitet consecutionem

nem æternæ, ut notavit Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 8. tract. 1. docum. 2. Hìc se offert tractatus de irregularitate, quam incurrere possunt Medici in exercendo suam artem: quia verò hæc materia non est multùm necessaria pro confessionali, Lectorem ad Marchadum remitto, qui eam succinctè tractat. tom. 1. lib. 1. part. 3. tract. 18. docum. 9.

CAPUT IV.

De Statu Chirurgorum, & Barbitonsorum.

24. MUnus Chirurgi differt à munere Barbitonsoris; cùm ad Chirurgum spectet curare plagas, & vulnera; quod fit abscindendo, consolidando, uniendo, & restaurando, ut dicit Frogosius in sua Chirurgia lib. 1. Officium autem Barbitonsoris, est extrahere sanguinem, applicare cucurbitas, & capillos abscindere. Quatuor autem conditiones juxta eundem Fragosium requiruntur in Chirurgo: prima conditio est, ut in sua arte sit doctus: secunda, ut sit expertus, & exercitatus: tertia, ut sit acuti ingenii, & quarta ut bonis moribus sit præditus: & quidquid dictum est cap. 3. de Medicis, respectivè intelligendum est de Chirurgis, præsertim in exiguis pagis, in quibus non dantur Medici, ac proinde cura infirmorum pendet à solicitudine, & directione chirurgorum.

25. P. P. R. confiteor, quòd vocatus ad mulierem prægnantem, dicentem se esse infirmam, ac indigere emissione sanguinis; ejusdem venam secuerim, non obstante metu de possibili exinde abortu.

C. Hæc mulier fuitne conjugata, vel soluta? quia fœminæ conjugatæ, nisi absint earum mariti, non solent adhibere hujusmodi remedia ad causandum abortum, regulariter loquendo: nisi quandoque ob multitudinem prolium, vel ob timorem periculi partus.

P. P. R. Mulier fuit soluta.

C. Incisio venæ fuitne medium necessarium ad salutem? quia hoc supposito, & alio remedio deficiente, licitum fuit venire ad sectionem venæ, directè ad salutem infirmæ ordinatam, licèt per accidens & præter intentionem sequeretur abortus; ut dixi de Medicis cap. præced. num. 20.

P. Non fuit medium necessarium ad salutem.

C. petiit ergo eam duntaxat ad habendum abortum, vel ne deprehensa gravida occideretur, aut infamaretur?

P. Non est dubium P. R.

C. peccavit ergo graviter V. D. in prædicta sectione venæ, cùm non fuerit medium necessarium ad salutem, & fuerit medium ad abortum; qui licitè procurari nequit, etiam ob metum, ne mulier deprehensa gravida occidatur, aut infametur: & oppo-

positum damnatur ab Innocentio XI. in propos. 34.

Ingentes iniquitates solent in hac materia committere aliqui Chirurgi, qui avaritiâ aut aliis humanis respectibus ducti phlebotomiis cooperantur ad abortum; quapropter Confessarii severè arguant, & increpent tales Chirurgos, repræsentando gravem Dei offensam in concurrendo ad scelus ita enorme & impium.

26. P. confiteor etiam P. R. me in cura fœminarum, multas impuras tentationes, motus venereos, & interdum effusionem seminis experiri.

C. præbétne V. D. similibus consensum? secluso enim consensu, aut morali ejus periculo, non tenetur V. D. suam artem derelinquere, & ab hujusmodi curis desistere: Trullench tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. §. 1. num. 5. prope medium.

P. Fragilitate, & imbecillitate propria victus, plerumque in prædicta consentio.

C. poterit aliquis alius habere curam fœminarum, quæ V. D. sunt occasio peccandi?

P. Omninò P. R. quia dantur adhuc alii Chirurgi.

C. V. D. habétne media ad se sustentandam absque cura fœminarum?

P. P. R. pauper sum ego, & absque aliis proventibus, quàm proprii laboris; quare si meum ministerium desero, nec me, nec meam familiam alere possum.

C. In hoc casu docet Villalobos in sum. tom. 2. tr. 40. diffic. 16. n. 4. & 5. Lessius, & alii apud Dianam part. 3. tr. 5. resol. 3. & est communis sententia teste Trullench suprà dub. 9. num. 8. quòd Chirurgus (idem dic de Medico) cui cura fœminarum (præsertim si cura sit in *verendis*) est occasio *se polluendi*, consentiendi, ac labendi in obscænitates, teneatur ab officio cessare, & desistere, quia *quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* nec possit absolvi, nisi ejusmodi ministerium & artem deserat. Contrariam sententiam docet Jo. Sanchez select. disp. 21. num. 9. & Castropalaus tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 9. §. 3. n. 11. qui dicunt in hoc casu non teneri cessare à curatione, sed sat esse, si proponat ampliùs non consentire.

Mea opinio est, quòd quamvis hæc doctrina Sanchez, & Palai non sit damnata ab Innocentio XI. in proposit. 61. 62. & 63. nec ab Alexandro VII. in proposit. 41. cum limitatione tamen sit intelligenda; nimirum, si Chirurgus non habeat alia media ad victum quærendum, vel alia persona ad curam harum fœminarum non detur, aut gravis infamia ei immineat eas non curando, positis inquam his conditionibus, censeo, quòd possit id

id facere absque obligatione desisten-di à suo officio; quia nemo tenetur evitare occasionem involuntariam, sed in his casibus occasio est involuntaria: ergo non tenetur eam evitare: Quòd si Chirurgus habeat alia media ad honestè vivendum, & detur alia persona idonea, nec sequatur ei gravis infamia, tunc tenetur desistere à cura, quæ est ei occasio peccandi: etenim in hoc casu occasio esset voluntaria, non involuntaria, quia haberet tantùm causam utilem, & honestam eam non devitandi, quæ non reddit occasionem involuntariam, ut dixi 1. part. prax. tr. 10. num. 293. pag. 415.

27. P. P. R. confiteor, me diebus festivis omnes ad me accedentes totondisse.

C. Estne consuetudo introducta iis diebus tondendi barbam? quia posita consuetudine posset fieri, ut dixi 1. part. prax. tract. 3. cap. 2. num. 12. pag. 66.

P. P. R. non est consuetudo generalis, sed ad libitum barbitonsorum.

C. Si V. D. hoc intermisisset diebus festis, magnúmne lucrum perdidisset?

P. Sine dubio P. R. plures regales amisissem, nisi diebus festis barbam totondissem.

C. Hoc supposito bene potuit fieri in sententia Bassæi Verb. Festum 2. num. 4. quod probabile censet Marchadus tom. 2. lib. 6. part. 8. tract. 2. docum. 3. num. 4. oppositum tamen docent Reginaldus, & alii, ibi citati.

28. P. P. R. confiteor pariter, quòd nulla suffragante causa, præterquam ordinario meo exercitio, non jejunaverim aliquibus diebus præceptis.

C. Etsi Fagundez in 4. præcept. Eccles. lib. 1. cap. 8. num. 16. in fine, excuset à jejunio Barbitonsores ob laborem annexum eorum officio, intuitu illius Concessionis Eugenii Quarti, eximentis à jejunio indifferenter Omnes officiales corporaliter laborantes in Republica; est tamen damnata ab Alexandro VII. in propositione 30. Sententia docés, esse excusatos ab obligatione jejunii absolutè ejusmodi officiales: Idcircò docet Bonacina, & communis apud Dianam part. 1. tract. 9. resol. 8. Barbitonsores obligari ad jejunium, quod absolutè tenendum est, nisi multitudo infirmorum eos excuset, aut exercitatio nimiùm in se laboriosa, vel respectu personæ, sit talis, ut reddat impossibile jejunium.

CAPUT V.

De Officio, & Statu Pharmacopolarum.

29. Tenetur Pharmacopola juxta dicta de Medico, & Chirurgo scire necessaria ad suam artem, percipere schedulas Medicorum, suis temporibus aquis distillandis incumbere, componere medicinas; nec potest potiones dare, quæ habeant influxum ad causandum abortum, nisi

in

in casibus, in quibus licet Medicis easdem applicare.

30. P. P. R. accuso me, uni Personæ solimati pulverem venenosum vendidisse.

C. Vendidítne eum, cogitando, quòd aliquam personam veneno inficere vellet?

P. Cum hac cogitatione ejusmodi pulverem non vendidi.

C. Cogitabátne V. D. quòd hæc persona mala intentione eum peteret?

P. P. R. petiit pulverem dicens, velle eo uti ad interficienda quædam pestifera, & damnosa animalia in propria domo.

C. Non licet Pharmacopolæ vendere solimatum, nec aliam rem venenosam, cum notitia, aut fundata præsumptione, quòd ea emantur ad damnificandum proximum; sed si emantur ob aliquem bonum finem, & emptor non sit suspectus, nec talis, quòd de eo cum fundamento possit aliquid sinistrum cogitari, nefas non erit illa vendere; magna tamen cautela adhibenda est in hac materia, quandoquidem ingentia mala orta fuere ex facilitate Pharmacopolarum in vendendo solimatum, alíósque pulveres absque advertentia ad emptores.

31. P. Me accuso pariter P. R. aliquod pharmacum absque schedula Medici præbuisse.

C. Erántne pharmaca radicalia, aut levia v. g. Sarapium Regium, aut aureum, vel alia hujusmodi?

P. P. R. Quid præbui, fuit leve, & ordinarium, nec potens damnificare.

C. Non licet Pharmacopolæ absque scheda Medici præbere medicinas radicales, quia hæ notabiliter alterant, & possunt interficere infirmum, nisi detur congrua, proficua, & tempore opportuno; attamen, si medicina sit levis, & ex communibus, modò Pharmacopola noscat constitutionem personæ, & potionem non nocituram: illicitum non erit eam absque Medici scheda applicare; Quamvis in foro externo possit puniri in visitatione Protomedici, si constabit Pharmacopolam tales potiones absque scheda præbuisse: vide Marchadum tom. 2. lib. 6. part. 8. tract. 20. docum. 2. num. 4.

32. P. Sic pariter me accuso P. R. quòd non fuerim fidelis in præbendis medicinis juxta ordinationẽ Medici.

C. Qua de causa in hoc V. D. fideliter non se gessit?

P. P. R. quia quod justum erat, mihi non solvebatur.

C. Dedítne V. D. rem æqualis bonitatis rei præscriptæ à Medico? quia si fuit æqualis bonitatis, & certò eundem effectum habitura, non eam damnarem culpæ gravis, licèt præscriptam à Medico non dederit.

P. P. R. quod dedi, bonum fuit, non tamen æquè bonum ac præscriptum in schedula.

C. Graviter peccant Pharmacopolæ,

læ, vendentes medicinas putridas, aut infructuosas, vel non præscriptas à Medicis, sed alias, non habentes eandem virtutem; nec solùm peccant contra Charitatem, sed etiam contra justitiam cum onere reparandi damna exinde obvenientia infirmo: Marchadus ibid. num. 3. nec valet dicere, quòd eas non satis solvant, quia aut sunt stipendio conducti à Republica cum obligatione subministrandi medicamenta toti vicinæ, vel non sunt conducti? si primum, clarum est, eos obligari ad præstandum, quidquid Medicus præscribit ob stipendium à Republica ipsis taxatum: si secundum, vel non dent medicinas iis, quos sciunt, vel præsumunt non soluturos, vel si eas dederunt, possunt ex justitia exigere justum pretium: ergo in largiendo medicinas adulteratas non suffragatur eis excusatio, quòd non plenè solvantur.

De obligatione Pharmacopolarum inserviendi ex charitate pauperibus, idem dicendum, quod suprà diximus super hoc idem punctum de Medicis, & Chirurgis.

Multùm interest, quòd Pharmacopola sit vir rectus, ac timens Deũ, cùm ab eo vita, aut mors hominum pendeat, quocirca PP. Confessarii ad propriam obligationem adimplendam seriò eos adhortentur; sæpissimè enim solent mel immiscere serapiis, alioquin cũ zaccharo componendis, ac similes medicinas cum non levi Reipublicæ præjudicio; quod est valde ponderandum.

CAPUT VI.

Determinationes Legum Navarrensium circa Medicos, Chirurgos, ac Pharmacopolas.

33. IN lib. 2. Recompilationis tit. 16. leg. 3. decernitur, ne Medici ad curam admittantur, nisi peracto artium curriculo per quadriennium arti medicinæ vacaverint, & per aliud triennium practicam ab experto, & docto Medico didicerint. Lex 2. ejusd. tit. § 1. & 2. taxat eorum stipendium, & § 3. sancit, ut Medici Pampelonenses gratis visitent Nosocomium, & §. 4. ut pro ratione schedulæ taxent pretium præscriptarum medicinarum.

34. In lege 4. ejusdem tit. 16. præcipitur, ne quis possit admitti tanquã Chirurgus, vel Pharmacopola ante vigesimum quintum ætatis annum; præthereà quo ad Chirurgum sancitur, ut per quadrieñium inservierit in officina sub directione Magistri, & postquam per triennium Theoreticæ suæ facultatis in Universitate approbata incubuerit, eodem triennio practicæ studuerit. Quoad Pharmacopolam decernitur, ut linguam latinam calleat, & per quiennium ab aliquo approbato Pharmacopola practicam apprehenderit, ac postmodùm examen subeat, habilitate, ac moribus bene perpensis.

De-

Demùm in lege 6. tit. per extensum habetur taxa pretii accipiendi pro Pharmacis simplicibus, radicibus, aromatibus; gummis, herbis, floribus, seminibus, & fructibus, succis condensatis, aquis, serapiis &c. & in lege 5. præcipitur, ne solutionem prætendere possint, nisi ob medicinas, quarum schedulas ab infirmis habuerint. Hæc volui adnotare ad hoc, ut Confessarius sciat modum se gerendi cum hujusmodi viris, ac cum iis, qui eos conducere volunt, si consilium petent.

CAPUT VII.

De Officio, & Statu Mercatorum.

35. EMptiones, & venditiones spectant ad Mercatores; de his tracto in 1. part. prax. tract. 7. super. 7. præcept. cap. 5. part. 3. num. 108. pag. 246. de Mutuo, & Usura pariter ago, ibid. part. 2. num. 99. pag. 242. & de contractibus conductionis, & locationis ibid. part. 1. num. 94. pag. 241. & tract. 10. n. 157. & seq. pag. 376. habetur explicatio triũ propositionum de contractibus damnatarum à Papa Innocentio XI. Quò ad hanc postremam materiam etiam Alexander VII. in propositione 42. damnat assertum, quòd mutuanti licitum sit aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. Videatur explicatio hujus propositionis in tract. 17.

36. P.P. R. dico meam culpam, quòd aliquas merces vendiderim supra earum pretium.

C. Vendidítne eas V. D. ultra supremum, & rigorosum pretium? etenim cùm res habeant pretium infimum, medium, & supremum, hæcque sint justa pretia, quovis eorum res vendi possunt.

P. Ultra supremum rerum pretium eas vendidi.

C. Hujusmodi mercium fuítne taxatum à lege justum pretium? quia quando rei pretium est à lege taxatum, tale pretium est indivisibile, absque latitudine supremi, medii, & infimi, adeóque juxta taxam res vendenda est.

P.P.R. Rerum à me venditarum non fuit à lege taxatum pretium.

C. Justum pretium rerum vendibilium non tantùm metiendum est ab intrinseco earum valore, verùm etiam ab extrinseco, nempe labore Mercatoris, in iis asportandis, & transferendis, vectigalibus solvendis, ac periculo eas perdendi; ita N.P. Torrecilla in suis Consult. Moral. tract. 5. consult. 3. num. 50. præterea Mercator ratione officii ministrandi Reipublicæ potest res vendere cariori pretio, cæteris privatis; ita cum Medina, & Cajetano Lessius lib. 2. de justit. cap. 21. dub. 4. n. 24. Torrecilla ibid. Quandoquidem est pretio æstimabile, quòd Mercator in beneficium hominũ suas merces expositas teñeat, & in hoc inserviat Reipublicæ, hâc liberan-

do ab onere quærendi alibi merces : quare si res à persona privata summo pretio, decem v. g. coronatis venditur, à Mercatore ratione sui officii cariùs vendi potest: porrò quantum possit esse lucrum Mercatoris M. Lumbier in sum. tom. 2. frag. 9. de justit. & jure. num. 1561. sentit hoc prudentis judicio subjiciendum esse; quia in aliquibus mercibus multum est lucrum, in aliis modicum, & quòd melior regula sit pretio communiter sine dolo introducto stare.

37. P. P. R. dico etiam meam culpam, res creditò datas me vendidisse altiori pretio, quàm alias, numeratâ pecuniâ venditas.

C. Accepitne V. D. altius pretium ea duntaxat opinione, quòd præsens pecunia sit æstimabilior absente, seu futura? quia hic titulus non sufficit, & damnatur ab Innocentio XI. ut dixi num. 35.

P. P. R. Ob hujusmodi titulum res non vendidi cariori pretio, sed ob periculum sortis, & ob multas difficultates & expensas in exigendo, & recuperando pretio.

C. His conditionibus concurrentibus, non est illicitum, nec damnatum altiori pretio res creditò datas vendere, quàm pro numerata pecunia: pretium autem justum pro mercibus creditò datis accipiendum est id, quod sine dolo cum mercatoribus communiter decernitur. Sic Lumbier ibid. num. 1557. & seq. videatur etiam P. Torrecilla suprà num. 53. & seq.

38. P. Sic pariter dico meam culpam P. R. quòd conventione facta inter omnes Mercatores de quadam merce, supremo pretio vendenda, & quòd nemo eam minoris venderet, ego pariter eodem summo pretio eam vendiderim.

C. Hæc conventio Mercatorum est & vocatur Monopolium, & si convenissent de vendenda cariori, quàm justo summo pretio, certum est, quòd graviter peccassent, cum onere restitutionis : & de facto peccant ad minus contra charitatem, conveniendo in monopolio de vendenda summo, & non minori pretio, quia cum hac confœderatione privant emptores modo emendi merces inferiori pretio : Controversia est, an peccent contra justitiam, conveniendo in monopolio de vendenda re summo, & rigoroso pretio. P. Caspensis tom. 2. tract. 19. de contract. disp. 4. sect. 15. num. 88. putat cum Rebello, & Turriano in hoc casu delinqui contra justitiam cum obligatione restitutionis ; contrarium tenet cum aliis Bonacina tom. 2. disp. 3. de contract. q. 2. p. 5. num. 2. idem docet cum Aragonio, Villalobos tom. 2. tract. 21. diffic. 17. num. 4.

39. Hæc secunda sententia est probabilis; quia non est contra justitiam vendere justo pretio : atqui pretium summum est justum : ergo convenien-

nientibus mercatoribus de vendendis mercibus ſummo pretio, non operantur contra juſtitiam, & conſequenter ad reſtitutionem non obligantur: Nihilominus primam ſententiam probabiliorem cenſeo, quia libertas in hominibus emendi res medio, & infimo pretio, eſt pretio æſtimabilis: ſed ſic eſt, quòd in monopolio, & conventione Mercatorum de vendendis rebus duntaxat ſummo pretio, priventur homines libertate emendi eas medio; & infimo pretio: ergo in hoc monopolio privant eos re pretio æſtimabili: ſubſumo, atqui eſt contra juſtitiam privare homines re pretio æſtimabili: ergo in hoc caſu peccant mercatores contra juſtitiam cum onere reſtitutionis.

Verùm in ordine ad V. D. probabilius puto, quòd cùm non conſpiraverit cum his mercatoribus, potuerit vendere merces pretio, de quo ipſi convenerant: Sic Reginaldus, & alii apud Dianam part. 1. tract. 8. reſol. 24. ratio eſt, quia V. D. vendidit eo pretio, quod eſt commune, ſed pretium commune juſtum eſt, etiamſi ſit auctum per fraudes aliorum; ergo V. D. vendidit juſto pretio, & aliunde non habuit partem in privando per monopolium homines libertate: ergo rectè potuit quo ad pretium ſe conformare iis, qui exercuerant monopolium.

40. Datur alia ſpecies monopolii; & eſt, quando conveniunt aliqui Mercatores in emptione alicujus mercis, ne aliis detur locus eandem emendi, & vendendi, & cùm tam in emptione, quàm in venditione non excedatur æquitas juſti pretii, nec ulla adſit fraus, aut dolus; probabiliter puto, non eſſe contra juſtitiam hujuſmodi monopolium: ſic Caſpenſis ſupr. n. 92.

41. P. P. R. dico meam culpam, quòd ad faciliùs vendendas aliquas merces, juſto tamen pretio, juraverim mihi conſtitiſſe decem, & re ipsa octo tantùm conſtiterant.

C. Juravítne hoc V. D. ſubintelligendo decem conſtitiſſe computatis expenſis vecturæ, portoriis, ſeu vectigalibus, periculis?

P. Omninò P. R.

C. poteſt Mercator absque mendacio uti amphibologia (modò non ſit interna) ad occultandam veritatem; & jurare decem conſtitiſſe, quod octo conſtitit, computatis expenſis, portoriis, periculis, cum quibus merces decem æſtimatur: ita docui 1. pars prax. tract. 10. ſub num. 87. pag. 358.

42. P. P. R. dico meam culpam, quòd aliqua infra infimum pretium emerim, ob pecuniam diu anticipatè datam.

C. Eſt contractus valde uſu receptus is, quo datur anticipata pecunia in emptione aliquarum rerum, præſertim lanæ; quod fit modo ſequenti: Mercator cupit impendere pecunias

in emptione lanæ, conventionem facit cum pastoribus solvendi protinus totpondera lanæ octo, vel decem mensibus, antequam colligatur, & pastor postmodùm suo tempore tenetur dare lanam: si præcisè ob anticipatam solutionem emerentur lanæ infra justum earum pretium, esset contractus injustus, ita Villalobos suprà diffic. 7. num. 12. potest tamen cohonestari cum aliqua ex rationibus mox dicendis.

43. Dicat mihi fuítne periculum sortis, seu suæ pecuniæ, aut non obtinendi deinde lanas? nam ob hujusmodi periculum poterat tanti minoris emere, quanti æstimabatur periculum.

P. Modicum, aut nullum fuit ejusmodi periculum, quia cum viris fidelibus fuit factus contractus.

C. Ob anticipatam pecuniam cessátne aliquod lucrum V. D. etenim etiam lucrum cessans est pretio æstimabile, & justus titulus vendendi cariori, & emendi minori pretio.

P. Nullum lucrum exinde mihi cessavit, cùm aliam paratam pecuniam habuerim, in meis negotiis impendendam.

C. Dabantúrne multi, qui venderent lanas, aut merces, anticipatam solutionem recipiendo?

P. Ita P. R.

C. Et erant pariter multi, qui anticipata solutione merces emerent?

P. Non P. R. quinimò pauci.

C. Unus ex titulis minoris vendendi res, est multitudo venditorum, & paucitas emptorum; quare si multi sint venditores lanarum, & mercium pro anticipata solutione, & pecunia, & pauci hoc modo emptores; ob hunc inquam titulum videtur posse cohonestari emptionem lanarum, & mercium minori pretio anticipando solutionem: Vide Caspensem tom. 1. lib. 3. part. 5. tract. 2. doc. 7. Villalobos suprà num. 13. Nihilominus in hoc casu lanarum Navarrus in Manuali cap. 23. num. 28. est contrariæ opinionis, eúmque sequuntur alii Authores: verùm licèt ego tutiorem hanc Navarri opinionem existimem; oppositam tamen non improbabilem censeo, posito aliquo ex supradictis titulis seu circumstantiis pro justificatione contractus. Videatur etiam Diana p. 1. tract. 8. resol. 22.

44. P. Dico pariter meam culpam P. ℟. me cariùs vendidisse res, quæ in officina minuatim, quam quæ in magna quantitate emuntur.

C. causa augendi, vel diminuendi pretium est modus vendendi, nam aliquando una res carius venditur uno modo, quàm alio; primò, si merx minutatim vendatur, cariùs venditur, quàm si venderetur in magna quantitate; ita Petrus de Navarra de restit. tom. 2. lib. 3. cap. 2. num. 47. cum communi Bonacina tom. 2. disp. 3. de contract. q. 2. punct. 4. n. 21. secundò, si merx ultrò offeratur, viliùs ven-

venditur, quàm si non offerretur juxta tritum sermone proverbium: Ultroneæ merces pro tertia parte vilescunt. Ita Emanuel Sà verb. emptio num. 4. Filliucius num. 70. & alii communiter, tertiò etiam, quando est major copia minutatim, quàm in magna quantitate emptorum, quia hoc modo vendendi plures merces Mercatori pereunt.

Utrùm liceat Mercatori exercere suum officium, quando est ei proxima occasio peccandi, constat ex supra dictis de Chirurgis cap. 4. num. 26.

CAPUT VIII.

De Officio, & Statu Sartorum.

45. P. P. R. confiteor, me detinuisse aliqua frusta vestimentorum.

C. Habuítne V. D. justam solutionem sui laboris à Dominis vestimentorum?

P. P. R. Modò solutio est valde tenuis & diminuta, in cujus compensationem ea frusta mihi reservavi.

C. Absolutè loquendo peccant contra justitiam cum onere restitutionis Sartores, sibi retinentes frusta vestimentorum; præterquam si vel Domini in hoc non sint inulti, vel defectu justæ solutionis ea sibi retinerent: quo circa P. Moya in suis select. tom. 2. ad tract. 6. disp. 4. quæst. 3. num. 11. cum Sanchez & Lugo dicit: Confessarios posse præstare fidem sartoribus bonæ conscientiæ, communiter affirmantibus, non sibi sufficienter solvi laborem, ac in hujus compensationem ea frusta sibi retinere: Et addit cum Lugo Moya ibidem, hoc habere locum, non solùm respectu Magistrorum artis, verùm etiam respectu mercenariorum; nam sicut Domini vestium solent minùs solvere sartores ex eo, quòd sibi frusta detineant, ita pariter Magistri solent minùs solvere suos laboratores, seu mercenarios ob eandem causam. Videatur etiam Villalobos tom. 1. tract. 25. diffic. 14. num. 7.

46. P. Confiteor etiam P. R. me ex commissione cujusdam personæ emisse pannum pro conficiendo vestimento; Mercator autem etsi verè decem Regalibus venderet ulnam panni, mihi tamen remisit medium regalem pro qualibet ulna, hancque partem pretii mihi retinui.

C. Mercator respexítne V. D. ut gratam sibi redderet, & iterum ad suam officinam pro emptione mercium eam invitaret, vel quia fuit ejus amicus, aut consanguineus?

P. P. R. dixit mihi se alteri non nisi decem venditurum, & certò scio eum ordinariè tali pretio vendidisse; in gratiam verò mei minori pretio vendere.

C. Si verum esset, quòd mercator eam partem pretii in gratiam V. D. cederet, docet Filliucius apud Dianam pa. 1. tr. 8. res. 26. quòd fideliter peracto negotio personæ, potuerit

ſibi retinere eam partem pretii, quia inquit, ſi ſartores fideliter agant negotia eorum, pro quibus mercem illam emunt, non apparet ulla injuſtitia in accipiendo ejusmodi pretio: revera enim magni refert Mercatoribus, ut Sartores potiùs ad ſuam officinam veniant, quàm ad alias: & ex altera parte non pluris venditur merx, quàm valet, & alteri cuicunque traderet. Sartores autem, qui pro aliis emunt, & dicunt illis Mercatores ſe in ipſorum gratiam minoris rem vendere, quàm eſſent vendituri, nihil poſſunt ſibi retinere: quia Mercatores falsò hæc dicere ſolent, ut alliciant Sartores, ut à ſe ipſis emant, & non ab aliis, ita Salas apud eundem Dianam ibid quod puto veriſimile, quia cùm Mundus in maligno poſitus ſit, talis modus agendi, erit potiùs induſtria Mercatoris, quàm veritas, & ingenuitas, ac proinde ſententiam Salas eſſe ſequendam.

47. P. Confiteor pariter P. R. me nonnullis diebus feſtis laboraſſe.

C. Factum fuitne hoc diuturno tempore? quia modico tempore: v. g. per horam, aut paulò plus, non eſſet culpa gravis.

P. P. R. quandoque ultra tres, & quatuor horas laboravi.

C. Fortè ex vera, & ſola neceſſitate?

P. Non ſemper, interdum potuiſſem id prætermittere.

C. Opus ſervile, eſt diebus feſtivis prohibitum, uti eſt munus conſuendi; licebit tamen in caſu ſolius neceſſitatis v. g. conſuere veſtes lugubres, & illorum omnium, qui iis indigent ad ſervandam decentiam ſtatus, vel concurrente aliqua ex iis cauſis, propter quas diebus feſtis licitum eſt laborare. Videatur 1. pars meæ prax. tract. 3. cap. 2. num. 10. pag. 66.

Notandum incidenter Sartores præcisè vi ſui officii non excuſari à jejuniis præceptis; ut dixi loc. cit. cap. 3. & dico tract. 17. ſeq. in explicatione Propoſ. 30. damnatæ.

CAPUT IX.

De aliis Statibus, & Officiis particularibus.

NE opus nimiùm excreſcat, in hoc capite breviter colligam ſpeciales obligationes quorundam Officialium per ſequentes §§.

§. I.

De Pictoribus.

48. PIctores pingentes precibus adoleſcentis imaginē puellæ mortaliter peccant, ſi credant adoleſcentem imaginem adhibiturum ad libidinem. Azorius in inſtit. moral. tom. 2. lib. 2. cap. 18. quæſt. 9. Bonacina tom. 2. diſput. 2. de peccat. quæſt. 4. part. 2. §. unic. num. 29. Peccant etiam ii, qui indifferenter pingunt, & vendunt profanas imagines ad luxuriam provocantes, v. g. nudas fœminas, &c. Picturæ, quarum pretium

à lege

à lege, vel communi æſtimatione non eſt taxatum, ſi ſint ſingulares, poſſunt ab iis tanti vendi, quanti vendi poſſunt abſque dolo, & fraude. Vide Dianam part. 1. tract. 8. reſol. 56. Quamquam nonnulli Doctores à jejunio excuſent Pictores; ego tamen puto, quòd labor pingendi non ſit ex natura ſua incompatibilis cum jejunio; ſpectata tamen debili aliquorum complexione poteſt primum verificari: ita Leſſius lib. 4. de juſtit. cap. 2. dub. 6. n. 43. Delineare imagines diebus feſtis; non verò eas pingere, tanquam licitum Pictoribus concedit Sanchez Verb. Feſtum n. 5. alii etiam pingere, ſi gratiâ animum reficiendi aut diſcendi fiat, quia tunc comõditas corporis non ſpectatur: Ita Angelus, & alii, quos refert Palaus tom. 2. tr. 9. de obſervat. Feſt. diſp. 2. p. 5. n. 6. & alii, ſi fiat etiam ratione lucri, aut mercedis acquirendæ: ſic cum Cajetano, & aliis Layman tom. 2. lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 4. quod non improbabile mihi videtur; molire tamen colores eſt opus ſervile adeóque diebus feſtis minimè licitum.

§. II.

De Piſcatoribus, & Venatoribus.

49. PRobabile eſt leges prohibentes venationes, & piſcationes in montibus, & fluviis communibus, eſſe pœnales, nec obligare in foro conſcientiæ; attamen ſi Venator culpabile damnũ inferret ſeminatis &c. peccaret contra juſtitiam cum onere reſtitutionis: Eſto controverſum ſit inter DD. an Venatio, & piſcatio ſint actiones ſerviles; affirmativam ego teneo, proindéque diebus feſtis eſſe prohibitas: Sic Fagundez, & alii, quos citat, & ſequitur Palaus ſuprà num. 9. Non comprehenditur tamen piſcatio facta cum arundine, nec piſcatio Tunnorum, qui certis temporibus ſolent apparere, cujus piſcatio illo tempore faciẽda eſt, quin minùs magna ex parte amitteretur; Utrùm à jejunio ſint exempti Venatores, & Piſcatores? pro ratione majoris, vel minoris laboris vel roboris corporis hominum hoc munus exercentium; erit ferendum judicium, quod explorandum eſt ab iis, qui venationi, aut piſcationi incumbunt; illi verò, qui recreationis cauſa hoc faciunt, non audeo aſſerere occurrente jejunio, quòd poſſint huic miniſterio incumbere, ac per hoc ab obligatione jejunii ſe eximere; quantumvis non ignorem aliquos dicturos, hoc non eſſe fraudulenter operari, ſed evitare præceptum. Videatur Marchadus tom. 2. l. 6. part. 8. tract. 9. docum. 21. per totum.

§. III.

De Sutoribus, ac aliis in Republica Venditoribus.

50. LIcitum eſt Sutoribus vendere calceos diebus feſtivis, ſive ſit hoc ob conſuetudinem, ſive ob modi-

di-

dicũ tempus, quod in hoc insumunt: ita Leander à Sacramento part. 3. tract. 1. disp. 5. quæst. 12. Non tamen licet eos reficere, aut perficere (quod vulgariter dicitur pulire) cùm hujusmodi opus sit servile; nec datur consuetudo legitima in hoc genere favorabilis, proindeque viri timorati id non exercent, ob parvitatem materiæ potest non esse mortale, quinimò ex causa aliqua nullum erit peccatum. Contra justitiam peccant, vendendo pelles modicæ durationis, ac si essent Balearicæ pelles. Non sunt obstricti sutores jejunio, ut dixi 1. part. prax. tr. 3. cap. 3. sub. num. 22. pag. 69. quod docet cum Azorio, Lessio, Reginaldo, & aliis Leander ibid. tract. 5. disp. 8. quæst. 66. & qu. 68. addit non solùm excusari à jejunio consuentes calceos, sed etiam Magistros abscindentes, modò tota die huic exercitio vacent.

Quod est in hujusmodi Opificibus summopere animadvertendum, est, calcare fœminas: res, quæ attenta humana fragilitate est valde periculosa, adeóque mortaliter difficillimũ mihi videtur, quòd non sit occasio proxima peccandi; quapropter non facilè absolverem eos, qui non habent verum propositum abstinendi ab hoc periculoso ministerio. In Sartoribus pariter solet esse aliquod periculum (licèt minus) quando metiuntur corpora fœminarum pro consuendis earum vestibus, quod absolutè non damno tanquam occasionem proximam, nisi respectivè ad hanc, vel illam personam.

51. Alii Opifices, qui vendunt, ponderant, mensurant, uti sunt Laniones, Tabernarii, & Caupones, qui fraudulenter agunt ponderando, aut vinum cum aqua adulterantes, non tantùm peccant, verùm etiam tenentur restituere, aut personis damnificatis, vel si hæ essent ignotæ, ut ordinariè contingit propter copiam emptorum, restitutio poterit fieri, vel augendo pondera, & mensuras, ut volunt aliqui, vel distribuendo eleemosynas, vel cum Missis, aut Bullis compositionis, ut magis piè alii docent.

Plures aliæ artes dantur, ad quarum omnium tractatum majus volumen requireretur: ex principiis tamen & doctrinis adductis circa supradictos status facilè possunt aliæ pro cæteris omnibus inferri.

CAPUT Ultimum.

Exhortatio, per quam cujus vis conditionis Pœnitentes moveri possunt ad contritionem, vel attritionem suorum peccatorum.

CUm ad propositam brevitatem particularem exhortationem in fine cujusvis status, & officii, extendere non conducat, hìc unicam tantummodo omnibus personis communem ponere volui pro incitando peccatore ad suarum culparum dolorem; & quamvis p. 1. hujus

prax. tract. 9. c. 1. proposuerim ad hunc finem aliquas rationes, operæ tamen pretium duxi, hìc alias adjungere, ad hoc, ut Confessarii utrasque præ manibus habentes, possint eas adhibere, quæ sibi magis efficaces ad suadendum pœnitentibus, videbuntur: & ad majorem claritatem hoc caput dividam in varios §§.

§. I.

De Dolore Peccatorum.

1. MAteria proxima Sacramenti pœnitentiæ, sunt actus pœnitentis, & hi tres enumerantur: Oris Confessio, est accusatio integra in Sacramento Pœnitentiæ de propriis peccatis cum suis circumstantiis speciem mutantibus, facta Sacerdoti, ad absolutionem illorum ab eo recipiendam prævio diligenti eorumdem examine: Cordis contritio est cordis dolor, per quam peccatori displicet peccatum à seipso patratum, in Dei optimi maximi contemptũ cum proposito illud vitandi: Satisfactio est passio voluntaria pœnæ pro peccato à Confessario impositæ ad placandum Deum; quæ satisfactio in voto, est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ; & in re est pars integralis: De satisfactione dictum est 1. part. tract. 9 cap. 4. pag. 329. modò de contritione disseram, quæ duplex est, una perfecta, altera imperfecta, quæ vocatur attritio.

2. Contritio perfecta, *est dolor de peccatis assumptus propter Deum summè dilectum, cum proposito confitendi, & non peccandi de cætero.* Contritio imperfecta, seu attritio, *est dolor de peccatis assumptus propter fœditatem peccati, vel timorem inferni &c.* una ex his requiritur, & quævis est sufficiens ad valorem, & fructum Sacramenti Pœnitentiæ, quamvis contritio perfecta sit magis tuta, advertendum tamen, attritionem naturalem non sufficere, sed requiri supernaturalem: Porrò attritio naturalis est dolor de peccatis ob motivum aliquod naturale, v. g. is, qui dolet de peccatis ob infamiam inde sibi obventuram, vel ob amissionem sanitatis, bonorum, aut aliarum rerum temporalium, dicitur habere attritionem naturalem; quam non sufficere dixi 1. part. tract. 20. n. 220. pag. 393.

§. II.

Motiva ad Contritionem Peccatorum.

3. OMnis peccator est ignorans; dixit, ut Gentilis Philosophus, quia nec peccati umbra adesset in mundo, si peccator ad immensam bonitatem, quam per suum peccatum offendit, reflecteret: proindéque homo etiam sapiens, peccando inter ignorantes annumeratur, siquidem dignitatem Dei, quam peccando à tergo abjicit, non considerat: hancque notam V. D. per peccatum incurrit: magna igitur summum bonum offendere, fuit stultitia; & ta-

men contra Majestatem adeò amabilem patratas culpas audire miserabilis necessitas est.

4. V.D. offendit Deum suum, qui eam ex nihilo creavit, & ad statum existentiæ reduxit, cùm in statu possibilitatis, in quo millenæ creaturæ possibiles permanent, eam relinquere potuisset. Nec eam duntaxat creare placuit, sed aliam gratiam singularem adjunxit, nimirum creasse hominem ratione prædictum, licèt Brutum, arborem, plantam, petram, vilissimum, & putridum vermem facere potuisset: hominem inquam, fecit ad imaginem, & similitudinem suam, æternæque gloriæ compotem: quid ni cæcitati, surditati, deformitati, dementiæ, aliisque permultis defectibus obnoxiam facere non poterat? & tamen potentiis, ac sensibus perfectam formavit, præterea non inter Barbaros, Gentiles, Turcas, aut Hæreticos, sed inter Catholicos suam vitam, primordia, ac Baptismi S. Sacramentum habere decrevit. Vitam datam, & usque modò conservatam, in quod V.D. impendit? in offensas, ingratitudines, & injurias; de his Divina ejus Justitia absque ulla injustitiæ nota vindictam sumere, ac ad inferna eam detrudere potuisset. Ast, oh magna Dei pietas, & bonitas! siluit, patiens fuit, sustulit; In compensationem beneficiorum V.D. offensas iterabat; & tamen immensus ejus amor has multiplicatis favoribus rependebat; Oh quantus esse deberet dolor V.D. de Dei tam amabilis offensa.

5. Ad hæc Benignitas Dei illatas sibi injurias non solùm sufferre, dissimulare, easque dimittere, quin etiam Majores misericordias eam vocando, dum Dei sui oblita erat, adjicere voluit: nunquid V.D. inter suorum criminum tenebras, cælestis lucis radios, sui cordis cæcitatem detergentes, non experta fuit? quidnam propriæ conscientiæ latratus fuere? nisi Dei voces de profundo culpæ lethargo eam excitantes? post animam suam currebat Deus, quando hæc à Dei conspectu fugiebat: clamabat Deus ad cor, quando hoc eum audire renuebat; lucis radios in spiritum infundebat, quando spiritus in tenebris vivere satagebat: Oh bonitas infinita! Oh quàm ingens Domine est tuus amor! Fortassis creaturis mi Deus indiges? haud quaquam, quinimò creaturæ absque tua Divina assistentia nec respirare valent: quomodo ergo creaturæ tam parvi tuam potentiam pendunt? quia magnitudinem tuam non considerant: ejus æquanimitatem non perpendunt? quia misericordiarum tuarum non est numerus. Quis igitur de tam supremæ Bonitatis offensa non intensè dolebit?

6. Si Dei Bonitatis magnitudinem adhuc magis V.D. noscere peroptat, suæ mentis oculos in Sanctissimum ejus Filium unigenitum Jesum Christum

ſtum Dominum noſtrum elevet: Recogitet, quòd cùm eſſet propter peccatum miſerè mundus perditus, cælum à ferrea culpa clauſum, & infernus ad devorandos peccatores reſervatus, Divina ejus pietas tot malis obviàm ire, eaque reparare decreverit; & cùm id, aut gratis peccata condonando, aut per Angelum ſatisfaciendo facere potuiſſet, maluit tamen, ut ipsemet Dei Filius perſonaliter ad nos redimendos deſcenderet. Oh pietatis abyſſus! ad ſalvandam ingratam Creaturam Deus offenſus in mundum venit? ſummoperè ergo Rex cæleſtis eſt diligendus, ex eo, quòd in terram deſcenderit, ut homines à tyrannica peccati ſervitute liberaret, ac non minori ob modum, quem propterea elegit, affectu proſequendus: impaſſibilis, immortalis, Majeſtate, & divitiis affluens apparere potuiſſet, & tamen mortalis, & paſſibilis, pauper, & humilis, vilis, & abjectus, comparuit: in pauperculo præſepe temporum inclementiæ ſubjectus naſci; perſecutiones, opprobria, ludibria, injurias, paupertatem, famem, ſitim, anxietates, labores, dolores, pœnas, & tormenta ſuſtinere dignatus eſt, totus denique vitæ illius curſus pœnarum ſeminarium, dolorum continuatio, diutinúmque patientiæ exercitium fuit.

7. Poſtremò ad ultimam vitæ ſuæ periodum redactus, amoris quoque ſui ſigna evidentiora oſtendit; cæleſtem ſuam doctrinam hominibus, impiis eorum cenſuris interim toleratis, communicare non dedignatus eſt: inſanire, dæmonium habere, peccatorem, blasphemum, proditorem, ac ſeductorem vocari non abhorruit: pretioſiſſimum ſanguinem in paſſione ſua effudit, flagella, ſpinas, colaphos, ſputa, irriſiones non timuit: clavis configi, in cruce pendere, inter anguſtias mori complacuit: Quis Domine in hoc ſalutifero ligno te coactavit? tuus amor, tua bonitas, tua Clementia. Oh bonitas ſine termino! materia, ex qua hi ſanguinei clavi confecti ſunt, ſcelera mea fuere: extenſis brachiis Summus Deus in eo ligno ſtat, ut ipſummet peccatorem Crucifixorem dulciter recipiat: quod & V.D. miſericorditer præſtabit, modò ejus invitationi liberè, & ex corde annuat, jam dudùm eam expectat, quamvis dulces ejus amplexus turpiter averterit: negligentiam ergo ſuam deteſtetur, ingratitudinem defleat, quia magnum & amarum eſt dereliquiſſe Dominum Deum ſuum.

8. Ex Sacroſanctis tot beneficiorum effectibus immenſa, infinita, ac æterno amore digna bonitas Domini pauluſculum dignoſci poteſt, etenim omnis perfectio, pulchritudo, & bonitas creaturarum eſt participata, & in eas ex copioſiſſimo Divinæ Bonitatis fonte diffluit: florum pulchritudo, pratorum amœnitas, aquarum candor, aëris ſubtilitas, ignis activitas,

fructuum varietas, apium dulcedo, lucis claritas, solis radii, lunæ splendor, stellarum fulgores, cælorum motus, ac demùm tota creaturarum venustarum species, & decor est fermè indivisibilis perfectionis particula, iis à summo Bono omnem creaturarum bonitatem participatam eminenter, & in gradu infinito in se continente communicata: Hoc bonum infinitum necessariò à Beatis, quia clara ejus visione fruuntur, diligitur; non sic autem à viatoribus quia id cognoscere negligunt; & hâc de causâ hujusmodi bonum V. D. offendit, modò ergo infinitam ejus bonitatem perpendat, ac Deum omni amore dignum, pro vilissimæ creaturæ dilectione dereliquisse summè esse dolendum inferat; quapropter inscitiam suam defleat, errores detestetur, ac crimina Dei offensiva se commisisse doleat.

§. III.

Motiva ad Attritionem peccatorum.

9. SI V. D. animam suam amat, ac miserandum statum, ad quem eam reducit peccatum, considerat, intensissimus exinde proveniens dolor erit. Peccatum mortale est gladius acutus, crudelem animæ mortem afferens: *Homo per peccatum occidit animam suam*, ait Sapiens, mors temporalis corpus animâ privat, & peccatum Dei gratiam ab eadem aufert: oh quàm lachrymabilis perditio? recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt: sic pariter discedente Deo confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro vivo funus animæ jam sepultæ. Quare sicut si à sepulchro lapis cadaver cooperiens tolleretur, deformitates ibi latentes non absque gravi nausea conspici possent, ita quoque si corporis lapis ab anima per peccatum mortuâ detegeretur, nemo ejus fœditatem sufferre valeret, dæmonis olim tampulchri, & gratiosi intolerabilis esset visio; & tamen ejus imago in animâ peccato mortali obnoxiâ sculpta videtur: Oh quàm terribilis visio!

10. Quando anima V. D. gratiâ Dei munita fuit, Deus quoque possedit eam: ac ejus cor sui Creatoris Thronus gratissimus erat: ast per adventum peccati Dei gratia amissa, Divina sua Majestas ab anima recessit, ejusque dominium in dæmonem translatum fuit: "Et ingressi habitant ibi." Lucæ cap. 11. v. 26. ac proinde cor suum infernalium spirituum factum est tabernaculum: oh quàm horribilis transmutatio! Anima quæ priùs Deo plena erat, modò totaliter à dæmone obsessa adinvenitur, & quam Deus veluti Filiam suæ curæ con-

concreditam habere dignabatur, nunc velut mancipium Satanas habere se jactat, eámque tanquam Tyrannus servitutis peccati vinculis obstringit: nónne satis est mi Domine Deum potiùs, quàm dæmonem habere comitem? Deúmne Patrem, vel dæmonem dominium suum habere cupit? Dulcissimi illius Domini Filius, vel sanguinarii illius tyranni mancipium esse desiderat? primum non dubito respondebit, & tamen propter patrata delicta desiderabilem Filii Dei libertatem perdidit, & abominabilem dæmonis captivitatem elegit. Idcircò ad hanc avertendam peccata sua deflere, de iis pœnitere necessarium est; ut ita ab anima recedere inimicus cogatur, & Deus ad eandem reverti dignetur. Oh mi Deus! qualis dementia fuit te derelinquere! qualis stultitia te offendere! oh utinam supremam tuam magnitudinem non offendissem.

§. IV.

De Pœnis peccatorum in hora mortis

11. Si homo in vita veritatis lumine, quo in hora mortis abundat, fulciretur, non tam facilè peccati semitas percurreret. Passiones decipiunt, diaboli fraudibus Christianus allucinatur, ne mortem, & angustias propter peccata in ea sibi obventuras consideret; & ex hinc suæ perditionis origo: oh quales angustias! quales terrores! quales pœnas peccata sine ullo timore Dei in vita patrata in morte causant! huic benè noscit V. D. se esse obnoxiam, & licèt ejus memoriam abrogaverit; ad hanc tamen horam funestam perveniet, in qua juramenta, blasphemiæ, maledictiones, detractiones, verba obscœna, & alia hujusmodi commissa in vita scelera occurrent: quantas experietur angustias in illo exitu? quali confusione cor eam ita alloquetur? nunc coram supremo Judice comparere debeo, quem toties meâ sacrilegâ linguâ, Sanctissimum ejus nomen absque ulla reverentia proferendo, contempsi? nunc turpitudines, obscœnitates, illicitæ voluptates severo ejus judicio subjicientur: ubi modò fugaces illæ deliciæ, quas siti insatiabili hydropicus appetitus appetebat? Oh maledictæ voluptates, quæ protinus avolarunt, & modò cor meum ita torquent, & cruciant. Nunc nosco inauratas fuisse pillulas, venenosam amaritudinem sub apparenti dulcedine afferentes; illicò hæc evanuit, & modò in anima amaritudo diffunditur: Oh quantùm peccata inconsideratè commissa spiritum cruciant! Ah me miserum, eò quòd peccaverim! infernum promeritus sum, Deum meum offendi, nec scio, num ejus pietas mihi pepercerit, quia ignoro, utrùm bene confessus fuerim, ac verum peccatorum meorum dolorem habuerim. Oh si nunquam ea commisissem! stolidus gratitudine, & ratione destitutus fui, quia hujus extremi oblitus,

angustias in hac hora ob meas iniquitates adventuras non consideravi.

§. V.

De Confusione, in Dei Tribunali à peccatis causanda.

12. DUrum est, eundem adversarium & Judicem causæ habere, prout continget in strictissimo illo Tribunali, in quo idem Deus ut offensus, adversarius erit, & Judex in seria, & gravissima salutis, aut damnationis æternæ causa. Litigantes in mundo Judicem propitium toto conatu habere satagunt; & in negotio æternæ salutis, aut perditionis ad Jesu Christi Tribunal peragendo, non solùm V. D. media opportuna ad eum sibi propitium reddendum non procuravit, sed positivè ejusdem indignationem contra se provocavit. Oh peccatorum dementia! tanta solicitudo in negotiis terrenis, & tanta somnolentia in cœlestibus?

13. Demùm V. D. coram supremo Judice, tanquam rea comparere debet: maturè nunc confusionem ante terribilem ejus aspectum à se sustinendum penset. Quomodo mulier à marito deprehensa in adulterio, coram eodem comparere audebit? animam suam in Sancto Baptismo sibi Deus desponsavit, fidem juratam sacro huic sponso hujusmodi injuriæ sibi illatæ conscio V. D. fregit, quomodo coram eo comparere non erubescet? quàm strictam rationem severus hic Dominus petet! Dicito, inquiet; Christiane spurie, cur me dereliquisti? cur me offendisti? damnum aliquod fortè tibi intuli? fortassis injuriis te contristavi, aut opprobriis affeci? aut aliquam tuæ infidelitati causam præbui? Nónne te millenis beneficiis, gratiis, & favoribus cumulavi? ex quibus iniquis legibus favores injuriis, beneficia offensis compensare didicisti? Nunquid Deum tuum me esse, ac Judicem futurum ignorabas? quoties Confessarii, & Concionatores id tibi dixerunt? quoties ego per inspirationes idem insinuavi?

14. Maturè penset V. D. dolorosum, & inevitabile hoc punctum, ac horrendum esse incidere in manus Dei viventis, coram quo summâ verecundiâ, & tremore eo tempore sistet, ac Dœmonem accusantem, supplicium paratum, Judicem iratum conspiciet. Oh quantùm summum Bonum non offendisse, sed ex toto corde dilexisse, tunc peroptabit? ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; nunc indignationem Dei sui avertere, nunc cum eo pacem, & amicitiam, peccata sua deflendo, inire valet; modò ipsius pœnitentia erit fructuosa, & acceptabilis, tunc verò ejus lacrymæ inutiles, vanæ, & contemptibiles.

§. VI.

De Pœnis in inferno tolerandis propter peccatum.

15. INfernalium pœnarum horror tremendus ad attritionem ſupernaturalem eliciendam, alterum eſt motivum tam potens, & efficax; ut ejus attenta conſideratio duriora corda ad culparum deteſtationem compellere valeat. Infernus igitur eſt viliſſimus, ſordidiſſimus, fœtidiſſimus, obſcuriſſimus, infimus, ac ſolo aſpectu horribiliſſimus locus in medio terræ à Divina Juſtitia ad vindicanda peccatorum crimina præparatus: eſt profunda vorago, ſeu campus ignitiſſimis plenus caminis, ſpiritibúsque malignis, & ferociſſimis, ac venenatiſſimis brutis, bufonibus, draconibus, omníque ſerpentium genere, omni fœtore, caligine, & horrore, atque innumerabilibus peccatoribus deputatis, tot, & tantis ſuppliciis in medio igneorum, & ſulphureorum puteorum, fovearum, & caminorum jacentibus: horum cibus eſt ardens plumbum, potus pix accenſa, lectus laminæ metalli ignitæ; eorum ſolatia ſunt lamentationes, gemitus, ſuſpiria, maledictiones, & execrationes: viſus objecta alia non ſunt, quàm horrendi ſpirituum infernalium proſpectus; Auditus terrendi, ac deſperati reproborum clamores, & ululatus: Odoratus, fœtorum ſpurcitiæ, putredines illius horrendi carceris: Guſtus rabida fames ac ſitis crudelis; & Tactus prunæ ardentiſſimæ, dolores, ægritudines, ærumnæ, tormenta: ac proinde miſerrimi damnati habent conturbationem, & compreſſionem in cerebro, planctum in oculis, ſtridorem in dentibus, fœtorem in naribus, clamorum, & ululatuum reſultationem in auribus, ſitim in lingua, famem in ſtomacho, vincula in manibus ac pedibus; & nunc infernalis incendii ardorem, nunc intolerabilia frigora in omnibus membris.

16. Potentiæ ſpirituales animæ peculari pœna pariter torquẽtur, nã memoria cruciatur ex reminiſcẽtia præteriti corã præſẽti; quivis enim damnatus ſemetipſũ ſic increpabit: propter quid hæc intolerabilia tormẽta incurri? propter momentaneas voluptates, propter bona apparentia, in ictu oculi tranſacta, propter vana oblectamenta, quæ in inſtanti avolarũt: præſentes verò clamitates ſine fine durabunt. Intellectus torquetur ob beatificæ viſionis carentiam, & ſecum diſcurrendo concludit cum Ezechia: non videbo Dominum Deum in terra viventium: pro me jam clauſum eſt Cœlum; occidit ſpes ingrediendi Gloriam! Angelorum ſocitate non fruar! Cœlorum Reginam, Matrem miſericordiæ, ſolamen afflictorum, in æternum videre mihi vetitum erit. Eh eheu! Deum ſummum bonum, infinitam, & amabilem illam Majeſtatem, ſacroſanctam eſſentiam, immenſam Deitatem, intueri non licebit? voluntas

jam contumax, & rebellis cruciatur odio contra Deum; in detestatione summi Boni absumitur, in ejus contemptu desperato excandescit: Oh me miserum! quàm infelix sum, quia talis ex propria voluntate esse volui, alioquin Beatus futurus suavem Dei legem observando, bonam confessionem peragendo, peccata mea deflendo, ac vitam meam emendando: nunc frustrà plango, crucior, affligor, uror: quia nimis serò! Nunquam ergo ab hoc carcere egrediendum erit! nulla in hoc ergastulo erit redemtio! Oh maledicta peccata, maledicta crimina quæ me æternis tormentis damnarunt.

17. Postremò prædictis consonat, quod in legenda S. Joannis Apostoli recitatur, quemadmodum juvenis quidam à S. Joanne Apostolo resuscitatus à morte, multa narravit de gloria Paradisi & de tormentis inferni. De quibus specialiter octo narravit, quæ continentur his metris.

Vermes, & tenebræ, flagellum, frigus, & ignis,
Dæmonum aspectus, scelerum confusio, luctus.

Ecce quæ, & quanta, quàm incomparabilis, & immensa, atque perpetua est miseria, pœna, & infelicitas damnatorum, certè qui ex prædictis earum descriptionibus non perterretur, obtenebratus, & obstinatus est corde: nec spiritaliter sentit, sed mortuus est. Verumtamen resipiscat V. D. & de profundo vitiorum emergat, atque ad ista consideranda cordis oculos erigat; & si adhuc peccatum delectat, horum considerationem, & dolorem suæ menti imprimat, ut saltem tantorum horrore suppliciorum retrahatur à vitiis, & ad salutaria dirigatur: nunc delicta sua defleat, pensando se ejusmodi pœnas jam promeruisse, ac sententiam secundùm præsentem justitiam jam contra se latam fuisse, nec aliud pro ea avertenda dari medium, quàm pœnitentiam Grandis sit ejus dolor, ut à statu perditionis præsenti se liberare queat, vitam suam emendet, mores suos corrigat, in peccata non relabatur, à bonis operibus non torpeat, sicque supplicia illa horrenda evitabit, ac æternam gloriam consequetur, Amen.

Actus Contritionis.

DOmine mi JESU Christe: at quomodo te Deum meum vocare audeo, si ego tuus esse nolui. Verus Deus, & verus homo; si Deus infinitæ Bonitatis es, quomodo ego vilis vermis te offendere ausus fui? si mei amore factus es verus homo, quomodo ego à natura hominis degener factus, Deum mei amore hominem factum contempsi? quia tu es, qui es, summa Bonitas, Perfectio infinita. Oh quàm bonus es mi Deus, cùm à vili creatura offendi sustuleris; & quia

te

te amo, valde modicum eſt, quo te amo, & multum id, quo te amare deſidero. Ah utinam te amarem ardentioris Seraphim amore. Amo te Domine ex toto corde meo, ex tota mente mea, ex omnibus viribus meis. Amo te Deus plùs, quàm vitam meam, amo te mi Domine, plùs, quàm animam meam; amo te dulce pignus mei cordis, plus, quàm omnia, & ſolùm quia te amo, te adoro, ac te quæro, doleo Domine, doleo Deus animæ meæ, doleo medullitus me offendiſſe tuam infinitam Bonitatem: Deum tam pium, tam amabilem, nunquam ampliùs offendere propono, Deum, in quem credo, in quem ſpero, cujus bonitatem amo; potiùs mori, quàm fœdari firmiter decerno, non meæ fragilitati innixus, ſed de tua pietate, de tua miſericordia, de tua gratia confiſus, quæ perſeverantiæ donum in hac vita præſtabit, & poſtmodùm ad æternam gloriam perducet, Amen.

TRACTATUS XVII.

Compendioſa Notitia, & Explicatio 45. Propoſitionum damnatarum à Sanctitate Domini Noſtri Papæ Alexandri VII. die 14. Septembris anni 1665. & die 8. Martii 1666.

Advertentiæ Generales circa hoc Decretum Alexandri VII.

1. NOtandum primò omnes propoſitiones contentas in hoc Decreto, tanquam ſcandaloſas, improbabiles, & practicè falſas damnari, & quamvis aliàs nonnullæ ex ipſis poſſent eſſe ſpeculativè probabiles, practicè tamen improbabiles declarantur, proindéque eas ad praxim deducere minimè licet.

2. Notandum ſecundò ſuam Sanctitatem non tantùm declarare, velut ſcandaloſas, falſas, & improbabiles dictas propoſitiones, verùm etiam præcipere, ut nemo eas docere, defendere, publicare, de iis publicè, aut privatim, conjunctim, aut diviſim diſputare præſumat; niſi forſan impugnando, ſub pœna excommunicationis, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ; inſuper in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii, prohibet omnibus Chriſti Fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

3. Notandum tertiò, quòd, tametſi hoc Decret. Alexandri VII. non ſit publicatum in Regnis Hiſpaniæ, non propterea liceat aliquam ex dictis propoſitionibus ad praxim deducere, cùm tanquam ſcandaloſæ declaratæ ſint à Sede Apoſtolica, & practicè improbabiles damnatæ à Summo Chriſti Pontifice, qui in hujuſmodi materia errare nequit; Verum eſt, quòd ſi quis in Hiſpania ad praxim deduceret aliquam dictarum propo-

sitionum, licèt mortaliter peccaret, probabile tamen est, quòd non incurreret excommunicationem latam à Sua Sanctitate contra transgressores, nec erit violator præcepti Sanctæ Obedientiæ in dicto Decreto impositi, juxta dicta tom. 1. Confer. tract. 3. Confer 2. §. 2. num. 27. & seq. quia probabile est, leges Pontificias non obligare in singulis Diœcesibus, & Provinciis, in quibus non promulgantur; ut dixi loc. cit. confer. confer. 1. §. 2. num. 7. quod etiam docet cum Medina, & aliis Diana part. 1. tract. 10. resol. 8.

4. Notandum quartò, quòd quicumque in Hispania docuerit, defenderit, ediderit, vel disputativè, publicè, aut privatim tractaverit de propositionibus damnatis à Sanctitate Innocentii XI. ad Sacrum Inquisitionis Tribunal denunciandus sit; non item, qui docuerit &c. damnatas à Sanctitate Alexandri VII. ratio est, quia suprema Inquisitio publicavit, & acceptavit Decretum Innocentii XI. sibi reservando pœnam transgressorum, die 24. Junii 1679. quod non fecit cum Decreto Alexandri VII. ergo quicumque docuerit &c. aliquam propositionum damnatarum ab Innocentio XI. ad Sacrum Inquisitionis Tribunal denunciandus erit, secùs verò de damnatis ab Alexandro VII.

5. Notandum quintò, quòd, quamquam aliqui Doctores doceant, cessante fine legis, cessare totaliter ejusdem legis obligationem, ut videri potest in meis Confer. supra confer. 8. §. 1. & alii dicant leges fundatas in præsumptione; cessare cessante præsumptione; ut retuli part. 1. meæ prax. tract. 6. cap. 10. num. 167. pag. 192. hoc tamen minimè habet locum in his Decretis damnantibus tanquam falsas propositiones, quas non licebit ad praxim deducere eo motivo, quòd cesset finis, aut præsumptio dictorum Decretorum: verùm est, in casu extremæ necessitatis nefas non fore aliquam dictarum propositionum ad praxim deducere: ita cum Hozes, Lumbier & Filgueira Torrecilla in prooemio diffic. 5. num. 22.

PROPOSITIO I.
damnata.

Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

6. HÆc Propositio coincidit cum propositione 16. damnata ab Innocentio XI. afferente, Fidem non censeri cadere sub speciale præceptum, & secundùm se ad eam obligans, & cum Propositione 7. ab eodem Pontifice damnata, juxta quam actus Charitatis tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus: Omnes hæ doctrinæ sunt

falsæ,

falſæ, & improbabiles, adeóque aſſerendum eſt, actus virtutum Theologicarum ex vi præcepti Divini per ſe obligare, quod conſtat ex ſacris litteris; nam de Fide ait Chriſtus Marci cap. 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* De Spe dixit S. Paulus ad Rom. cap. 8. *Spe ſalvi facti ſumus:* & de Charitate idem Chriſtus Matth. cap. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* hoc ſuppoſito,

7. Dico primò in hoc Decreto non determinari tempus, quo præcepta Divina Fidei, Spei, & Charitatis obligant; quia ſolummodo damnatur opinio aſſerens, hominem nullo unquam vitæ ſuæ tempore ad harum virtutum exercitium obligari abſque determinatione temporis, quo præceptum obligat: Ex quo conſtat, non damnari opiniones aſſerentes, non adeſſe obligationem eliciendi actus Fidei, Spei, & Charitatis, in introitu vitæ, ubi ad uſum rationis pervenitur; vel omnibus diebus Feſtivis, aut ſolemnioribus Feſtivitatibus, neque alias hujuſmodi opiniones, quia propoſitio damnata dicebat, ad hæc exercitia nunquam hominem obligari, cùm in totius vitæ decurſu obligatio non premeret, aliæ verò id non dicunt, ſed ſolùm aliquibus determinatis temporibus.

8. Dico ſecundò, quòd licèt in hoc Decreto non determinetur tempus, quo virtutes Theologicæ obligant, dicendum eſt tamen obligare per ſe ſaltem ſemel in anno, ut dixi 1. part. prax. tract. 1. c. 3. num. 16. & ſeq. pag. 22. idem affirmat Petrus Ledeſma, loquens de fide, part. 2. tract. 1. cap. 8. concl. 4. & de Spe ibidem, tract. 2. cap. 4. concl. 6. & de Charitate ibidem tr. 3. cap. 9. ſub concl. 5. §. Dico ſecundò. Et probatur; quia præcepta Divina Cōfeſſionis, & Communiōis, quæ ex ſe erāt indeterminata, quo ad tempus eorū obligationis, ex ſtatuto Eccleſiæ obligant ſemel in anno: ergo cùm Eccleſia prudenter, & ſecurè judicaverit ea præcepta obligare ſemel in anno, idem pariter, prudenter, & ſecurè de præceptis Virtutum Theologicarum concludendum eſt.

9. Dico tertiò, actus virtutum Theologicarum interdum obligare per accidens; v. g. cùm quis gravi contra has virtutes tentatione pulſatur, earúmque actus expliciti medium ſunt non ſolùm conducens, ſed & neceſſarium ad victoriam tentationis obtinendam: ratio eſt, quia qui tenetur conſequi aliquem finem, tenetur etiam conſequi medium neceſſarium ad eundem finem: ſed ſic eſt, quòd homo teneatur non aſſentiri tentationi oppoſitæ virtutibus Theologicis: ergo pariter tenebitur elicere actus earum explicitos, quando hi ſunt medium neceſſarium ad victoriam tentationis obtinendam: Attamen ſi eſſet aliud medium ad vincendas hujuſmodi tentationes, v. g. Con-

fessio, Oratio, lectio librorum spiritualium, in hoc casu actus prædictarum virtutũ non obligabũnt per accidens, quia quando quis habet duo media ad consequendum finem, potest liberè utrumlibet eligere, nisi adsit expressum præceptum unum præ altero eligendi: ergo &c.

10. Dico quartò, ille, qui ex omissione actus virtutum Theologicarum, quando per accidens obligant, consentit tentationi, duplex peccatum mortale non committit, unum contra virtutem, quam violat, alterum contra præceptum eliciendi actum illius virtutis, sed unicum tantùm contra virtutem violatam: v.g. si quis tentatus de fide, ex omissione hujusmodi actus consentiat in hæresim; non committit duplex peccatum mortale, sed unicum hæresis: quia quando unum obligat tantùm ratione alterius, vel præcipitur solùm tanquam medium ad alterum, violatio utriusque est unicum solùm peccatum, v. g. si quis in peccato mortali sine prævia confessione sumat Eucharistiam, unicum committit sacrilegii peccatum contra dignam Sacramenti susceptionem, ut videri potest in Diana part. 3. tract. 4. resol. 35. ergo omissio actuum virtutum Theologicarum, & assensus tentationi contra ipsas, unicum tantùm erit peccatum mortale, quando per accidens præcipiuntur hi actus, tanquam media ad tentationis victoriam obtinendam.

11. Dico quintò; quamvis in hoc Decreto non determinetur, quòd actus ejusmodi virtutum per se obligent in articulo mortis, tutiùs tamen est assertum, quòd tunc obligent saltem per accidens: ratio est, quia in hoc articulo ordinariè occurrunt graves tentationes contra fidem impellentes Christianum ad discredendum Catholicis veritatibus; tentat quoque Satanas contra Spem, hominem ad desperationem, præsumptionem, & nimiam confidentinm alliciendo: contra charitatem, animam ad Dei odium incitando, nec esse amandum, tanquam tot angustiarum, & dolorum Auctorem: ergo ad vicendas hujusmodi suggestiones, saltem per accidens tunc obligabunt virtutes Theologicæ.

Quomodo satisfiat his virtutibus Theologicis mediante actu doloris, dictum est 1. part. hujus prax. tract. 1. cap. 3. ubi pariter explicui essentiam actuum Fidei, Spei, & Charitatis, & quomodo sint eliciendi.

PROPOSITIO II. damnata.

Vir Equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

12. Suppono, quòd duellum sit pugna inter duos ex condicto, seu ex conventione suscepta; nam si solum procederet ex subito iracundiæ motu alterius provocatio per

per hæc, aut similia verba; aptus non est ad pugnam locus iste, ad alterum pergamus, vel illuc statim me sequere, vel si duo verbis altercantes, evaginent in litigio gladium, & inter se pugnent, id duellum non esset, de quo loquuntur Bullæ ita Lumbier in fragment. tom. 2. num. 713. Duellum ergo juxta Bullas Pontificias tunc est, quando præcedit conventio pugnandi in tali, vel tali loco, hoc supposito.

13. Dico primò, nemini licet acceptare duellum, ne timiditatis notam incurrat; & contrarium est casus damnatus in hac propositione: ratio est, quia non licet periculo exponere rem majoris æstimationis, & valoris, ad aliam ordinis inferioris conservandam; sed sic est, quòd vita sit majoris æstimationis, & valoris, quàm fama: ergo non licet in duello exponere vitam pro conservanda fama indemni à nota timiditatis: Confirmatur, quia absque præjudicio famæ potest duellum recusari, ergo dato etiam quòd tanti, vel pluris æstimaretur fama, quàm vita, non propterea liceret periculo exponere in duello vitam; probatur antecedens; quia fama est bona opinio, quam prudentes habent de excellentia, & bonis operibus proximi, sed sic est, quòd inter prudentes non amittatur hæc bona opinio, quamvis recusetur duellum, ne Leges Divinæ, & Christianæ offendantur: ergo absque præjudicio famæ potest recusari duellum: minor est certa; quia prudentes judicant magis ab homine æstimandum, & præferendum statum Christianum statui Equestri, nec esse quid nobile, sed vile, rusticanum, timidum, & fragile violare Leges Divinas, ne iniquum mundi forum offendatur: ergo inter prudentes non est bona opinio acceptare duellum, sed magnus honor id recusare ad Leges Divinas servandas.

14. Confirmatur ulteriùs nostra doctrina, quia nequit esse honor, & æstimatio, sed maxima infamia in majorem excommunicationem incurrere, ac Christianum fieri membrum separatum ab Ecclesia, Dei expressum inimicum, vile satanæ mancipium, ac posita morte in duello, more bestiarum Ecclesiasticâ sepulturâ privari: quas omnes pœnas incurrit acceptans duellum, ut dictum est 1. part. prax. tract. 5. cap. 4. num. 31. pag. 97. ergo revera nullum dedecus, aut infamiam nullam subit, qui in Divinæ, & Ecclesiasticæ legis reverentiam duellum provocatus non admittit, imò magnum, verúmque sibi honorem adsciscit, ut ex Evangelio constat: eaque infamia, qua notatur à mundanis, vera non est, sed merè apparens, & imaginaria. Hanc doctrinam egregiè percepit nobilissimus ille eques & Magnates nostræ Hispaniæ nostri temporis, qui provocatus per litteras ab alio nobili ad duellum; re-

respondit famulo: *Digale à D. N. que non rehuso el salir al desafio con el, è con otros tente como el, con tal, que et papel del desafio, que me embia, venga firmado de los Theologos doctos*: Responsum verè sapiens, & Christianum, ac nobili persona dignum, quod proinde militantes sub vexillo Christi ad praxim deducere deberent.

15. Dico secundò non damnatur opinio allata loco cit. 1. part. hujus prax. num. 28. dicens, licitum esse acceptare provocationem, quando provocans minatur mortem pro-provocato, nisi secum pugnet, & est persona talis, quam prudenter judicari potest ad effectum deducturam comminationem, recusando duellum: ratio est, quia in propositiõe damnata sermo est de acceptatiõe duelli, ne incurratur nota timiditatis, nostra autẽ, ad tuendã propriam vitam contra injustum aggressorem eandem oblaturum, nisi acceptetur duellum; qui ut patet est casus valde diversus: prætereà quivis habet jus defendendi propriam vitam contra iniquum aggressorem: sed sic est, quòd provocans tentet interficere provocatum, nisi secum pugnet: ergo ad tuendam propriam vitam, licitum est admittere duellum: hæc doctrina tamen intelligenda est servato moderamine inculpatæ tutelæ; videlicet quando aliud justum medium non suppetit defendendi propriam vitam; juxta quod est generalis regula quotiescunq; est occasio offendendi injustum aggressorẽ.

16. Dico tertiò; quamvis possit admitti id, quod dicit Lumbier num. 718. & Torrecilla approbat, super hanc propos. Alexandri n. 17. nimirum secundùm se posse esse licitum duellum fictũ sub conventione præstitáque securitate de eo, quòd duellantes quamvis in locum designatum exeant, pugnam non committent, quam impedient Justitiæ Ministri ad id muneris ex condicto deputati, secluso scandalo, & pravo exemplo; attamen quamquam ut dixi cum his limitationibus possit id admitti speculativè, practicè tamen censeo moraliter impossibile secludi scandalum; quapropter dicunt, & sanè hi Authores, quòd etiam in hoc casu debeat impediri duellum: tum ratione pravi exempli, quod aliis exhibetur; tum quia decertantes in occasione constituti facilè pugnare, & Dei legem offendere possunt: sed dato etiam, quòd in hoc casu grave peccatum perpetretur, nullus tamen excommunicationem incurret; quia totum illud negotium fictum & simulatum est; ut dixi 1. part. prax. cap. 4. cit. & tenet Lumbier ibidem. Hìc notandum non solùm duellantes eandem incurrere, verùm etiam Patrinos interessẽtes tanquam testes, spectatores ex industria, vel concedentes locum, & situm pro pugna juxta dicta loco citat. 1. part. prax. Notandum pariter ab hac excommunicatione posse absolvere Mendicantes virtute suorum

rium privilegiorum, & virtute Bullæ Cruciatæ, ita Torrecilla ubi suprà num. 46. & 47. & patet ex 1. part. meæ prax. in fine cap. 4. cit. secundùm jus antiquum. Modò tamen hoc privilegium abolitum est in Italia per Decretum Clementis 8. & Pauli 5.

PROPOSITIO III. damnata.

Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. die 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

17. PRo majori hujus propositionis intelligentia, suppono primò, Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reform. concedere facultatem Episcopis absolvendi per se vel per suum Vicarium speciatim nominatum à censuris reservatis Sedi Apostolicæ quando ob occultum crimen incurruntur; à peccato verò hæresis concedit facultatem absolvendi per se ipsum, non per Vicarium.

18. Suppono secundò per privilegium Bullæ Cruciatæ concedi facultatem absolvendi in foro conscientiæ pœnitentes à casibus reservatis Episcopis: Regulares quoque Mendicantes & alios cum istis in privilegiis communicantes habere facultatem absolvendi sæculares à casibus jure communi Episcopis reservatis, quamvis non possint absolvere à casibus jure particulari seu ab homine iisdem reservatis; ut posteà dicam in explicatione Proposit. 12.

19. Suppono tertiò, in Bulla Cœnæ, sic dicta (quia in die Cœnæ Domini legi, & publicari assolet) prohiberi sub pœna excommunicationis majoris, ne quis præsumat absolvere à censuris in ea contentis, quamvis sint Episcopi, aut alii Prælati, præterquam in articulo mortis, aut ex privilegio Cruciatæ quod concedit facultatem absolvendi semel in vita, & semel in morte.

20. suppono quartò in hac tertia propositione condemnata duo falsa contineri; primum, quòd de facto possint absolvi casus Bullæ Cœnæ, quando sunt occulti & nondum deducti ad forum contentiosum, non obstante prohibitione lata in dicta Bulla ne quis ab iisdem absolvere præsumat, & consequenter posse moderno tempore Episcopos uti facultate Concilii Tridentini sess. 24. suprà citat. vi cujus à dictis casibus occultis absolvere poterant: quod docuerunt Bannez, Nugnus, Lorca, Petrus Ledesma, Granados, Rodriquez, Avila, Aragonius, plerique alii citati à Filgueira in Censur. Pontific. pag. 102. §. Dicendum est & prætereà quòd casus Bullæ Cœnæ occulti poterant absolvi toties quoties virtute

Cruciatæ, aut Privilegiorum Mendicantium; secundum falsum tertiæ propositionis condemnatæ fuit, quòd hæc opinio concedens hujusmodi facultatem in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata fuerit.

21. Controversia modò est: num hoc Decretum Alexandri septimi damnet ambas partes contentas in hac propositione, vel unicam tantùm? nempe an damnet assertum, quòd moderno tempore possint absolvi casus Bullæ Cœnæ, quando sunt occulti, & quòd hæc sententia visa, & tolerata fuerit ab Eminentissimis Cardinalibus, vel tantummodo hanc secundam partem? P. Emanuel Filgueira loc. cit. pag. 103. §. Sed contrariam, tenet, Episcopos à casibus Bullæ Cœnæ etiam occultis non posse absolvere; & consequenter non solùm damnari assertum, quòd sententia favorabilis visa, & tolerata fuerit ab Eminentissimis Cardinalibus, verùm etiam quòd Episcopi ejusmodi facultate gaudeant. R. P. Magister Lumbier tom. 2. num. 720. pag. (mihi) 526. affirmat, viros doctos non defuisse, quorum aliqui putarunt juxta rigorem phrasis strictè interpretandæ, quia condemnatio est, damnari propositionem illam, quo ad eam tantummodo partem scilicet visa, & tolerata est: Et idem P. Lumbier, quamvis videatur ad hoc inclinare, ex justo tamen timore condemnationis non audet id resolvere: R. P. Martinus à Torrecilla in exam. Episco. tract. 1. q. 1. sect. 2. diffic. 2. num. 21. & seq. docet, damnari solùm eam partem propositionis, quæ dicit visa, & tolerata est; ac pro sua opinione citat R. Matthæum Moya.

22. Dico primò, valde probabile censeo cum Torrecilla, in hac propositione non condemnari saltem expresè primam partem, quæ asserit licitum esse Episcopis absolvere à casibus Bullæ Cœnæ occultis; & nondum ad forum contentiosum deductis; quamvis contrarium sit verum, tutum, & certum, sed solummodo condemnari assertum, quòd hæc sententia in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata fuerit. Probatur, quia hæc condemnatio ut sic est strictæ interpretationis, ac proinde restringenda; non amplianda: ergo dicendum est, in condemnatione non comprehendi utrasque propositionis partes, sed unam tantùm: deinde quia salvatur sensus propositionis, dicendo, hunc solùm extendi ad id, quod copula principalis ejusdem affirmat: sed sic est, quòd copula principalis sit ea, quæ dicit, quòd visa, & tolerata fuerit dicta sententia: ergo dicendo, solùm damnari assertum, quòd visa, & tolerata fuerit sententia, salvatur sensus propositionis: tum quia non est credendum Summum Pontificem Alexandrum

VII. in Bulla Cœnæ, voluisse derogare facultati Concilii Generalis, adeò Venerabilis, & in Ecclesia conspicui, cujusmodi est Tridentinum, cùm in hoc Decreto expressam mentionem non fecerit talis facultatis; ut notavit Petrus de Ledesma part. 2. tract. 1. cap. diffi. 7. §. Huic pag. (mihi) 36. ergo dicendum est, non condemnari opinionem; juxta quam Episcopi habent facultatem absolvendi à casibus occultis Bullæ Cœnæ, sed solùm damnari assertum, quòd hæc opinio ab Eminentissimis Sacræ Congregationis Cardinalibus visa, & tolerata fuerit.

23. Dico secundò neque damnari assertum, quòd Confessarii approbati ab Ordinario, possint absolvere virtute privilegii Cruciatæ pœnitentes à casibus occultis Bullæ Cœnæ, toties, quoties; ut dixi 1. part. prax. loc. cit. num. 12. & hoc probabile esse affirmat P. Emanuel à Conceptione de pœnit. disp. 6. q. 7. n. 819. & 820. & probatur, quia vi privilegii Bullæ Cruciatæ possunt Confessarii approbati ab Ordinario, absolvere toties, quoties, à casibus reservatis Episcopis, ut dictum est num. 22. & 23. ergo Confessarii approbati ab Ordinario, possunt toties, quoties absolvere virtute Cruciatæ à casibus occultis Bullæ Cœnæ.

PROPOSITIO IV.
damnata.

Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

24. Suppono primò, pro intelligentia hujus propositionis, quòd hæresis possit esse occulta per se, & occulta per accidens: Occulta per se est, quando solummodo intrinsecè retinetur aliquis assensus contra fidem, nec verbis, aut signis expressis manifestatur; vel quando ab errore interno procedunt aliqua verba, aut signa disparata, nullam connexionem habentia cum dicto errore: v. g. non credit quis Christum Dominum nostrum esse hominem, & cum hac hæresi interna blasphemat externè, dicendo, per vitam Christi, aut per caput JESU Christi; hæc est hæresis per se occulta, cùm hujusmodi verba non sint ex se illius erroris manifestativa: & si is, qui non credit in Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ latere Christum, & exinde expuit in Ecclesia, non propterea dicitur ejus hæresis manifesta, sed occulta per se, cùm expuere in Ecclesia non sit signum ex se hæresis indicativum: Hæresis occulta per accidens dicitur, quando concepto internè aliquo errore contra fidem, externè prorumpitur in aliqua verba, aut signa ex se cum illo errore connexionem habentia; quæ verba tamen non proferuntur coram aliis: v. g. si quis solus existens, & non credens Christum esse hominem

aut esse mortuum, dicat externè, Christus nequit esse Deus, & homo, quia si erat Deus, mori non poterat, aut non credens in Sanctissimo Sacramento adesse Christum Jesum, non revereatur Hostiam consecratam: in his casibus hæresis est externa, & occulta per accidens; cùm non dentur testes, qui pro tunc possint eam percipere, quamvis ex se posset percipi, si quis esset id videns, & percipiens.

25. Suppno secundò, hæresim posse esse vel merè internam & occultam per se, absque verbis, aut externis signis ejusdem indicativus, ut dictum est; vel merè externam, absque ullo errore interno: v. g. si quis externè diceret, Christus non est Deus etiamsi internè Deum esse crederet: vel posse dari hæresim internam, & externam simul; quemadmodum qui internè non crederet, Christum esse verum hominem, idem verbis affirmaret, his suppositis.

26. Dico primò, ab hæresi interna, & occulta per se posse absolvere, non solùm Prælatos Regulares, verùm etiam quemvis Confessarium ab Ordinario approbatum, præscindendo à privilegio Bullæ. Est communis, & probatur; quia per hæresim internam, ac per se occultam non incurritur excommunicatio, nec ea est peccatum reservatum: ergo quivis Confessarius approbatus poterit ab ea absolvere: Probatur antecedens; quia Ecclesia non sibi reservat, nec excommunicatione afficit actus internos; ergo hæresis interna, nec est reservata, nec per eam excommunicatio incurritur; probatur antecedens; Ecclesia non reservat, nec censuris afficit id, quod noscere, aut judicare nequit, sed sic est, quòd actus internos noscere, aut judicare nequeat: ergo hos non sibi reservat, nec censuris afficit.

27. Dico secundò, quivis Confessarius ab Ordinario approbatus, potest absolvere eum, qui externè profert verba hæreticalia, internè tamen non est infectus errore contra fidem, absque violatione hujus Decreti Alexandri, vel Bullæ Cœnæ: ratio est, quia censura, & reservatio fertur in peccatum hæresis: sed prolatio verborum hæreticalium absque ullo interno errore contra fidem non est hæresis: ergo nec excommunicatio, nec reservatio incurritur: minor probatur; quia hæresis est error pertinax, sed in nostro casu non est talis error; ergo neque hæresis, ergo nec erit casus reservatus, nec excommunicationi obnoxius, & consequenter quilibet Confessarius approbatus in foro conscientiæ poterit ab ea absolvere; quantumvis proferens verba hæreticalia absque interno errore posset à Tribunali Inquisitionis pœna affici: limitatur tamen nostra conclusio, præterquam si in aliqua Diœcesi Episcopus sibi reservaret hujusmodi hæresim; in hoc enim casu Confessarius

rius approbatus non posset ab ea absolvere, nisi per privilegium Bullæ Cruciatæ.

28. Dico tertiò. Prælatos Regulares non posse absolvere sæculares in foro conscientiæ ab hæresi occulta per accidens, & contraria opinio est casus damnatus in hac Proposit. 4. quam juxta Filgueiram asseruit Leander à Sacramento part. 4. tract. 2. disp. 17. quæst. 75. allegando in ejus favorem privilegia Alexandri IV. & VI. Gregorii XIII. & Urbani IV. sed modò est improbabilis, & practicè falsa; ac proinde tanquam certum est tenendum, quòd Prælati Regulares ab hæresi externa, etiam occulta per accidens nequeant in foro conscientiæ absolvere sæculares, sed hanc potestatem pertinere ad Summum Pontificem, & in Hispaniis ad Inquisitores, vel ab his specialiter deputatos, seu facultatem habentes; quinimò ipsemet Leander quæst. 78. hanc opinionem docuit cum limitatione num. 39. in fine dicenda.

29. Dico quartò per hoc Decretum Alexandri VII. non damnatur opinio, quòd Prælati Regulares possint absolvere subditos in foro conscientiæ ab hæresi occulta per accidens, quam opinionem docuit Suarez de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 21. num. 10. & Portellus in dub. Regul. verb. hæresis num. 10. refert privilegium ab Alexandro VII. ad hunc finem concessum Prælatis FF. Minorum: eandem Sententiam docuerunt Sousa Peyrinus, & Joh. Martinez de Prado apud Filgueiram ubi supr. pag. 111. §. plures, eamque non esse damnatam affirmat N. P. Torrecilla in explic. hujus Propos. 4. n. 4. Et probatur; quia propositio damnata loquebatur de absolutione sæcularium ab hæresi occulta; atqui hæc opinio non loquitur de absolutione sæcularium, sed subditorum Regularium, ergo per hoc Decretum non damnatur opinio, juxta quam Prælati Regulares possunt absolvere suos subditos ab hæresi occulta: licèt autem id non damnetur per hoc Decretum, tanquam certum tamen est dicendum hujusmodi potestate non gaudere Prælatos: ita Diana part. 1. tract. 5. resol. 6. Lumbier num. 721. Filgueira loc. cit. pag. 113. §. sed hi, Torrecilla ubi suprà, quia sacrum Inquisitionis Tribunal in Hispaniis habet privilegium generale, revocans quo ad hoc privilegia Regularium: ita Leander à Sacramento part. 4. tract. 2. disp. 17. quæst. 78.

30. Verùm dubitatio aliquem invadere poterit, num Prælati Regulares, cæterique Religiosi Mendicantes, ac participantes eorum privilegia, possint aliâ viâ salvare, facultatem absolvendi in foro conscientiæ sæculares ab hæresi occulta per accidens; & ratio dubitandi est, quia est opinio Henriquez, Navarri, Fagundez, & aliorum, apud Leandrum à

Murcia in suis disp. moral. tom. 2. lib. 4 disp. 1. resol. 5. num. 9. & 10. eamque probabilem pntat Suarez de conf. disp. 21. sec. 4. num. 5. quòd Episcopi jure communi Concilii Tridentini possuut absolvere ab hæresi occulta per accidens : sed sic est, quòd Regulares virtute suorum privilegiorum possint absolvere à casibus jure comuni reservatis Episcopis, ut dictum est num. 23. ergo videtur, quòd Regulares vi suorum privilegiorum, sæculares ab hæresi occulta per accidens absolvere possint.

31. Sed his minimè suffragantibus, contrariam sententiam sequendam esse existimo; dico igitur, Regulares non posse absolvere ab hæresi occulta sæculares præsertim in Hispaniis, quia neque Episcopi id possunt, ut inquit Diana part. 1. tract. 5. resol. 2. & docui 1. part. praxis tract. 1. cap. 1. num. 8. pag. 19. per quod rationis dubitandi totum fundamentum ruit.

PROPOSITIO V. damnata.

Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

32. Suppono primò, duas esse denunciationis species, Evangelicam unam, Judicialem alteram : Evangelica ea est, in qua intenditur emendatio delinquentis : Judicialis, quæ fit Superiori, tanquam Judici, Rei punitionem ad terrorem aliorum procurando : Suppono secundò, magnum esse discrimen inter Accusatorem, & Denunciatorem; & inter cætera, ob quæ discriminantur, est obligatio Accusatoris ad probandum delictum, secùs verò Denunciatoris.

33. Dico primò, in delicto hæresis denunciandum esse delinquentem, esto delictum ejus probari non possit; & contrarium damnatur in hac propositione, primò, quia denunciator non tenetur probare delictum, ut dixi : secundò, quia fortassis in Tribunali aliqua indicia sunt verificata, & probata infamia talis personæ; adeóque per novam denunciationem aliquid plus poterit detegi pro pœna saltem arbitraria imponenda, ac demùm, quia alioquin pateret aditus ad multa absurda; siquidem hæreticus tam cautè, & astutè posset zizaniam suam, & errores suos disseminare; ut nequaquam probari possent : ergo ad hæc inconvenientia vitanda, necessarium erit denunciare illum, quem evidenter constat esse hæreticum etiamsi probari non possit.

34. Dico secundò, vi hujus condemnationis non tenetur quis denunciare eum, quem non constat, sed tantùm dubitatur esse hæreticum : ratio est, quia propositio damnata dicebat, quòd quamvis evidenter constet, Petrum esse hæreticum, nulla sit obligatio eum denunciandi; sed quando dubitatur, an sit hæreticus, non constat evidenter : ergo quando du-

dubitatur, an sit hæreticus, non erit obligatio eum denunciandi: Imò quamvis probabiliter judicetur, aliquem esse hæreticum, vi hujus Decreti talis obligatio cessat; quia id, quod est probabile tantùm, evidens non est: ergo si est probabile tantùm, Petrum esse hæreticum, non erit obligatio eum denunciandi virtute hujus Decreti Alexandri VII. Videatur infrà num. 38.

35. Dico tertiò, idem esse intelligendum de omnibus aliis delictis, quæ sapiunt hæresim, & continentur in Edicto Sanctæ Inquisitionis, ita P. Torrecilla super hanc Propos. tract. 6. consult. 17. num. 10. quapropter si constat quempiam incurrisse in aliquod delictum ex iis, quæ continentur in edicto Sacræ Inquisitionis, etiamsi probari non possit, debet denunciari; quia in omnibus his delictis verificatur ad intentum eadem ratio, ac in delicto hæresis; & denunciator nullum ex iis delictis probare tenetur.

36. Dico quartò, in hac propositione non damnari opiniones relatas 1. part. prax. tract. 6. cap. 10. num. 165. & seq. pag. 192. juxta quas delinquens non est denunciandus, nisi præcedat infamia de ejus delicto; neque opinionem asserentem, quòd ante denunciationem facienda sit correctio fraterna, & quòd cesset obligatio denunciandi, quando reus est jam emendatus; nec complex in eodem peccato sit denunciandus; quia juxta propositionem damnatam non tenetur quis denunciare delictum, si probari non possit; hæ autem opiniones eximunt ab ejusmodi obligatione ob alias causas, ut liquet: attamen quamquam putem eas non damnari in hac propositione, tutas tamen esse non reor, & oppositum docui loc. cit. praxis.

37. Dico quintò, neque hìc condemnari opinionem Boanacinæ tom. 1. disp. 6. de denunc. punct. 1. §. 5. num. 1. quæ asserit vi Edicti neminem posse cogi ad denunciandum Reum, cujus delictum sub secreto naturali novit, ut quod novit per solam consultationem præstandam, vel ad remedium adhibendum pro salute animæ, aut corporis, aut honoris, aut pro defensione bonorum externorum; ratio est, quia jus naturale servandi secretum præponderat juri positivo Edicti, propositio autem damnata excusabat à denunciatione ex eo, quòd non posset probari delictum; licèt autem hanc propositionem non fuisse damnatam existimem: in delictis tamen particularibus hæresis, ei non assentior, sed oppositæ cum Palao part. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 10. num. 5. quia jus naturale dictat bonum publicum, quod intendit compescere hæreticos, esse præferendum privato, servandi secretum naturale, propterea in promissione secreti, censetur exceptus ca-

casus, quoties vergit in damnum Reipublicæ, vel tertii.

38. Dico sextò, neque damnari opinionem Bonacinæ ubi suprà §. 4. num. 1. secundùm quam edicta, seu monitoria, quibus jubemur denunciare aliqua, quæ scimus, non obligant ad denuncianda ea, quæ accepimus à levibus personis, seu gente parvi nominis, & æstimationis; imò, quamvis ab aliis fide dignis audiverimus, sed non recordamur, à quo audiverimus, vel si audivimus à personis ignotis, vel à persona nil certum sciente; quia casus condemnationis est valde diversus ab hac opinione, quam tamen non sequor, sed contrariam cum Diana part. 4. tract. 5. resol. 28. quia ad Inquisitores deinde spectat discernere, num persona, à qua ea audita sunt, bonæ sit famæ, vel levis conditionis, & præstare fidem notitiæ, ac ponderare fundamentum denunciationis, ad procedendum postmodùm in facto, & ob eandem rationem, quamvis dixerim num. 34. vi hujus condemnationis non adesse obligationem denunciandi, quando delictum tantùm probabiliter innotescit, hanc tamen doctrinam non sequor, sed contrariam.

PROPOSITIO VI. damnata.

Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.

39. Suppono, Confessarium solicitantem pœnitentem ante, vel post Confessionem ad turpia, vel in Confessionali ad hunc finem simulando Confessionem, denunciandum esse ad Sanctum Inquisitionis Tribunal, ex Decreto, & Bulla Gregorii Papæ XV. quòd si pœnitens hoc non adimpleat, aut Confessarius posteà exaudiens, eum absolvat absque impositione hujus oneris, ambo in excommunicationem majorem incurrunt; ut dixi part. 1. Decalog. tract. 6. cap. 10. num. 157. pag. 190. ubi ex professo de hac materia tractavi.

40. Dico primò, damnatum in propositione sexta est assertum, quòd Confessarius tribuens pœnitenti in confessione Sacramentali chartam posteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non censeatur verè solicitare, ac proinde quòd non sit denunciandus: quod est manifestè falsum, quia conceptus animi verbis, & scriptis manifestantur: sed si Confessarius manifestaret verbis pravam suam intentionem pœnitenti, certò denunciandus esset: ergo idem est dicendum, quando eam manifestat scriptis; quod intelligitur tam de fœminis, quam de viris, ut dixi loc. cit. 1. part prax. num. 161.

41. Dico secundò, non tantùm esse

se denunciandum Confessarium, qui tribuit pœnitenti in Confessione chartam provocantem ad luxuriam, verùm etiam eum, qui ante, vel post confessionem immediatè eam dat, vel etiam, qui in Confessionali, aut in loco, in quo frequenter exaudiuntur Confessiones, vel in situ, ad hunc effectum electo, simulando, aut fingendo Confessionem id exercet: Ratio est, quia is, qui solicitat ad turpia in occasionibus, aut locis relatis, est denunciandus, ut in sua Constitutione decernit Gregorius XV. sed sic est, quòd oblatio chartæ provocantis ad Venerem, in condemnatione hujus propositionis declaretur pro solicitatione: ergo is, qui in occasionibus, aut locis relatis tribuit pœnitenti chartam provocantem ad venerem, Inquisitioni est denunciandus: Notandum tamen, quòd si charta non daretur in locis relatis, nec immediatè, sed mediatè post Confessionem, non esset obligatio denunciandi, v. g. si Confessarius exaudita Confessione pœnitentis exeat ex Ecclesia, & porrigat ei ejusmodi chartam; hæc solicitatio vocatur mediata, ac proinde non inducit obligationem denunciationis: ut dixi loc. cit. Dialogi de solicitante pœnitentem mediatè post Confessionem.

42. Dico tertiò, non damnari opinionem Leandri à Sacramento, part. 1. tract. 5. disp. 13. quæst. 9. quæ dicit, non esse obligationem denunciandi Confessarium solicitantem ad alia delicta non turpia, nec eum, qui in aliis Sacramentis, præterquam Confessionis, ad eandem solicitat: nec opinionem ejusdem Leandri ibid. 38. & 39. juxta quam non est denunciandus laicus, qui simulans se Sacerdotem, selicitat in Confessionali, vel Sacerdos, qui absque potestate Jurisdictionis excipit Confessionem, & in ea solicitat ad turpia. Ego verò licèt existimem, quòd hæc opinio non sit damnata, ei tamen non assentior, & reor, Sacerdotem simplicem solicitantem in Confessione esse denunciandum: ita Diana part. 9. tract. 9. resol. 32. §. Observ. Nec damnatur opinio relata in Dialogo suprà tract. 6. in sext. præcept. cap. 10. n. 168. quòd pœnitens consentiens solicitationi non teneatur denunciare Confessarium, quam doctrinam tamen nec ibi, nec hìc sequor, sed oppositam; ratio nostræ conclusionis est, quia omnes hæ opiniones sunt valde diversæ à condemnatione, ut patet; ergo nulla ex relatis in hac conclusione est damnata, quamvis ut dixi, eas non sequar.

43. Dico quartò (præscindendo modò à condemnatione) denunciandum esse Confessarium, qui in Confessione exigit, & dicit pœnitenti, ut eum amet, vel Confessarium, qui fœminæ sibi confessæ, pœnitentiam imponit, ut ab ipsomet Confessario nuda verberetur, & cùm ad hoc pervenit,

venit, manu propria, aut scutica vapulat ab ipso. Leander ubi supr. quæst. 16. & 17. sic pariter eum qui solicitatus in Confessione à pœnitente solicitationi consentit: Fagundez in 2. præcept. Eccles. lib. 4. cap. 3. num. 56. vel si solicitatus ad peccatum, consentiat solummodo in oscula, & tactus impudicos: Joannes Sanchez in select. disp. 11. num. 28. denunciandus est pariter Confessarius, si solicitet personam confessam, & absolutam, dum eam statim post Confessionem in domum, seu cubiculum suum ducit, ut Confessionis Chirographum tradat, quia iste casus ratione dependentiæ includit Confessionem. Diana ex Sousa part. 4. tract. 5. resol. 11.

44. Dico ultimò in hoc delicto solicitationis, non dari parvitatem materiæ, ac proinde Confessarius, qui in Confessione, seu Confessionali habet cum fœmina leves tactus manus, & contrectationes, aut similia, est denuntiandus; tum quia in rebus venereis non datur parvitas materiæ, tum quia dato, & non concesso, imò negato eandem dari, in occasione tamen & loco adeò sacro, ut est locus destinatus ad Confessionem, neutiquam dari potest: ita cum Fagundez, Escobar de Corro Trullench, & aliis docet Filgueira in hanc propos. pag. 120. in fine.

PROPOSITIO VII. damnata.

Modus evadendi obligationem denunciandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

45. Dico primò, quamvis pœnitens solicitatus à Confessario ad turpia in confessione, vel confessionali confiteatur postmodùm cum eodem Confessario solicitante, non propterea eximitur ab obligatione eundem denunciandi; & oppositum est casus condemnationis in hac propositione 7. à quo onere pariter non liberatur pœnitens solicitatus, tametsi Confessarius solicitans denunciationis onus non imponat: ratio est, quia obligatio denunciandi in hoc delicto provenit ex Decretis Summorum Pontificum: ergo licèt pœnitens confiteatur Confessario solicitanti, ísque denunciationis onus non imponat, ad hoc tamen pœnitens tenetur; Probo consequentiam, quia inferior nequit derogare, seu abrogare obligationem ortam ex lege Superioris: ergo cùm obligatio denunciandi in his delictis ortum ducat ex lege, & Decreto Summi Pontificis, Confessarius tanquam inferior obligationem ex hac lege ortam abrogare, vel derogare nequit.

46. Dico secundò, graviter peccat Confessarius solicitans dicendo pœnitenti, eum non obligari ad ipsum denunciandum, nec propterea pœnitens liber est ab onere denunciancian-

ciandi : primum eſt evidens, quia præſumit abrogare obligationem, & legem in materia gravi absque poteſtate, ſecundum eſt etiam certum; quia contrarium hìc damnatur : Verum eſt poſſe accidere, quòd pœnitens ſolicitatus erroneè & invincibiliter putet, ſe onere denunciandi obſtrictum non eſſe ex dicto ſui Confeſſarii ; & in hoc caſu ſtante bonâ fide, & conſcientia erronea invincibili, ab ejusmodi onere cenſetur immunis.

47. Major difficultas eſt, num damnetur opinio, quòd Confeſſarius ſolicitans non teneatur poſitivè dicere pœnitenti ſolicitato, ut ipsum denunciet ; cujus reſolutionem abſolutam poſt Decretum Alexandri VII. non invenio. Videtur tamen non damnari aſſertum, quòd Confeſſarius ſolicitans non teneatur admonere pœnitentem de ejusmodi obligatione ; quod ſic probatur ; diverſa res eſt dicere : *Pœnitens evadit obligationem denunciandæ ſolicitationis, ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante, qui poteſt ipſum abſolvere absque onere denunciandi*, ac dicere : *Confeſſarius non tenetur dicere expreſsè, & poſitivè pœnitenti ſolicitato ut eum denunciet* ; quemadmodum propoſitiones valde diverſæ ſunt : "Petrus hæreticus poteſt dicere Joanni, conſcio ſui peccati, ne ipſum denunciet, sicque eum liberare ab onere denunciandi : & Petrus hæreticus non tenetur dicere Joanni, cui innoteſcit ſuum peccatum, ut ipſum denunciet :„ Primum eſt illicitum, & improbabile, ſecundum probabile, & licitum : ergo quamvis illicitum, & damnatum ſit, tanquam improbabile aſſertum, quòd Confeſſarius ſolicitans nequeat eximere pœnitentem ſolicitatum, cum eo confitentem ab onere denunciationis, non propterea videtur damnatum aſſertum, quòd Confeſſarius ſolicitans non teneatur dicere pœnitenti, ut ipſum denunciet ; ſiquidem primum valde differt à ſecundo, ut maturè, & attentè conſideranti patebit.

48. Et confirmatur, quia Confeſſarium ſolicitantem abſolvere pœnitentem ſolicitatum absque onere ipſum denunciandi, eſt, hanc obligationem poſitivè ab eo eximere ; quod eſt improbabile, ut dixi num. 45. ſed affirmare, quòd non teneatur ei dicere, ut ipſum denunciet, non eſt ejusmodi obligationem abrogare, ſed ſolùm poſitivè non imponere, ac relinquere pœnitentem cum onere à Decretis Pontificiis impoſito ; quod, ut patet, eſt valde diverſum : ergo quamvis damnetur aſſertum, quòd Confeſſarius ſolicitans poſſit abſolvere pœnitentem ſolicitatum ab onere denunciandi ; non propterea damnatur aſſertum, quòd Confeſſarius ſolicitans non teneatur dicere expreſsè pœnitenti, ut ipſum denunciet.

Præterea ex facultate Confeſſarii ſo-

solicitantis liberandi pœnitentem solicitatum, cum ipso confitentem ab onere denunciationis, quàm plurimis absurdis, & inconvenientibus porta aperiebatur, ac Pontificia Decreta frustratoria reddebantur; quandoquidem quivis Confessarius solicitans potuisset dicere malitiosè pœnitenti solicitato; V. D. mihi confiteatur, & ego eam ab onere denunciandi eximam, & quamvis edicta Inquisitionis legantur, non tenetur me denunciare, nec opus est ulli alteri personæ id communicare, quia ego ab hoc onere eam absolvo: hæc tamen absurda non sequuntur, dicendo, quòd Confessarius solicitans non teneatur dicere pœnitenti positivè, ut ipsum denunciet, siquidem per hoc non absolvit eum ab onere denunciandi, nec pœnitens ab eodem liberatur, quamquam Confessarius id ei non imponat.

49. Confirmatur ulteriùs, quia sententia asserens, quòd pœnitens consentiens solicitationi, & in ea complex non teneatur denunciare (quidquid sit de ejus probabilitate, quam non sum secutus in Dial. part. 1. tract. 6. cap. 10. num. 168. pag. 193.) non est damnata: ergo si non damnatur Sententia asserens, quòd complex non teneatur denunciare suum complicem, quia hoc est virtualiter se ipsum denunciare, neque damnabitur assertio, quòd Confessarius solicitans non teneatur dicere pœnitenti solicitato, ut ipsum denunciet; quia hoc esset saltem virtualiter se ipsum denunciare: quare videtur vi hujus condemnationis, non teneri Confessarium solicitantem dicere pœnitenti solicitato, ut ipsum denunciet: excipe, nisi pœnitens solicitatus interrogaret Confessarium solicitantem, an teneatur ipsum denunciare; tunc enim Confessarius non posset respondere, eum non teneri, quia hic esset casus formalissimè damnatus in hac propositione 7.

50. Dico tertiò, in omnibus his casibus, in quibus ob aliquam circumstantiam excusatur Pœnitens à denunciatione Confessarii solicitantis ad turpia, juxta dicta in explicatione præcedentis propositionis, & relata in Prax. part. 1. tract. 6. cap. 10. in omnibus inquam Confessarius solicitans potest absque violatione hujus condemnationis absolvere pœnitentem solicitatum absque onere ipsum denunciandi: ratio est, quia propositio damnata loquitur, quando pœnitens tenetur denunciare; sed sic est, quòd posita opinione probabili, eum ab hoc onere excusante, non teneatur Confessarium denunciare: ergo posita dicta opinione, Confessarius solicitans potest absolvere pœnitentem absque onere ipsum denunciandi.

PRO-

PROPOSITIO VIII. damnata.

Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.

51. DE stipendio Missæ ex proposito disserui in hoc libro suprà tract. 12. cap. 4. part. 3. num. 144. & sequent. pag. 65. ubi hæc materia fusiùs videri potest; quare hìc solùm necessaria pro intelligentia hujus propositionis damnatæ proponam, & ad majorem claritatem

Suppono primò, extare Decretum Urbani VIII. quod refert Cherubinus in Bullario tom. 4. ad const. 43. Urbani VIII. Bassæus Verb. Miss. 7. & Filgueira in explicatione hujus propos. VIII. pag. 123. & seq. ubi inter alia decernitur, quod Sacerdos pro eadem Missa duplicatum stipendium quantumcunque incongruum, & exiguum accipere nequeat.

52. Suppono secundò, stipendium justum illud dici, quod auctoritate Ordinarii, aut Constitutionis Synodalis est taxatum, & usu receptum in Diœcesi, hocque stipendium non solùm Sacerdotes egenos, verùm etiam divites posse absque simonia accipere, siquidem licèt temporale, quod est stipendium, detur pro Missa, quæ est quid spirituale quia tamen non datur per modum pretii, sed eleemosynæ pro sustentatione Sacerdotis, propterea nec dans, nec accipiens est simoniacus.

53. Suppono tertiò, triplicem esse fructum SS. Sacrificii Missæ; primus dicitur generalis, nimirum is, qui applicatur pro communibus necessitatibus Ecclesiæ, pro summo Pontifice, pro Prælatis, Regibus, & universaliter pro omnibus Fidelibus vivis, & defunctis: secundus fructus est medius, quem aliqui vocant substantialem, alii specialem, & est is, quem habet Sacrificium Missæ ex opere operato, & correspondet meritis Christi, ac pro offerente stipendium ex justitia applicandus: tertius est is, qui dicitur specialissimus, & correspondet meritis ipsiusmet Sacerdotis; quemadmodum qui alia pietatis opera V. G. eleemosynas, jejunia, pœnitentias in gratia exercet, meretur, & satisfacit pro suis, & alienis peccatis hujusmodi bona opera pro aliis offerendo; ita pariter Sacerdos in statu gratiæ celebrans, meretur, & satisfacit; & hæc satisfactio correspondens labori, & exercitio Sacerdotis vocatur fructus specialissimus: porrò hæc est differentia inter hunc fructum, & medium, quod hic obtineatur, etiamsi Sacerdos celebrans non sit in gratia, secùs verò fructus specialissimus.

54. Dico primò, nequit Sacerdos pro eadem Missa accipere duplica-

tum ſtipendium, quantumcunque incongruum & exiguum, licèt pro collatore unius ſtipendii applicet partem mediam fructus, & pro altero collatore partem ſpecialiſſimam correſpondentem celebranti; & contrarium damnatur, ut improbabile, & ſcandaloſum in propoſitione 8. ſic Torrecilla in Conſult. tr. 3. conſult. 9. num. 3. & num. 6. ratio eſt. Quia etſi Alexander VII. loquatur ſolùm de ſtipendio in genere, ſive ſit exiguum, ſive congruum; Urbanus VIII. tamen expreſsè declaravit, quòd duplicatum quantumcumque exiguum pro eadem Miſſa accipi nequeat: ergo cùm Alexander in condemnatione hujus propoſitionis ſequatur Decretum Urbani, evidenter colligitur damnare, ut improbabile poſſe accipi pro eadem Miſſa duplicatum ſtipendium, quamquam incongruum, & exiguum, ſive ab una, ſive à pluribus perſonis.

55. Hinc declarantur damnatæ propoſitiones, aſſerentes, primò quòd Sacerdos poſſit accipere duo, tria, aut tot ſtipendia, quot ſibi neceſſaria eſſent ad ſuſtentationem illius diei; ſecundò quòd non ſolùm poſſit accipere neceſſaria ad propriam, verùm etiam parentum pauperum ſuſtentationem: ratio eſt, quia collator ſtipendii non ſe obligat ad ſuſtentandum tota die Sacerdotem, ſed partem tantùm ſuſtentationis ei ſubminiſtrare: quemadmodum ille qui conducit per horam mercenarium, non tenetur ei ſolvere, quantum ſufficit pro diurna ſuſtentatione: tertiò quòd Sacerdos die feſto poſſit pro eadem Miſſa accipere duplicatum ſtipendium, ac ſi majoris valoris, & laboris eſſet Miſſa Feſtiva, quàm Ferialis. Quartò quòd licitum ſit pro eadem Miſſa plura ſtipendia accipere ad emendos Juris, & Theologiæ libros, ſi Sacerdos Juriſta, vel Theologus ſit; hæ inquam, & hujusmodi opiniones, in quibus, & contra quas eadem ratio, ac in damnata militat, modò ut improbabiles cenſendæ ſunt.

56. Dico ſecundò, non damnatur opinio Marchadi tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 12. doc. 3. num. 7. ſecundùm quam Sacerdos poteſt pro aliis gratis applicare partem fructus ſibi correſpondentis: & ratio eſt, quia propoſitio damnata, dicebat pro hac parte fructus poſſe accipi ſtipendium, hæc autem id non aſſerit, ſed quòd gratis poſſit pro aliis applicari; ergo non damnatur opinio, quòd Sacerdos gratis pro aliis partem fructus ſibi correſpondentis applicare poſſit.

57. Dico tertiò, is, qui liberaliter, & gratuitò offert amico aliqua Sacra celebranda ſecundùm ejusdem intentionem, nequit ſtipendium accipere; etiamſi amicus id accipiat, vel cum iis Miſſis alicui obligationi ex teſtamento, fundatione &c. contractæ ſatisfacere debeat; ratio eſt, quia hoc idem eſſet ac duplicatum pro eadem

Miſſa

Missa stipendium accipere, quod est in hac Propositione damnatum.

58. Dico quartò, in Religionibus, in quibus ex contractu, aut fundatione, aut alia simili obligatione celebrantur Missæ pro Religiosis Fratribus, aut Benefactoribus defunctis, nequit stipendium pro dictis Missis accipi: ratio est, quia supposito contractu, aut obligatione fundationis &c. ex justitia celebrandæ sunt Missæ pro ejusmodi obligationibus: ergo pro his nequit accipi stipendiũ; probatur consequentia; cum unica & eadem Missa duabus justitiæ obligationibus satisfieri nequit, atqui supposito contractu, aut fundatione, ab hac, & stipendio, duplex justitiæ titulus resultat: ergo cum eadem Missa ambobus satisfieri nequit.

59. Dico quintò, non damnatur sententia Bassæi Verb. Missa 7. num. 10. dicentis, pro eadem Missa posse Sacerdotem accipere auctius stipendium, pro obligatione dicendi Missam summò mane, vel ad loca distantia, quia majori labore afficitur; item, quando imponitur ei Missa cum Officio Defunctorum; quia hìc non accipitur augmentum eleemosynæ pro applicatione fructus specialissimi Sacrificii, sed propter laborem seu incommodum antelucano tempore surgendi, canendi, aut ambulandi, quæ sunt pretio æstimabilia, & motiva valde diversa ab opinionis damnatæ intento.

60. Dico sextò Ecclesiæ, loca pia, seu illorum Administratores nequeunt ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retinere expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione v. g. pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint, & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debet excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ & nihilominus eo etiam casu curandum est, ut ex pecuniis, quæ superfunt, expensis ut suprà deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas: Sic decrevit Sacra Congregatio in resolutionibus 7. dubiorum super hanc materiam celebrationis propositorum, quæ sunt annexæ Decreto Urbani VIII. suprà relato num. 51. propterea tamen non conceditur privatis Sacerdotibus hujusmodi facultas, quando prædicta ab Ecclesia non subministrantur: juxta dicta suprà tract. 12. cap. 3. part. 3. sub num. 152. quia hoc Decretum Congregationis, Ecclesiis, piis locis, ac eorum Administratoribus tantummodo favet, & suffragatur.

PROPOSITIO IX. damnata.

Post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

61. SUppono per Decretum Urbani VIII. suprà relatum pariter prohiberi, ne Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur cum certa eleemosyna; v. g. duorum Regalium, per alium satisfacere queat collato illi minore stipendio: v. g. Regali, aut Regali, & medio, alia parte stipendii sibi retenta: *ac similiter* (ait) *omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens prohibet Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.*

62. Dico primò, assertum propositionis damnatæ fuisse, quòd non obstante hoc Decreto Urbani, poterat Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, alia parte sibi retenta: quod meritò, & justissimè damnatur tanquam lucrum iniquum, & abominabile ex re sacrosancta proveniens; vel etiam quia supponitur, quòd Sacerdos nullo titulo possit sibi retinere eam partem stipendii: sed sic est, quòd absque titulo aliquo nunquam sit licitum retinere rem alienam, quinimò est contra justitiam cum onere restitutionis; ergo &c.

63. Dico secundò, quod quamvis Sententia Bordonii apud Filgueiram in Cen. Pontif. pag. 151. citato etiam Torrecilla in 2. impress. consult. tract. 3. consult. 9. diffic. 2. sub. num. 18. §. Advierto lo secundò, asseruerit, quòd Sacerdos committens alteri Missam celebrandam minore stipendio collato, alia parte sibi retenta non peccet mortaliter, sed venialiter absque onere restitutionis, etiam post Decretum Urbani VIII. quod licèt non sequatur Torrecilla, putat tamen cum Prado non esse damnatum ab Alexandro VII. in hoc Decreto: quia inquiunt, propositio damnata asserebat, Sacerdotem posse licitè sibi retinere partem stipendii: opinio verò Bordonii, dicens, peccari venialiter, non affirmat, esse licitum; ergo hæc opinio Bordonii non erit damnata.

Ego autem existimo, hanc opinionem non solùm non posse ad praxim deduci, sed prætereà per Decretum Alexandri condemnari: & ratio est, quia propositiones damnatæ adhibentes hæc verba (est licitum, permissum, potest, &c.) condemnantur secundùm subjectam materiam, ita ut si materia propositionis sit in re gravi, damnetur tanquam grave peccatum, si levis, vel leve, ut dixi

1. part.

1. part. prax. in 4. impressione facta in Burgos, & in impress. 3. facta Cesaraugustæ tract. 11. sub num. 5. & suprà dictum est tract. 10. num. pag. 333. & in aliis modernis impressionibus videri possunt fundamenta hujus doctrinæ: sed sic est, quòd materia hujus propositionis 9. sit gravis: ergo sub peccato quoque gravi damnatur: Minor est certa, quia stipendium Ordinarium unius Missæ, nempe duo Regales, potest esse materia levis, ejusque retentio totalis, vel partialis peccatum veniale: sed propositio damnata loquebatur non de unica Missa in singulari, sed in plurali, in quo sensu etiam loquitur opinio Bordonii (nam si loqueretur de levi quantitate, non esset Dubium de ejus doctrina) ergo materia propositionis damnatæ est gravis: ergo illud potest Sacerdos, tanquam mortaliter, & non tantùm venialiter illicitum damnatur.

64. Multò minùs assentiri possum, Sententiam Bordonii non damnari, quo ad eximendum Sacerdotem ab onere restitutionis, partis stipendii sibi retentæ, collato alteri minore stipendio: quia hæc propositio damnatur velut opposita justitiæ: ergo damnatur tanquam opinio eximens ab onere restitutionis: antecedens probatur; retentio rei alienæ absque titulo, est contra justitiam: sed sic est, quòd in hac propositione declaretur Sacerdoti nullum suffragari titulum pro retentione illius stipendii; ergo declaratur, & damnatur in hac propositione, retentionem illius partis stipendii esse contra justitiam, confirmatur verbis Decreti Urbani VIII. qui hoc reputat, ut damnabile lucrum: sed sic est, quòd lucrum injustum sit contra justitiam, adeóque restituendum: ergo secundùm Decretum Urbani, ea pars stipendii est restituenda: sed Alexander VII. damnat hanc propositionem conformiter ad Decretum Urbani: ergo si in hoc damnatur, ut lucrum damnabile, & contra justitiam retentio illius partis stipendii, idem damnabitur per Decretum Alexandi VII. ergo dicendum est, non tantùm peccare graviter, Sacerdotem sibi retinentem in notabili quantitate eas partes stipendiorum Missarum, quas alteri celebrandas committit cum minori stipendio, sed ulteriùs teneri ad restitutionem.

65. Dico tertiò, non damnantur opiniones suprà adductæ, tract. 12. cap. 4. part. 3. num. 155. pag. 70. asserentes, primò, quòd: Capellanus, cui Fundator stipendium majus ordinario reliquit, possit per alium satisfacere collato illi minore stipendio: secundò, quòd quando ex amicitia, aut intuitu personæ, majus stipendium alicui datum, possit alteri Missas celebrandas committere collato minore stipendio: tertiò, licitum fore, si ille, cui Sacerdos alter Missarum celebrationem committit, scit

ſcit eum largiorem eleemoſynam accepiſſe, & eam ſic ſciens voluntariè cedit, modò tamen id fiat citra pactionem, & intentionem lucri, & omninò ſincerè: ego pro ſtipendio tantum accipio, tibi congruum dabo: vide, an velis; nec etiam hic ille, vel alter hinc inde quæratur, lucrum enim id ſapit, & mercatorium contractum, cujus evitatio eſt motivum intrinſecum Pontificis in his prohibitionibus: ita docet cum Lumbier, Torrecilla ubi ſuprà num. 19. Videatur tract. 12. citatus ubi hæ, & aliæ doctrinæ ad hanc materiam pertinentes habentur.

PROPOSITIO X. damnata.

Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre. Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.

66. HUjus Propoſitionis tres ſunt partes: prima, affirmans non eſſe contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: ſecunda, non eſſe contra fidelitatem promittere danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offerretur, licèt revera offeratur; & tertia, hoc verificari etiam promiſſione juramento firmata, his ſuppoſitis,

67. Dico primò, graviter peccat, qui pro pluribus ſtipendiis unicum Sacrificium offert; & oppoſitum eſt caſus expreſsè damnatus in hac propoſitione: & meritò, quia inter dantem, & accipientem ſtipendium, eſt fermè contractus implicitus, & innominatus, nempe do, ut facias: do ſtipendium, ut facias ſecundùm meam intentionem Sacrificium: do tibi unum ſtipendium, ut unum Sacrum pro me celebres, tibi do duo, tria, aut plura, ut duo, tria, aut plura Sacrificia pro me offeras: ſed contra juſtitiam eſt non obſervare contractus, vel quaſi contractus: ergo contra juſtitiam delinquit Sacerdos, qui pro pluribus ſtipendiis unicum Sacrificium offert; & hoc intelligendum eſt, non ſolùm de ſtipendiis congruis, ſed etiam de exiguis, & incongruis.

Hinc infertur, quòd Sacerdos pro pluribus ſtipendiis unicum Sacrificium offerens, teneatur reſtituere vel Domino ſtipendium, aut per ſe, vel per alium tot Sacrificia offerre, quot fuerunt accepta ſtipendia; quia pro pluribus ſtipendiis unicum Sacrificiū offerre eſt contra juſtitiam, non utcunque, ſed contra juſtitiam commutativam; ita cum Averſa, Filgueira ſuper hanc Propoſitionem 10. ſed qui operatur contra juſtitiam commutativam tenetur ad reſtitutionem: ergo Sacerdos pro pluribus ſtipendiis unicum Sacrificium offerens, tenetur ad reſtitutionem.

68. Dico ſecundò, ejuſmodi Sacer-

cerdos non solùm peccat contra justitiam, verùm etiam contra fidelitatem, si post promissionem danti stipendium factam, quòd pro eo tantùm Sacrificium offeret, pro alio etiam celebret: ratio est, quia violatio justæ promissionis est contra virtutem fidelitatis: sed in hoc casu violatur justa promissio: ergo hæc violatio est contra virtutem fidelitatis.

69. Dico tertiò, si hæc promissio sit juramento firmata, ejusdem violatio non solùm est contra virtutem fidelitatis, sed etiam contra virtutem Religionis, ratio est, quia virtus Religionis præcipit, ut adimpleantur vota juramento firmata; ergo qui non adimplet justam promissionem juramẽto firmatam, hanc virtutem offendit; Et si hujusmodi promissio fiat absque animo eam adimplendi, grave perjurii peccatum incurritur, quamvis alioquin materia esset levis: ratio est, quia defectus veritatis de præsenti in juramento promissorio peccatum mortale perjurii est, etiamsi materia sit levis: sed veritas de præsenti est intentio adimplendi promissionem juramento firmatam: ergo qui non habet intentionem adimplendi promissionem juramento firmatam est perjurus, & graviter peccat, quamvis aliàs materia esset levis.

Attamen si in promissione offerendi Missam pro solo dante stipendium habeatur par intentio, & postmodùm mutata voluntate non adimpleatur; si materia est ordinarium stipendium unius Missæ in Sententia supra relata tract. 12. cap. 4. part. 3. n. 176. pag. 80. part. 2. posterior violatio juramenti emissi non esset mortale secundùm sententiam probabilem; secùs verò si materia esset gravis, ratio est, quia defectus veritatis de futuro in juramento promissorio si materia est gravis, est mortale, si levis, probaliter, est veniale, vide Bassæum Verb. Juramentum 4. num. 3. sed sic est, quòd veritas de futuro in juramento promissorio sit adimpletio realis talis juramenti: ergo qui id non adimplet, graviter peccat, si materia est gravis, & leviter, si materia est levis

70. Dico quartò, in hac propositione non damnatur opinio, secundùm quam Sacerdos, postquam promisit danti stipendium, quòd pro nullo alio sacrificium offeret, potest partem specialissimam fructus sacrificii sibi propriam pro se, aut pro alio applicare: ratio est, quia is, qui promittit Sacrificium collatori stipendii, solùm promittit pro eo applicare id, quod tenetur ex justitia, sed quod tenetur ex justitia est pars media, seu substantialis fructus, non verò pars correspondens celebranti: ergo hanc pro se, vel pro alio poterit applicare, etiamsi promiserit danti stipendium, quòd pro nullo alio offeret: pro hac tamen parte specialissima correspondente Sacerdoti, aliud stipendium accipi nequibit, cùm hoc sit damnatum in propositione, 8.

PROPOSITIO XI. damnata.

Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

71. Suppono primò in Confessione Sacramentali aliqua peccata absolvi, & remitti directè, alia indirectè: Directè absolvuntur, & remittuntur ea peccata, quæ expressè Confessioni subjiciuntur, modò in pœnitente non sit obex id impediens: indirectè remittuntur peccata omissa in Confessione, aut ex oblivione naturali, aut ob aliam justam causam, ob quam liceat dimidiare Confessionem: v.g. causa justa dimidiandi Confessionem est periculum mortis, in quo infirmitas non dat tempus exprimendi omnia peccata; vel quando in casibus reservatis non est facilis recursus ad Superiorem, & instat præceptum, seu obligatio communicandi, aut celebrandi, vel quando peccatum, aut ejus circumstantia est reticenda, ne Confessarius veniat in cognitionem complicis.

72. Suppono secundò: peccata indirectè remissa in Confessione esse aperienda cùm commodè fieri potest; secùs verò directè remissa; posseque contingere, quòd peccata nec directè, nec indirectè sint remissa absque obligatione ea iteratò confitendi; ut contingit in Sententia, admittente Sacramentum validum, & informe; nempe quando pœnitens confitetur omnia sua peccata, & ob aliquem obicem Sacramentum est informe, & simul validum; huic inquam non remittuntur pro tunc peccata, & nihilominus non tenetur ea iteratò confiteri, sed ablato obice ea remittuntur, & Sacramenti fructus percipitur.

73. Dico primò, peccata omissa ex oblivione naturali, vel ob instans periculum vitæ, vel ob aliam justam causam tenemur in sequenti Confessione exprimere, & contrarium damnatur in hac propositione tanquam scandalosum, & practicè falsum: ratio est, quia integritas Confessionis est de jure Divino, vi cujus tenemur confiteri omnia, & singula peccata specie, & numero, post debitam & diligentem eorum præmeditationem; ut constat ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. & Canon. 8. sed qui ex oblivione, aut ob aliam justam causam omisit in Confessione aliqua peccata, hanc legem non adimplevit: ergo in Confessione sequenti ea exprimere tenetur.

74. Dico secundò, non damnatur opinio juxta quam is, qui ex oblivione, aut ob aliam justam causam omisit aliquod peccatum in annua Confessione, non tenetur id confestim confiteri, sed potest differre, usque dum instet præceptum annuæ Confessionis, vel periculus mortis, aut

præ-

præceptum Communionis, sic Torrecilla super hanc propos. 11. Filgueira super eandem propos. in fine: ratio est, quia sensus propositionis damnatæ fuit, quòd non teneamur confiteri peccata omissa, seu oblita ob justam causam: hæc opinio autem hoc non asserit, sed quòd possint differri usque ad instans præceptum annuæ Confessionis: ergo hæc opinio non damnatur: Verùm, etsi Filgueira damnatam non esse censeat; ei tamen non adhæret, quia inquit, peccata omissa, seu oblita in annua Confessione per se pertinent ad talem Confessionem, adeóque ad eam perficiendam, necessarium est ea immediatè confiteri, quàm primùm memoriæ, aut commoditati proponentur videantur circa hoc dicta 1. part. Prax. pag. 3. num. 4.

75. Dico tertiò, neque damnatur opinio, asserens, quòd is, qui confitetur decem peccata mortalia absque plurium recordatione, & addens, ea verba parùm plùs aut minùs quamvis postmodùm reminiscatur peccata fuisse duodecim numero, non teneatur hæc duo peccata confiteri: neque opinio affirmans, quòd in accusatione centum peccatorum, dicendo parùm plùs, vel minùs non teneatur pœnitens confiteri quatuor, aut quinque alia peccata memoriæ occurrentia: Videatur Leander à Sacramento part. 1. tract. 5. disp. 5. quæst. 10. & 15. Probatur conclusio, quia in propositione damnata sermo erat de peccatis non confessis, atqui hæ opiniones non loquuntur de peccatis non confessis, sed supponunt expressa, & confessa cum addito plùs, minúsve: ergo hæ opiniones non damnantur: Et à fortiori neque damnatur opinio, juxta quam confessus vigesies, inveniens posteà se tantùm decies illud peccatum commisisse, non tenetur numerum retractare: nam id pœnitens fecit bona fide, & Confessio fuit integra, cùm in numero majori contineatur minor: Sic Bassæus Verb. Confessio Sacramentalis 4. num. 20. Neque damnatur opinio Sanchez in select. disp. 41. num. 18. quòd is, qui peracto sufficienti examine omnia peccata memoriæ occurrentia confessus est, non teneatur postmodùm instituere examen de præterita vita, utrùm vel ne aliquod peccatum omiserit: quia hæ opiniones, ut patet, valde discrepant à propositione damnata.

76. Dico quartò, neque damnatur doctrina adducta 1. part. hujus prax. tract. 2. cap. 1. num. 10. pag. 36. & tract. 6. cap. 1. sub n. 6. pag 117. nimirum, quòd is, qui in Confessione non potest exprimere certum, & determinatum numerum peccatorum, satisfaciat, si se accuset de habitu, & consuetudine peccandi, & consequenter si recordetur de tali, aut tali individuo peccato, non teneatur id confiteri: ratio est, quia in

ea accusatione habitus includitur peccatum posteà occurrens, & directè remissum, quod valde differt ab asserto propositionis damnatæ, quando meretrix omnibus fuit exposita, & concubinarius tenuit concubinam tanquam uxorem, si numerus certus peccatorum haberi non possit à Confessario sufficiet tempus explicare, quo concubinarius permansit in concubinatu, utendo concubinâ loco uxoris, & meretrix in meretricio; tenetur tamen meretrix quantum potest, exprimere species, & circumstantias mutantes speciem, ut toties cum conjugatis, vel clericis Sacrorum Ordinum, vel contra naturam &c. Bassæus supr. num. 21.

PROPOSITIO XII. damnata.

Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

77. Suppono primò, aliquos casus Jure communi esse Episcopis reservatos, & alios jure particulari: Jure communi reservantur Episcopis casus reservati Papæ, quando sunt occulti; & jure particulari sunt reservati Episcopis ii, quos ipsimet sibi reservant in, aut extra Constitutiones Synodales; cum hoc discrimine, quòd casuum reservatorum in Constitutionibus Synodalibus perseveret reservatio etiam mortuo Episcopo, aut ad alium Episcopatum translato, sed reservatorum extra Synodum per particulare Decretum cessat reservatio defuncto, aut derelinquente Sedem Episcopo; & in hoc secundo sensu non solùm Confessarius Regularis, verùm etiam quivis approbatus poterit ab iis absolvere, modò noviter non reserventur.

Suppono secundò, quemlibet Confessarium posse à reservatis absolvere, obtenta ad id Episcopi facultate, absque transgressione hujus Decreti Alexandri VII.

78. Suppono tertiò, Religiosos Mendicantes à Pontificibus, Sixto, Urbano, Eugenio Quarto, & Julio Secundo obtinuisse privilegium absolvendi à casibus reservatis Episcopis, ita docent Miranda, & Rodriquez citati in propriis locis à Filgueira in censur. Pontific. pag. 161. & 162.

Suppono quartò, inter Regulares esse communicationem privilegiorum, ita ut plures Religiones non mendicantes gaudeant privilegiis Mendicantium; & hi gratiis, indultis, & privilegiis aliorum Ordinum Mendicantium & nō mendicantiū; ut videri potest in Bassæo verb. Privileg. 5. & in supplemento, ubi refert varias conclusiones Summorum Pontificum.

79. Dico primò, Mendicantes nequeunt absolvere à casibus reservatis Episcopis, non obtenta ad id Episcoporum facultate, cujus oppositum damnatur in hac propositione 12.

&

& consequenter cæteri Regulares, qui per participationem privilegiorum Mendicantium poterant olim absolvere à dictis casibus reservatis, modò eorundem vigore non possunt; quia cessāte principali, cessat accessorium: ergo cùm cessaverint, & sublata fuerint hujusmodi privilegia Mendicantium, quibus primariò, & principaliter concessa fuerunt, neque cæteri Regulares ob generalem participationem, in qua sunt quasi ipsis accessorii, iis uti, potiri, & gaudere poterunt.

80. Dico secundò, hæc propositio damnata solùm loquitur de casibus, quos jure ordinario sibi reservant Episcopi, non verò de reservatis iisdem jure communi; proindéque non damnatur opinio, quòd Mendicantes possint absolvere à casibus jure communi reservatis Episcopis: ita cum aliis tenet Moya in suis select. tom. 1. tract. 3. disp. 8. quæst. 6. §. unico num. 16. & 17. Lumbier in fragm. tom. 2. num. 623. & 731. & Torrecilla super hanc Propos. Consult. 2. n. 3. idem asserit cum Cursu Morali, & Prado: & ratio est, quia in Propositione damnata sermo est de illis casibus, ad quorum absolutionem Episcoporum facultas requiritur, ut ex eadem colligitur; Sed sic est, quòd Mendicantes non indigeant hujusmodi facultate pro absolutione casuum Papalium (cùm à Summo Pontifice ad id habeant facultatem) non solùm quando sunt occulti, sed etiam publici, ut inquiunt Moya, Lumbier, & Torrecilla, exceptis casibus publicis Bullæ Cœnæ (ibid. num. 8.) ergo Mendicantes absque transgressione condemnationis Alexandri VII. possunt absolvere à casibus Papalibus jure communi Episcopis reservatis.

81. Dico tertiò, neque damnatur assertum, quòd Mendicantes vi Bullæ Cruciatæ possint absolvere à casibus etiam jure particulari Episcopis reservatis: Ita cum Cursu Morali, & Prado docet Torrecilla ubi suprà num. 10. in secunda impressione: ratio est, quia secundùm propositionem damnatam, Mendicantes vi suorum Privilegiorum possunt absolvere: secundùm nostram autem conclusionem vi Bullæ Cruciatæ, per quam conceditur facultas absolvendi ab omnibus casibus jure particulari Episcopis reservatis: ergo non damnatur assertum, quòd Mendicantes ex privilegio Bullæ Cruciatæ à prædictis casibus absolvere valeant.

82. Dico quartò, in hac propositione non damnantur, nec revocantur Privilegia Mendicantium dispensandi, vel commutandi vota, & juramenta, aut dispensandi in impedimento petitionis debiti cum eo, qui voto castitatis obstrictus contraxit matrimonium, aut post contractum matrimonium consanguineam uxoris in primo, aut secundo gradu consanguinitatis cognovit: Ratio est, quia

in propositione damnata agebatur de casibus reservatis, nos autem dicimus de votis, juramentis, & aliis valde diversis: ergo condemnationi non subjacet opinio, quòd Mendicantes uti possint suis Privilegiis in ordine ad commutationem, & dispensationem votorum, juramentorum, ac petitionis debiti.

83. Dico quintò, nec videtur in hac Propositione damnata comprehendi opinio, quòd Mendicantes possint absolvere à censuris reservatis Episcopis, hócque infero ex doctrina Megalæ, apud Dianam part. 3. tract. 2. resol. 13. quæ dicit, Decretum Clementis Octavi auferens à Regularibus facultatem absolvendi à casibus reservatis Episcopis, non prohibere, quin possint absolvere à censuris iisdem reservatis: ergo etiamsi per hoc Decretum Alexandri damnetur, quòd Mendicantes possint absolvere à casibus reservatis Episcopis, non tamen damnabitur, quòd possint absolvere à censuris iis reservatis, nam à diversis non fit illatio: verumtamen hanc doctrinam non sequor, quantumlibet ob dictam rationem non videatur damnata.

84. Et si quis quæreret, an Religiosi non Mendicantes possint absolvere à casibus jure particulari Episcopis reservatis virtute suorum privilegiorum, cùm id non habeant per participationem privilegiorum Mendicantium; Propono hoc dubium tantummodo curiositatis, & ingenii gratia, non quòd affirmem, aut sequar rationes, & discursus mox referendos, sed ad doctos, & pios Authores meum judicium remittendo. Videtur igitur, quòd si Religiosi non Mendicantes haberent aliquod proprium & peculiare privilgium absolvendi à casibus jure particulari Episcopis reservatis, possint eo uti non obstante Decreto Alexandri VII. & ratio est, quia hoc Decretum loquitur solùm de Religiosis Mendicantibus ergo non debet extendi ad non Mendicantes: consequentia probatur; quia odiosa non sunt amplianda, sed restringenda; hæc condemnatio est odiosa, ergo non est extendenda ad eos, quos non exprimit: sed non exprimit Religiosos non Mendicantes, ergo ad hos non est extendenda.

85. Dicet aliquis, esse Decretum Urbani Octavi Romæ emanatum 17. Novembris 1628. omnibus Regularibus generaliter interdicens absolutionem casuum reservatorum Episcopis: ergo dato, & non concesso, quòd hoc Decretum Alexandri VII. non extenderetur ad non Mendicantes, ex sola prohibitione tamen Urbani Octavi dicendum est, eos non posse absolvere à casibus reservatis Episcopis. Respondeo, non obstante Decreto Urbani VIII. Leandrum, & Hurtadum docuisse, teste Filgueira in cens. Pontific. pag. 163.

163. §. quo, Regulares posse absolvere à prædictis; cum Filgueira idem asserit Vitalis, apud Dianam part. 10. tract. 13. resol. 22. & addit Bassæus hoc Decretum Urbani solùm vigere in Italia, ac Hurtadum dubitare, utrùm promulgatum, & receptum fuerit in Hispaniis: ergo juxta hos Doctores Decretum Urbani VIII. non obstat, quin Regulares possint à casibus reservatis Episcopis absolvere: ergo si Decretum Alexandri Septimi in hac propositione 12. non extenditur ad non Mendicantes, videtur sequi, quòd hi possent vi alterius privilegii id concedentis à casibus Episcopis reservatis absolvere.

Ex qua doctrina videtur posse inferri, quòd etiam Mendicantes possent ab ejusmodi casibus absolvere, casu quo non Mendicantes ad id privilegium proprium, & peculiare haberent, quia cùm Mendicantes habeant Bullam participationis, vi hujus gaudent privilegiis non Mendicantium, ut suprà dictum est num. 78. ergo cùm Mendicantes juxta tenorem hujus propositionis 12. damnatæ non possint virtute suorum privilegiorum à casibus reservatis Episcopis absolvere, videtur id posse per participationem privilegiorum non mendicantium, supposito hujusmodi privilegio iis concesso.

Hæc volui dicere per modum argumentationis, non verò ex eo, quòd hanc doctrinam sequar, aut eam probabilem censeam, aut consulam, tum ob supradictas rationes, tum quia extat aliud Decretum Clementis Decimi in Constitutione, quæ incipit Superna &c. quam refert Bullarium Magnum tom. 5. pag. 494. ejúsque mentionem facit Lumbier tom. 2. sum. num. 1180. & seq. & tom. 3. num. 1699. & Torrecilla in suis Consult. Moral. tract. 2. consult. 4. num. 12. & seq. quod Decretum ita loquitur: *Ex facultatibus per mare magnum, aliàve privilegia Regularibus cujuscumque Ordinis, instituti, aut Societatis, etiam JESU, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis*: P. Torrecilla tamen suprà num. 30. dicit, quòd in Hispaniis non fuerit acceptata hæc Constitutio Papæ Clementis Decimi, saltem universaliter, quo ad punctum facultatis Monialium subditarum Ordinario confitendi Regularibus; licèt non dicat, quo ad nostrum punctum: addit tamen eod. tract. Consult. 5. in 2. impressione, quòd in publicatione dicti Decreti Matriti facta, pro ejusdem quoque executione supplicatum fuerit, sed cùm de hoc authenticè non constet, & constet de Decreto, huic standum est.

PROPOSITIO XIII. damnata.

Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

86.

86. Suppono primò, post Concilium Trid. sess. 25. cap. 15. de reformat. ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ præter Ordinem Presbyteratus, necessariam esse approbationem Ordinarii; hancque approbationem esse testimonium authenticum sufficientiæ Sacerdotis pro hoc munere subeundo.

Suppono secundò, hanc approbationem requiri non solùm in Sacerdotibus Sæcularibus, verùm etiam in Regularibus, ut subditorum Episcopi confessiones excipere queant, ad excipiendas verò Confessiones aliorum Regularium non requiritur approbatio Episcoporum, sed Prælatorum suorum respectivè.

Suppono tertiò, quòd Regulares, quamvis ejusmodi approbatione pro excipiendis Confessionibus sæcularium indigeant, jurisdictionem tamen immediatè à Pontifice accipiant, posita tanquam conditione approbatione Episcopi.

87. Dico primò, is qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato, non satisfacit præcepto annuæ Confessionis, & Sententia oppositum adstruens damnata manet per hoc Decretum Alexandri VII. & meritissimè, quia licèt Regularis potestatem jurisdictionis immediatè à summo Pontifice habeat; approbatio tamen Episcopi pro ejusdem executione, tanquam conditio necessaria requiritur: ergo sive justè, sive injustè deneget Episcopus approbationem, Regularis Jurisdictionem exercere absolvendo nequit: ergo Confessiones ipsi factæ erunt nullæ: subsumo; atqui per nullam Confessionem non satisfit præcepto annuæ Confessionis, ut ex sequenti propositione patebit: ergo qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, & ab eo injustè reprobato, annuæ Confessionis præcepto non satisfacit.

Exhinc damnata declaratur opinio, quam docet Fagundez in 2. præcepto Eccles. lib. 7. cap. 2. num. 15. plerique alii pariter docuerunt dicentes, quòd Regularis idoneus injustè reprobatus ab Episcopo possit exaudire Confessiones, ac si esset approbatus; quia si talis Regularis reprobatus posset tanquam approbatus eas exaudire, etiam Confessiones cum eo factæ forent validæ: ergo per ipsas posset satisfieri præcepto annuæ Confessionis: sed sic est, quòd hoc sit damnatum: ergo pariter damnatur opinio, quòd Regularis idoneus reprobatus injustè ab Episcopo, possit velut approbatus exaudire Confessiones.

88. Dico secundò, non condemnatur opinio, affirmans primò, Regulares confitentes cum aliis suis Ordinis à prælatia ad excipiendas Subditorum Confessiones deputatis, satisfacere præcepto annuæ Confessionis: secundò, Regulares extra Monasterium existentes cum licentia suorum Prælatorum, confitentes cuilibet Sacer-

cerdoti Regulari, aut sæculari approbato ab Episcopo, eidem præcepto satisfacere: quia Regulares, quamvis non sint subditi Episcopo, indigent tamen Confessario ab eo approbato pro adimplendo præcepto annuæ Confessionis: idem tenet Cursus Moralis cum Prado de Novitiis, & famulis commensalibus Regularium, quia Novitii, & ejusmodi famuli in favorabilibus veniunt nomine Regularium.

89. Dico tertiò, nec damnantur opiniões dicentes primò, quòd Regularis approbatus ad audiendas tantùm virorum, & non fœminarum confessiones, ex eo, quòd quadragesimum annum non pertigerit, possit earum quoque Confessiones audire. Secundò, quòd Regularis pro tempore determinato approbatus, possit eo elapso virtute Bullæ, aut Jubilæi eligi in Confessarium: tertiò, quòd Regularis approbatus posita injusta revocatione licentiæ Ordinarii possit nihilominus vigore Bullæ exaudire; videatur Torrecilla ubi sup. num. 33. & sequent. ratio est, quia propositio damnata supposuit Regularem nulla approbatione gaudere, atqui hæ opiniones aliquam benè supponunt: ergo non damnantur, quamvis ego non assentiar; quòd pro determinato tempore approbatus, vel revocatiõis sententiam passus, sit transacto illo tempore per Bullam, aut Jubilæum eligibilis.

Ex quo infertur, quòd approbatus in uno Episcopatu absque transgressione hujus condemnationis, per Privilegium Bullæ sit eligibilis in Confessarium in alio Episcopatu: vel juxta Sanchez de Matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 34. n. 2. & alios, quòd approbatus in una Diœcesi possit extra ipsam excipere Confessionem subditi Episcopi, qui eum approbavit, seclusa etiam licentia Ordinarii loci, in quo est de præsenti. Advertendum tamen quòd licèt hæ duæ propositiones non damnentur per Decretum hìc explicatum, fuerunt tamen damnatæ per Bullam Clementis X. quæ incipit: Superna &c. & postremò, Sanctitas Innocentii XII. eas damnavit tanquam temerarias, erroneas, & scandalosas per Bullam emanatam 19. Aprilis Anno 1700. quæ incipit: Cùm sicut non sine gravi animi dolore &c. Ubi fertur sententia excommunicationis reservatæ Summo Pontifici contra præsumentes eas docere, defendere, edere, prædicare: Nec damnatur assertum, quòd Pœnitens qui habet sola peccata venialia, confitens Regulari reprobato ad Episcopo, satisfaciat præcepto annuæ Confessionis.

90. Dico quartò, condemnationi non subjacet sententia, juxta quam is, qui confitetur Regulari sine licentia sui Prælati præsentato, & approbato ab Episcopo validè confitetur: ut inquit Diana part. 1. tract. 11. resol. 13.

13. & consequenter per talem Confessionem præcepto annuæ Confessionis satisfecit, quia propositio damnata loquitur de Regulari reprobato ab Episcopo: sed hæc opinio non loquitur de reprobato, sed approbato; ergo hæc opinio non est damnata: Nihilominus quamquam hoc verum sit, opponitur tamen Constitutioni Julii III. tenoris sequentis: *licentias audiendi Confessiones emanatas ab Episcopis esse nullas, si sine Superioris consensu impetrentur*. Præterea talis Regularis peccat, aut mortaliter, ut absolutè tenet Peregrinus vel ut rectiùs dicit Megala apud eundem Dianam ibidem. hoc determinandum esse ex vi suæ Regulæ, & Constitutionum, quæ si ad mortale obligant, mortaliter talis Confessarius peccabit, si ad veniale tantùm venialiter.

PROPOSITIO XIV.
damnata.

Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

91. SUppono primò, Confessionem posse esse nullam, vel defectu Confessarii, vel defectu pœnitentis: defectu Confessarii quidem; si caret Jurisdictione absolvendi à peccatis confessis, aut formam absolutionis vel non proferat, vel sine debita intentione: Defectu pœnitentis, si ex malitia aliquod grave peccatum, vel aliquid essentiale omittat.

Suppono secundò, Confessionem posse esse nullam, quo ad valorem, & effectum simul, vel tantùm quo ad effectum, ut in Sacramento valido, & informi juxta Sententiam id docentem.

92. Dico primò damnatum in propositione 14. est assertum, quòd faciens Confessionem voluntariè nullam, satisfaciat præcepto Ecclesiæ, nam licèt aliquibus præceptis satisfieri possit per actum malum ex accidenti: v. g. is, qui audit Missam ex vanitate, aut ad eam audiendam pergit ad Ecclesiam animo videndi personam turpiter amatam, satisfacit præcepto Ecclesiæ audiendi Missam; hoc tamen non potest habere locum in eo, qui voluntariè nullam facit Confessionem, & ratio disparitatis est, quia Ecclesia solùm præcipit essentiam audiendi Missam; is, qui eam audit, aliunde peccans, audit essentialiter Missam: ergo satisfacit huic præcepto; sed de essentia Confessionis est validitas: ergo qui hanc voluntariè nullam facit, præcepto Ecclesiæ satisfacere nequit. Hinc damnata venit opinio, quam probabilem putavit Bassæus Verb. Confessio Sacramentalis 1. num. 13. nempe, quòd publicus Usurarius, aut meretrix, confitentes sine proposito relinquendi occasionem proximam, adeóque dimissi absque absolutione, satisfaciant præcepto Confessionis annuæ; quia hujusmodi personæ (idem dico de aliis in occasione proxima constitutis) fa-

faciunt Confessionem voluntariè nullam: ergo nec præcepto Ecclesiæ satisfaciunt: consequentia est certa, antecedens probatur; quia dictæ personæ voluntariè nolunt relinquere occasionem proximam peccandi: atqui nolens voluntariè relinquere occasionem proximam peccandi, facit Confessionem voluntariè nullam: ergo tales personæ faciunt Confessionem voluntariè nullam, minor probatur; Confessio voluntariè nulla, ea est, quæ voluntariè fit sine proposito emendationis: atqui is, qui voluntariè renuit relinquere occasionem proximam peccandi, voluntariè non habet propositum emendationis: ergo qui voluntariè renuit relinquere occasionem proximam, facit Confessionem voluntariè nullam.

Ex quo infertur, absolutum absque proposito relinquendi occasionem proximam non satisfacere præcepto annuæ Confessionis: ratio est, quia, qui non habet propositum derelinquendi occasionẽ proximam voluntariam, nec habet voluntariè propositum emendationis: sed qui voluntariè non habet propositum emendationis, facit Confessionem nullam: ergo qui confitetur sine proposito derelinquendi occasionem proximam voluntariam, non satisfacit præcepto Ecclesiæ, etiamsi Confessarius eum absolvat vel ex ignorantia, vel ex alio respectu: Verùm, si occasio peccandi esset involuntaria, propter eam præcisè absolutus sine proposito eam derelinquendi, satisfaceret præcepto Ecclesiæ, nisi ob aliam circumstantiam faceret Confessionem voluntariè nullam.

93. Dico secundò, non damnatur assertio, quòd satisfaciat præcepto Confessionis is, qui eam facit nullam, non sua culpa, sed Confessarii, vel carentis Jurisdictione, vel non proferentis verba absolutionis, aut sine debita intentione, modò pœnitens hos defectus ignoret: ratio est, quia juxta propositionem damnatam, qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ: sed sic est, quòd in nostro casu pœnitens non facit Confessionem voluntariè nullam, sed involuntariè nullam, sed involuntariè, cùm ignoret causam nullitatis: ergo hæc assertio non est damnata. Verum est, quòd si pœnitens postmodùm sciret suam Confessionem fuisse nullam, teneretur iteratò confiteri ea peccata, à quibus nec directè, nec indirectè fuit absolutus, & si novit Confessarium carere Jurisdictione, non satisfacit præcepto, cùm Confessionem voluntariè nullam faciat.

94. Dico tertiò, neque damnatur assertio, quòd satisfaciat præcepto, qui facit Confessionem validam, & informem: ita Lumbier tom. 2. sum. num. 735. Torrecilla in Consult. tract. 2. consult. 10. num. 13. & probatur, quia qui facit Sacramentum validum, licèt informe, non facit

Confeſsionem voluntariè nullam; ſed juxta propoſitionem damnatam ſatisfacit præcepto, qui facit Confeſsionem voluntariè nullam: ergo non damnatur aſſertio, quòd ſatisfacit præcepto qui facit Confeſsionem validam, ſed informem.

Quod verificatur non ſolùm, quando Confeſsio eſt informis ex defectu extenſionis doloris ad omnia peccata mortalia, verùm etiam quando eſt informis ex defectu integritatis, quod accidit, quando omittitur aliquod peccatum ex negligentia etiam culpabili, modò non ſit craſſa, aut ſupina, aut directè voluntaria, in quo caſu admittit Confeſsionem validam, & informem Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 3. §. Sed eſt hic.

95. Dico quartò, qui facit Confeſsionem voluntariè nullam, quando inſtat ejus præceptum, incurrit in excommunicationem latam in aliquibus Epiſcopatibus contra non ſatisfacientes præcepto Eccleſiæ; ratio eſt, quia, qui facit Confeſsiōem voluntariè nullam, non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ: atqui Excommunicatio fertur contra tales: ergo qui facit Confeſsionem voluntariè nullam, excommunicationem incurrit: Torrecilla tamen ubi ſuprà num. 21. contrarium probabile cenſet cum Diana, Baſſæo, & aliis. Ex hac concluſione infertur, non abſolutum, ob impedimentum occaſionis proximæ voluntariæ, incidere pariter in hanc excommunicationem, cùm hic non ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, idem eſt, de malè abſoluto ob eandem occaſionem voluntariam, non verò, quando eſt abſolutus cum occaſione involuntaria; neque incurrit dictam excommunicationem, qui facit Confeſsionem nullam ex defectu non ſuo, ſed Confeſſarii, quod totum deducitur ex ſupradictis num. 91. 92. & 93.

96. Dico quintò, non damnatur aſſertio, quòd ſatisfaciat præcepto annuæ Confeſsionis, qui omittit aliquod peccatum, putans erroneè non eſſe mortale, quamvis error eſſet vincibilis: ratio eſt, quia juxta propoſitionem damnatam ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, qui facit Confeſsionem voluntariè nullam: ſed probabile eſt, quòd omittens aliquod peccatum cum conſcientia erronea etiam vincibili ſibi viſum non mortale, non faciat Confeſsionem nullam: ergo non damnatur aſſertio, quòd ſatisfaciat præcepto annuæ Confeſsionis, omittens aliquod peccatum, quod cum conſcientia erronea etiam vincibili putat non eſſe mortale: minor probatur, quia probabile eſt, quòd omittens cum ignorantia etiam vincibili aliquod peccatum, quod erroneè putat non eſſe peccatum, vel non eſſe mortale, non teneatur iterare Confeſſiones, in quibus illud omiſit, ſed ſufficiat ſe accuſare de peccato omiſſo: ita cum Navarro, Vaſquez, & aliis Diana part. 3. tract. 4. cui

resol. 108. & ego iisdem terminis docui 1. part. prax. tract. 10. num. 13. pag. 336. ergo cùm probabile sit in hoc casu, non adesse obligationem reiterandi Confessiones, sequitur, fore probabile, tales Confessiones non esse voluntariè nullas, & consequenter non comprehendi in condemnatione nostram conclusionem, cujus doctrinam impugnat P. F. Emanuel à Conceptione in suo tract. de poenit. disp. 2. quæst. 23. num. 295. sed cùm ejus objectionibus adæquatè responderim 1. part. hujus prax. tract 10. n. 14. & seq. pag. 336. videantur ibi dicta.

PROPOSITIO XV. damnata.

Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

97. Suppono primò, pœnitentiam à Confessario pœnitenti impositam, aliam esse medicinalem, aliam satisfactoriam. Medicinalis est, quæ imponitur ad cavenda peccata, & futuros relapsus, ac pœnitentem ab animæ infirmitate præservandum; satisfactoria est, quæ imponitur pro peccatis confessis, & extinguendo reatu pœnæ ipsis debito: de pœnitentia medicinali non est dubium, quòd teneatur pœnitens eam per se ipsum facere; quia si pœnitenti imponitur, ut jejunet, carnem suam maceret ad rebelles suas passiones subjugandas, nequit hic effectus haberi, etiam si alius loco pœnitentis jejunet.

Suppono secundò, pœnitentiam, seu satisfactionem in voto esse partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, non verò in re: v. g. animus, & intentio acceptandi pœnitentiam justam, & rationabilem à Confessario imponendam, est pars essentialis Sacramenti, ac proxima ejus materia, ita quòd absque hoc animo, & proposito nulla sit confessio; quamvis subsequens ejus adimpletio in re non sit pars essentialis, nec materia proxima pœnitentiæ, sed ejus pars integralis.

98. Suppono tertiò, Confessarios regulariter loquendo, teneri in Confessione, quantùm spiritus, & prudentia sugesserit pro qualitate criminum, & pœnitentis facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant; levissima quidem opera pro gravissimis delictis injungendo; alienorum peccatorum participes efficiantur: Ita Concilium Trid. sess. 14. cap. 8. Verum est, in aliquibus casibus excusari Confessarios, leves pœnitentias pro gravibus culpis imponentes: v. g. quando pœnitens est morti proximus, aus impotens ad eam adimplendam, vel quando potest lucrari Jubilæum, aut Indulgentiam plenariam, vel tali, & tanta contritione, compunctione, ac lachry-

chrymis accedit, ut non tantùm maculam peccati abstergere, verùm etiam reatum pœnæ expiare valeat, & in similibus.

99. Suppono quartò, quòd pœnitens teneatur pœnitentiam tolerabilem, & humanæ fragilitati accommodatam acceptare, acceptámque adimplere: ita Bonacina tom. 1. de pœnit. Sacram. disp. 5. quæst. 5. punct. 4. num. 1. & cum D. Thom. Scoto, Riccardo, Suarez, Valentia, Coninch, Layman, & aliis Barbosa in Collect. sup. cap. 8. cit. Trid. alioquin frustraneum esset onus Confessarii imponendi pœnitentiam, si pœnitens eam non teneretur acceptare, & adimplere: ex quo infertur, mortaliter peccare pœnitentem, non implendo pœnitentiam gravem acceptatam, sive gravis illa pœnitentia injuncta fuerit pro mortalibus aliàs non confessis, sive pro mortalibus aliàs confessis, sive etiam pro venialibus; ratio est, quia faciens contra obligationem in re gravi peccat mortaliter; qui verò non adimplet pœnitentiam levem, non peccat mortaliter, etiamsi pœnitentia injuncta fuerit pro peccato mortali, nunquam aliàs confesso, Bonacina ibi, num. 4.

100. Dico primò, non licet pœnitenti propria authoritate sibi substituere alium, qui loco ipsius pœnitentiam à Confessario injunctam adimpleat; & contrarium est casus damnatus in hac propositione 15. & jure merito declaratur improbabilis hæc opinio, quia satisfactio, seu adimpletio pœnitentiæ est actus relativus ad Sacramentum, tanquam pars ejus integralis: ergo pœnitens nequit sibi substituere alium, qui adimpleat id, quod in Sacramento sibi imponitur.

101. Dico secundò, non condemnatur opinio, secundùm quam pœnitens authoritate, & licentia Confessarii potest per substitutum suæ pœnitentiæ satisfacere: Ita Torrecilla super hanc propositionem n. 9. & Filgueira super eandem pag. 178. §. in hac: Idem docuerunt S. Thomas, S. Bonaventura, Durandus, & alii ibi citati à Filgueira: ratio est, quia opinio propositionis damnatæ fuit, quòd pœnitens propria authoritate posset sibi substituere alium, qui loco ipsius pœitentiam adimpleret; sed nostra opinio non dicit, quòd pœnitens id propria, sed Confessarii authoritate faciat: ergo non damnatur opinio, secundùm quam pœnitens authoritate Confessarii posit sibi alium substituere, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

102. Dico tertiò, neque damnatur opinio, secundùm quam licet pœnitenti propria authoritate commutare pœnitentiam sibi injunctam à Confessario, in aliam æqualem, vel meliorem: Torrecilla ibid. num. 10. ratio est, quia propositio damnata loquitur de satisfactione pœnitentiæ per substitutum: nostra autem de com-

commutatione pœnitentiæ in æqualem, vel meliorem adimplendam ab ipsomet pœnitente: ergo non damnatur opinio, secundùm quam pœnitens propria authoritate potest commutare pœnitentiam in æqualem, vel meliorem: verùm quamvis hæc opinio non sit damnata, eam tamen non sequor, sed oppositam cum Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 11. num. 36. quia commutatio pœnitentiæ est actio Sacramentalis, & est actus Jurisdictionis, qui fit à Confessario, tanquam à Superiore; pœnitens autem non potest in se actionem jurisdictionis Sacramentalis exercere, cùm nullus sit sibi Superior.

103. Dico quartò, non condemnatur opinio, quam probabilem putat Leander à Sacram. part. 1. tract. 5. disp. 9. quæst. 91. nempe, quòd pœnitens, qui per se ipsum nequit adimplere pœnitentiam, possit alium propria authoritate ad id subrogare: ratio est, quia pœnitens cum impotentia adimplendi pœnitentiam ad hanc non tenetur: ergo absque culpa potest eam omittere: atqui per alium eam adimplere meliùs, & satiùs est, quàm omittere: ergo in hoc casu potest per alium eandem adimplere: attamen si aliam præter assignatam potest adimplere, hujus commutationem à Confessario obtinere curet, & in hoc casu per alium satisfacere non posse existimo.

104. Dico quintò, si pœnitenti fuit pro pœnitentia eleemosyna injuncta, satisfacit per alium eam largiendo: v. g. Paterfamilias per Filium, Famulum, pauperi: quia revera hic satisfacit per se, licèt immediatè eam non largiatur pauperi; prætereà intentio Confessarii injungentis eleemosynam non est, ut pœnitens eam per se ipsum tribuat, sed ut de suis bonis succurrat necessitati pauperum, sed hoc adimpletur etiam per alium elargiendo eleemosynam: ergo hoc modo satisfiet: limitatur nostra conclusio, quando Confessarius ex justa causa præciperet expressè pœnitenti, ut ipsemet immediatè daret eleemosynam, tunc enim per alium eam dando, non satisfaceret.

PROPOSITIO XVI. damnata.

Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

105. Suppono, per Beneficium Curatum intelligi Beneficium Parochiale cum annexo onere curæ animarum, & per simplicem Sacerdotem intelligi Presbyterum nec approbatum, nec expositum ab Ordinario ad excipiendas Confessiones juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini sess. 23. cap. 15. de reform.

106. Dico primò, in hac propositione 16. damnatur assertum, quòd

Parochus, seu Curatus possit sibi eligere in Confessarium quemvis simplicem Sacerdotem, etiam non approbatum ab Ordinario ad hujusmodi Ministerium: ratio hujus condemnationis est, quia etsi olim Jus in cap. fin. de pœnit. & remiss. concederet Prælatis facultatem eligendi sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem, modò doctum, & idoneum; Parochi tamen non veniunt nomine Prælatorum: ergo non possunt gaudere hac facultate, nec talem in Confessarium sibi eligere, etiamsi sit Doctor, Lector, Licentiatus, graduatus in Theologia, Jure Canonico, aut eximius Concionator, cùm etiam isti licentia & commissione Episcopi ad audiendas confessiones indigeant: ita cum Henriquez, Suarez, Coninch, Rodriquez, Fagundez & aliis Barbosa de potest. Epis. part. 2. alleg. 25. num. 15. idem dicit cum aliis in collect. super. cap. 15. cit. Trid. num. 3. & 10.

107. Dico secundò, quantumlibet cum Prado sentiat Torrecilla in consult. tract. 2. consult. 1. num. 59. pag. 99. secundæ impressionis; quòd in hac condemnatione non comprehendantur Episcopi, cæterique Prælati, habentes curam animarum; quod etiam opinati sunt Villalobos in sum. tom. 1. tract. 9. diffic. 55. num. 4. Coriolanus, Valerus, & alii citati à Diana part. 3. tract. 2. resol 3. contrarium tamen docent Suarez, Azorius, Filliucius, Megala, Molfesius, & alii citati à Diana, Coninch, Fagundez, cæteri, quos citat, & sequitur Barbosa de potest. Episcop. part. 2. alleg. 25. num. 211. idem docet cum Lugo, & aliis idem Barbosa Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. de reform. num. 20. quod esse verum censendum est, cùm ita decreverint Gregorius XIII. & Sacra Congregatio teste Diana, & Barbosa loco citato.

Dices: Episcopus potest Sacerdoti simplici, quamvis non sit ipsius subditus dare facultatem exaudiendi suas oviculas: ergo etiam eundem potest sibi in Confessarium eligere: Respondeo, distinguo antecedens: potest dare facultatem exaudiendi suas oviculas prævia approbatione, aut judicio de idoneitate, vel aliquo alio modo, concedo: absque approbatione, aut dicto judicio, nego, & eodem modo distinguo consequens, & nego consequentiam.

Contrà eadem Confessio facta ab Episcopo simplici Sacerdoti, est virtualis hujus approbatio: ergo &c. distinguo antecedens; eadem Confessio est virtualis approbatio; si Episcopus id faciat, judicando simplicem Sacerdotem idoneum pro Confessario, concedo antecedens; si hoc modo non faciat, nego antecedens: quia Concilium cap. 15. cit. dicit, quòd idoneus judicetur; & si talis non judicatur, nec potest

potest conferre approbationem, nec jurisdictionem, ut resolvit Barbosa super hunc locum Concil. num. 35.

108. Dico tertiò, per hoc Decretum Alexandri VII. non damnatur opinio, quòd Religiosus Parochus possit de licentia sui Prælati sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem ab Ordinario non approbatum; quia per propositionem damnatam concedebatur facultas Beneficiato, ratione curæ eligendi sibi in Confessarium Sacerdotem simplicem: sed nostra opinio non concedit hanc facultatem ratione curæ, sed ratione licentiæ sui Prælati: ergo in hac condemnatione non comprehenditur opinio, quòd Religiosus Parochus posit de licentia sui Prælati sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, videatur suprà num. 86.

109. Dico quartò, neque damnatus per hoc Decretum opinio, quòd Prælati Regulares; v. g. Generales, Provinciales, Priores, Guardiani &c. posint sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem eorum Subditum, præbendo facultatem, ut ipsos absolvat: quia propositio damnata loquitur de iis, qui habent beneficium Curatum, sed in rigore Generalatus, Provincialatus, Prioratus &c. non sunt beneficia Curata: ergo non erit damnatum, quòd Generales, Provinciales, Priores, Guardiani &c. posint sibi eligere in Confessarium Sacerdotem simplicem eorum Subditum.

110. Dico quintò, quamvis probabilis sit opinio asserens, quòd approbatus in uno Episcopatu posit in alio eligi in Confessarium virtute Bullæ; & etiam detur opinio, idem concedens ei, qui dereliquit curam animarum, non propterea tamen poterit Curatus ratione suæ curæ, confiteri approbato tantùm in alio Episcopatu, vel Parocho, qui dereliquit officium Curatum; ratio est, quia ex hoc Decreto Alexandri constat, Parochum non gaudere privilegio concesso Prælatis cap. fin. cit. eligendi sibi Confessarium ad libitum: ergo absque alio privilegio non poterunt sibi eligere in Confessarium non approbatum in suo Episcopatu, aut sine actuali jurisdictione: atqui is, qui est tantùm approbatus in alio Episcopatu, aut à Cura destitit, non habet actualem jurisdictionem: ergo hunc Parochus in Confessarium sibi eligere non poterit.

111. Dico sextò, Prælati Regulares nequeunt exaudire sæculares etiam Sacerdotes, nisi sint approbati ab Ordinario. Probatur; quia Prælati Regulares, nec ut Prælati, nec ut Regulares habent jurisdictionem super sæculares, nec hi sunt eorum subditi: ergo nequeunt in eos exercere jurisdictionem absolutionis absque Ordinarii approbatione: consequentia probatur; quia ju-

jurisdictio absolutionis nequit exerceri à Prælatis, vel ab his ad id deputatis, nisi in suos subditos: sed Prælatus Regularis non est Superior sæcularium, & cùm non sit approbatus ab Ordinario, nec est ab eo ad id deputatus: ergo Prælatus Regularis absque approbatione Episcopi sæculares absolvere nequit.

112. Dico septimò, Parochus, seu Curatus nequit Sacerdotem simplicem non approbatum deputare ad excipiendas suorum Parochianorum Confessiones: ita cum aliis tenet Barbosa de potest. Episcop. part. 2. alleg. 25. num. 25. quia si Parochus posset hujusmodi facultatem dare Sacerdoti simplici, posset pariter eidem committere, ut ipsum exaudiat: sed sic est, quòd Parochus nequeat hoc secundum facere, ut constat ex propositione damnata: ergo neque primum; insuper nec de jure communi, nec de aliquo particulari constat, Parochum habere facultatem deputandi ad excipiendas suorum Subditorum Confessiones, Sacerdotem non approbatum ab Ordinario: ergo &c.

PROPOSITIO XVII. damnata.

Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

113. Suppono primò, nulli privatæ personæ licere occidere aliam, nisi cum moderamine inculpatæ tutelæ, nimirum, quando spectatis omnibus circumstantiis loci, temporis, personarum, aliud medium ad defensionem non suppetit, quàm occisio.

Suppono secundò, non solùm licitum esse occidere servato hoc moderamine inculpatæ tutelæ, ad tuendam propriam vitam, sed etiam ad defendendam famam, vel notabilem substantiam: dico notabilem, quia ob conservationem unius numi aurei nequit occidi fur; ut dixi 1. part. hujus prax. tract. 10. num. 123. pag. 365.

114. Suppono tertiò, Propositionem damnatam duo continere: Primum, licitum esse Religioso, vel Clerico occidere quemlibet minantem se, vel suam Religionem infamare, spargendo crimina gravia, quando alius modus hoc damnum imminens reparandi non suppetit: Secundum in ea contentum est, quòd non videatur aliud remedium ad id suppetere, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

115. Dico primò, hæc propoſitio damnatur tanquam improbabilis, & ſcandaloſa ſecundùm ambas partes in ea contentas; & quo ad ambas eſt practicè falsa: Probatur quo ad primam partem: nam verus Eccleſiaſticorum honor eſt pro calumniatoribus orare, & Chriſti Domini manſuetudinem imitari, cùm alia non occurrunt licita, & decentia media ſe, ſuamque Religionem defendendi; cùm iis præſertim dictum fuerit: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth. cap. 11. Occiſio verò calumniatoris graviter moderationem excedit, quia noſtrum honorem tueri poſſumus Eccleſiaſtici; Quid quod ex ipso ſilentio, & patientia major plerumque honor reſultat, ſicut è converſo graviſſimum dedecus pareret, calumniam calumniatoris occiſione repellere, unde apparet, non eſſe id medium idoneum, & moderatum, dedecus evitandi. Quòd ſi quis dixerit, jus unicuique ineſſe proprium honorem defendendi, libenter concedo, dummodò per media defendatur, quæ juxta uniuscujusque ſtatum debitum moderamen non excedant.

Probatur etiam falſitas propoſitionis damnatæ quo ad ſecundam partem; quia, quamquam calumniator ſit paratus ſpargere ea crimina, alius tamen modus absque ejus internecione defendendi ſupereſt: v.g. interponendo perſonas graves minitando juſtitiam vindicativam, timorem Domini, ejúsque vindictam repræſentando, aliísque pluribus modis: ergo falſum eſt aſſertum, quòd quando calumniator eſt paratus publicè, & coram graviſſimis viris crimina impingere, alius modus hæc damna reparandi non ſuppetat, niſi occidatur.

116. Dico 2dò, non ſolùm eſt illicitū interficere calumniatorē minantē de Religioſo, Clerico, vel de Religione gravia crimina ſpargere, verùm etiam ea de facto ſpargentem, non licet interficere: ratio eſt, quia occiſio non eſt licita, niſi cum moderamine inculpatæ tutelæ: ſed ſic eſt, quòd occidere, ſpargentem crimina de Religione, Religioſo, vel Clerico, non eſſet cum moderamine inculpatæ tutelæ: ergo in hoc caſu occidere non licebit. Minor probatur; moderamen inculpatæ tutelæ eſt, quando alius modus defendendi non ſuppetit, ſed in hoc caſu, alius modus defendendi ſuppetit: nimirum obligando ex juſtitia calumniatorem ad ſe publicè retractandum, ac de falſitate, mendacio, & maledicentia eundem convincendo: ergo occidere in hoc caſu non erit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Verum eſt, quòd quamvis non ſit licitum occidere de facto talia crimina ſpargenten; hic caſus tamen non damnatur in propoſ. 17. quia in hac ſolùm eſt ſermo de calumniatore minante, aut parato prædicta publicè impingere, hæc au-

tem opinio loquitur non solùm de minante aut parato infamare, sed etiam de facto infamante, quod est valde diversum.

117. Dico tertiò, hæc condemnatio non loquitur de Clerico, qui primâ tantùm tonsurâ est initiatus absque habitu Clericali, & Clerica, aut ex ordinatione Episcopi, vel ejus Vicarii ad servitium alicujus Ecclesiæ non est deputatus, nec est in Seminario, aut Universitate, tanquam destinatus ad majores Ordines: ratio est, quia Tonsuratus absque his conditionibus non gaudet privilegio fori: ut constat ex Concilio sess. 23. cap. 6. Barbosa ibid. num. 21. ergo si in favorabilibus, in quibus potest dari ampliatio, non venit nomine Clerici is, qui caret ejusmodi conditionibus, multò minùs in odiosis, quæ sunt restringenda, prout est condemnatio hujus propositionis. Attamen licèt hoc sit verum, non propterea licet prædicto Clerico occidere Calumniatorem minantem, aut paratum, vel etiam de facto infamantem, siquidem alius modus damnum reparandi, ac bonum nomen defendendi suppetit: ut dictum est in priori Conclusione.

Unde infertur, quòd quantumvis hæc condemnatio non loquatur de sæcularibus, sed Religiosis, vel Clericis, ut patet, nihilominus nec iis erit licitum occidere calumniatorem minantem, aut paratum impingere aliquam infamiam, aut de facto impingentem, quandoquidem ut suprà dictum est alius modus indemnitatem suæ famæ reparandi suppetit. Videantur hanc materiam concernentia 1. part. prax. tract. 10. num. 121. & 122. pag. 364.

118. Dico quartò, etiamsi grave peccatum sit occidere calumniatorem minantem, aut paratum gravia crimina spargere, aut hæc Religioso, seu Clerico, coram gravissimis viris impingere; posset tamen fortasse aliquis dicere per hoc Decretum Alexandri solùm damnari hanc propositionem, tanquam peccatum veniale; quia propositio damnata dicebat, hoc licitum esse, licitum est; sed qui dicit esse veniale, non dicit esse licitum: ergo in interpretatione hujus propositionis videtur habere locum assertum, quòd vigore ejus solùm veniale esset occidere ejusmodi calumniatorem. Hoc non obstante contrarium dicendum est; nimirum, quòd etiam vi condemnationis, mortale sit occidere in hoc casu calumniatorem; quia propositiones condemnantur secundùm subjectam materiam: ut dixi 1. part. Prax. tract. 11. sub num. 5. in tertia, & quarta impressione Burgensi, & Cæsaraugustana, Barcinonensi, & Ulysiponensi, & in hac impressione tract. 10. num. 7. pag. 333. ergo cùm homicidium sit materia gravis, ut talem etiam hujus pro-

propositionis 17. casum damnari dicendum est.

PROPOSITIO XVIII. damnata.

Licet interficere falsum Accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.

119. Suppono primò, tanquam certum licitum non esse, interficere falsum Accusatorem, falsos testes, vel Judicem, à quo iniqua certò imminet Sententia, si aliâ viâ potest damnum evitari; quia hac supposita, & non adhibita non servaretur in hujusmodi homicidiis moderamen inculpatæ tutelæ.

Suppono secundò, quando certò non timetur, Judicem laturum iniquam sententiam, sed solummodo habetur suspicio, aut timor probabilis, vel imaginarius de iniqua sententia, nequaquam licitum esse interficere: quia vita hominis plurimi æstimatur, ac proinde non auferenda de facto ob conjecturam aliquam, suspicionem, aut probabilitatem de iniqua sententia ferenda.

Major difficultas est, quando certò timetur iniqua sententia ex prævia falsa accusatione, & mendaci depositione, nec aliud medium defendendi suppetit, nisi accusator, testes, & Judex interficiantur; an liceat id facere? Ratio dubitandi est, quia licet mihi interficere furem, detractorem, iniquum aggressorem, si aliâ viâ nequeo me defendere, nisi interficiendo: ergo speculativè loquendo videtur licitum esse interficere falsum Accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ damnum evitari nequeat. Hoc non obstante,

120. Dico primò certum esse, & modò indubitatum, non licere interficere falsum Accusatorem, falsos testes, ac Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, etiamsi alius non subsit modus se defendendi, nisi homicidium perpetretur, & contrarium damnatur tanquam improbabile, practicè falsum, & scandalosum in Propositione 18. ratio est, quia tametsi Jus naturale cuilibet concedat suam vitam, famam, bona contra injustum aggressorem defendere, hoc tamen per media idonea, & moderata faciendum est; sed sic est, quòd interficere falsum accusatorem, falsos testes, & Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, sit medium non moderatum, sed excessivum, ergo id adhiberi nequit, etiamsi aliud ad propriam defensionem non supersit: præterea quia per hujusmodi permissionem gravissimis damnis, & absurdis aperiretur via; etenim quivis cæca passione ductus, posset judicare falsum fuisse accusatorem, testes falsò jurasse, ac Judicem injustè operari, sicque quod passio suggereret injustos fuisse

fuisse, vel mediatè, vel immediatè in judicio suæ causæ, interficiendos esse: ergo ut porta hujusmodi inconvenientibus occluderetur, rectissimè hæc propositio 18. damnata fuit.

Rationi dubitandi suprapositæ Respondetur, verum esse, quòd cuique jus concedatur ad propriæ vitæ &c. defensionem, cum debito moderamine procurandam, ad excercendam tamen medio adeò excessivo, qualis occisio est, nullum conceditur, sed cùm ad Tribunal ab accusatore provocetur, suam in eo, aut aliis defensionem quærat, quos possit, testes adferat, appellationem, aut accusationem instruat, vel ad Superiorem Judicem confugiat, qui pro æquitate causæ authoritatem suam interponat. Quid si nihil horum sufficit, extremam vitæ suæ horam imminere sibi persuadeat juxta dispositionem DEI, qui ut potuit ipsum ictu reguli, aut vi subiti morbi privare vitâ, ita falsarum harum accusationum permissione uti voluit in eundem finem; medium tamen occisionis utpote excessivum licebit nunquam: non secùs ac si Rex stricto ense infimæ plebis hominem invaderet, posset iste vitam suam tueri, cum Regiæ tamen vitæ jactura non posset: hoc enim excessivum medium, & contra commune bonum est. Sicut etiam, nec casu quo Rex tyrannus foret, nullius auctoritate privata spoliari posset vitâ, vel Regno, non auditus in causa: ita pariter, quia delatis accusationibus ad Tribunalia, quæ publica auctoritate vigent, impetitur, gladii operibus accusatoris, testium, Judicisque occisione, respondere pro se minimè potest.

121. Dico secundò, in propositione contentum, damnari tanquam peccatum mortale, & non solùm velut veniale, ut dicit Pradus super hanc Propos. num. 5. & cum eo Torrecilla super eandem num. 14. in 2. impressione; quia quamvis propositio damnata dicat, licet: qui autem dicit, quòd sit veniale non dicit licere, unde videtur salvari rigorosum sensum propositionis; attamen cùm materia ejus sit gravis, censenda est damnata tanquam gravis, & mortale peccatum, eam sequi, ut dixi in explicatione præcedentis propositionis num. 118.

PROPOSITIO XIX. damnata.

Non peccat Maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

122. SUppono, leges Civiles non condemnare Maritum, occidentem propriam uxorem in adulterio deprehensam; quia, cùm hæ fundentur in præsumptionibus, & maritus ad id facinus non ex vindicta, sed vehementi dolore infamiæ correptus præsumatur, citra ullam pœnam civilem incurrendam, uxoricidium in simili casu permittitur: & ex

ex hinc aliqui inferunt, licitum esse marito in foro interno occidere uxorem in adulterio deprehensam, siquidem in foro externo illæsus evadit.

123. Dico primò, peccare maritum, propria auctoritate occidentem uxorem in adulterio deprehensam; cujus oppositum in hac propositione damnatur: probatur primò; quia quamvis liceat occidere ad tuendam propriam famam, hoc tamen intelligitur cum moderamine inculpatæ tutelæ: maritus occidens propria auctoritate uxorem in actuali adulterio deprehensam, non servat moderamen inculpatæ tutelæ: ergo peccat: minorem probo, quia moderamen inculpatæ tutelæ est, quando aliud ad defensionem medium non subest; sed sic est, quòd maritus possit mediante Judice plectere uxorem, sicque sui honoris indemnitatem conservare: ergo propria auctoritate eam occidendo, non servat moderamen inculpatæ tutelæ: probatur secundò, quia uxorem occidere indefensam, & non auditam in causa, est contra legem naturalem: nec potuit jus Civile contra naturalem jurisdictionem dare marito, ut sine causæ cognitione uxorem occideret, quæ forsan vi coacta in adulterium, immunis à culpa inveniretur.

124. Dico secundò, quamvis hæc propositio propriis terminis non loquatur de Parente, occidente Filiam in actuali fornicatione deprehensam; ob identitatem tamen rationis hujusmodi occisio illicita pariter censenda est, cùm eadem paritas militet; possitque parens resarcire injuriam sibi illatam per viam justitiæ, non verò propria manu occidendo Filiam: ergo si id propria auctoritate faciat, non observat moderamen inculpatæ tutelæ: idem dicendum de Filio, occidente matrem, vel fratrem, aut sororem in actuali delicto adulterii, aut fornicationis deprehensas; nempe id minimè propria auctoritate licere.

125. Dico tertiò, tametsi hæc propositio nec loquatur de adulterio, in actuali delicto cum propria uxore deprehenso, nec de persona cum filia, matre, sorore in actuali adultero, aut fornicatione inventa, idem tamen dicendum, quod dictum est de uxore, filia, matre, aut sorore; quia eadem ratio, & paritas, quæ urget in occisione uxoris, filiæ, matris, aut sororis, verificatur etiam in occisione personæ in actuali delicto cum ipsis inventæ.

126. Dico quartò, non condemnatur, nec erit peccatum, uxoricidium ob actuale adulterium propria auctoritate à marito commissum ex motu primò primo iræ, & absque ulla advertentia, & si hoc fieret ex motu secundò primo, seu cum semiplena advertentia, peccatum veniale non excederet; idem dico de occidente ex eodem motu filiam, matrem, sororem, aut complicem in actuali peccato

cato deprehensos : ratio est evidens: quia omne peccatum debet esse voluntarium, & liberum, sed actus, qui provenit ex motu primò primo iræ non est voluntarius, & liber : ut dixi in meis Confer. part. 1. tract. 2. sect. 1. confer. 3. §. 1. num. 2. & num. 8. ergo maritus occidens propria auctoritate ex motu primò primo, & absque ulla advertentia uxorem, Filiam, matrem, aut sororem in actuali adulterio deprehensas non peccabit, & si id faciat ex motu secundò primo, seu cum semiplena advertentia, venialiter delinquet ; quia actus erit semiplenè liber : ut dixi loc. cit. Confer. num. 9.

127. Dico quintò, non damnatur assertum; primò, quòd si maritus esset Judex, posset ad mortem damnare propriam uxorem, cujus delictum plenè probatur; secundò, etiamsi non esset Judex, si Justitia, postquam damnasset ad mortem uxorem ob tale delictum, eandem marito traderet pro executione sententiæ, quòd hanc exequi posset: Sic Torrecilla super hanc proposit. 19. tract. 9. num. 12. quia secundùm propositionem damnatam licet marito propria auctoritate occidere uxorem in adulterio deprehensam ; atqui propositiones hìc relatæ non dicunt, quòd maritus propria auctoritate id possit facere : ergo hæ opiniones non manent damnatæ : peccaret tamen graviter maritus contra charitatem, si in his duobus casibus damnaret ad mortem, vel hujus sententiam exequeretur ex odio, & vindicta, & non præcisè ex Zelo justitiæ : idem dicendum in his casibus de occidente Filiam, matrem, sororem, aut complicem in actuali adulterio, aut fornicatione deprehensos.

128. Dico sextò, quòd quamvis secundùm rigorosam interpretationem hujus propositionis 19. videatur posse salvari ejus sensum, dicendo, non damnari assertum, quòd in hoc casu occidere, sit tantùm veniale, quia propositio damnata dicebat, non peccat maritus ; qui verò dicit, quòd in hoc casu peccaret venialiter, non dicit, quòd non peccet : ergo videtur, posse salvari condemnationem, dicendo, solùm venialiter peccari in hoc casu occidendo, attamen cùm materia propositionis sit gravis affirmandum est eam damnari, ut mortaliter, & non tantùm venialiter malam, ut dictum est suprà. num. 118.

PROPOSITIO XX. damnata.

Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna.

129. SUppono primò, quod, quotiescunque Beneficiatus excusatur à peccato ob omissionem Divini Officii, excusetur pariter ab onere

re restitutionis fructuum ob eandem omissionem aliàs faciendæ: v. g. si ex oblivione naturali, infirmitate, tenuitate Beneficii, aut ob aliam legitimam causam, propter quam Divinum Officium absque culpa omitti potest, id Beneficiatus omittat, cessat quoque obligatio restitutionis, ut colligitur ex iisdem verbis Constitutionis, Concilii Lateranensis, & Papæ Pii V. nempe legitimo cessante impedimento: quomodo, quando, & quibus sit facienda restitutio fructuum ob omissionem Divini Officii, dictum est suprà tract. 12. cap. 3. num. 57. & sequent. pag. 26.

130. Suppono secundò, restitutionem à Concilio Lateranensi, & Pio V. impositam Beneficiatis non recitantibus, non esse pœnam consimilem iis, quas leges Civiles taxant contra occultos delatores mercium, venatores in alienis montibus, aut piscatores in reservatis fluviis &c. quia opinio probabilis est, quòd cùm hujusmodi leges sint merè pœnales, non obligent in foro conscientiæ: juxta dicta in meis Confer. tract. 3. Confer. 6. §. 1. num. 5. pag. 448. obligatio tamen restitutionis ob omissionem Divini Officii oritur ex carentia legitimi juris ad fructus Beneficii, qui dantur propter officium.

131. Suppono tertiò aliqua Beneficia habere alia onera annexa præter recitationem Divini Officii, & in his Beneficiatus non recitans, non tenetur ad restitutionem fructuum in integrum, sed tantùm respectivam & proportionatam omissioni, deductis iis, qui correspondent aliis laboribus, exercitiis, & oneribus Beneficiati; ut dixi tract. 12. cit. cap. 3. num. 57. pag. 26. & num. 69. pag. 30.

Suppono quartò, Beneficiatum recitationis obligationi non satisfacientem primis sex mensibus post pacificam possessionem beneficii, quamvis graviter peccet, non teneri tamen ad restitutionem.

132. Dico primò, Beneficiatus, qui ob omissionem Divini Officii obligatur ad restitutionem fructuum, tenetur id facere ante Sententiam declaratoriam Judicis, & opinio contraria est casus damnatus in hac propositione 20. Et ratio est, quia Beneficiatus negligens in recitando Officio ipso facto contrahit hanc obligationem, & licèt concederetur, hanc esse pœnam suæ culpæ, non est tamen ex illis pœnis civilibus, quæ vel non obligant in conscientia, vel ad earum executionem sententia declaratoria requiritur, sed est pœna, quam ipsemet culpabilis per se exequi debet: ergo &c. deinde quia si esset necessaria Sententia declaratoria Judicis, plurimi Beneficiati non recitantes, excusarentur ab onere restitutionis: etenim quàm plures id tam occultè faciunt, ut ad Judicis notitiam pervenire nequeat: atqui Judex absque præ-

prævia notitia non potest ferre hujusmodi Sententiam declaratoriam, ergo si hæc Sententia declaratoria esset necessaria, plures Beneficiati non recitantes excusarentur ab onere restitutionis: ergo dicendum est, absque Sententia declaratoria Judicis, Beneficiatum obligari ad restituendos fructus pro rata omissionis.

133. Dico secundò, non damnatur opinio, quam probabilem censet Diana part. 2. tract. 12. resol. 25. nempe, quòd obligatio restitutionis ob omissionem Divini Officii non oriatur ex virtute Justitiæ commutativæ, sed Religionis, & Obedientiæ: quia si proveniret ex Justitia, Beneficiatus non recitans primis sex mensibus post pacificam possessionem Beneficii, non excusaretur ab onere restitutionis: sed (quidquid sit de hoc) probatur assumptum, quia propositio damnata excusabat ab onere restitutionis ante Sententiam declaratoriam Judicis: atqui hæc opinio non excusat ante hujusmodi Sententiam, sed loquitur de radice, à qua procedit obligatio restitutionis: ergo hæc opinio non est damnata.

134. Dico tertiò, quamquam non damnetur hìc opinio, secundùm quam Beneficiatus unâ, duabus, vel etiam octo diebus omittens recitationem, non tenetur ad restitutionem, quia hæc opinio, ut patet differt à damnata; hanc tamen meritò improbabilem judicat Torrecilla in suis Consult. tract. 4. consult. 10. num. 41. in fine, cum Castropalao, & aliis; quia Bulla Pii V. assignat quantitatem restitutionis faciendam, ob quamvis integram diurnam omissionem, & etiam cujusvis horæ Canonicæ: ergo hoc stante, nequit habere locum opinio, secundùm quam Beneficiatus absque causâ legitima non recitans una, vel altera die anni excusatur ab onere restitutionis fructuum pro rata omissionis earumdem dierum.

Neque damnatur opinio apud Dianam part. 9. tract. 3. resol. 67. secundùm quam recitans Divinum Officium vulgari idiomate, quamvis verè peccet, satisfacit tamen, & consequenter non tenetur ad restitutionem, quia opinio damnata loquitur de non recitante, & hæc de recitante vulgari idiomate, quæ duo valde differunt. Cætera ad hanc materiam spectantia dicta manent suprà tract. 12. cap. 3. cit.

PROPOSITIO XXI. damnata.

Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

135. Suppono primò, Capellaniam collativam à non collativa, seu legata distingui in hoc, quòd illa instituatur auctoritate Ordinarii cum ob-

obligatione recitandi Divinum Officium ; non collativa verò seu legata absque ejusdem auctoritate, & absque dicto onere recitationis.

Suppono secundò, aliqua onera esse merè personalia, alia non personalia, seu realia; merè personalia sunt, quæ à propria persona, non ab alia adimplenda sunt v. g. jejunium, audito Missæ, Confessio, Communio, recitatio &c. non personalia, seu realia sunt, quæ per alium adimpleri possunt, ut eleemosyna, celebratio Missarum &c.

136. Dico primò, Beneficiatus studio litterarum vacans, non satisfacit suæ obligationi, si per alium officium recitet; & contrarium modò est improbabile, falsum, & scandalosum; & ut tale damnatum, & valde rationabiliter; quia oneri personali nequit satisfieri per alium, sed recitatio Divini Officii est onus personale: ergo Beneficiatus, seu habens Capellaniam collativam, quamvis studio litterarum vacet, vel in propria domo, vel in universitate aliqua, huic onere per alium satisfacere nequit.

137. Dico secundò; quotiescumque Beneficiatus legitimè excusatur ab onere recitationis, huic Decreto Alexandri VII. contravenire non dicitur, licèt per se, vel per alios non recitet: ratio est, quia juxta propositionem damnatam, studium litterarum fuit causa sufficiens, ad eximendum Beneficiatum ab onere recitationis per se ipsum præstandæ; ego autem hoc non dico, sed quòd non obligetur ad recitationem occurrente legitimo impedimento: ac proinde non damnatur hìc assertum, quòd excusentur à recitatione Lector Controversiarum, Confessarii, Concionatores, qui Conciones, & Confessiones ad aliud tempus differre nequeunt. Sic Torrecilla in Consult. tract. 4. consult. 10. num. 18. & 20. neque damnatur opinio asserens, in Religionibus Prælatum studii causa posse commutare Lectoribus Horarum Canonicarum recitationem in septem Psalmos, septies Orationem Dominicam, & bis Apostolicum Symbolum recitandum: Torrecilla ibid. num. 27.

138. Dico tertiò, quòd, quantumvis videatur in propositione damnata, non esse sermonem de obligatione restituendi fructus, quam incurrit Beneficiatus, seu Capellanus ob studium litterarum per alium recitans; siquidem propositio damnata dicebat, talem satisfacere suæ obligationi: quod potest intelligi, eum nec peccato, nec restitutioni fore obnoxium, & condemnationi potest solùm subjacere assertum, quòd non peccet, non verò, quòd non teneatur ad restitutionem; attamen dicendum est, Beneficiatum studii causa per alium recitantem non duntaxat peccare, verùm etiam ad restitutionem fructuum obligari: ratio est, quia ex hoc antecedente

dente: Beneficiatus peccat non recitando, bene infertur hoc consequens: ergo Beneficiatus tenetur restituere fructus: subsumo; sed sic est, quòd Beneficiatus studii causa per alium recitans certò peccet, ergo certò etiam tenetur ad restitutionem.

Dices: Debito obstrictus ab eo liberatur, si alius loco sui satisfaciat creditori: ergo si debito recitandi Beneficiati, alius pro eo satisfaciat, liber erit à restitutione: Respondeo, distinguo, si debitum est reale concedo, si est personale, nego, cùm autem debitum, seu onus recitandi Divinum Officium, sit personale, hinc est, quòd Beneficiatus nec satisfaciat, nec eximatur ab onere restitutionis, si per alium recitet.

PROPOSITIO XXII. damnata.

Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

139. Suppono primò, Beneficium Ecclesiasticum *esse jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, ob aliquod officium Spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum*; ita ut in Beneficio Ecclesiastico tria considerentur primum, est obligatio Beneficiati ad aliquam functionem, aut Ministerium spirituale; secundum, jus percipiendi fructus bonorum Ecclesiasticorum: & tertium, ipsimet fructus, & bona Ecclesiastica: hæc sunt res merè temporales, ac proinde pro ipsis potest accipi pretium absque delicto simoniæ: si pro jure spirituali Beneficii accipiatur res temporalis, est simonia *ex jure Divino*; si accipiatur pro jure percipiendi bona Ecclesiastica, est *ex jure humano*.

140. Suppono secundò, Beneficium unum esse Curatum, alterum simplex; Curatum est, quod habet annexam curam animarum: simplex, quod non habet annexum hoc onus, sed illud recitandi Horas Canonicas, celebrandi aliquas Missas, interessendi choro, juxta fundationem talis Beneficii. Potest etiam Beneficiatus esse simpliciter Titularis; & id, quod datur in titulum perpetuum, nequit tolli absque gravi causa: vel potest esse manualis, seu *ad nutum*, quod Patronus, seu Prælatus tollere potest.

141. Suppono tertiò, Beneficium posse acquiri per præsentationem, electionem, collationem, aut resignationem: Quando Patronus præsentat aliquem ad Beneficium, modus, quo postmodùm Superior illud confert, vocatur institutio; quando Beneficium confertur per electionem, modus, quo Superior concurrit, vocatur confirmatio, & quando ad Episcopum, vel Prælatum Ecclesiasticum per-

pertinet collatio Beneficii, absq; prævia præsentatione, aut electione, modus quo illud confert, vocatur collatio: Permutatio est, quando unum Beneficium datur pro altero auctoritate legitimi Superioris: & Resignatio est, quando ceditur Beneficium in favorem alterius eadem auctoritate præsupposita.

142. Dico primò, sensum propositionis damnatæ fuisse, quòd Patronus, seu Elector ad Beneficium posset absque violatione justitiæ conferre Beneficium pecunia interveniente, ea ratione, quia non exigeretur pecunia pro Beneficio, sed pro emolumento, ex tali Beneficio Beneficiato obventuro: & quia Patronus non tenebatur tali personæ, sed ad libitum cuicunque alteri Beneficium conferre, ideóque ob hanc liberam collationem posse accipi dictam pecuniam; quod totum condemnatur ut practicè improbabile; quia nemo potest percipere lucrum ex re non sua: atqui emolumentum temporale Beneficii non spectat ad Patronum, seu Electorem: ergo ex eo nequit percipere lucrum: insuper etsi Patronus non teneatur Beneficium conferre tali determinatæ personæ, tenetur tamen illud alicui conferre: ergo ex eo quòd determinatæ personæ conferat, non propterea potest emolumentum percipere, alioquin gratiam venderet.

143. Dico secundò, quòd quantumvis in propositione non exprimatur; num sit, vel ne Simonia, Beneficium propter pecuniam conferre, sed solummodo, quòd hoc non sit contra justitiam; attamen dicendum est, non tantùm delinqui contra justitiam, sed etiam Simoniam saltem ex jure humano committi, Beneficium pecunia interveniente conferendo: ita Torrecilla *super hanc propos.* 22. *num.* 142. quia jure humano prohibetur tanquam simonia receptio pecuniæ ob collationem Beneficii Ecclesiastici: ergo saltem contra jus humanum erit Simonia, si Patronus non *gratis* sed pecunia interveniente conferat Beneficium.

144. Dico tertiò, cùm collator Beneficii pecunia interveniente sit Simoniacus, & operetur contra justitiam, ad ejusdem restitutionem tenetur; quia nullum habet titulum sibi retinendi illud pretium, sed qui nullum habet titulum retinendi rem alienam, tenetur eam restituere: ergo qui pecunia interveniente confert Beneficium, tenetur eandem restituere: & quamvis aliqui velint, pretium acceptum in hoc casu ante Sententiam Judicis esse restituendum ei, qui dedit, quia is non amisit pretii dominium, post sententiam verò, cui Judex addixerit; Verius tamen, & probabilius est, etiam ante Sententiam Judicis pretium illud esse restituendum Ecclesiæ: quia ordinariè non est Judex, qui Episcopos de his con-

condemnet, & contra mentem Ecclesiæ est ut restituatur danti, quia Ecclesia intendit utrumque punire: vide Bassæum *verb. Simonia 7. num. 1.*

145. Dico quartò, non damnatur tanquam Simonia, nec contra justitiam id, quod solet dari pro Bullis in collatione Beneficii, nec quando in permutatione Beneficii authoritate Superioris pinguius Beneficium reservatur; & sic in pluribus aliis casibus *1. part. hujus prax. tract. 10. num. 175. & sequent. pag. 381.* quia omnes hi valde differunt ab asserto Propositionis 22. hìc damnatæ.

PROPOSITIO XXIII. damnata.

Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

146. Suppono primò, tanquam certissimum, & de Fide, in Ecclesia dari potestatem condendi leges ad gravem culpam obligantes, & *de facto* plures fuisse conditas leges Ecclesiasticas cum ejusmodi obligatione, quænam autem conditiones requirantur ad hoc, ut obligent, videri potest in Confer. *part.* 1. *tract.* 3. *Confer.* 3. §. 1. *num.* 2.

Suppono secundò, transgressorem legis Ecclesiasticæ ad mortale obligantis, mortaliter peccare, præciso etiam contemptu: ut dixi in meis Confer. ibid. num. 1. & veniale *ex genere suo*, fieri mortale ex accidenti posito contemptu legis, ut pariter docui in *Confer. tract. 2. sect. 4. Confer. 2. §. 1. num. 7.*

147. Dico primò, frangens jejunium, ad quod tenetur, seculo etiam contemptu, aut inobedientia, graviter peccat; & contrarium est casus damnatus in hac propositione: ratio est, quia leges Ecclesiasticæ inducunt obligationem peccati mortalis, quando materia est gravis, & legislator ad gravem culpam obligare intendit: sed sic est, quòd jejunium sit materia gravis, & Ecclesia id præcipiat cum intentione obligandi ad mortale, ut constat ex consuetudine, & communi Fidelium opinione: ergo jejunium obligat ad mortale: atqui prævaricator legis obligantis ad mortale, graviter peccat, etiam secluso contemptu, aut inobedientia: ergo frangens jejunium, ad quod tenetur graviter peccat secluso etiam contemptu, aut inobedientia.

148. Dico secundò, non damnantur opiniones, eximentes à jejunio ob ætatem, infirmitatem, laborem, aut ob alias justas causas: ratio est evidens: quia in propositione damnata erat sermo de frangente absque contemptu jejunium, ad quod tenetur, sed hæ opiniones non loquuntur de obligato ad jejunium, sed de exemptis ob alias causas, ergo hæ opinio-

nes

nes in condemnatione non comprehenduntur.

149. Ex hac conclusione infertur, quod nulla ex sequentibus opinionibus in hac propositione demnetur 1. opinio, quam cum aliis censet probabilem Bassæus *Verb. jejunium 2. num. 6.* nempe sexagenarios, licèt viribus polleant, excusari à lege jejunii. 2. opinio Leandri à Sacram. *part.* 3. *tract. 5. disp.* 7. *q.* 19. qui dicit, fœminas eorum, quòd citiùs quàm homines senescant, non obligari ad jejunium, cùm ad quinquagesimum annum pervenerint; quod probabilius est de conjugatis, quæ filios genuerunt. 3. opinio, secundùm quam, si quis facta debita diligentia dubius adhuc est, an expleverit vigesimum primum annum, non tenetur ad jejunium; quia non est possessio pro præcepto jejunio, sed pro libertate illius dubitantis. Diana *part. 4. tract. 3. resol. 21.* Verum est, tam senes, quàm adolescentes ob ætatem à jejunio excusatos, teneri abstinere à carnibus diebus vetitis. 4. Opinio docens ægros, & convalescentes non obligari ad jejunium, etiamsi eorum culpa infirmitas iis advenerit; nec eos, qui ob debilitatem stomachi necessarium alimentum horis determinatis sumere nequeunt; Leander *ibi. q. 25.* *5* opinio asserens, non obligari ad formam jejunii eos, qui ob infirmitatem possunt vesci carnibus; Henriquez *lib. 7. cap. 13. num.* 12. *6.* Opinio, juxta quam is, qui incœnatus non potest capere somnum, nec tenetur jejunare, Joannes Sanchez *in select. disp. 14. n. 13.*

150. Infertur pariter non damnari opiniones eximentes; primò, peregrinos, & vagos à jejuniis ex lege speciali præceptis in teritoriis, ubi hospitantur: ut videri potest *in meis Confer. tract. 3. Confer. 5. §. 2. num.* 10. & 11. secundò, pauperes non habentes sufficiens alimentum ad unicam rationabilem refectionem: Azorius *part. 1. lib. 7. cap. 17. q. 7.* Tertiò, Uxorem, quæ ob timorem pravæ valetudinis, aut deformitatis, vel metu viri non permittitur jejunare, vel maritum, dum nequit reddere debitum jejunando. Bonacina tom. 2. *disp. ult. de præcept. Eccles. quæst. 1. pun. ult. num. 14.* Quartò, nec damnatur opinio, docens, non peccare eum, qui jejunium non servat, putans se justam non jejunandi causam habere, licèt re ipsa causa non sit justa, & sufficiens; quia inquit bona fides ipsum excusat. Bonacina *ibid. num.* 20. Sa *Verb.* jejunium *num. 14.* Quintò, nec ea quæ asserit, non teneri ad jejunium eos, qui magnam difficultatem in jejunando experiuntur, non ex vitio gulæ, sed ob ingentem calorem naturalem. Leander à Sacram. *part. 3. tract. 5. disp. 8. quæst.* 140.

151. Infertur pariter ex dictis, non damnari 1. opinionem, juxta quam, si quis dubitet, an die Jovis sit

hora duodecima mediæ noctis, & post adhibitam diligentiam adhuc manet dubius, potest edere carnes, & econtra si sit dies sabbathi, aut jejunii, & dubitetur, an sit media nox, aut hora duodecima noctis sonuerit, non potest edere carnes, nec cœnare, quia in primo casu possessio stat pro libertate, in secundo pro præcepto. Bassæus *verb. jejunium 2. num. 11. 2.* quòd, qui ex inadvertentia, aut ignorantia jejunii aliquo die bis comedit, reliquo tempore sit immunis ab obligatione jejunii: Bonacina *ubi suprà quæst. 1. punct. 3. num. 8. 3.* quòd, qui manè notabiliter comedit, sive ex malitia, sive ex inadvertentia non teneatur ea die ampliùs jejunare: Leander *ubi suprà quæst. 145. & 146.* qui tamen comedit ex malitia, graviter peccavit, secùs verò, qui ex inadvertentia inculpabili: Quamvis autem censeam hanc opinionem, excusantem à jejunio non esse damnatam; non assentior tamen, sed reliquo tempore jejunio vacandum esse adjudico, modò matutina comestio loco cœnæ sufficere possit; non damnantur pariter aliæ doctrinæ relatæ *in meo Dialogo part. 1. tr. 3. cap. 3. num. 22. & seq. pag. 69.*

PROPOSITIO XXIV. damnata.

Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideóque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

152. Suppono primò, aliqua peccata distingui specie infima, & alia numero: distinctio specifica peccatorum desumitur ex diversitate objectorum, & virtutum, quibus opponuntur, vel ex diversa dissonantia ad regulas morum: distinctio verò numerica desumitur ex distinctione actuum, & objectorum; ut fusè explicui *in meis Confer. part. 1. tract. 2. sect. 6. Confer. 1. §. 1. per totum, & Confer. 2. §. 1. n. 1. & sequent.*

Suppono secundò, peccata, aut circumstantias mutantes speciem, esse explicitè in Confessione aperiendas; ut constat ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 5.* est tamen valde probabile, circumstantias non mutantes speciem, sed intra eandem aggravantes, non esse necessariò in Confessione explicandas.

153. Dico primò, propositio damnata (ex suppositione, quòd pollutio, sodomia, & bestialitas, quatenus conveniunt in ratione peccati *contra naturam*, essent peccata ejusdem speciei:) affirmavit, quòd, qui commisit sodomiam, aut bestialitatem, satisfaciat, si dicat in Confessione, passus sum mollitiem, aut me pollui: quod meritò damnatur tanquam improbabile; quia pollutio, sodomia, & bestialitas habent diversam difformitatem

tem ad regulas morum : ergo distinguuntur specie infima, & ut sic necessariò erunt explicanda in Confessione; nam peccata, quæ distinguuntur specie, aperienda sunt in Confessione : atqui pollutio, sodomia, & bestialitas distinguuntur specie : ergo necessariò explicanda sunt in Confessione; & consequenter, qui commisit sodomiam, aut bestialitatem, non satisfaciet dicendo, se commisisse peccatum contra naturam, aut procurasse pollutionem, sed debet exprimere, se commisisse sodomiam, aut bestialitatem.

154. Ex hac Conclusione infertur primò, quòd is, qui per tactus sodomiticos passus est pollutionem, non satisfaciat confitendo solummodo pollutionem, sed debet etiam explicare tactus sodomiticos; & qui ex tactibus bestialitatis passus est pollutionem, debet pariter explicare in Confessione hos tactus simul cum pollutione : ratio est, quia tactus impudici *ex fine operis* ad eam speciem peccatorum, quorum sunt principia, ordinantur, & reducuntur; sic tactus cum fœmina soluta ordinantur, & reducuntur ad simplicem fornicationem, cum conjugata ad adulterium, cum Virgine ad stuprum, cum consanguinea ad incestum : ergo tactus sodomitici ad sodomiam, & bestiales ad bestialitatem ordinantur, & reducuntur : sed sic est, quòd committens sodomiam, aut bestialitatem, teneatur id explicare in Confessione : ergo etiam is, qui tactibus Sodomiticis, aut bestialibus passus est pollutionem, hujusmodi tactus in Confessione explicare tenetur.

155. Infertur secundò, quòd, qui habuit desiderium pollutionis, sodomiæ, aut bestialitatis, non satisfaciat in Confessione, dicendo, se habuisse desiderium peccandi contra naturam, sed tenetur explicare objectum sui desiderii, nempe an fuerit pollutio, sodomia, aut bestialitas; quia desiderium efficax habet eandem specie malitiam cum suo objecto : atqui objecta pollutionis, sodomiæ, aut bestialitatis, distinguuntur specie : ergo pariter earum desideria specie distinguentur : sed sic est, quòd peccata specie distincta sint in Confessione explicanda : ergo qui habuit desiderium efficax pollutionis, bestialitatis aut sodomiæ, in Confessione id explicare tenetur. Idem dico de delectatione morosa, quæ habetur circa pollutionem, sodomiam, aut bestialitatem; & quamquam probabile sit morosè delectantem in fœmina, non teneri explicare ejusdem statum, quando in delectatione à formalitate talis status præscindit : ut dixi *in Confer. tract. 2. sect. 5. Confer. 1. §. 2. num. 16.* in peccatis tamen contra naturam est disparitas, ac proinde morosæ eorum delectationes explicandæ sunt. Vide Dianam *part. 9. tract. 6. resol. 3.*

156. Dico secundò, non damnantur opiniones, dicentes 1. peccato sodomiæ obnoxium non teneri explicare in confessione, an fuerit agens, vel patiens, an cum mare, vel fœminæ commiserit, an hæc fuerit Virgo, vel soluta: 2. In bestialitate non esse necessariũ explicare speciem bestiæ: Sic Torrecilla *in suis Consult. tr. 9. super hanc Proposit. 24. num. 2. & 3.* quia hæ opiniones ut patet, sunt valde diversæ à damnata; & ob eandem rationem non damnatur opinio, juxta quam cognoscens sodomiticè consanguineam, non tenetur in Confessione explicare circumstantiam consanguinitatis; ut dixi in Dialog. part. 1. tract. 6. cap. 2. num. 9. pag. 118. nec ea, quæ asserit, quòd passus pollutionem ex cogitatione, aut delectatione ad diversa objecta muliebria, non teneatur explicare statum ejusmodi fœminarum, modò non habuerit desiderium cum iisdem peccandi, sed simpliciter ad majorem delectationem capessendam cogitationem in illis firmaverit: Videatur etiam hæc doctrina *in Dialog. ubi suprà cap. 1. prope finem, num. 8. pag. 117.*

157. Dico tertiò, quamvis hic non damnetur opinio, excusans à mortali, confricantem inhonestas brutorum partes, etiamsi hoc faciat intentione inspiciendi seminis; quia hæc opinio multùm distat, à propositione damnata: eam tamen à veritate alienam esse censeo cum Bonacina *tom. 1. q. 4. de matrim. punct. 9. num. 15.* tum quia est actus nimis obscœnus, & inhonestus, valde repugnans rectæ rationi, tum quia valde disponit ad ulteriorem libidinem: proindéque peccati mortalis damnandus.

158. Postremò rectè advertendum est in fine hujus propositionis, in qua est sermo de peccatis contra naturam, quæ in pluribus Episcopatibus solent reservari vel omnia, vel aliqua; quòd si reservetur casus his verbis: *qui committet peccatum contra naturam, præsertim cum bestiis*; prout reservatur in Episcopatu Pampelonensi in casu 25. tunc censebitur reservata pollutio, sodomia, & bestialitas, ut adnotavi *1. part. hujus prax. tract. 11. Append. cas. 25. Nota 25. pag. 428.* Quamvis R. P. F. Emanuel à Conceptione *in suo tract. de Pœnit. disp. 6. quæst. 11. n. 879. & 880. & seq.* suam sententiam probabiliorem putet, in qua dicit, in hoc casu non reservari pollutionem voluntariam, & externè procuratam; quia eam solùm, quæ procedit à cogitatione, aut delectatione interna voluntaria, mecum convenit *num. 885.* non esse reservatam: cùm verò ejusdem doctrinam *loc. cit.* jam impugnaverim, hic de novo eam refutare, non est operæ pretium.

PROPOSITIO XXV. damnata.

Qui habuit copulam cum soluta, satis-

tisfacit Confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

159. Dico primò, qui habet copulam cum fœmina soluta, non satisfacit præcepto integritatis Confessionis, dicendo, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, sed tenetur explicare copulam; & contrarium est id, quod condemnatur in hac propos. 25. ratio est, quia quantumvis actus internus, & externus constituant unum numero peccatum, hoc tamen non obstante, qui peccavit externè, non satisfacit Confessionis præcepto, si actum internum absque externo explicet, ut communis Theologorum affirmat: ergo nec habens copulam satisfaciet, si solummodo dicat, se commisisse cum soluta grave peccatum contra castitatem: probatur consequentia; quia peccatum cum soluta contra castitatem, potest patrari per actum internum desiderii: ergo si solùm dicatur peccatum cum soluta, non explicatur actus externus; imò si cum peccato gravi contra castitatem cum soluta explicarentur tactus, oscula, amplexus, hoc non sufficeret supposita copula, sed hæc pariter esset explicanda adimplendo præcepto integritatis Confessionis.

160. Dico secundò, non damnatur sententia relata *in Dialog. part. 1. tract. 6. cap. 3. num. 13. pag. 119.* quòd tactus præcedentes, & subsequentes copulam, non sint necessariò explicandi in Confessione, sed quòd explicata copula ipsi tactus sufficienter explicentur; nisi subsequentes copulam haberentur cum animo repetendi accessum, tunc enim eorum omissio esset peccatum: nec sententia Moyæ *in suis select. tom. 1. tract. 3. disp. 2. quæst. 2. num. 2.* ubi dicit, quòd is, qui habuit tactus cum fœmina absque intentione copulæ ab initio, si protinus secuta est copula, non teneatur eosdem tactus in Confessione explicare; quia in confessione copulæ censentur inclusi: ratio est, quia juxta propositionem damnatam posita etiam copula, non erat necessarium eam explicare: atqui hæ propositiones dicunt, explicandam esse copulam: ergo hæ opiniones non damnantur.

161. Dico tertiò, nec damnatur opinio Azorii, & aliorum apud Leandrum *de Sacram. part. 1. tract. 5. disp. 8. §. 3. quæst. 30.* dicens, quòd Catholicus, qui peccavit cum fœmina Gentili, seu Infideli, non teneatur explicare circumstantiam carentiæ Baptismi; quod etsi damnatum non sit, verumtamen non puto, sed oppositum; quod probabilius esse affirmavit Leander *ibi*: nec opinio, quam probabilem censet Leander *ibi quæst. 59.* quòd qui habuit copulam cum fœmina defuncta, satisfaciat Confessioni, dicendo, se habuisse pollutionem quod pariter asserit Diana *part. 9.*

tract. 9. resol. 1. neque opinio, juxta quamvis, qui occasionaliter habuit copulam cum fœmina dormiente, non committat formaliter peccatum raptus: Leander *ibi quæst. 60.* quamvis si esset conjugata, diceretur adulterium, si Virgo, stuprum &c. non damnantur inquam hæ opiniones, quia earum sensus valde differt à propositione 25. hìc damnata.

162. Dico quartò nec damnantur opiuiones I. quòd habens oscula, non teneatur explicare in Confessione, in qua parte ea habuerit; quia licèt sint in partibus pudendis, omnia oscula sunt ejusdem speciei: Diana *part. 3. tract. 4. resol. 225. in fine* II. quòd sponsi de futuro, habentes accessum ad alteram personam, non teneantur explicare circumstantiam sponsalium: Henriquez *lib. 11. cap. 13. num. 4.* III. quòd habens copulam cum Virgine voluntariè consentiente, stuprum formale non committat, nec circumstantiam Virginitatis teneatur aperire, sed sat esse, si dicat, habui copulam cum soluta; juxta dicta *suprà part. 1. tract. 6. cap. 4. num. 23. pag. 124.* IV. quòd qui per totam noctem cum amasia dormivit, non est opus, ut dicat, ego eam cognovi per tot vices, sed feci, quod volui, dummodò non habuerit interruptionem mentis, & operis. Zanardus *part. 1. cap. 18.* huic tamen doctrinæ non adhæreo; quia hoc modo non explicatur numerus peccatorum, qui tamen in uno major est, quàm in alio: ergo dicendo feci, quod volui, non declaratur numerus: nec doctrinæ Zerolæ *cap. 12. quæst. 12.* juxta quam si quis haberet rem cum concubina tota nocte, non tenetur exprimere hanc gravitatem, sed sufficit confiteri numerum peccatorum, videlicet semel, vel bis fornicatus sum, quæ doctrina licèt hìc non damnetur, & eam nonnulli quoque sequantur, ego tamen, ut dixi, eam non sequor; quia qui dormit per totam noctem cum concubina, præter concubitus, ordinariè alias obscœnitates, actibus non omnes continuas, committit, ergo &c. Videatur Diana *part. 1. tract. 7. resol. 39. & part. 3. tract. 4. resol. 67. §. resol. 39.* V. quòd vir, aut fœmina amittentes voluntariè, & spontaneè virginitatem, non teneantur explicare, id esse peccatum, quo pretiosam hanc margaritam amiserunt: ratio cur nulla ex propositionibus à *num.* 160. usque huc relatis damnetur, est, quia propositio damnata dixit, habentem copulam cum soluta satisfacere Confessioni, dicendo, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem absque explicatione copulæ: Opiniones autem adductæ ab hac multùm differunt, ut singula consideranti patebit.

PROPOSITIO XXVI. damnata.

Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam

cuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

163. Suppono primò, quòd in causis civilibus Judex teneatur ferre sententiam juxta opinionem probabiliorem, nec possit in conscientia minùs probabilem sequi, cùm hoc sit damnatum ab Innoc. XI. in prop. 2. cujus explicatio habetur 1. *part. hujus prax. tract. 10. num. 22. pag. 339.*

Suppono secundò, quòd jure communi cautum sit Judicibus ordinariis, & delegatis, ac inferioribus Ministris accipere munera à litigantibus, idem prohibent leges Castiliæ: ut videri potest in Palao *part. 7 de justit. & jure, tract. 32. disp. 2. punct. 21. §. 1. n. 5. & 12.*

164. Dico primò, quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, nequit Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio; & contrarium est casus damnatus in hac prop. 26. & meritissimè; quia Judex est stipendio conductus ad ferendas sententias in causis litigantium, & in alterutrorum favorem necessariò eas expediendas: ergo nequit accipere pecuniam prò ferenda sententia in favorem unius præ alio: Prætereà alia ratione est condemnabilis ista propositio, nempe ratione scandali. Judicem enim incitat, ut se quotidie vendat, perversùsque mente Justitiæ ordinem frequentibus injustitiis corrumpat: mente, inquam, perversus: nam licèt magna sit opinionum inæqualitas; passione tamen, & cæco amore lucri perducetur, ut adhibito speciali ad id studio ad æqualem usque probabilitatem pertrahat: & æquè probabilem judicet opinionem, quæ alterius probabilitatem ut attingat, quàm longissimè distat, & hæc opinio censenda est damnata sub mortali, quando accepta quantitas est gravis, & sub veniali, quando levis, juxta suprà dicta *num. 118. & 121.* quantumcunque attento rigore verborum propositionis damnatæ, quæ dicit: *potest Judex*: videatur posse salvari, quòd vi hujus condemnationis sit solùm peccatum veniale; siquidem asserens Judicem in hoc peccare venialiter, non dicit, quòd possit, *quia id solum possumus, quod jure possumus*: contrarium tamen tenendum est, dixi *loco citato.*

165. Dico secundò, quantumvis propositio damnata loquatur in terminis de opinionibus æquè probabilibus in favorem litigantium, idem tamen est judicium, quando alteruter litigantium habet opinionem probabiliorem, aut jus certum; quia eadem, & etiam potior ratio militat, quòd nequeat Judex accipere pecuniam pro ferenda sententia in favorem unius præ alio, quando unus litigantium habet jus probabilius, aut certum, quàm dum habet æquè pro-

babile : ergo sicut Judex nequit accipere pecuniam pro ferenda sententia in favorem unius partis, quæ habet jus æquè probabile, ac ejus adversa, à fortiori, neque poterit accipere pro eadem ferenda in favorem partis, quæ habet jus probabilius, aut certum.

166. Dico tertiò, non damnatur hìc expresse opinio Lessii *lib. 2. de justit. cap. 14. dub. 9. num. 64.* apud Dianam *part. 3. tract. 5. resol. 55.* quamvis saltem virtualiter sit damnata, nempe, quòd stando in solo jure naturæ, si fortè circa litem aliquam ea est varietas sententiarum, ut Judici liberum sit utramlibet partem in judicando sequi, non sit contra justitiam, si Judex aliquid ab una parte accipiat, ut in ejus potiùs favorem judicet. Quia propositio damnata dicebat, id absolutè esse licitum Judici; sed sic est, quòd opinio Lessii non dicat hoc absolutè, sed stante jure naturali esse licitum, secluso semper jure positivo, quod tamen id fieri prohibet, ut ipsemet Lessius *loc. cit.* docet : ergo non damnatur opinio asserens, quòd attento jure naturali non sit contra justitiam, si Judex aliquid accipiat à litigante pro ferenda sententia in favorem ipsius opinionis probabilis.

167. Dico quartò, quamquam in hac propositione damnata non sit sermo in propriis terminis, quòd Judex teneatur restituere acceptum à litigante, in cujus favorem tulit sententiam : ut cum Prado tenet Torrecilla in consult. *tract. 1. Consult. 1. sub num. 144. in secunda impressione* : idque rationibus metaphysicis, & fundamentis valde ingeniosis defendit idem Doctissimus P. num. 145. & sequent. Ego tamen arbitror cum Lumbier *num. 172.* quòd non solùm peccet Judex accipiens pecuniam à litigante, in cujus favorem fert sententiam, verùm etiam quòd teneatur ad restitutionem; quia nullus adest titulus vi cujus Judex possit sibi hujusmodi pecuniam retinere : ergo ad ejus restitutionem tenetur : consequentia est clara, antecedens probatur : titulus retinendi dictam pecuniam alius esse nequit, quàm gratuita donatio litigantis, qui dominium in Judicem receptorem transtulit : sed sic est, quòd hæc receptio sit abrogata à lege, ut probat Sanchez *in Cons. tom. 1. lib. 3. cap. unic. dub. 1. num. 26.* ergo nullus adest titulus, ob quem Judex possit sibi retinere pecuniam à litigante acceptam pro sententia in favorem suæ opinionis ferenda.

168. Dico quintò, licèt hæc opinio damnata loquatur de perceptione pecuniæ pro ferenda sententia, non verò expresse de alia re, quæ non sit pecunia; attamen tanquam certum tenendũ est, quòd Judex non solùm non pecuniam, sed nec quidquam aliud possit accipere à litigante pro sententia in ejus favorem ferenda. Ita

Palaus *suprà num.* 15. tum quia eadem ratio, & paritas militat de pecunia, ac de quacunque alia re; tum quia ita expreſsè id ſancit lex Regia Caſtiliæ *leg. 5. tit. 9 lib. 3.* his verbis: Correctores, Miniſtri, & Judices noſtrarum Civitatum, Pagorum, & locorum, tam ſalariati, quàm non ſalariati; tam Ordinarii, quàm Delegati, nullatenus accipere præſumant, nec publicè, nec clàm, nec per ſe, nec per alios munera aliqua à nulla, vel nullis perſonis, cujusvis ſtatus, & conditionis litigantibus coram ipſis, ſive munera ſint in auro, ſive argento, ſive pecunia, panno, veſtimentis, cibis, aut aliis hujusmodi &c.

Limitat hoc P. Torrecilla *ubi ſuprà num. 64.* dicens, non eſſe damnatum, quòd Judices poſſint accipere aliqua comeſtibilia, ſi ſint in modica quantate, & paucos inter dies conſumptibilia, & hæc ex mera liberalitate offerantur; quod veriſimile videtur, modò non ſubſit periculum perverſionis Judicis ob ejusmodi dona comeſtibilia.

169. Dico ſextò, hæc propoſitio damnata non loquitur formaliter, num Judex acceptare poſſit promiſſionem pecuniæ, vel alterius rei accipiendæ à litigante; nihilominus dicendum eſt, non poſſe Judicem ejusmodi promiſſionem à litigante acceptare, ut ſententiam in favorem ſuæ opinionis probabilis ferat. Palaus ubi ſuprà *num. 15.* quia promiſſio eſt adhuc pernicioſior, quàm donum, quandoquidem Judex accepto dono remanet magis liber ad juſtè judicandum, ac quando ſperat id, quod ipſi promiſſum fuit: Neque licitum eſt Judici debitori litiganti acceptare remiſſionem debiti, vel ut addit cum Baldo, Matienco, & Menochio Caſtropalaus *ibid.* accipere mutuò pecuniam pro ferenda in ejus favorem ſententia; quia præſumitur fraus in hoc mutuo, nimirum, quòd donatio colore mutui palliari intendatur.

170. Dico ſeptimò, non damnatur aſſertum, quòd litigans poſſit offerre Judici, aut ejus Miniſtris aliqua munera ad redimendam vexationem; nempe quando probabiliter timet ſibi faciendam injuſtitiam: Torrecilla *loc. cit. num. 163.* quia propoſitio damnata dixit poſſe Judicem accipere pecuniam à litigante, pro favorabili ipſi ſententia ferenda: ſed hæc opinio non dicit poſſe Judicem accipere pecuniam, ſed litigantem eam offerre ad redimendam vexam: ergo non damnatur aſſertum, quòd poſſit litigans offerre pecuniam, aut munera Judici ad redimendam vexationem, videlicet ne injuſtam Sententiam ferat, de qua probabiliter dubitatur. Quod confirmari poteſt à paritate beneficiorum, in quibus absque ſimonia is, qui habet jus in re aliquam pecuniam ad injuſtam vexationem redimendam offerre poteſt: ergò &c.

171. Dico octavò, neque damna-

natur opinio Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 4. num. 9.* apud Dianam *part. 3. tr. 4. resol. 45.* asserens, quòd attento jure naturali possit aliquid accipi à litigante pro expedienda ejus causa ante alias eodem tempore patrocinio susceptas; ita Torrecilla suprà *num. 168.* quia secundùm propositionem damnatam Judex poterat accipere pecuniam pro ferenda sententia in favorem unius præ alio: atqui hæc opinio non propter hoc, sed propter expeditionem causæ unius præ alia, dum litigantes jure temporis æqualiter gaudent, pecuniam posse accipi astruit: ergo hæc opinio non intelligitur damnata.

Advertendum tamen est, quòd si alterius causa ante eam collitigantis tribuentis pecuniam deberet expediri, non posset Judex accipere pecuniam pro celeriori hujus expeditione; quia injuria fieret alteri: atqui cum alterius injuria nequit Judex accipere pecuniam pro concludenda citiùs alia causa; ergo &c. Præterea advertendum est, quòd si causa litigantis largientis pecuniam esset ante alias expedienda, non posset Judex accipere dictam pecuniam ob celeriorem ejus expeditionem, quia ad hanc in conscientia tenetur; quapropter in æquali tantùm cursu duarum causarum dicitur non condemnari assertum; quòd Judex possit accipere pecuniam pro expedienda una præ alia; quod licèt condemnationi non subjacere censeam, hanc tamen doctrinam non sequor, tum quia non invenio justum titulum, ob quem Judex possit dictam pecuniam accipere: tum quia hoc esset causa, quòd Judices cupiditate excæcati, causas tempore æquales esse censerent, quæ tamen aliquo jure anteriores essent.

PROPOSITIO XXVII. damnata.

Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

172. Suppono primò, probabilitatem unam esse intrinsecam, extrinsecam alteram: intrinseca est fundamentum, & ratio, cui opinio innititur: extrinseca est auctoritas Doctorum opinioni patrocinantium: probabilitas extrinseca dependet ab intrinseca; quia in tantum præbemus assensum auctoritati Doctoris, in quantum putamus eum ratione fulciri: porrò aliquæ opiniones sunt cæteris tutiores, & aliquæ probabiliores, & aliæ minùs probabiles; quod videri potest in meis Confer. *part. 1. tract. 1. Conf. 1. num. 5. 6. & 7. & Confer. 2. num. 4.*

173. Suppono secundò, nullam ex opinionibus damnatis à Sede Apostolica esse in conscientia sequendam, quamvis plures, & Classici Authores eam docuerint, & etiamsi præcipuè soli-

solidis fundamentis, validis rationibus fulciri videatur: Neque sunt sequendæ opiniones, quas Doctores communiter censurant, ac improbabiles existimant, quamvis unus, vel alter Author eas sequatur.

174. Suppono tertiò, ad probabilitatem alicujus opinionis quatuor conditiones requiri, prima, ut solida aliqua, & non levi ratione fulciatur: secunda, ut nullum errorem contineat, tertia, ut non sit abolita & antiquata: quarta, ut non sit ab Ecclesia damnata: videatur Bonacina *tom. 2. disp. 2. q. 4. punct. 9. num. 1.*

Suppono quartò ad eandem probabilitatem pariter requiri, ut contra eam ratio convincens adduci non possit; alioquin non esset opinio, sed error, ita Joannes Sanchez in select. disp. 14. num. 8. attamen non ex eo, quòd aliquis solutionem rationis impugnantis opinionem adinvenire non possit, propterea hæc censenda est improbabilis; quia alii faciliter eam solvent, etiamsi alicui irrefragabilis appareat. Videatur Thom. Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 6.*

175. Dico primò, assertum propositionis damnatæ fuit, quòd opinio inventa in libro alicujus moderni auctoris censeri debeat probabilis, dum non constet rejectam, & damnatam esse à Sede Apostolica: quod justissimè damnatur; quandoquidem Auctor ex eo, quòd sit modernus, non præbet opinioni probabilitatem, sed fundamentum, & ratio, qua eadem probatur, vel doctrina & pietas Authoris: ergo non eo, quòd modernus Author typis mandaverit opinionem, hæc probabilis censenda est. Nec valet dicere, quòd, si licet sequi dictamen talis Auhoris quando oretenus consulitur, liceat pariter ejusdem impressum dictamen sequi; cùm id, quod prælo datur, exactiùs, & appliciùs ponderetur, & perpendatur tanquam coram Mundo, & ejus censura comparendum & subjiciendum, quod est fundamentum opinionis damnatæ: Respondetur enim ad hoc, quòd consulens oretenus Authorem, id bona fide faciat, nec alios majoris notæ Doctores consulendos quærere teneatur; ex supposito etiam, quòd is, quem consulit casum propositum velut unicum maturè perpendet; cùm verò in libro plures casus imprimantur, facillimè contingit, quòd aliquis ex ipsis non benè perpendatur ab Authore, qui si amicus est vanitatis, ac idæis, & metaphysicis solius sui ingenii rationibus addictus, in veritate inquirenda, & proponenda periclitatur: quis dubitat, quemvis posse sequi dictamen oretenus dandum à Magno Augustino, Ecclesiæ lumine, & eruditionis Apolline? & tamen hic eximius, & gravissimus Doctor aliqua scripsit, quæ postmodùm retractavit: ergo &c.

Hinc damnatam adjudico opinionem dicentem, quòd non solùm pos-

simus sequi opinionem impressam Authoris moderni, verùm etiam ea, quæ obiter, & incidenter in margine, & indice libri posuit, quia si in iis, quæ ex proposito, & præmediatè scribuntur, aliquis error excurrere solet, quantò magis in iis, quæ incidenter solùm, & obiter tanguntur tam in corpore libri, quàm in margine, & indice, in quibus tanta diligentia non assolet apponi.

176. Dico secundò, non damnatur assertum, quòd Author modernus, pius, & doctus rationi innixus, ac singulares opiniones exponere non ambiens, possit facere opinionem probabilem: sic tradit Torrecilla in hanc propositionem tract. 8. concl. 5. num. 11. ratio est, quia propositio damnata ad probabilitatem alicujus opinionis ajebat, sufficere si ejus Author sit modernus; hoc autem sat esse non dico, sed necessarium esse, quòd Author sit pius, doctus, non singularis in opinionibus, & rationi innixus: ergo non damnatur assertum, quòd Author modernus cum ejusmodi conditionibus opinionem probabilem constituere possit.

177. Dico tertiò, neque damnatur assertum Castropalai tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 1. num. 3. quòd si res, pro qua est opinio, ab Authoribus agitata non sit, nemini potest esse dubium dictum unius gravis, & pii Doctoris moderni, qui ratione firma intelligitur moveri, sufficere ad opinionem probabilem constituendam tam sibi, quàm aliis: si verò res controversa sit à paucis, potest vir doctus adversus illos sentire, si rationem firmam in contrarium habeat; ratio, quòd hoc assertum non damnetur, est, quia non dicitur, quòd Author ex eo, quòd sit modernus, & suam opinionem prælo dederit, eandem probabilem constituat, sed quia firma ratione munitur, quod est fundamentum probabilitatis intrinsecæ: ergo non damnatur assertum, quòd Author modernus possit constituere opinionem probabilem, quando firma ratione fulcitur, & ab Authoribus non sit agitata, vel à paucis controversa sit.

178. Unde infertur, singularem Authorem posse constituere opinionem probabilem adversus communem, modò ratione firma, & solida intelligatur moveri, ita Azorius part. 1. l. 2. c. 17. quæst. 6. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 1. diffic. 4. num. 17. Ut autem opinio alicujus Doctoris adversus communem probabilis censeatur, non sufficit, si perfunctoriè, & incidenter & occasione alicujus argumenti dicta sit, nam quæ dicuntur incidenter, fortè ad colorem, non ad probationem dicuntur; requiritur, ut ex professo, & resolutoriè dicatur; ita Castropalaus ibi, suprà num. 5. & quòd hæc opinio non reprobetur; probatur, quia non dicitur, ut in propositione damnata,

quòd

quòd ad fundandam probabilitatem ſufficiat, ſi opinio in libro alicujus Authoris moderni inveniatur, ſed requiri, quod Author ſingularis firma ratione muniatur, & reſolutoriè de ea tractet, quod eſt valde diverſum à caſu damnato in hac propoſ. 27.

Advertendum tamen eſt cum Lezana, Lumbier tom. 2. frag. 7. n. 632. quòd Author modernus ad conſtituendam ſuam opinionem probabilem ſex conditiones neceſſariò habere debeat. Prima, ut ſi pius, & bonus, non litigioſus, aut paſſione ductus: Secunda, ut ſit doctus, & verſatus in materiis, non tantùm ſcholaſticis, ſed etiam moralibus: Tertia, ut ex profeſſo materiam tractaverit: Quarta, ut ratio, qua munitur, ſit firmior, & melior ac ea ſententiæ adverſæ: Quinta, ut cæteri Doctores communiter eam improbabilem non cenſeant: & Sexta, ut talis opinio non ſit damnata ab Eccleſia: Concurrentibus his conditionibus tenet Lumbier, quòd opinio ſingularis Authoris ſit tuta in praxi, & n. 31. in fine ſentit, id non fuiſſe damnatum ab Alexandro VII.

179. Dico quartò, non damnatur hìc aſſertum, quòd liceat ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori, & opinionem tutam, relicta tutiori, præterquam in caſibus damnatis ab Innocentio XI. in propoſitione 1. 2. 3. & 4. evidenter probatur; quia propoſitio damnata dixit, poſſe quempiam amplexari opinionem ex eo, quòd in libro alicujus moderni Authoris impreſſa habeatur: atqui noſtra concluſio hoc non dicit, ſed quòd poſſimus ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutam, relicta tutiori: ergo hìc non damnatur aſſertum, quòd poſſimus ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutam, relicta tutiori.

PROPOSITIO XXVIII. damnata.

Populus non peccat, etiamſi absque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

De materia receptionis legum Eccleſiaſticarum, & ſæcularium ex profeſſo tractavi in meis Confer. part. 1. tract. 3. Confer. 2. per totam; ubi hæc materia poterit videri, cùm non parvi momenti ſit id, quod ibi dictum eſt ad majorem intelligentiam hujus propoſitionis damnatæ; videatur præſertim ibi caſus 4. num. 27. 28. 29. & ſeq. Hìc ſolùm de neceſſariis ad ejusdem intelligentiam, & ſenſum, in quo declaratur practicè falsa, diſſeram.

180. Dico primò, Populus qui absque ulla causa non recipit legem à Principe promulgatam, peccat; & contrarium formaliter, & rectè damnatur in hac propoſitione 28. quia populus tenetur obedire ſuo Principi: atqui ſi absque peccato

posset non recipere ejus leges non teneretur ei obedire: ergo peccat populus, qui absque causa legem à Principe promulgatam non recipit: Et quamvis in hac Conclusione solummodo dicatur, quòd peccat præscindendo à peccato mortali, vel veniali; tenendum tamen est, quòd, si materia legis sit gravis, graviter quoque peccet, absque causa eandem non recipiens, & si levis, leviter, ut dictum est suprà n. 121. & 118.

181. Dico secundò, non damnatur assertum, primò, quòd populus non peccat ex justa causa legem à Principe promulgatam non recipiens; quia juxta propositionem damnatam non peccat populus, etiam absque ulla causa non recipiens legem promulgatam à Principe; ego autem dico eum non peccare si ex justa causa non recipiat. Secundò, quòd lex non acceptata à populo non obliget in conscientia, ut cum Lumbier, & Torrecilla dixi loc. cit. Confer. n. 3. Tertiò, quòd lex non promulgata non obliget; siquidem propositio damnata dixit, posita etiam promulgatione populum non peccaturum, legem non acceptando: ergo non damnatur assertum, quòd populus non peccet, non recipiens legem non promulgatam, vel eam non observans.

182. Ex hac doctrina infertur, sequentes opiniones adductas in Confer. 2. citata non condemnari: Primò, quòd leges Principis sæcularis nisi recipiantur, non obligent, quando à populo habet potestatem legislativam condendi leges sub conditione ejus consensus: Secundò, quòd non obligent leges humanæ, quando opponuntur Foro, aut consuetudini receptæ à populo, vel quando sunt arduæ, & observatu difficiles, ead. confer. num. 5. num. 8. & 9. Tertiò, quòd leges Pontificiæ, & Civiles non obligent, si Legislator advertens eas non recipi, & observari, pro earundem observantia non instet, ibid. num. 10. vel si contra legem præscripsit legitima consuetudo ibid. num. 11. Quartò, quòd non peccet populus, ex justa causa, petens à Principe dispensationem à lege, quia supplicatione interposita, suspenditur ex tunc obligatio legis; ibid. num. 17, & 18. Quintò, quòd lex non obliget, quando dubitatur, an sit recepta, vel ne num. 12.

Nulla ex his doctrinis est damnata; quia nulla dicit, quòd populus non peccet, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam, sed quòd non obligent leges non receptæ, vel quando dubitatur de earum receptione; quod valde differt ab asserto propositionis damnatæ.

PRO-

PROPOSITIO XXIX. damnata.

In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

183. SUppono, de essentia jejunii, præter abstinentiam carniũ, esse unicam comestionem, & quamvis concedatur collatiuncula, hæc tamen non dicitur formaliter comestio; suppono pariter modicam quantitatem non frangere essentialiter jejunium, quæ si absque ulla necessitate sumatur, erit peccatum veniale, quemadmodum modica quantitas in furto, levis defectus in Missa &c. talem culpam non excedunt; verum est, quòd modica causa sufficiat, ut quis modicum quid comedens in die jejunii à veniali excusetur, & hæc quantitas parvitatis materiæ non frangens jejunium, erit unciarum duarum: inquit Diana part. 5. tract. 5. resol. 11.

184. Dico primò, qui in die jejunii sæpius modicum quid comedit, si notabilem quantitatem in fine comederit, frangit jejunium, & contrarium censuratur tanquam improbabile in hac propos. 29. quod intelligendum est, sive eæ parvitates sumantur ex voluntate antecedenti omnes eadem die sumendi, sive sumantur casu, & per accidens, juxta occasiones diversas comedendi illa die: & ratio est, quia hæ parvitates continuantur in ventriculo in ordine ad nutritionem: ergo sive ex intento, sive ex accidenti sumantur, violabunt jejunium illius diei, si omnes simul sumptæ notabilem quantitatem constituant.

185. Dico secundò, damnatur pariter opinio, quam cum aliis docuit Leander à Sacram. part. 3. tract. 5. disp. 5. quæst. 10. videlicet, quòd in die jejunii quotiescumque sumitur haustus, liceat aliquid modicum comedere, ne potus noceat, modò hoc non fiat in fraudem jejunii: quamvis hanc opinionem non damnari sentiat cum Prado, Torrecilla super hanc prop. tract. 9, sub num. 8. in 2. editione pag. 477. ratio nostræ conclusionis est; quia quantumvis non fiat in fraudem jejunii, verificatur eadem ratio, intentum, & termini proprii propositionis damnatæ: ergo à condemnatione non eximetur opinio, quòd dictæ quantitates sumi possint, modò non fiat in fraudem jejunii. Nec assertum, quòd sumantur, ne potus noceat, potest id cohonestare, aut liberare à condemnatione; siquidem si hoc sufficeret, posset pariter dici, quòd neque damnaretur opinio, vi cujus licitum est pluries modicum comedere ad instantiam, & preces amici, quod non concedit Torrecilla ibid. num. 8. ergo nec concedendum erit, quòd condemnationi non subjaceat opinio juxta quam licitum est pluries parùm comedere, ne potus

 tus

tus noceat, modò non fiat in fraudem jejunii.

186. Dico tertiò, non damnatur opinio communis, affirmans iteratum potum jejunium non frangere: & hoc intelligitur non solùm quando sumitur ad extinguendam sitim, verùm etiam ad sustentationem, & moderationem famis. sic Fagundez in 4. præcept. lib. 1. cap. 3. num. 19. quia propositio damnata loquebatur de comestione; *qui sæpius comedit*, nostra autem de potu, ex quo tamen non infertur, licitum esse, multoties in die jejunii sumere Chocolatam, cùm hæc non sit potus, sed cibus, ut dixi 1. part. hujus prax. tract. 3. cap. 3. in fine num. 30. pag. 72.

Hinc infertur, in hac condemnatione comprehendi assertum, quòd sumptio modica iterata fuarum, pomorum, pirorum, malorum citreorũ, & hujusmodi fructuum non frangat jejunium, si omnes hæ parvitates notabilem quantitatem constituant: & probatur; quia hi fructus non sunt potus, sed cibus, ut dicit Leander ubi suprà quæst. 6. 7. & 8. atqui damnatur assertum, quòd in die jejunii sæpius modicum quid accipi possit, etsi notabilem quantitatem quis comedat: ergo pariter damnabitur assertum, quòd in die jejunii possit quis sæpius modicum quid de pomis, piris, uvis &c. comedere, si notabilem quantitatem comederit.

187. Dico quartò, non damnatur assertum, quòd plures parvitates sumi possint in die jejunii, quando omnes simul sumptæ non excedunt quantitatem, semel licitè comestibilem. v. g. licitum est sumere duas parvitates unius unciæ qualibet vice; quia cùm possint sumi duæ unciæ simul, & semel absque fractione jejunii, poterunt etiam sumi duæ unciæ binis, ternis, quaternis, & repetitis vicibus: & ratio est, quia propositio damnata annuebat parvitati, quamvis ex ea notabilis quantitas resultaret; ego autem non concedo, ut ex parvitatibus resultet notabilis quantitas sed tantùm duarum unciarum, quæ non frangit jejunium: ergo non damnatur assertum, quòd plures parvitates sumi possint, quando ex iis simul sumptis quantitas duas uncias excedens non resultat.

188. Dico quintò, neque damnatur opinio Sanchez disp. 52. n. 3. quæ dicit, quòd non frangat jejunium is, qui inadvertenter in die jejunii sumit plures parvitates (saltem non peccat) nec propterea tenetur abstinere à collatiuncula, præterquam si prope tempus collatiunculæ comedisset, & parvitates (addo ego) ad notabilem quantitatem non pervenerint: Et quamquam videatur in hoc casu frangi materialiter jejunium, si hæ parvitates materiam gravem, seu notabilem quantitatem constituerent, culpa tamen non esset ratione inadvertentiæ: & quòd hæc opinio

non

non damnetur, liquidò conſtat; quia loquitur terminis valde diverſis ab iis, qui in propoſitione damnata continentur.

189. Dico ſextò, non damnatur opinio juxta quam is, qui manè quantitatem duarum unciarum ex neceſſitate comedit, poteſt veſperi adveniente nova neceſſitate aliam quantitatem duarum unciarum comedere: v. g. Confeſſarius diu Confeſſiones excepturus modicum quid manè comedit, & veſperi concionaturus, ante Concionem aliud modicum pro corroborando pectore, vel poſt, ob debilitatem licitè comedit; quia ex juſta cauſa poteſt prætermitti jejunium: ergo multò magis ex eadem causa poterit ſemel, & iterum modicnm quid ſumi; nec eſt veriſimile, quòd ſua Sanctitas rem adeò rationabilem condemnet: idem eſto judicium de hujusmodi laborioſis Miniſteriis: v.g. de iter pedeſtre ſuſcipientibus; de ſerò prandentibus ob ſervitium in menſa Dominorum. Vide Leandrum part. 3. tr. 5. q. 20. 24. & 25.

Placet hìc advertere, quòd ſicut jejunium ſpirituale non ſtat cum frequentia lapſus voluntarii, ut modò quis ſcienter dicat unum verbum otioſum, modò unum mendacium leve &c. ita non ſtat jejunium corporale, cùm quis modò comedit parùm, poſteà aliud parùm, & ſic deinceps. Jejunet ergo oculus ab aſpectibus curioſis, auris à fabulis, à rumoribus, à curioſitatibus: Jejunet lingua à detractatione, ab inutilibus, & inanibus verbis. Jejunet manus ab otioſis ſignis, & laboribus: jejunet anima à vitiis: & ſic totus homo à cunctis peccatis etiam levibus jejunare debet, ut dicatur ponere jejunium ſpirituale: ſic pariformiter jejunet homo ab omni cibo corporali, ſi vult verum corporale jejunium ponere.

PROPOSITIO XXX. damnata.

Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

190. Suppono primò, dari aliqua munia, ac officia laborioſa, & incompatibilia cum jejunio, & alia levia cum eodem compatibilia: officia laborioſa, & incompatibilia cum jejunio; ut ſunt ea Ruſticorum, Hortulanorum, Fabrorum, Sutorum, & ſimilium, excuſant, ab obligatione Jejunii: officia, & exercitia levia, ut ſunt ea Pictorum, Sartorum, Barbitonſorum, & hujusmodi, à præcepto Jejunii non eximunt.

Suppono ſecundò, quòd quantumvis aliquod officium, & exercitium ex ſua natura ſit cum Jejunio compatibile, reſpectivè tamen ad aliquam perſonam poſſit eſſe incompatibile ob debilitatem virium.

191.

191. Dico primò, opinio Propositionis damnatæ fuit, quòd omnes Officiales corporaliter in Republica laborantes, quamvis non essent certi, quòd eorum labor esset incompatibilis cum Jejunio, ab hoc tamen essent excusati; quod justissimè tanquam improbabile reprobatur; quia jejunium est lex Ecclesiastica gravem obligationem inducens in foro conscientiæ: ergo ut quis ab ea sit exemptus, causa vera, & legitima requiritur: ergo si officiali non constat, nec se certificat, quòd ipsius labor sit cum jejunio incompatibilis, ab hujus obligatione immunis esse nequit.

192. Dico secundò, non damnatur opinio, quòd omnes Officiales, quorum labor cum jejunio est incompatibilis, ab ejus obligatione sint exempti; quia propositio damnata dicebat esse excusatos, quamvis non se certificarent, an labor sit compatibilis cum jejunio: ergo si constet, quòd eorum labor sit incompabilis, à tali obligatione erunt excusati: videatur Diana part. 3. tract. 9. resol. 8. & part. 8. tract. 7. resol. 40.

Unde infertur, neque reprobari opiniones, excusantes à jejunio, primò Concionatores, qui per totam Quadragesimam ter, aut quater in Septimana Verbum Dei disseminant; secundò Judices, & Advocatos, Procuratores, Scribas, Notarios, qui multùm laborant, ita ut totum diem in suo munere insumant. Tertiò, Coquos Communitati 60. personarum inservientes: Quartò, famulos, & famulas multùm laborantes in scopando, poliendo, asportando aquam: Quintò, in Quadragesima se flagellantes usque ad sanguinem; & alios, quos refert P. Torrecilla super hanc Propos. num. 11. & 12. neque damnatur assertum; quòd rustici cæterique mercenarii, & operarii non solùm excusentur à jejunio eo die, quo laborant, verum etiam eo die, quo laborem intermittunt, ut si interveniat dies festus, vel pluvia, & præsertim si jejunando grave sentirent incommodum ob laborem præcedentis diei, vel si redderentur inepti ad laborē sequentis diei, juxta judiciū prudentis viri: Torrecilla ibidem n. 113.

193. Dico tertiò, neque reprobatur assertum, quòd aliquis Officialis sit excusatus ab obligatione jejunii, licèt ejus labor sit ex natura sua levis, sed ob debilitatem virium est ipsi gravis, ac incompatibilis cum jejunio: v. g. sartor delicatæ complexionis in laborando multùm sufferens non obligatur ad jejunium: & probatur nostrum assertum; quia propositio damnata excusabat Officiales à jejunio, quamvis non se certificarent de incompossibilitate jejunii cum eorum labore, ego autem à jejunio non excuso absque notitia hujus incompossibilitatis, sed eam suppono in tali subjecto debili, & viribus destituto: ergo non reprobatur assertum, quòd

Offi-

Officialis ſit excuſatus à jejunio, licèt ejus labor ſit ex natura ſua levis, eſt tamen cum jejunio ob debilitatem virium incompatibilis.

Hinc ſequitur, neque reprobari aſſertum, quòd omnes Officiales, quamvis eorum labor ſit levis, poſſint eſſe excuſati à jejunio ob infirmitatem, & alias hujusmodi cauſas, quæ ſecluſo labore alios à jejunio excuſant; quia propoſitio damnata excuſabat à jejunio omnes Officiales ratione laboris: atqui non ratione hujus, ſed ob infirmitatem, aut alias hujusmodi cauſas eosdem excuſo: ergo non reprobatur aſſertum, quòd omnes Officiales, etiam leviter laborantes ob infirmitatem, & alias cauſas, à jejunio exempti eſſe queant.

PROPOSITIO XXXI. damnata.

Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, ut cumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

194. SUppono in hac propoſitione tria contineri; primum, quòd omnes iter agentes equitando, utcumque iter agant, vel in lectica, carpento, curru, equo &c. excuſentur à jejunio; ſecundum, etiamſi iter non ſit neceſſarium, & tertium, etiamſi iter unius diei conficiant.

195. Dico primò, abſolutè non excuſantur à jejunio omnes iter agentes equitando, vel in lectica, carpento, curru &c. etiamſi iter neceſſarium non ſit, & iter unius die conficiant; cujus oppoſitum in hac propoſitione 31. reprobatur: & meritò; quia pro exemptione à lege jejunii requiritur, ut labor ſit cum ipſo incompatibilis: ſed ſic eſt, quòd cum jejunio non ſit incompatibile abſolutè loquendo, iter unius diei equitando, in curru, carpento &c. ergo iter unius diei hoc modo conficiens, à præcepto jejunii non excuſatur.

196. Dico ſecundò, non damnatur ſententia aſſerens, quòd iter equeſtre unius diei excuſet ab obligatione jejunii perſonam, quæ in eo cõficiendo, ex complexione particulari magnam contrahat laſſitudinem; ratio eſt, quia propoſitio damnata omnes abſolutè iter agentes equitando, à jejunio excuſabat, mea autem ſententia non abſolutè omnes, ſed tantùm reſpectivè ob debilitatem complexionis multùm ſuſtinentes, in ejusmodi itinere, excuſat: ergo non damnatur ſententia aſſerens, quòd iter agens unius diei equitando, excuſetur à jejunio, ſi multùm in eo conficiendo ſuſtineat.

197. Dico tertiò, neque damnatur aſſertum, quòd iter neceſſarium, & plurium dierum agens equitando, excuſetur à jejunio: quia propoſitio damnata loquitur de agente iter unius diei, & non neceſſarium: ego autem de

de conficiente iter necessarium, & plurium dierum: licèt autem id non esse damnatum censeam, censeo tamen non quodcumque iter necessarium, & plurium dierum excusare à jejunio, nisi alia circumstantia iter grave & dolorosum reddens concurrat: v. g. cursor postæ, aut equester velociter incedens, & similes, qui multùm defatigantur in itinere ad jejunium non tenentur: Torrecilla super hanc Propos. num. 16. si verò iter conficiens plurium dierum multùm sufferat, ac propter itineris continuationem virium debilitatem experiatur, aliqua die moram faciat, non tenetur vi hujus condemnationis ad jejunium. Juxta supradicta num. 190. in fine.

198. Dico quartò, neque damnatur assertum, quòd iter unius diei necessarium agens equitando, si in via alimento careat sufficienti ad unam refectionem in die Jejunii sumendam, non teneatur ad jejunium; quia si domi manens, & ejusmodi alimento carens, non tenetur ad jejunium, à fortiori, nec iter agens ob eandem causam. Et si petas, quænam censenda sit congruens refectio ad jejunium, Respondeo, juxta aliquos non sufficere panem in quantavis quantitate, sicut nec etiam fructus, & olera, sed requiri cibos, qui sint majoris nutritionis; quia cibi prædicti moraliter censentur incongrui, & insufficientes ad completam sustentationem: ut videri potest in Bassæo verb. Jejunium 2. num. 6. & in Leandro à Sacram. part. 3. tract. 5. disp. 8. quæst. 42. & 43. cum distinctione tamen loqui debemus, nempe si persona est robusta, ac cibis rusticanis assueta, tunc dicerem, sufficere panem, fructus, olera, vel legumina; si verò sit delicata, ac in pretiosis obsoniis vescendis usum habens, ac proinde ex olerum, vel leguminum, fructuum, ac panis esu nocumentum passura, hæc non constituent sufficientem ad jejunium refectionem, & consequenter non tenebitur ad jejunium.

199. Dico quintò, in hac condemnatione non est sermo de iter pedestre suscipientibus, sed de iter agentibus equitando, ut constat ex textu propositionis damnatæ: ac proinde cum sua probabilitate manent opiniones, ante hoc Decretum probabiliter excusantes à jejunio, ejusmodi iter conficientes. Unde infertur, non reprobari opiniones excusantes à jejunio, primò, pedestres tota die itinerantes: secundò, trium leucarum iter conficientes pedestres delicatæ complexionis, & non assuetos: tertiò, pedestres conficientes iter etiam non necessarium: Quartò, circumeuntes civitatem cum mercibus venalibus si per totam diem circumeant; quia comparantur iis, qui pedites iter agunt, talis enim circuitio valdè defatigat corpus, unde labor sufficiens est, ut solvat obligatio-

nem

nem jejunandi : Videatur Leander suprà quæst. 99. quia in propositione damnata erat sermo de itinere non necessario equitando confecto : nos autem loquimur de itinere pedestri.

Ex dictis infertur primò, valde defessum ex labore sumpto ob recreationem, vel ex ludo pilæ, non teneri ad jejunium, si talis defatigatio est cum eodem incompossibilis : Hoc tamen cum distinctione intelligi debet, quia vel talis prævidit, aut prævidere debuit, quòd cum illo impedimento voluntariè à se suscepto non valebit jejunare ? & ita peccabit mortaliter ob suam causam non jejunando : vel non prævidit, aut expertus est, ex illo impedimento sequi necessitatem non jejunandi ? & in hoc casu non peccabit posteà non jejunando, nec in se, nec ob suam causam : Villalobos part. 1. tract. 23. diffic. 4. num. 11. idem dico de fatigato in venatione, aut aliis indifferentibus corporalibus exercitationibus.

Infertur hanc condemnationem nihil prorsus loqui de pauperibus stipem ostiatim emendicantibus, qui à Doctoribus communiter ab obligatione jejunii eximuntur, satis enim jejunat, qui parcè comedit ; Verum cùm hujus vitæ genus adeò ab aliis laboribus immune sit, si aliqui fortè essent, qui sibi possent unicam comestionem ad sustentationem vitæ sufficientem quotidie providere ex iis, quæ in alimentum, vel emendicata colligunt, vel in duabus, aut tribus Religionum januis gratis accipiunt, à jejunio non excusantur ; utpote quorum labor non est cum jejunio incompatibilis : ita Lumbier tom. 2. super hanc propos. num. 779. pag. (mihi) 651.

PROPOSITIO XXXII. damnata.

Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

200. Suppono consuetudinem legitimè introductam, habere vim legis, & obligare in foro conscientiæ, ut dixi tom. 1. Confer. tract. 3. Confer. 7. §. 3. num. 17. & 21. ubi explicui conditiones requisitas ad consuetudinem, ut vim legis habeat.

201. Dico primò: evidens est, consuetudinem non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obligare, & contrarium est casus damnatus in hac propositione 32. quia hæc consuetudo est de re honesta voluntariè introducta, & à tempore immemorabili acceptata tanquam obligatoria in Ecclesia Dei ; habétque omnes conditiones requisitas ad consuetudinem, ad hoc, ut habeat vim legis, & obliget : ergo evidens est obligare consuetudinem non comedendi ova, nec lacticinia in Quadragesima; & quamquam verum sit, quòd hæc propositio non loquatur explicitè,

quanta sit hujusmodi obligatio, an levis, vel gravis, tenendum est tamen ad peccatum lethale obligare; quia lex in materia gravi ad lethalem culpam obligat: atqui consuetudo legitima, qualis est ea non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima est lex, & in materia gravi: ergo ad lethalem culpam obligat.

202. Dico secundò, condemnationi non subjacet opinio asserens, non extare præceptum Ecclesiasticum, obligans ad ova, & lacticinia in Quadragesima non comedenda: ut bene probat N. P. Torrecilla super hanc propositionem num. 19. & seq. quia propositio damnata asseruit, non esse evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget: nos autem affirmamus hanc consuetudinem sub mortali obligare, & solùm dicimus condemnationi non subjacere, opinionem asserentem, quòd ejusmodi obligatio à præcepto Ecclesiastico ortum non habeat: ergo condemnationi non subjacet opinio asserens, non extare præceptum Ecclesiasticum, obligans ad ova, & lacticinia in Quadragesima non comedenda: Quamvis autem id hìc non damnetur: tenendum est tamen, dari præceptum Ecclesiasticum ad ova, & lacticinia in Quadragesima non comedenda obligans. Torrecilla ibid. n. 23. & 26.

203. Dico tertiò, neque condemnationi subest opinio secundùm quam in aliis jejuniis extra Quadragesimam v. g. in quatuor temporibus, & jejuniis de præcepto, in Hispaniis non sunt prohibita ova, & lacticinia, nec ex lege, nec ex consuetudine: ita Torrecilla num. 30. ratio est; quia propositio damnata loquitur de Quadragesima, sed nostra opinio de hac non loquitur, sed de aliis jejuniis extra Quadragesimam, ergo cōdemnationi non subest opinio, quòd in jejuniis extra Quadragesimam, ova, & lacticinia in Hispaniis nec ex lege, nec ex consuetudine vetita sint.

204. Dico quartò, falsa est opinio asserens, quòd in Dominicis Quadragesimæ possint comedi ova, & lacticinia absque Bulla adeóque licèt non formaliter, saltem virtualiter est damnata: Torrecilla suprà num. 31. quòd non sit formaliter, & explicitè damnata, ratio est, quia propositio damnata loquitur de Quadragesima, hæc autem non de Quadragesima, sed de ipsius diebus Dominicis, quas non reputant dies quadragesimales hujus opinionis Patroni: ergo formaliter, & explicitè non damnatur opinio asserens, diebus Dominicis Quadragesimæ licita esse ova, & lacticinia absque Bulla: Nec ego huic opinioni adhæreo, sed oppositam veram esse sentio, juxta quam diebus Dominicis Quadragesimæ ova, & lacticinia in Quadragesima absque Bulla vetita sunt; quia Sacra Congregatio

S. Offi-

S. Officii, & Indicis mandarunt hanc ſententiam à quodam libro deleri, quod factum fuit, ut teſtatur Diana part. 10. tract. 11. reſol. 46. & Torrecilla ubi ſuprà num. 32.

Unde infertur, quòd quamvis non damnetur opinio, quòd Eccleſiaſtici absque Bulla lacticiniorum poſſint iis veſci in Dominicis Quadrageſimæ, & Dominica Palmarum; hæc tamen opinio non eſt cenſenda vera, quantumvis hìc non ſit damnata propter rationem numero præcedenti dictam.

205. Dico quintò, neque damnatur opinio aſſerens, primò, quòd pauperes mendicantes absque Bulla poſſint veſci in Quadrageſima reliquiis lacticiniorum in menſa eorum, qui cum privilegio Bullæ ea comedunt. Secundò, quòd ruſtici, cæterique egeni, aut itinerantes poſſint absque Bulla comedere in Quadrageſima ova, & lacticinia, quando aliud obſonium non habent, quo unicam comeſtionem ad ſuſtentationem vitæ ſufficientem inſtituere poſſint: Leander à Sacram. part. 3. tract. 5. diſp. 3. q. 15. q. 16. & q. 17. probatur noſtra concluſio; quia hæ opiniones non affirmant, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima non obliget juxta aſſertum propoſitionis damnatæ; ſed quòd ſuppoſita obligatione *per ſe* hujus conſuetudinis, *per accidens* in relatis caſibus ab ea aliqui exempti ſint.

206. Dico ſextò, non damnatur aſſertum, primò: quòd in Quadrageſima absque Bulla ſint licita ova, & lacticinia ob infirmitatem, aut aliam cauſam v. g. quia piſces nocent ſanitati: ſecundò, Muſici conducti ad canendum, ſive ſalarium, aut præbendam ad id habentes poſſunt non ſervare jejunium, ſi ad canendum redderentur inhabiles, non enim cauſa jejunii adſtrictus eſt aliquis diminutè ſuum exequi munus: vide Dianam part. 1. tract. 9. reſol. 11. tertiò, quòd is, qui ex privilegio poteſt veſci ovis, & lacticiniis, poſſit quoque comedere piſces, quando ex ovis, & lacticiniis nequit unicam comeſtionem congruam inſtituere, vel quia continua eorum comeſtio faſtidium parit: ſic Azorius part. 1. lib. 7. cap. 10. quæſt. 5. Hæ doctrinæ diſcrepant à propoſitione damnata, ut conſtat ex dictis num. præcedenti, proindéque non ſunt damnatæ.

207. Advertendum primò, quòd non ex eo, quòd quis excuſetur à jejunio, propterea poſſit veſci ovis, & lacticiniis, cùm præceptum jejunii, & præceptum prohibens lacticinia ſint diſtincta: ſic Ruſtici, & cæteri Mechanici, ac Operarii, exercentes artes laborioſas abſolvuntur à jejunio in Quadrageſima, & tamen non propterea poſſunt comedere lacticinia: ſic fœminæ prægnantes, & lactantes deobligantur à jejunio, & tamen non ideò poſſunt veſci ovis, &

& lacticiniis, si sint robustæ, in sententia Dianæ part. 4. tract. 4. resol. 126.

Advertendum secundò, quòd diebus Quadragesimæ vescens sæpiùs lacticiniis sine Bulla, peccet, toties, quoties vescitur; quia prohibitio vescendi lacticiniis est divisibilis, adeóque licèt semel violetur, non propterea cessat obligatio prohibitionis: Videantur dicta 1. part. hujus Prax. tract. 3. cap. 3. num. 28. pag. 71.

PROPOSITIO XXXIII. damnata.

Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.

208. DE restitutione facienda à Beneficiario ob omissionem horarum locuti fuimus suprà tract. 12. cap. 3. n. 56. pag. 26. part. 2. & in hoc tract. in explicat. prop. 20. quapropter hìc solummodo de necessariis ad intelligentiam hujus propositionis differam; Et suppono, quòd obligatus ad recitationem Divini Officii ratione tantùm Ordinis Sacri, vel Voti, Patrimonii, vel Capellaniæ legatæ non teneatur ad restitutionem ob omissionem licèt graviter peccet.

209. Dico primò, assertum propositionis damnatæ fuit, quòd Beneficiarius supplere possit restitutionem fructuum ob omissionem horarum per quascumque eleemosynas, quas antea de fructibus sui beneficii fecerit; quod omninò damnatum est; quia obligationi non contractæ satisfieri nequit: sed sic est, quòd Beneficiarius ante omissionem horarum nullam contraxerit obligationem restitutionis: ergo per eleemosynas, quas antea de fructibus sui Beneficii fecit, nequit satisfacere obligationi restitutionis post omissionem tantùm contractæ.

210. Dico secundò, non damnatur hìc opinio, quòd Beneficiarius satisfaciat obligationi restitutionis ob omissionem horarum per eleemosynas, quas de fructibus sui beneficii post eandem omissionem fecerit: sic Lumbier tom. 2. num. 752. pag. (mihi) 639. & cum Prado, Torrecilla num. 50. pag. 264. secundæ impress. ratio est; quia propositio damnata loquitur universaliter de omnibus eleemosynis antea factis absque distinctione earum, quæ ante, vel post omissionem horarum factæ sunt: nos autem non loquimur genericè, sed cum restrictione eleemosynas factas post omissionem horarum: ergo non damnatur opinio, quòd Beneficiarius satisfaciat obligationi restitutionis per eleemosynas, de fructibus Beneficii post omissionem horarum factas.

Notandum tamen est, hoc non habere locum, quando Beneficiarius habet expressam intentionem non satis-

tisfaciendi suæ obligationi per illas eleemosynas sed per alias, quòd si non habeat hanc expressam intentionem, sed interpretativam satisfaciendi, nimirum], si interrogaretur, an per easdem vellet se ab hoc onere liberare, affirmativè responderet; in hoc casu potest bene dici absque violatione hujus condemnationis, quòd per eleemosynas factas de fructibus Beneficii post omissionem horarum satisfaciat in integrum, vel in partem respectivè pro ratione omissionis, & dictarum eleemosynarum.

211. Dico tertiò, neque damnatur opinio, quòd Beneficiarius supplere possit restitutionem fructuum ob omissionem horarum per eleemosynas quascunque, etiamsi non sint de fructibus Beneficii: ratio est; quia non requiritur præcisè, ut Beneficiarius adimpleat restitutionem de specificis fructibus Beneficii ob omissionem horarum, sed sufficit de æquivalentibus. ut dixi suprà tract. 12. cap. 3. n. 62. pag. 28. part. 2. ergo cùm in hac propositione non damnetur opinio, quòd Beneficiarius supplere possit restitutionem fructuum per eleemosynas factas de fructibus Beneficii post omissionem horarum, neque damnabitur, quòd possit eandem supplere per quascunque alias eleemosynas, modò intentionem saltem interpretativam per has satisfaciendi habuerit.

PROPOSITIO XXXIV. damnata.

In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit Præcepto.

212. Suppono in Divino Officio duo esse consideranda: primum est substantia, seu essentia ejus: secundum, modus; substantia est, quòd recitentur septem Horæ Canonicæ; modus est ritus, quo hæ recitandæ sunt; & in hoc ritu possunt pariter duo considerari: unum est quantitas horarum, ex pluribus, vel minoribus Psalmis, & Lectionibus constantium; alterum est conformitas Officii recitandi ad tempus, diem, & Rubricas: v. g. Officium hebdomadæ Sanctæ maximè consonet Passioni JESU Christi, & Paschale ejus triumphis, & gloriis &c.

213. Dico primò, in die Palmarum recitans Officium Paschale, non satisfacit præcepto, & oppositum formaliter reprobatur in hac propositione quia, quamvis Resurrectionis Officium quo ad substantiam sit Officium Divinum, quo ad modum tamen ita dissonat Dominicæ Palmarum; ut graviter violaretur præceptum illud recitandi, si in hac die Resurrectionis Officium recitaretur: & quamquam verum sit, quòd violatio modi præcepti multoties sit peccatum veniale, attamen quando significatio est gravis, grave quoque erit peccatum: v. g.

leve

leve quid videtur commixtio unius guttæ aquæ cum vino in Consecratione Calicis, & nihilominus defectus in hoc esset mortale peccatum ob gravem hujus cæremoniæ significationem, & Mysterium: nunc cùm Officium Palmarum significet, & ordinetur ad Passionem Christi; & Paschale ad ejus gloriam, & hæ significationes sint adeò diversæ, & graves, graviter delinquet, & minimè satisfaciet præcepto recitans in die Palmarum Officium Paschale.

214. Dico secundò quantumvis hæc propositio damnata non loquatur in propriis terminis de officio aliorum dierum, sed solùm de Officio Palmarum, & Paschali; nihilominus tenendum est, quòd quandocunque aliquod Officium habet gravem, & diversam significationem ab altero, non satisfiat præcepto, recitando unum pro altero; ac proinde in Adventu, & in tota Quadragesima non satisfiet recitando Officium Paschale, aut Pentecostes; ratio est: quia Officium Paschale, & Pentecostes significant Resurrectionem Christi, & Adventum Spiritus Sancti; & Officium Adventus, & Quadragesimæ habent valde diversam significationem: ergo tempore Adventus, & Quadragesimæ recitando Officium Resurrectionis, aut Pentecostes, præcepto minimè satisfiet: idem dico de Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, cæterisque diebus particularibus anni, in quibus singularia Mysteria celebrantur.

215. Dico tertio, non damnatur Sententia asserens, satisfacere substantialiter præcepto illum, qui in die Dominica, aut feriali recitat Officium alicujus Sancti, aut econtra, vel Officium unius Sancti pro alio, si id tamen fiat absque ulla causa, erit veniale, secùs nullum; quia hìc violatur tantùm modus, & modus nullam diversam gravem significationem secum ferens: & probatur evidenter conclusio; quia propositio damnata loquitur de Officio Paschali in Dominica Palmarum: sed sic est, quòd nostra conclusio non de hoc, sed de aliis diebus, & Officiis loquatur, in quo magna est disparitas; ergo poterit satisfieri substantiæ præcepti, recitando in die Dominica, aut Feria, Officium Sancti, & econtra, vel in die unius Sancti, Officium alterius: Sic Torrecilla super hanc propositionem 34. num. 52. Videantur supradicta in Dialog. tract. 12. cap. 3. num. 91. & seq. pag 40.

216. Hinc infertur, beneficiarium in die Palmarum recitantem Officium Paschale, obligari ad restitutionem partis fructuum ipsi correspondentis; quia is, qui non satisfacit præcepto Officii, tenetur ad restitutionem fructuum ipsi correspondentium: atqui recitans in die Palmarum Officium Paschale, non satisfacit præcepto

Offi-

Officii: ergo hic tenetur ad restitutionem fructuum ipsi correspondentium: is autem qui in die Dominica, aut Feriali recitat de Sancto, aut econtra, vel Officium unius Sancti loco alterius, cùm satisfaciat præcepto quo ad substantiam, non tenetur ad restitutionem, quamvis sit Beneficiarius: Torrecilla ibidem.

217. Dico quartò, non damnatur sententia asserens, quòd in casu urgentis necessitatis possit recitari Officium Resurrectionis aliis temporibus extra Quadragesimam, aut tres Dominicas præcedentes: Sic Lumbier tom. 2. n. 788. pag. (mihi) 655. tum, quia propositio damnata non loquitur de aliis temporibus, sed de Dominica Palmarum: tum, quia aliis temporibus extra Septuagesimam, Sexagesimam, Quinquagesimam, & Quadragesimam, Officium non adeò dissonat Paschati Resurrectionis: tum etiam, quia licèt hæc dissonantia adesset, ex ipsa urgentiæ ratione fit probabile id, quod absque ipsa ad praxim deduci non posset. Et si quæras quanta debeat esse hæc urgentia, & necessitas? Respondeo cum Torrecilla ubi supra sub num. 57. non requiri tantam, ut vi ipsius posset absque culpa omitti Divinum Officium; quia in hoc casu si non esset obligatio recitandi, neque scrupulandum esset, num posset loco currentis aliud Officium recitari; quocirca in hoc casu illa dicenda est urgentia, & necessitas, quæ licèt non eximat à recitatione Divini Officii, est tamen talis ad brevius recitandum: v. g. convalescens potest absolutè recitare Divinum Officium diei currentis, licèt cum labore, ratione hujus urgentiæ Resurrectionis Officium recitare potest: vel iter agens necessarium tota die, nequit recitare, noctu defatigatus posset quidem, sed cum labore id adimplere, hæc urgentia videtur sufficiens ad recitationem Officii Paschalis, præterquam in diebus exceptis in Conclusione 4. & hoc modo alii casus urgentiæ, & necessitatis exemplificari possunt.

PROPOSITIO XXXV. damnata.

Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino.

218. SUppono, præceptum recitandi septem horas Canonicas cuivis individuæ diei, & omnibus diebus instare. præceptum easdem recitandi; quemadmodum jejunium Quadragesimæ cuivis determinatæ diei est alligatum, & omni die instat præceptum jejunandi; ita ut ad singulam omissionem jejunii, aut Officii unum sit peccatum, ob binam, vel ternam duo, vel tria, ad plures plura quoque peccata.

219. Dico primò, assertum propositionis damnatæ fuisse, quòd unico

Officio possit quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino. v.g. si quis recitet horas matutinas hora decima noctis, hodiernæ, crastinæque recitationis præceptum impleret: hodiernæ quidem, quia necdum effluxisset dies naturalis, crastinæ verò: quia tunc incepisset crastina Dies Ecclesiastica quod est improbabile, & ut tale damnatum, quia quando plures actus individui præcipiuntur distinctis præceptis, per unicum actum nequit iis satisfieri: atqui in hodierna, & crastina die sunt duo distincta præcepta, quæ præcipiunt duo distincta, & individua Officia: ergo unico Officio duplici præcepto recitandi pro die præsenti, & crastino satisfieri nequit.

220. Dico secundò, non damnatur hic Sententia asserens, per unicum actum posse plures leges, & præcepta impleri, ut docui in meis Confer. tract. 3. de leg. Confer. 3. §. 1. num. 14. quod intelligitur, quando leges non præcipiunt plures actus individualiter distinctos, sed unicum pluribus titulis: ita Lumbier tom. 2. num. 703. pag. 657. ratio est, quia hic damnata manet opinio, quòd unico Officio possit quis satisfacere duobus præceptis præcipientibus duos distinctos individualiter actus: nostra autem conclusio dicit, quòd possint impleri plura præcepta, præcipientia unicam rem individuam pluribus titulis: ergo non damnatur sententia asserens, posse plura præcepta adimpleri, quando unicum individuum actum pluribus titulis præcipiunt.

221. Unde infertur, quòd unico audito sacro possit quis satisfacere pluribus festis: uti, si est dies Dominica, & Apostolo sacra; unico jejunio obligationi Quadragesimæ, & temporum: unico Officio Divino Sacerdos & Ordini, & Beneficio, imò & pluribus beneficiis: ut dixi loc. cit. Confer. num. 38. cas. 10. videantur ibi num. 30. & seq. alii casus spectantes ad hanc materiam: ratio omnium est: quia licèt in his casibus occurrant duo præcepta, hæc tamen non præcipiunt duos actus individualiter distinctos, sed unicum diversis titulis præceptum: ergo unico Sacro, jejunio, & Officio potest quis satisfacere duplici præcepto in suprà relatis casibus.

PROPOSITIO XXXVI. damnata.

Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

222. Suppono primò, omnes Regulares teneri ad observantiã Decretorum Sacri Concilii Tridentini, ut idem Concilium præcipit sess. 25. cap. 22.

Suppono secundò, ante Concilium Tridentinum, Regulares habuisse aliqua privilegia concessa à Sede Apostolica, quæ per dictum Concilium revocata fuere.

223. Suppono tertiò Privilegia Regularium esse in duplici genere: alia circa quæ Concilium Tridentinum non solùm decrevit oppositum gratiis per ipsa concessis, sed & addidit ultra clausulam revocatoriam cujuslibet privilegii suo Decreto contrarii, idest: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, concessionibus, præscriptionibus, consuetudinibus, facultatibus &c. Alia circa quæ licèt Concilium in oppositum sanxerit, clausulam tamen privilegiorum revocatoriam non adjecit.

Suppono quartò, privilegia concessa à Sede Apostolica aliqua esse scripta, alia vivæ vocis oracula: scripta sunt ea, quæ conceduntur in Bullis, Brevibus, & hujusmodi: vivæ vocis oracula sunt quæ oretenus Summus Pontifex concessit.

224. Dico primò, Regulares nequeunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresè revocata per Concilium Tridentinum; cujus oppositum damnatur in hac propositione 36. & meritò, quia Regulares tenentur obedire, & se subjicere Decretis Concilii Tridentini: ergo cùm hoc expresè revocaverit aliqua Regularium privilegia, in foro conscientiæ iis uti nequeunt.

225. Dico secundò, non condemnatur sententia asserens, Regulares posse uti privilegiis, circa quæ Concilium Tridentinum decrevit oppositum, sed absque clausula eorumdem revocatoria: Lumbier tom. 2. num. 794. Torrecilla super hanc propositionem n. 3. ratio est, quia juxta propositionem damnatã regulares poterant uti privilegiis expresè revocatis per Concilium Tridentinum: sed sic est, quòd nostra conclusio non dicat, Regulares posse in foro conscientiæ uti suis privilegiis expresè ab eodem revocatis, sed iis, circa quæ licèt decreverit oppositum, clausulam expressam tamen eorum revocatoriam non adjecit: ergo non condemnatur sententia asserens; quòd Regulares possint in foro conscientiæ uti suis privilegiis, circa quæ licèt Concilium decreverit oppositum, clausulam expressam tamen eorum revocatoriam non addidit.

226. Hinc infertur primò, non condemnari opinionem Henriquez, Rodriquez, Sanchez & aliorum, quos citat, & sequitur Bonacina tom. 3. disp. 2. de excom. extra Bull. Cœnæ, quæst. 8. punct. 14. n. 11. quòd per Concilium non revocetur Privilegium, vi cujus Regulares celebrare, sæculares ad Divina Officia tempore interdicti admittere possunt; quia licèt Concilium sess. 25. cap. 12. decernat, ut censuræ, & interdicta necdum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, & serventur, nullam tamen clausulam privilegiorum Regularium revocatoriam

 riam

riam adjicit: atqui quando Concilium nullam ejusmodi clausulam ponit, Regulares possunt uti suis privilegiis, licet Concilium ipsis oppositum decreverit: ergo &c.

227. Infertur secundò, neque condemnari opinionem Portelli, Villalobos, & aliorum, quos allegat Barbosa super Concilium in sess. 23. cap. 8. de Reform. num. 4. Rodriquez, & aliorum, quos citat, & sequitur Diana part. 3. tract. 2. resol. 31. dicentium, quòd Regulares virtute suorum Privilegiorum possint ordinari ab Episcopis extra quatuor tempora qualibet die Dominica, aut festiva: ratio est, quia, quamvis Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 8. dicat, ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à jure temporibus esse celebrandas, nullam tamen clausulam Privilegiorum Regularium revocatoriam ponit: ergo Regulares virtute suorum privilegiorum poterunt ordinari extra tempora assignata à Concilio, omnibus diebus Dominicis, & festivis: tum quia in hac condemnatione non est sermo de privilegiis concessis post Concilium Tridentinum, privilegium autem de quo hìc loquimur est posterius Concilio, & à Clemente Octavo Religiosis minoribus concessum teste Rodriquez tom. 3. quæst. Regul. quæst. 23. art. 5. ergo Regulares mendicantes, & communicantes cum ipsis in privilegiis poterunt ordinibus initiari omnibus diebus Dominicis, & festis: sic Barbosa loc. cit. & part. 2. de potest. Episcop. alleg. 17. num. 6.

228. Infertur tertiò, neque reprobari sententiam Rodriquez, & Villalobos quam citat, & probabilem existimat Castropalaus part. 4. tract. 27. disp. unic. punct. 13. n. 13. asserentem Concilium Tridentinum non revocasse privilegia Regularium, quo ad dispensationem Interstitiorum à propriis eorum Prælatis, & ratio est, quia quamvis Concilium sess. 23. cap. 11. 12. 13. & 14. n qua loquitur de hac materia, relinqueret hoc judicio Episcoporum, nullam tamen ponit clausulam revocatoriam Privilegiorum Regularium: atqui hìc non damnatur, quòd Regulares possint uti suis privilegiis, quamvis Concilium oppositum sanxerit absque tamen clausula eorundem revocatoria, ut dictum est num. 225. ergo non condemnatur sententia asserens, quòd Regulares possint uti suis Privilegiis quoad dispensationem Interstitiorum à propriis eorum Prælatis.

229. Infertur quartò, Regulares non posse duobus Sacris Ordinibus eodem die initiari, nec quemquam eorum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, & ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveri: ratio est; quia Concilium sess. citata cap. 12. & 13. non solùm de-

cer-

cernit oppositum, verùm etiam addit clausulam cujuscumque privilegii revocatoriam: ergo Regulares nequeunt Ordinibus Sacris initiari ante ætatem à Concilio assignatam, nec eadem die duos Sacros Ordines suscipere virtute privilegiorum ante Concilium Tridentinum obtentorum, nisi alia post dictum Concilium noviter impetraverint.

230. Infertur quintò, neque condemnari sententiam, quam tanquam certissimam asserit Leander à Sacramento part. 2. tract. 9. disp. 24. quæst. 26. juxta quam Regulares approbati ab Ordinario pro excipiendis Confessionibus possunt dispensare cum conjugibus, quo ad petendum debitum, ob incestum commissum cum consanguinea uxoris in primo, aut in secundo gradu, modò à suis Prælatis ad id commissionem habeant: ratio est, quia Concilium non revocat expresse hoc privilegium concessum Regularibus: ergo nec condemnatur sententia, quòd Regulares eo uti possint.

Nec obstat dicere, quòd hoc Privilegium fuerit vivæ vocis oraculo concessum, & quòd vivæ vocis oracula ab Urbano Octavo revocata fuerint, ut inquit Diana part. 6. tract. 8. resol. 32. Respondeo enim primò, hanc concesionem non solùm habere rationem vivæ vocis oraculi, verùm etiam Indulti, & gratiæ ex nova Constitutione Pontificis concessæ. Ita Leander ibi §. *Tum etiam*: Respondeo secundò, dato, quòd fuerit vivæ vocis oraculum, fuit tamen opinio Portelli, & aliorum, quos citatos sequitur N. P. F. Leander de Murcia super sex. cap. Reg. Seraph. quæst. 20. non fuisse revocata vivæ vocis oracula concedentia Regularibus privilegia: quæ opinio hìc non condemnatur loquendo de privilegiis concessis vivæ vocis oraculo, & à Concilio expresè non revocatis: uti affirmat P. Torrecilla super hanc propos. 36. num. 5. & 6. sed sic est, quòd privilegium, de quo loquimur, non sit expresè à Concilio revocatum: ergo dato etiam, quòd fuerit vivæ vocis oraculo concessum, non condemnatur in hoc Decreto Alexandri VII. quòd Regulares possint eo uti.

PROPOSITIO XXXVII. damnata.

Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

231. PRo majori hujus quæstionis intelligentia aliqua ad hanc Indulgentiarum materiam pertinentia apponam, & suppono primò, in peccato duo adinveniri; unum est macula, per quam anima coram Deo deturpatur, alterum est reatus pœnæ debitæ propter culpam, ut explicui in meis Confer. part. 1. tract. 1. sect. ultim. §. 1. n. 1. macula tollitur per Sacramentum pœnitentiæ;

 rea-

reatus pœnæ per bona opera, ac Indulgentias condonatur.

232. Suppono secundò, quòd Indulgentia *sit gratia, qua certo aliquo opere injuncto, pœna temporalis pro peccato debita remittitur*: vel sic definiri potest: *est pœnæ temporalis pro peccatis actualibus remissis debitæ relaxatio, de thesauro communi Ecclesiæ, ab eo, qui potestatem habet.* ita ut de thesauro Ecclesiæ, qui componitur ex meritis JESU Christi, Mariæ Sanctissimæ Dominæ nostræ, & aliorum Sanctorum, Divina sua Majestas reliquerit potestatem Summo Pontifici distribuendi Indulgentias, per quas pœnæ debitæ peccatis, quo ad culpam jam condonatis relaxarentur.

233. Suppono tertiò, per Indulgentiam non remitti peccatum quo ad culpam, neque quo ad pœnam æternam, sed temporalem, quæ post remissam culpam, aut in hoc Mundo, aut in Purgatorio luenda erit, nec remitti pœnam, antequam sit remissa culpa.

Suppono quartò, ad valorem Indulgentiarum præter legitimam auctoritatem ulteriùs requiri justam aliquam, & rationabilem causam, ac Indulgentiæ concessæ proportionatam; & quamvis aliqui dicant, quòd Indulgentia concessa ex causa pia, etiam ipsi non proportionata, & illicitè concessa, sit valida; communior tamen opinio affirmat non solùm esse illicitam, sed etiam invalidam. Sic cum Cajetano, Corduba, Layman, & aliis tradit Palaus part. 4. tract. 25. disp. unic. punct. 7. num. 3.

234. Suppono quintò, Indulgentiam aliam esse totalem, seu plenariam, aliam non plenariam, seu partialem, illa est remissiva totius pœnæ pro peccatis debitæ, hæc verò partis tantùm juxta voluntatem concedentis in forma concessionis expressam, ex quo patet, quomodo Indulgentia partialis, seu non plenaria differat à plenaria, & totali, quando enim ponitur aliqua conditio restrictiva, est partialis, & non plenaria; ut quando conceduntur Indulgentiæ aliquot dierum, vel annorum, vel quadragenarum, similiter quando Indulgentia condonat aliquam partem: v. g. tertiam, aut quartam peccatorum, nihil aliud significatur, nisi remitti pœnitentiam, quæ pro tanta parte pœnæ peccatis debitæ expianda fuisset. Indulgentia verò plenaria totum pœnæ reatum tollit, qui post culpam remissam remansit: unde quando Pontifex in forma concessionis Indulgentiam plenariam exprimit, vel Indulgentiam omnium peccatorum, eò ipso plenaria intelligitur, quia cadere censetur supra pœnas omnes ex condonatis peccatis relictas: Indulgentia potest etiam dividi in Personalem, Realem, & Localem. Indulgentia personalis dicitur illa, quæ directè conceditur personæ, aut individuæ, & particulari, aut com-

communi, & Generali, ut toti Religioni, vel Communitati, idque vel in perpetuum, vel ad tempus; & quando Indulgentia indefinitè conceditur personis, non exprimendo certum genus personarum ad omnes, & singulos extendi censeri debet tam sæculares, quàm Regulares: Localis Indulgentia est, quæ alicui pio loco conceditur ad ejus devotionem augendam, in ordine ad personas in tali loco orantes, vel aliquod pium opus exercentes; ut patet de Indulgentiis Romæ Ecclesiis principalibus concessis: Realis est ea, quæ conceditur Granis, Numismatibus, Imaginibus, Agnus Dei, Rosariis &c. unde hæc Indulgentia ferè coincidit cum locali, & solùm differt ab ea, quòd hæc conceditur alicui mobili rei in ordine ad omnes, ut sunt imagines, numismata, & similia.

235. Suppono sextò ad aquirendam Indulgentiam aliquas conditiones requiri: Prima est, ut persona, quæ eã lucrari intendit, præstet opera à tali Indulgentia injuncta: v. g. Eleemosynam, Orationem, Jejuniũ: Secunda, ut sit in gratia, saltem dum ultimum ad Indulgentiam requisitum adimplet: Tertia, ut habeat intentionem virtualem, vel habitualem (ut inquit Lumbier tom. 2. num. 804.) lucrandi Indulgentiam: quare ne perdantur aliquæ Indulgentiæ concessæ operibus, quæ frequenter præstantur, consultum est, manè formare intentionem generalem sibi, & animabus Purgatorii lucrifaciendi omnes Indulgentias, concessas operibus ea die præstandis.

236. Suppono septimò, Indulgentias posse per modum suffragii applicari pro animabus Purgatorii, quando Pontifex cum hac facultate eas concedit, secùs verò non posse applicari. Ita Diana cum aliis part. 10. tract. 16. resol. 12. Indulgentiæ autem applicatæ per modum suffragii pro defunctis possunt iis prodesse, licèt persona eas applicans peccato mortali sit obnoxia: ita Toletus lib. 6. cap. 26. & cum Suarez, Layman, & aliis Castropalaus part. 4. tract. 14. disp. unic. punct. 10. num. 10. Nec ad hoc, ut Indulgentia prosit defuncto, requiritur, ut ei applicetur satisfactio operis quo aquiritur v. g. jejunii, eleemosynæ, orationis, aut Confessionis: sed quando Indulgentia conceditur defuncto cum conditione, ut pro eo offeratur Sacrificium Missæ, tunc erit necessarium applicare pro eo non solùm Indulgentiam, sed etiam fructum Sacrificii Palaus ibidem num. 9.

237. Suppono octavò, quando in concessione Indulgentiæ dicitur eam concedi *Contritis, & Confessis*, necessariam esse Confessionem Sacramentalem pro ea lucranda, sed quando hoc non exprimitur, sufficit, ut persona sit in gratia per contritionem, licèt non confiteatur: ita Bassæus

Verbo

Verbo Indulgentia 2. n. & licèt in Concessione Indulgentiæ præcipiatur Confessio, is tamen, qui peccati lethalis macula non est infectus, non tenetur ad eam consequendam confiteri; ita cum Suarez, Reginaldo, Filiucio, Bonacina, & aliis pluribus Leander de Sacram. part. 1. tract. 5. disp. 24. quæst. 76. si verò expresse præcipiatur Communio, communicare opus est, etiamsi pœnitens peccati lethalis macula non sit infectus.

238. Suppono nonò, de jure Divino solùm Summum Pontificem habere facultatem concedendi Indulgentias per totam Ecclesiam, Episcopos verò hujusmodi facultatem de jure Divino non habere, quamvis de jure humano ordinario possint 40. dies Indulgentias concedere, & in die dedicationis Ecclesiæ integrum annum: Videatur Leander ubi suprà quæst. 40. & quæst. 16. 17. & 18.

Suppono decimò, Indulgentiam tribus modis cessare posse: primò, si ad tempus limitatum fuit concessa, hoc elapso cessat: secundò, si hoc loco determinato, hoc destructo, pariter cessat: tertiò, cessat Indulgentia per revocationem illius, qui eam concessit, aut sui successoris, vel his Superioris.

Suppono undecimò, Papam Paulum V. plures Indulgentias Regularibus concessas revocasse, vel tanquam incertas, vel ob finitùm tempus concessionis, alias verò novas concessisse. His suppositis.

239. Dico primò, Indulgentiæ concessæ Regularibus, & à Paulo V. revocatæ, non sunt hodie revalidatæ; & oppositum est casus damnatus in hac Propositione 37. & meritò, quia Indulgentiæ cessant per revocationē concedentis, vel ejus successoris: sed sic est, quòd Paulus V. revocaverit aliquas Indulgentias concessas Regularibus, nec est fundamentum aliquod dicendi, quòd fuerint revalidatæ: ergo Indulgentiæ concessæ Regularibus, & à Paulo V. revocatæ jam expirarunt, nec potest dici, quòd hodie sint revalidatæ. Porrò Indulgentiæ, quas de novo Paulus V. concessit Regularibus, sunt: Indulgentia plenaria in die susceptionis habitus, Professionis, primæ Missæ, & in articulo mortis, cæteræque in suo Decreto contentæ, ut Filgueira in Cens. Pontif. pag. 252. & P. Moya tom. 1. selectar. ad tract. 3. disp. 4. qu. 8. n. 4. & seq.

240. Dico secundò, hæc condemnatio non loquitur de Indulgentiis Regularium Confraternitatibus concessis, nec hæ sunt à Paulo V. revocatæ; unde quilibet Religiosus, quamprimùm in Confraternitatem adscribitur, potest lucrari Indulgentias tam sui Ordinis, quàm aliorum, est enim requisitum, ad istud Indulgentiarum lucrum omninò necessarium in librum Confraternitatis referre nomen, aliaque opera necessaria à Pontificibus præscripta complere; neque loquitur

quitur de Indulgentiis in Ecclesia Dei, Fidelibus generaliter concessis, quarum etiam potest lucrum facere quilibet Regularis diligentiis adhibitis: sic Lumbier tom. 2. num. 801. & 803. Torrecilla super hanc Propos. num. 2. & 4. minùs de Indulgentiis, quas Regulares habent sibi concessas, & sibi lucrandas, & quas possunt pro aliis, uti pro Parentibus, & animabus purgatorii lucrari, vel quas possunt ipsi sæcularibus concedere: Lumbier ibi num. 802. Torrecilla ibid. num. 3. ratio est, quia condemnatione sermo est tantùm de concessis specialiter Regularibus; in nostra autem Conclusione de concessis eorum Confratribus Fidelibus, & aliis personis: ergo &c.

Pro plena hujus revocationis Indulgentiarum intelligentia, operæ pretium duxi hìc referre Decretum Sacræ Congregationis Romæ 7. Martii 1678. emantum, in quo nullæ, & invalidæ declarantur plures Indulgentiæ typis datæ; quod Decretum refert. P. Lumbier tom. 2. frag. num. 676. pag. 741. & P. Franciscus Diaz in speculo Seraph. part. 1. cap. 3. docum. 11. & est tenoris sequentis.

Decretum.

De aliquibus Apocryphis Indulgentiis.

241. Delatæ sæpiùs fuere ad sacram Congregationem Indulgentiæ quædam confictæ, & omninò falsæ, quæ per diversas Orbis Christiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt vel Apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quod datum eis tempus præteriisset: quarum quidem plurimæ, cùm non facilem cognitionem habeant Christi Fideles harum rerum minùs peritos fallunt, qui spe Indulgentiæ, remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur: quam obrem eadem Sac. Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in Indicem referri curavit.

§. 1. Tales in primis sunt illæ, uti asserunt, concessæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus orationem Charitatis Jesu Christi Domini nostri: precor te, piissime Domine &c. ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgò dici solet, Compagnolæ, & S. Victoriæ ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Jesu Christi factæ S. Bernardo, ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & ordini Redemptionis, à Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die festo, à Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgò dictæ, Lagghetti, à Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci, primùm in Urbe im-

impressæ, deinde Mediolani Anno 1665. (suas tamen habent, & veras confratres ArchicōfraternitatisChordigerorum S. Francisci) recitantibus Salutionem Angelicam ad pulsum horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis immaculatæ in circulo depictæ cujus pedibus luna subjecta est, à Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum, à Clemente VIII. dicentibus Orationem, O magnum mysterium &c. & Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis Serrati, Avenione impressæ, tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum impressæ Matriti 20. Julii 1606. à Paulo V. cantantibus Hymnum, Te Matrem Dei laudamus, Te Mariam Virginem confitemur &c. vel si die Sabbati interent dum idem canitur, & Coronis, Rosariis, Imaginibus, & Numismatibus, quæ medallias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæo supplicante anno 1611 dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur, & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus, Sia lodato il Santissimo Sacramēto, laus Sanctissimo Sacramēto, ab Urbano VIII. in honorem ejusdē Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus, celebrata Missa, dicentibus, Ave filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii &c. à Clemente X. recitantibus manè, meridie, ac Vespere consuetam Antiphonam, Angelus Domini &c. & in fine, Deo gratias, & Mariæ, ac demùm aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini nostri Jesu Christi prece magni Ducis Etruriæ.

§. 2. Talis indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies Oratiōe Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die à purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Perusii Confraternitatis Sanctorum Sebastiani, & Rochi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani: Tales demùm aliæ Cruce signatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini & Bononiæ.

§. 3. Ejus generis sunt, & illæ concessæ, ut ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis Bergomi, aut S. Petri montis Todoni die festo Inventionis sanctissimæ Crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque festivitatum B. V. vel recitantibus Officium S. Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam, O Passio magna &c. in memoriam Passionis Jesu, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut Orationem, quæ impressa cum imagine S. Annæ circumferri solet, Ave gratia plena &c. (quæ oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. V. immaculatæ,

tæ, quod asserunt à Paulo V. probatum fuisse, aut Orationem, Deus, qui nobis in S. Syndone &c. (excipitur indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 15. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, Ave filia Dei &c. post communionem recitandam, vel aliquo conspicuo signo venerantibus Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti nomen, Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteri de Tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus orationem illam verè piam, Deus qui pro redemptione mundi &c. tum quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo, Sommario delle Indulgenze concesse dalla Santita di nostro Sign. Papa Leone X. alia imagine della Concezione della gloriosa Vergine Maria, vel Pisauri sub nomine B. Joannæ anno 1608. evulgatæ, vel Barletæ, seu Baruli à recitantibus quasdam, non sanè malas Orationes, lucrandæ; vel Parmæ à visitantibus per Quadragesimæ dies Ecclesias Tertii Ordinis S. Francisci, vel Pistorii, & Vastellæ à recitantibus Orationem, Ave Sanctiss. Maria, Mater Dei, Regina cæli &c. Et aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt Devotos Seraphicos, & Benefactores.

§. 4. His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ, sive Stellario Conceptionis Virginis immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel Granis, Crucibus & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel mensuræ altitudinis Jesu Christi Domini nostri, vel imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti; vel orationi, ut ajunt, in sepulchro Domini nostri repertæ; & Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ Sanctis Birgittæ, Mechtildi, & Elisabeth, vel B. Joannæ de Cruce, & concessæ, ut asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci.

§. 5. Omnes verò, & singulas jam dictas Indulgentias Sacra Congregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt, easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Christi Fidelibus proponi vetat; Foliaque, & Libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omninò præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ, nec ideò tamen vult, alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis, tacitè probatis haberi.

§. 6. Ac demùm omnes Indulgentias concessas ante Decretum Cle-

mentis VIII. latum die 9. Januarii 1597. Coronis, Rosariis, Granis, seu calculis, Crucibus & Imaginibus sacris, vel ante Breve Pauli V. quod incipit Romanus Pontifex &c. editum 23. Maji anno 1606. personis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium: Quæcumque &c. Et 68. Pauli V. incipientem, Quæ salubriter &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam JESU, Capitulo, vel Cœtu quocumque vel ab eorum Officialibus, superioribus, aliisque personis, vel persona, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti pariter declarat.

§. 7. Porrò Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, & Confraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ S. Augustini & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

§. 8. & 9. Indulgentias verò stationum urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum, aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantùm stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autē duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas sua probavit, & inviolatè servari jussit.

Datum Romæ die 7. Martii 1678.

Aloysius Card. Homodeus.

Loco † Sigilli.

Michael Angelus Riccius, Secretar.

242. Hoc Decretum declarat, & exponit funditus P. Diaz in spec. Seraph. ubi suprà num. 10. & seq. & P. Lumbier explicat aliquas clausulas num. 985. & seq. ego pariter ad evitandam prolixitatem solùm de nonnullis, quæ adhuc aliquam difficultatem patiuntur, differam, & adverto primò: quòd licèt declarantur apocryphæ, aut confictæ Indulgentiæ quæ dicebantur concessæ aliquibus orationibus, granis, Numismatibus, aut Crucibus, non propterea prohibeantur dictæ Cruces, Numismata, Rosaria, aut Orationes; exceptis his duabus relatis in §. 3. & sunt: *O Passio magna, & Ave gratia plena &c.* (primam non approbat, secundam prohibet Sacra Congre-

gregatio) cæteræ omnes Orationes meritoriè recitari possunt: v. g. Oratio Sanctæ Syndonis &c. Adverto secundò, nonnullas ex Indulgentiis relatis in Decreto declarari confictas, & apocryphas, eò quia nulla inventa fuit concessio Pontificis, quem eas concessisse asserebant; attamen si verificaretur alium Pontificem (non nominatum à Decreto) eas concessisse, aut datum eis tempus non præteriisse, non forent revocatæ, aut nullæ vi hujus Decreti Sacræ Congregationis.

243. Circa §. 8. aliqua difficultas oriri potest, utrùm declaretur, quòd per privilegium Bullæ Sanctæ Cruciatæ, non lucrifiant omnibus diebus, visitando quinque Altaria, Indulgentiæ stationum Romæ, vel an solùm possint lucrifieri iis diebus, in quibus in Missali Romano dicitur Romæ esse dictas stationes? Pro cujus explicatione notandum primò, in Bullæ Cruciatæ inveniri clausulam tenoris sequentis: 'Item concedit iis, 'qui diebus Quadragesimæ, & aliis 'diebus anni, in quibus sunt stationes 'Romæ, visitabunt quinque Eccle-'sias, aut quinque Altaria, & si non 'essent quinque Ecclesiæ, aut quin-'que Altaria, quinquies unam Eccle-'siam, aut unum Altare, pro supradi-'dicta unione, & victoria Devotas 'ibique preces fuderint, ut omnes 'Indulgentias lucrentur, quas lucran-'tur, & consequuntur ii, qui perso-'naliter visitant Ecclesias Urbis Roma-'næ, & extra muros ipsius, & eo mo-'do, quo eas lucrarentur, si persona-'liter dictas Ecclesias visitarent,,: Notandum secundò, Indulgentiam stastionum Romæ esse plenariam: ita cum Lopez, Rodriquez, & aliis, quos citat, & probat Mendo in Bul. disp. 20. cap. 1. num. 2. Notandum tertiò, omnibus diebus anni esse stationes Romæ, uti constat ex verbis, quæ in fine Bullæ jussit imprimi Commissarius Cruciatæ, & sunt sequentia: *& omnibus aliis diebus anni lucrifiunt Indulgentiæ, quæ sunt in Urbe Roma, cùm in hac quotidie sint stationes*: Et quantumlibet certum non sit, quòd Indulgentia stationum exceptis diebus signatis in Missali, sit plenaria; multi tamen graves Authores sentiunt, quotidie esse Indulgentiam plenariam concessam stationibus Romæ; ut videri potest in P. Moya in suis select. tom. 2. ad tract. 3. disp. 4. quæst. 9. num. 2. Hoc supposito arbitror, in dicto §. 8. non declarari, quòd virtute Bullæ nequeant lucrifieri quotidie stationes Romæ, & probatur; quia in Bulla conceditur, quòd quandocunque erunt stationes Romæ, obtineantur, visitando quinque Altaria, Indulgentiæ dictarum stationum, ut constat ex relatis verbis Bullæ: sed sic est, quòd omnibus diebus anni sint stationes Romæ, ut constat ex clausula noviter posita in fine Bullæ: ergo omnibus diebus anni vi-

visitando quinque Altaria, Indulgentiæ stationum Romæ obtinentur; & cùm gravissimi Authores opinentur, quòd omnibus diebus anni Indulgentia plenaria concessa sit stationibus Romæ: sequitur, quòd quotidie possit lucrifieri Indulgentia plenaria virtute Bullæ visitando quinque Altaria: Hæc doctrina Confessarios multùm sublevare potest, ne graves pœnitentias habentibus Bullam imponere obligentur, sed tantùm visitationem quinque Altarium. Videantur supradicta 1. part. tract. 9. cap. 4. num. 37. pag. 330.

Verba Decreti adducta §. 8. non loquuntur de privilegio Bullæ, nec de suis Indulgentiis, quo ad punctum, sed de aliis indultis: & ratio est, quia dictum Decretum emanatum fuit anno 1678. & exinde Commissarius Cruciatæ præcepit, ut in fine Bullæ clausula jam relata apponeretur, quod noc fecisset, si dictum Decretum declarasset, per privilegium Bullæ solùm diebus stationum signatis in Missali Romano Indulgentias lucrifieri.

244. Super §. nonum advertendum est, quòd si Indulgentia concessa alicui loco, aut pio operi, non esset plenaria, non prohibeatur per hoc Decretum, quin possit lucrifieri multoties in die; quia Decretum solùm loquitur de Indulgentia plenaria: ergo non est extendendum ad non plenarias, cùm revocatio Indulgentiarum sit odiosa, & earum concessio favorabilis: ut cum Suarez, Sylvestro, & aliis dicit Mendo in Bul. disp. 1. cap. 6. num. 49. ob eandem rationem dicendum est, quòd si diversis operibus distinctæ Indulgentiæ plenariæ concessæ sunt, non interdicatur, quin eadem die possint accipi: v. g. si eadem die Indulgentia plenaria concederetur visitanti Ecclesiam S. Joannis, & alia plenaria visitanti Ecclesiam S. Petri, aut Confessionem, & Communionem instituenti &c. Neque prohibetur, quòd duas Bullas in anno accipiens, possit eadem die, visitando quinque Altaria, duplicem Indulgentiam plenariam aquirere: ita Lumbier tom. 2. num. 1012. pag. 752. ubi advertit, quòd licèt quis habeat unicam Bullam, multoties tamen in die Altaria visitare satagat (idem esto judicium de aliis Indulgentiis) ad hoc, ut si prima vice necessaria diligentia non fuit adhibita ad lucrandam Indulgentiam, secunda, aut tertia vice eandem lucrari studeat; & etiam, ut saltem lucrifiat meritum, impetratio, & satisfactio, quæ bonum opus ex se habet, dato etiam, quòd Indulgentia non obtineatur.

Et si quis peteret, qua de causa multùm referat eadem die sæpiùs lucrari Indulgentiam plenariam? Respondeo ob sequentes causas primò, si concessio primæ Indulgentiæ non esset legitima juxta supradicta in hoc

tract.

tract. num. 233. secundò, si prima vice debitæ diligentiæ non fuissent adhibitæ ad eam lucrandam, defectu alicujus requisiti, ut dictum est num. 235. tertiò quia aliqui Authores tenent, quòd possit applicari Indulgentia per modum suffragii pro defunctis, licèt cum hac conditione concessa non fuerit: ut videri potest in P. Diaz ubi suprà docum. 12. num. 4. prope finem; quamvis ego contrarium teneam. suprà in hoc tract. num. 236.

PROPOSITIO XXXVIII. damnata.

Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

245. Suppono primò, quòd nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, ita declarat Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. & in hoc casu confessio non est de jure merè humano, sed Divino; sic Azorius, Henriquez, Hurtadus, Vasquez, & alii apud Barbosam, *in eum locum Tridentini, num. 5.*

Suppono secundò, Sacerdotem ex necessitate ob inopiam Confessarii cum peccato mortali sacrificantem, posse præmisso actu Contritionis celebrare, & postmodùm quamprimùm confiteri: ut dicit Concilium Tridentinum *loc. citato: Quòd si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit quamprimùm confiteatur.*

246. Dico primò, mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, prævio actu contritionis confitendi quamprimùm, non est consilium sed præceptum; cujus oppositum reprobatur in hac prop. 38. nam illa verba Trident. *quamprimùm confiteatur*: quis dubitet, non esse consiliativa, sed præceptiva: & ad gravem culpam obligantia, cùm sint in materia gravi: verumtamen licèt præceptum Confessionis ad percipiendam Euchaϊristiam sit Divinum, probabile tamen est illud confitendi *quamprimùm* post celebrationem in peccato mortali ex carentia copiæ Confessarii, esse tantùm Ecclesiasticum; ita cum Lessio, & aliis Torrecilla in hanc prop. num. 56.

247. Dico secundò, non condemnatur sententia asserens, quòd Sacerdos communicans velut sæcularis absque celebratione cum peccato mortali, & absque copia Confessarii ex urgenti necessitate non teneatur *quamprimùm* confiteri, Torrecilla ibid. num. 44. tum quia propositio damnata loquitur de Sacerdote celebrante; nostra autem de communicante absque celebratione: tum quia probabile est, quòd Laicus cum conscientia pec-

peccati mortalis, & absque copia Confessarii communicans, instante urgenti necessitate communicandi, prævio actu contritionis, non teneatur quamprimùm confiteri. ita Suarez, Vasquez, Filliucius, Bonacina, Layman, & alii, quos citatos sequitur Leander à Sacram. part. 2. tract. de Eucharist. disp. 7. quæst. 48. ergo idem probabiliter de Sacerdote more laicorum communicante.

248. Unde infertur, non damnari assertum, quòd Sacerdos defectu copiæ Confessarii in peccato mortali, prævio tamen actu contritionis, in die Veneris Sancti fungēs suo officio, & cōmunicans, non teneatur quamprimùm confiteri. Ratio est, quia propositio damnata loquitur de Sacerdote sacrificante: atqui in die Veneris Sancti Sacerdos non sacrificat, præsertim in opinione asserente, quòd essentia sacrificii Missæ consistat in consecratione: ergo non condemnatur assertum, quòd Sacerdos in die Veneris Sancti prædicto modo communicans, non teneatur quamprimùm confiteri. Ego huic opinioni non adhæreo, sed contrariæ, quam tenent Suarez, Villalobos, & alii, quos citat Leander à Sacram: ubi suprà quæst. 49. Idem dico de Sacerdote perficiente Sacrificium alterius post consecrationem decumbentis, nimirum, quòd supradicto modo communicans non teneatur quamprimùm confiteri: quamquam nec hoc teneam; quia in utroque casu non more Laici, sed Sacerdotis Eucharistiæ Sacramentum percipit.

249. Dico tertiò, neque condemnatur assertum, quòd Sacerdos, qui cæpto bonâ conscientiâ sacrificio in ipsamet celebratione graviter deliquit, non teneatur confiteri *quamprimùm.* Idem dicendum de Sacerdote, qui in, vel post celebrationem alicujus peccati mortalis meminit: sic Torrecilla in hanc propositionem num. 49. & 50. quia propositio damnata loquitur de sacrificante ex necessitate, & peccati mortalis sibi conscio absque copia Confessarii, prævio actu contritionis; nostra autem conclusio loquitur de delinquente in eadem celebratione, & de celebrante nullius peccati gravis antea, sed protunc, vel posteà sibi conscio, qui casus sunt valde diversi.

250. Dico quartò, is, qui in Confessione oblitus est peccati mortalis, postmodùm verò ante celebrationem meminit, & absque copia Confessarii celebrat ex necessitate, tenetur *quamprimùm* confiteri. Idem dico de malè culpabiliter confesso, ob occultationem peccati, vel de absoluto indirectè à casu reservato, nempe, quòd teneatur *quamprimùm possit* ad Superiorem recurrere: Torrecilla ibid. n. 55. & 56. ratio est; quia in his casibus adfuit notitia peccati gravis, cujus absolutio solùm indirectè fuit tradita, aut nulla fuit ob occultationem peccati:

cati: ergo Sacerdos in his casibus celebrans absque copia Confessarii, post sacrificiũ tenetur *quamprimùm* possit confiteri.

PROPOSITIO XXXIX. damnata.

Illa particula quamprimum *intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.*

251. HÆc propositio loquitur in terminis præcedentis, quæ si dixit, quòd Sacerdos ex necessitate celebrans cum peccato mortali absque copia Confessarii prævio actu contritionis, non teneatur *quamprimùm* confiteri ex præcepto, sed ex consilio: hæc ex suppositione, quòd præceptum sit *quamprimùm* confitendi, dicit, hoc præceptum non obligare immediatè post sacrificium, sed cùm Sacerdos suo tempore confitebitur iterum celebraturus, vel cùm Confessionis præceptum urget, aut Communionem instituit &c.

252. Dico primò, qui ex necessitate celebrat cum peccato mortali ob inopiam Confessarii præmisso actu Contritionis, tenetur post celebrationem *quamprimùm* confiteri: ita ut ly, seu sensûs particulæ *quamprimùm* sit, quòd talis Sacerdos statim atque celebrationem perficit, accedit ad Confessionem, si tunc commodè citra notam possit, nec expectandum esse tempus novi Sacrificii, Communionis, vel præcepti Confessionis. Hæc conclusio est certissima ejúsque opposita æquo jure est damnata tanquam improbabilis in hac propositione 39. quia si Sacerdos teneretur solùm confiteri, vel cùm iterum celebraturus esset, vel cùm Confessionis præceptum urgeret, frustraneum esset decretum Concilii, quo ad illam particulam *quamprimùm*, hoc nequit dici: ergo neque quòd *quamprimùm* possit extendi ad tempus, in quo ob prædictas causas Sacerdos Confessionem instituere tenetur: major est certa; quia Sacerdos peccati mortalis sibi conscius, de jure Divino tenetur ante celebrationem, vel Communionem, vel urgente alio præcepto confiteri: ergo si in casu, quo ob inopiam Confessarii prævio actu contritionis celebrat, teneretur solùm confiteri, cùm iterum celebraturus est &c. Decretum Concilii frustraneum foret.

253. Dico secundò, etiamsi non declaretur, quantum temporis elabi debeat, à celebratione usque ad confessionem peragendam à Sacerdote Sacrificante cum peccato mortali, ob inopiam confessarii; nec reprobetur assertum, quòd per ly quam primùm intelligi possit trium dierum spatium, modò antea non sit celebraturus, aut non timeatur inopia confessarii, nisi ante tres dies instituatur confessio, ut dicit P. Torrecilla in suis Consult. tract. 2. consult. 9. num. 71. & 76. Ego tamen censeo, quòd talis Sacerdos immediatè post celebrationem si citra notam possit, ad confessionem ac-

accedere debeat: in hujus doctrinæ favorem citat Filgueira in cens. Pontific. pag. 316. §. Hoc, Suarez, Vasquez, & Joannem Sanchez: idem sentit cum aliis Leander de Sacram. part. 2. tract. 7. disp. 7. quæst. 53. & Lumbier tom. 2. fragm. num. 605. ratio est; quia Sacerdos cum peccato mortali tenebatur ante Sacrificium confiteri: ergo pariter immediatè post ad idem tenebitur, quando ob inopiam confessarii absque reconciliatione celebravit: quod si citra notam non possit, quamprimùm opportunitatem assequatur: intellecto ly quamprimùm in latitudine prudenti, sed limitata ad verborum rigorem, & meo quidem judicio ad illum ipsum diem, si in eo possit; nam longiùs protrahere non verificat confessionem fieri, *quamprimùm possit*, juxta vim ejus vocis *quamprimùm*, & mentem Concilii.

254. Dico tertiò, non damnantur hìc opiniones circa inopiam confessarii, & causam urgentem, quandonam verificentur adhoc, ut his stantibus absque prævia confessione cum peccato mortali quis celebrare possit: hæc assertio est clara & perspicuè ex textu propositionis damnatæ constat, quæ solùm tractat de Confessione instituenda quamprimùm possit, inconfessus sacrificans absque condemnatione aliqua circa tempus, quo verificatur hæc necessitas celebrandi, & circa inopiam confessarii: ergo hujusmodi opiniones hìc non condemnantur.

255. Ex hinc infertur primò, non condemnari opiniones asserentes primò, quòd in defectu particularum pro communicando graviter ægrotante sufficiens sit necessitas celebrandi, & consecrandi cum conscientia peccati mortalis ob inopiam confessarii: secundò, quòd eadem sit necessitas celebrandi ad evitandam gravem infamiam, vel etiam scandalum: tertiò, quando post consecrationem accidit mors celebrantis ad perficiendum Sacrificium: quartò, quòd quando post cœptam Missam Sacerdos consensit in peccatum grave, vel hujus recordatur, modò eliciat actum contritionis, absque confessione possit eam prosequi: Vide Bassæū Verb. Communio sacra num. 31. quintò, quòd Parochus diebus festivis, ne Populus Missâ privetur, celebrare queat absque confessione ob inopiam confessarii, præmisso actu contritionis ad se justificandum, cùm gravi culpa obstringitur, modò alius Sacerdos celebraturus non adsit sic Palaus part. 4. tract. 21. disp. unic. punct. 12. num. 7. §. quarta excusatio: Quinnimò licèt alius adsit Sacerdos, potest Parochus celebrare, si citra gravem notam à celebratione abstinere nequeat.

256. Infertur secundò, non condemnari opinionem, juxta quam habens

bens casum reservatum, & necessitas urget celebrandi, nec patet aditus ad superiorem, licèt habeat copiam alterius Confessarii, potest celebrare absque confessione prævio actu contritionis. Vide Dianam part. 9. tract. 3. resol. 11. ego autem huic opinioni non adhæreo, quando Sacerdos celebraturus alio peccato gravi non reservato est obstrictus, etenim in hoc casu tenetur confiteri, ut *directè* à peccato non reservato, & indirectè à reservato absolvatur: sin verò præter reservatum ab omni alio gravi esset immunis, licèt non à venialibus probabile puto in dicto casu non obligari ad confessionem, præterquam si pœnitens se non sufficienter, vel satis contritum esse adjudicaret; tunc enim *per accidens* teneretur confiteri: sic Leander à Sacram. part. 2. tract. 7. disp. 7. quæst. 37.

257. Infertur tertiò, neque damnari assertum, quòd tunc desit copia Confessarii, quando hic leuca distat, & si Sacerdos iter pedestre suscipere debeat, sufficit minor distantia, præsertim si fatigatio contingere posset, vel ratione aëris, ut caloris nimii, pluviarum, tempestatum: vel ratione itineris prærupi montosi, ac luto valde obsiti; sin verò equitando possit iter facere, distantia unius leucæ non eximit ab onere quærendi confessarium, præterquam si extraordinarius rigor aëris, & virium tenuitas tali itineri persolvendo obessent: ut in casu simili dixi de præcepto audiendi Missam 1. part. hujus Praxis tract. 4. cap. 1. num. 6. in 3. & 4. edit. adjunct; & in hoc edit tract. 3. cap. 1. num. 6. pag. 64. videatur Coninch de Sacrament. quæst. 80. art. 4. num. 23. quo ad hunc casum alios similes, in quibus censetur Sacerdos non habere copiam confessarii affert Philibertus, eósque refert Leander loc. cit. quæst. 43.

PROPOSITIO XL. damnata.

Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

258. Suppono primò, oscula, amplexus, & tactus secundùm speciem suam non esse peccata mortalia, ut docet Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 154. art. 4. in corpore, his verbis: *aliquid dicitur esse peccatum mortale dupliciter, uno modo secundùm speciem suam; & hoc modo osculum, amplexus, vel tactus, secundùm suam rationem non nominant peccatum mortale,* quia si hæc secundùm suam speciem, naturam, & rationem intrinsecam essent peccata mortalia, nunquam essent licita: atqui interdum sunt licita, ut posteà dicam: ergo oscula, amplexus, & tactus secundùm suam speciem, naturam, & rationem intrinsecam, non sunt peccata mortalia.

Suppono secundò, hujusmodi tactus posse tribus modis considerari; aliqui enim sunt venerei, alii sensuales, seu carnales, & alii sensitivi: Venerei sunt illi, qui habentur in partibus pudendis, aut in alia parte cum commotione spirituum generationi subservientium: Sensuales, seu carnales sunt, qui non exercentur circa partes verendas, sed alias abque commotione prædictorum spirituum, cum aliqua tamen delectatione, quæ sit principium dictæ commotionis: Sensitivi sunt, qui non habentur in partibus pudendis, sed in aliis, absque commotione, aut delectatione initiativa &c. sed solùm cum delectatione, quæ resultat ex tactu materiali, prout resultaret ex tactu rei suavis, v. g. holoserici &c.

259. Suppono tertiò, quòd tactus, oscula, & amplexus possint esse duobus modus libidinosi, primò, *ex fine operantis*, secundò, *ex fine operis*. *Ex fine operantis* libidinosi, seu venerei sunt, quando habentur cum intentione copulæ, pollutionis, aut delectationis morosæ: *ex fine operis* venerei erunt, quando licèt non habeantur cum intentione copulæ, pollutionis, aut morosæ delectationis, habentur tamen in partibus pudendis, aut in aliis, cum alteratione, & commotione spirituum generationi Subservientium. Tactus venerei ex fine operantis semper sunt peccata mortalia, præterquam in conjugatis; Tactus veneri ex fine operis sunt ordinariè peccata mortalia nisi præcisa necessitas excuset, & habeantur absque consensu in delectationem inde resultantem: v. g. Chirurgus exercens hujusmodi tactus ad sanandum infirmum absque prædicto consensu non peccat.

260. Suppono quartò, nunquam licitum esse procurare pollutionem tanquam intrinsecè malam: quamvis multoties licitum sit permissivè se habere ad illam, id est, eam non impedire, nec auferre causas indifferentes, seu per accidens, ex quibus resultat, secluso periculo consentiendi delectationi venereæ. Quomodo, & quando hoc liceat, fusè explicui in meis Confer. part. 1. tract. 2. sect. 1. de voluntario §. 3. num. 21, & seq. quod dixi de pollutione, idem dico de ejus periculo.

261. Dico primò, osculum habitum ob solam delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis, est peccatum mortale, & contrarium damnatur tanquam improbabile, practicè falsum, & scandalosum, adeóque indubium tenendum est, tale osculum gravem culpam sapere, non tantùm in agente, sed etiam in passo ob eandem delectationem carnalem, & sensibilem: ratio est; quia hujusmodi oscula ordinantur ad copulam: atqui hoc est peccatum mortale: ergo pariter

riter osculum datum aut receptum ob delectationem sensibilem, & carnalem, secluso etiam periculo consensus ulterioris & pollutionis.

262. Dico secundò, quamvis hæc propositio non loquatur formaliter, & explicitè de amplexibus, & tactibus, sed solùm de osculo; certum tamen est, quòd amplexus, & tactus habiti ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex iis oritur, secluso etiam periculo consensus ulterioris, & delectationis, sint peccata mortalia: probatur, quia de hujusmodi amplexibus, & tactibus verificatur eadem ratio formalis, ac in osculis, nempe, quòd ordinentur ad copulam: ergo si oscula habita ob delectationem carnalem, & sensibilem, sunt peccata mortalia, secluso etiam periculo ulterioris consensus, idem erit de tactibus, & amplexibus habitis ob similem delectationem: hinc sequitur fore grave peccatum contrectare brachium fœminæ, calcare pedem, obstringere manum, aut digitos, si hæc, & similia fiant ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex illis oritur, secluso etiam periculo ulterioris consensus.

263. Unde infertur saltus, seu choreas, in quibus manus virorum, & mulierum conjunctæ sunt, moraliter loquendo, impossibile esse, quòd absque mortali exerceantur; quia moraliter loquendo, impossibile est, quòd in hujusmodi tactibus aliqua saltem delectatio carnalis, & sensibilis absit: sed sic est, quòd tactus, in quibus adest delectatio carnalis, & sensibilis sint peccata mortalia, secluso etiam periculo ulterioris consensus: ergo saltus, seu choreæ, in quibus manus virorum, & fœminarum sunt conjunctæ, moraliter loquendo impossibile est, quòd absque mortali peccato exerceantur. Quare universaliter quævis species saltus, seu choreæ inter viros & fœminas valde periculosa, & ut talis à Sanctis reprobata, & à dæmonibus approbata: *Quis talia Christianos docuit* (exclamat S. Ephrem *apud March. lib. 3. Hort. Pastor. Tract. 3. in fine*) *Non Petrus, non Joannes, non alius Divino Numine afflatus; verùm ille Draco antiquus suis voluminibus docuit.* Diabolus eos introduxit, docuit, & fovet; quia in his detestabilibus voluptatibus est ipsius centrũ, & lucrum, ajebat S. Augustinus *apud Pebart. serm. 46. Dom. Quinq. Chorea est quidam circulus, cujus centrum est Diabolus.*

264. Dico tertiò, non damnatur sententia asserens, quòd oscula habita non ob delectationem carnalem, & sensualem, sed ob delectationem merè sensitivam non sint lethalia peccata: v. g. Matres, aut nutrices in iterata osculatione puerorum, non peccant ob delectationem sensitivam quæ exinde oritur: ita Lumbier, tom. 2. num. 808. idem sentit cum Moya Torrecilla super hanc propos. 40. num.

num. 6. & 7. ratio est, quia propositio damnata loquitur de delectatione carnali, & sensibili, quæ idem est ac sensualis; atqui nostra conclusio non de hac, sed de merè sensitiva, quæ consistit in proportione objecti suavis, & mollis cum sensu tactus, velut ea, quæ oritur ex tactu alicujus holoserici, nam sicut sensus tactus potest in suavitate cujusdam holoserici delectari, ita pariter poterunt labia in genarum mollitie sine ullo motus libidinosi ne vestigio quidem, non secùs ac si lapidem contingerent: ergo non damnatur sententia asserens, non esse peccata mortalia oscula habita non ob delectationem carnalem, & sensualem, sed ob sensitivam tantùm.

265. Dico quartò, neque damnatur sententia asserens, osculum habitum ob benevolentiam, aut per modum salutationis juxta stylum, & morem Patriæ, non esse peccatum mortale: Torrecilla loc. cit. num. 3. & probatur, quia propositio damnata loquitur de osculo habito ob delectationem carnalem: nostra autem de eo, quòd habetur ex amicitia, benevolentia, & salutatione juxta stylum Patriæ; & quamvis ex hujusmodi osculis honestis oriatur aliqua commotio inordinata sensualitatis, non propterea erit peccatum mortale, modò voluntas tales commotiones frænare satagat, nec subsit periculum consensus: ita cum Sanchez in 6. Decalog. lib. 6. cap. 1. dub. 12. num. 2. ubi advertit cum Navarro, Lessio, Cajetano, & aliis in hujusmodi osculis cavendum esse à scandalo, nec decere personas Ecclesiasticas, & Religiosas ea habere cum fœminis etiam aliquantùm consanguineis.

266. Hinc est, quòd licèt videatur, hanc condemnationem non loqui de osculis, & amplexibus, quos habent inter se sponsi de futuro ad conciliandum, & conservandum mutuum affectum, ut cum Moya affirmat Torrecilla ubi suprà num. 13. tenendum tamen est, haud licere dictis sponsis de futuro oscula, amplexus, & tactus: Sic Lessius lib. 4. de justit. & jure cap. 3. dub. 8. num. 59. & alii: ratio est, tum quia sponsis de futuro non est licita copula: ergo nec oscula, quæ sunt ejus initium; tum quia cum certitudine Matrimonii contrahendi per hujusmodi oscula, amplexus, & tactus, evidenti incontinentiæ periculo se exponunt: ergo &c.

267. Dico quintò, licèt hæc propositio damnata non loquatur de aspectibus turpibus, dicendum est tamen, quòd aspectus rerum turpium, & obscœnarum sit grave peccatum, si animo libidinoso fiat, vel ob delectationem carnalem, & sensualem; sin verò aspectus non essent multùm obscœni, aut turpes, nec cum periculo commotionis venereæ, aut libidinosi consensus, sed ex curiositate, venialem culpam non excederent: ratio constat ex supradictis. Hinc se-

sequitur graviter peccare virum partes pudendas fœminæ, aut iis proximas aspicientem, vel econtra; quia similes aspectus sunt ex se valde indecentes, & ad Venerem provocativi: aspicere autem faciem, aut manus alicujus fœminæ ex curiositate, levitate, vel naturali delectatione, secluso periculo delectationis, aut venerei consensus, non est mortale peccatum: videatur Trullench ubi suprà num. 14. & 15. per tot. quod etiam non erit secluso eodem periculo, si persona ex curiositate, & levitate: 'aspiciat verenda propria: & idem sustineri potest, si vir viri natantis pudenda leviter ex curiositate tantùm 'aspiciat, citra periculum aliud lascivi consensus, aut sensualis delectationis. *Trullench* eodem num. 15. *vide etiam Bassæum* Verb. Impudicitia, num. 14. Hinc tangens sua pudenda, si ob delectationem, peccat graviter, si leviter ex curiositate citra aliud periculum, venialiter: sed in his omnibus, quia periculosa nimis, cave.,'

268. Dico sextò, neque hæc propositio damnata loquitur de verbis turpibus, & quamvis verum sit, non esse gravia peccata, quando ex levitate absque alio fine, aut periculo; si tamen dicantur cum animo provocandi ad Venerem, aut libidinosum consensum, vel cum periculo complacentiæ in proferente, vel audiente gravem culpam attingent; quandoquidem absolutè loquendo, talia verba sunt incentiva ad libidinem, scintillæ sensualitatis honestorúmque morum destructio: juxta dictum Apostoli 1. ad Corinth. 15. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* quare ejusmodi verba proferentes, sunt velut sepulchra aperta abominabilis corruptionis, fœtidos vapores exhalantia; *sepulchrum patens est guttur eorum. Psalm. 5.* hisque verbis summoperè quadrat dictum S. Bernardi serm. 24. in Cantic. *Unum illud verbum, uno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit.*

PROPOSITIO XLI. damnata.

Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò regalo, *dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

SUppono primò, de occasione peccandi, supradicta in Decreto Innoc. Papæ XI. condemnante tres propositiones, nempe 61. 62. & 63. in 61. damnata fuit sententia asserens, posse absolvi eum, qui in occasione proxima peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: in 62. Proximam occasionem non esse fugiendam, quando causa aliqua utilis,

lis, aut honesta non fugiendi occurrit, & in 63. licitum esse, quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. Explicatio harum propositionum damnatarum habetur 1. part. hujus prax. tract. 10. num. 281. & seq. pag. 412. easdem consule pro meliori intelligentia propositionis hìc ab Alexandro VII. damnatæ.

269. Suppono secundò, occasionem proximam eam dici, in qua attentis circumstantiis moraliter loquendo, impossibile est, non cadere in peccatum: quare una est occasio proxima, altera remota, voluntaria una, involuntaria altera: hæc condemnatio non loquitur de occasione remota, cùm nemo hanc evitare teneatur, nec de occasione proxima involuntaria, quam homo citra grave suum damnum evitare nequit; idcirco propositio damnata loquitur de occasione, quæ evitari potest citra grave damnum, nempe si concubinarius ejiciendo concubinam, privaretur regalo, & hoc deficiente ægrè vitam ageret: de hac ergo occasione proxima voluntaria hìc est sermo.

270. Suppono tertiò, occasionem proximam posse esse simul, vel absque habitu peccandi, occasio proxima simul cum habitu peccandi est, quando homo cadit, & recidit frequenter in tale peccatum cum persona commorante in propria domo, & ex hac frequentatione actuum fit, & generatur in eo habitus, & facilitas peccandi: occasio proxima absque habitu est quando homo ex sua natura adeò propensus est ad vitium, ut quamprimùm conversatur cum muliere domi existéte, moraliter loquendo, est in manifesto periculo peccandi.

271. Suppono quartò, eandem occasionem posse esse uni proximam, alteri verò non, cùm unus sit altero imbecillior; aliqui magis, alii minùs perversi, nonnulli timore Domini freti magis resistunt, alii passione ducti in tentationem, & laqueum diaboli incidunt.

Suppono quintò, concubinatum rigorosè acceptum sic definiri, *est frequens & consueta fornicatio cum eadem persona domi retenta, abutendo ea tanquam uxore*: & hìc concubinatus vel potest esse in specie adulterii, si unus ex complicibus est conjugatus, vel incestus, si sunt consanguinei, aut simplex fornicatio, si sunt soluti, ita Trullench super Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 9. num. 1. & 2.

272. Dico primò, Concubinarius est obligandus à Confessario ad ejiciendam concubinam, licèt hæc nimis utilis esset ad ejus oblectamentum vulgò *regalo* & licèt alia famula nimis difficilè inveniretur: unde sententia contraria æquissimè in hac propositione 41. condemnatur; primò, quia oblectamentum, seu assisten-

ſtentia paſsiva concubinarii, non eſt cauſa ſufficiens, ad reddendam involuntariam occaſionem proximam; ſecundò, quia hæc ſententia erat valde ſcandaloſa graviumque inconvenientium cauſa; ſiquidem concubinarius à concupiſcentia ſua illectus, abſtractus, & excæcatus difficultatem potiùs imaginariam adſtrueret, faſtidium ab alterius, quàm concubinæ manibus, cibaria ſumendi: ergo ad tantam cæcitatem, & inconveniens vitandum æquiſsimè hæc propoſitio condemnatur.

273. Dico ſecundò Pœnitens abſolvi nequit, non ſolùm quando domi habet occaſionem, verùm etiam quando extra fores eam habet, ſed liber patet aditus ad peccandum, pro libito; ita Joannes Sanchez in ſelect. diſp. 10. num. 3. & hoc intelligendum eſt, non tantùm, quando eſt periculum peccandi opere conſumato, verùm etiam cogitatione, tactibus, & hujusmodi peccatis: quia occaſio proxima dicitur, quando eſt morale peccandi periculum: ergo ſive occaſio ſit intra, ſive extra domum, ſive patretur peccatum hujus, vel alterius ſpeciei, parùm refert ad affirmandum, quòd ſtante hoc morali periculo peccandi Confeſſarius teneatur denegare abſolutionem pœnitenti, donec ab ejuſmodi occaſione ſe abſtrahat.

274. Unde infertur primò, non eſſe abſolvendum primò concubinarium, qui retinet in domo concubinam, aut eam extrà viſitat ſub prætextu, noxæ incurrendæ eam ejiciendo, aut non viſitando: ſecundò, concubinam, quæ non deſerit occaſionem, ſeu domum concubinarii ex eo, quia aliquam pecuniam mutuò ipſi datam recuperare, vel ſuum ſalarium habere non poterit: tertiò, Adoleſcentes, & puellas, cùm ex frequenti ad aliquod miniſterium eorum concurſu in locum aliquem extra domos ſuas, frequentes itidem lapſus reſultant, niſi quilibet eorum contritus accedat; quia nequit abſolvi is, qui non habet propoſitum morale peccati periculum evitandi: atqui in ſupradicto caſu morale ſubeſt periculum peccati: ergo &c. quartò, nec abſolvi poteſt, qui occaſionem in, vel extra domum habet, ſed ſi pro libito obviam, & facilem; quamvis omninò jam emendatus ſit, ſi eodem modo, ac antea ejusdemque ſcandali reus ingredi perſeveret, & exiſtimatur à populo in concubinatu perſeverare. quintò, Nec abſolvi poteſt moribundus, ſi ibi adeſt concubina, talis in vicinia, aut domi reputata, quamvis unicè causâ ægro miniſtrandi adſit; licèt enim res mutatæ ſint, ex ejus continuata domi retentione ſcandalum durat, imò & videtur in ipſo perſeverare quædam conditionata voluntas eam retinendi, redeundíque ad vomitum, ſi convaleſceret; ut bene inquit Lumbier ſuper

per hanc Propos. tom. 2. num. 820.

275. Infertur secundò, constitutum in occasione dubia peccandi, id est cum dubio, an talis occasio sit periculum morale peccandi, teneri eam amovere: Ita cum aliis Leander à Sacram. part. 1. tract. 5. disp. 7. quæst. 33. Nec absolvi potest mulier, quæ ob cauponam exercendam versatur in periculo proximo peccandi, nisi hujusmodi ministerium citra notabile damnum, aut scandalū deserat; idem dico si non dimittat famulas, quæ ob eandem causam occasioni proximæ peccandi cum Hospitibus expositæ sunt, ipsisque famulabus non deserentibus Ministerium citra grave earum damnum absolutionis beneficium impendi nequit: Vide Leandrum ibidem quæst. 55.

276. Dico tertiò, hæc condemnatio non loquitur de occasione involuntaria; quare non damnatur opinio, quòd in occasione involuntaria constitutus absolvi possit: ratio est, quia propositio damnata ajebat, absolvendum esse concubinarium, qui non ejicit concubinam, si hæc nimis utilis est ad ejus oblectamentum: sed sic est, quòd hujusmodi utilitas non reddat occasionem involuntariam: ergo propositio damnata non loquitur de occasione involuntaria: minor probatur; quia occasio involuntaria seu necessaria est, quæ sine magna difficultate gravibusque inconvenientibus amoveri non potest; sed sic est, quòd nullum grave inconveniens, seu damnum sequatur concubinario ex sui oblectamenti privatione, ergo utilitas oblectamenti in concubinario non reddit occasionem involuntariam, seu necessariam.

277. Hinc infertur, posse parentem, imò teneri alere filios ex concubina, qui nec separari possunt à matre, neque aliâ viâ possunt victum quærere, etsi periculum habeat lapsus cum concubina: Ita Joannes Sanchez "in suis select. disp. 10. num. 9. circa medium:" sed ego in tali casu non video, cur concubinarius per alios non possit filiis alimenta dicta præstare, ut scandalo locus esse minimè possit: ait, & bene Diana part. 5. tract. 14. resol. 109. item Chirurgus potest verenda fœminæ curare cum periculo consensus, idem est, si aliqua fœmina inclusa sit in aliquo secreto loco, ut fit in carceribus inquisitionis, ad cujus sustentationem solus custos carceris occurrit, potest Officium exercere, etsi periculum peccandi habeat cum illa, si alius non sit, per quem cibaria ministret: item Filiusfamilias non tenetur domum Patris deserere, in qua adest occasio peccandi, nec mercatores, & scribæ ab officiis propriis abstinere, etsi in illis habeant occasionem peccandi; quia tunc non est illis voluntaria occassio, sed inviti in illam incidunt, quam cum gravi detrimento vitare nequaquam tenentur. Vide

Palaum part. 2. disp. 2. punct. 9. §. 3. num. 11. & 12.

278. Hinc sequitur, quòd in prædictis casibus attenta sola occasione proxima involuntaria possit pœnitens absolvi, quin occasionem amoveat, nec amovere promittat, dummodò firmo, non peccandi, proposito instructus ad confessionem accedat: ratio est, quia occasio involuntaria non est culpabilis, nec peccatum: ergo quantumvis pœnitens eam amovere non proponat, supposito firmo animo non peccandi, ac media ad emendationem conducentia adhibendi, absolutionis beneficio gaudere potest: dixi, quòd possit absolvi pœnitens *attenta sola occasione involuntaria* quia si huic annexus sit habitus peccandi, ratione hujus deneganda erit absolutio, ut dixi 1. part. Prax. tract. 10. num. 232. & seq. pag. 336.

279. Dico quartò, neque condemnatur opinio asserens, quòd si pœnitens in occasione proxima constitutus cum extraordinario dolore, & firmissimo proposito ad confessione accedat posit absolvi: Lugo de Pœnit. disp. 14. sect. 10. num. 151. & cum Lugo, Layman, Navarro, Baunis, & Tamburino, idem tenet Moya in suis select. tom. 1. tr. 3. disp. 7. q. 5. n. 8. quia propositio damnata dicebat, quòd concubinarius non sit obligandus ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad ejus oblectamentum: atqui nostra assertio ab hac valde discrepat: ergo &c.

280. Addit Lugo *ibi*; cum prædicto dolore, & proposito, occasionem non dici ampliùs proximam: *ut possit absolvi pœnitens*, inquit, *quando habet extraordinarium dolorem, & propositum, hæc enim faciunt jam illam non esse occasionem proximam*: & P. Moya posito ejusmodi dolore dicit: *potest Confessarius ita se habere, ac si nunquam talis pœnitens de occasione proxima domi retenta se accusasset*: idem docui, loquendo de habitu peccandi 1. part. hujus prax. tract. 10. num. 245. pag. 399. & dixi: quotiescumque pœnitens dat fundamentum credendi, se accedere ad confessionem cum dolore extraordinario: v. g. cum extraordinariis lacrymis, vel motus ab aliquo infausto successu, vel si in aliquo se emendaverit, & adhibuerit diligentiam vincendi suam malam consuetudinem, vel si confiteatur in articulo, vel periculo mortis; in his casibus per dolorem, & propositum extraordinarium interrupit consuetudinem antea habitam, & debet pro eo ferri judicium respectu confessionum futurarum, ac si tunc inciperet consuetudo: Sic sentit in similibus, loquendo de occasione proxima eruditissimus Moya tom. 1. tract. 3. disp. 7. quæst. 5. num. 8. cum Layman, Navarra, & aliis: item Card. Lugo disp. 14. sect. 10. num. 151. ratio est; quia sicut habitus virtutum corrumpuntur per actus

contrarios; v. g. habitus fidei per actum formalem hæresis, sic habitus vitiosi per actus contrariarum virtutum, atqui actus pœnitentiæ, seu doloris est contrarius habitui, seu consuetudini vitiosæ: ergo &c.

281. Hoc dixi citata 1. part. hujus Prax. tract. 10. num. 245. pag. 399. quam doctrinam doctissimus P. Martinus de Torrecilla refert, & me citato sequitur in suis Consult. moral. tract. 1. Consult. 17. num. 118. eam tamen impugnat P. Emanuel à Conceptione in suo tract. de Pœnit. disp. 2. quæst. 13. num. 206. & seq. cujus objectionibus sat respondi 1. part. tract. 10. num. 247. & seq. pag. 399. adeóque noviter hanc doctrinam confirmare, ac stabilire prætermitto, cùm ejus rationes, & Authores loco citato Praxis videri possint, ubi pariter animadverti n. 271. p. 409. quanta debeat esse intensio doloris extraordinarii ad interrumpendum, seu destruendum habitum, nec quemvis dolorem extraordinarium ad id sufficere, sed requiri ita efficacem, & intensum, ut proportionetur intensioni habitus, seu consuetudinis idem dicendum de occasione proxima, proportione servata.

282. Dico quintò, quamvis in suprà memoratis casibus, & circumstantiis possit absolutio impertiri; quandoque tamen consultum, & necessarium est eam differre, aut denegare, vel saltem hoc ostendere juxta dicta 1. part. tract. 9. cap. 1. num. 17. & seq. pag. 320. ad hoc ut pœnitens advertens, se per sua peccata, & reincidentiam exponere periculo negationis absolutionis, ab iisdem abhorreat, ac pravis suis moribus frænum apponat. Hoc idem docui, loquens de habitu peccandi 1. part. tr. 10. n. 271. pag. 409. & num. 273. adverti, quòd si Confessarius prævideat dilationem absolutionis futuram fore magis in damnum, quàm profectum pœnitentis aliàs ad eam recipiendam dispositi, non sit consultum eam differre, aut denegare: siquidem tunc non esset medicina, sed venenum: denique discretio Confessarii sit ea, quæ pro ratione infirmitatis, & dispositionis pœnitentis congruum pro ejus cura remedium applicet.

PROPOSITIO XLII. damnata.

Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

283. SUppono primò, mutuum esse contractum, in quo dominium rei mutuatæ in mutuarium transfertur: *mutuum est, quod ex meo sit tuum.* Usuram autem esse lucrum, quod præcisè vi mutui percipitur. *Usura est lucrum ex mutuo.*

Suppono secundò, pro eo, quod est de ratione intrinseca mutui, non posse accipi lucrum, quia pro mutuo ne-

nequit accipi lucrum: ergo nec pro eo, quod est de ratione ejus intrinseca.

Suppono tertiò, rationem intrinsecam mutui esse, quòd mutuans aliquamdiu se privet mutuatâ pecuniâ; quia mutuans rei mutuatæ dominium in mutuatarium transfert: ergo cùm dominium in eum transferat necessariò mutuans aliquamdiu eâ se privare debet.

284. Dico primò, assertum propositionis damnatæ fuit, quòd v. g. Petrus mutuans Joanni centum ducatos, possit aliquid ultra hos accipere, si se obliget ad eos non repetendos usque ad annum, annum & medium, plus minúsve quod est falsissimum, & practicè improbabile; quia obligatio, quam Petrus sibi imponit non repetendi usque ad annum rem mutuatam, nihil est aliud quàm onus se privandi hoc tempore re mutuata: sed hoc onus est de intrinseca ratione mutui: ergo etiam obligatio non repetendi usque ad annum rem mutuatam: subsumo; atqui pro eo, quod est de intrinseca ratione mutui, nequit accipi lucrum: ergo Petrus pro ejusmodi obligatione nequit illud accipere.

Dicet aliquis, verum esse, quòd de ratione intrinseca mutui sit privatio aliquamdiu rei mutuatæ, non tamen obligatio eam non repetendi, seu obligatio ad hanc privationem: ergo propter hanc obligationem, quæ videtur pretio æstimabilis, poterit accipi lucrum: Respondeo, quòd non sit pretio æstimabilis obligatio, quam quis sibi imponit ad faciendum id, quod necessariò tenetur facere: Sic v. g. Antonius obligatus ad solvendum Paulo 20. ducatos, nequit accipere lucrum pro obligatione sibi imposita eos solvendi. Parochus tenetur prædicare suis Parochianis, pro hac obligatione prædicandi nequit accipere lucrum: ergo cùm mutuans, seu mutuator teneatur se privare mutuata pecunia, nequit aliquid exigere ultra sortem pro sibi imposita obligatione se privandi, & usque ad certum tempus eam non repetendi.

Et si instes dicendo, quòd mutuans obligetur quidem aliquamdiu se privare re mutuata, non tamen per unū, duos, aut tres annos: ergo ad minimum, quando se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum longum tempus, poterit aliquod lucrum accipere: Respondeo, quòd si ob obligationem non repetendi usque ad certum longum tempus rem mutuatam, posset aliquod lucrum accipi: ergo etiam ob obligationem non repetendi usque ad certum modicum tempus posset aliquod licèt minus lucrum accipi; quemadmodum si mercenarius, qui tota die laborat, promeretur quatuor Regales stipendii, is qui media die labori incumbit, promerebitur duos: ergo si is, qui se privat suâ pecuniâ per integrum

grum annum, posset accipere lucrũ: v. g. quatuor pro centum, is qui se privaret per sex menses posset duo accipere, per tres, unum; & sic respectivè: subsumo atqui pro privatione rei mutuatæ, seu sortis nequit ullum lucrum accipi: ergo neque poterit accipi pro ejusdem privatione etiam usque ad certum longum tempus.

285. Dico secundò, non damnatur sententia asserens, quòd ratione lucri cessantis, damni emergentis, difficultatis, & expensarum in exigendo, periculi sortis possit mutuator aliquid ultra sortem accipere: ita Torrecilla, Lumbier, & Filgueira super hanc Propos. quos ego sequor in explicatione 42. damnatæ ab Innoc. XI. n. 161. pag. 377. ratio nostræ conclusionis est; quia propositio damnata dixit, licitum esse mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus; atqui nos non ratione hujus tituli, sed aliorum justorum, quales sunt lucrum cessans, damnum emergens &c. dicimus aliquid ultra sortem posse exigi: ergo non damnatur sententia asserens, quòd mutuator ratione lucri cessantis, damni emergentis, periculi sortis possit aliquid ultra sortem exigere.

Adverto tamen hujusmodi titulos debere esse veros, & reales, cùm cupiditas plurimos excæcare soleat, qui prætextu lucri cessantis, & damni emergentis, aliorúmque motivorum non realium, sed apparentium suadent sibi aliquid ultra sortem exigere posse, sicque permultæ usuræ committuntur. Adverto pariter lucrum ob dictos titulos acceptum debere esse justum, moderatum, ac damnis, expensis, periculis commensuratum. Quandoquidem non sunt laxandæ habenæ avaritiæ, quæ assimilatur siti hydropici, qui quantò plus bibit, tantò plus sitit, & aquam appetit; quare exæstuante hoc appetitu divitiarum in corde, facilè illaqueantur animæ inter satanæ retia juxta dictum Apostoli: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli 1. ad Timot. cap. 6.*

PROPOSITIO XLIII. damnata.

Annuum legatum pro anima relictum, non durat plusquàm per decem annos.

286. SUppono primò, Legatum sic definiri: *Legatum est donatio quædam in testamento à testatore relicta, & ab hærede præstanda*; hócque aliud esse pium, profanum alterum: ut legatum dicatur pium, duæ conditiones requiruntur. Prima est pietas personæ cui fit legatum: v. g. Religiosi, Sacerdotis, pauperis, & ex defectu hujus conditionis, ille non dicitur legatum pium facere, qui legat aliquid diviti, quamvis dicat se intuitu, & amore Dei hoc facere, nam deficit pietas in persona, cui fit legatum. Secunda conditio est, ut fiat

causa

causa pietatis: v. g. eleemosynæ: Profanum est, quod aut non fit personæ piæ, aut si fiat, non fit tamen causa pietatis: unde si quis leget aliquid pauperi non intuitu pietatis, non dicitur legatum pium, cùm deficiat pietas in causa: quamvis adsit pietas in persona; hinc qui consanguineo pauperi aliquid legat, non præsumitur facere legatum pium, cùm deficiat pietas in causa; nam præsumitur prævalere affectio sanguinis, saltem quando in legato non primò fit mentio paupertatis, secùs si paupertatis primò fiat mentio, tunc enim censetur legatum pium, sic Bassæus Verb. Legatum num. 18.

287. Suppono secundò, quòd quamvis in foro externo hæredi concedatur annus ad solvenda legata; in foro tamen interno quàm primùm solvenda sunt: Diana part. 3. tract. 5. resol. 59. si hæreditas non sufficit ad solvenda omnia legata, servandus est ordo prioritatis, & dignitatis, ita ut priùs solvantur magis pia, deinde alia minùs pia, tertio loco profana: videatur Valerus *in differ. utriusque fori Verb. Legatum differ. 2. n. 2.*

288. Suppono tertiò, quòd quamvis Sotus in 4. distinct. 19. quæst. 3. art. 2. in fine, arbitratus fuerit animas non detineri in Purgatorio ultra decennium, alii ultra quinquennium, & alii diversimode circa hanc materiam opinati fuerint; hujusmodi tamen opiniones non subsistunt, quare concludendum, hanc rem esse nobis omninò occultam, incertumque tempus quo animæ ibi detinentur; cùm aliquæ plùs, aliæ minùs secundùm Decreta Divinæ justitiæ à reatu pœnæ temporalis peccatis quo ad culpam remissis debitæ, purgandæ, & expiandæ sint, ac proinde juxta magis minúsve copiosa Fidelium suffragia ab horrendo illo carcere tardiùs, vel citiùs egrediantur: Certum est, quòd anima ad fruendum visione Beatifica ab omni peccati labe immunis esse debeat; quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum, ac à Deo tot, & tales pœnas ei esse infligendas, & luendas, quot fuerunt demerita, seu reatus peccatorum in tremendo suæ Justitiæ Tribunali discussorum, his suppositis.

289. Dico primò, improbabilis, & ut practicè falsa est damnata sententia astruens, annuum legatum pro anima relictum, non durare plus quàm per decem annos: quandoquidem si hujus assertionis aliquod esset fundamentum, posset dici quòd anima tantummodo per decennium in Purgatorio detineatur, & consequenter, quòd cessantibus ejus pœnis, cessaret pariter suffragium, seu legatum ab ea relictum: atqui incertum est, num anima per decem, viginti, centum annos plùs minúsve detinenda sit: ergo nequit dici, annuum legatum pro anima relictum non durare ultra decennium, tum quia etiam dato, quòd

anima testatoris suffragio, seu legato relicto non indigeret, hoc tamen possent aliæ animæ frui, & gaudere: ergo &c.

Hinc infertur, quòd si testator aliquam quantitatem reliquit pro perpetua celebratione Missarum, non solùm primarium hæredem ad hanc teneri, sed etiam ad hæredes successores hanc obligationem in perpetuum transire. Diana part. 9. tract. 8. resol. 68.

290. Dico secundò hìc non damnatur opinio asserens, annũm legatum in aliquibus casibus cessare: v. g. primò, si fuit relictum pro tempore determinato, hoc elapso cessat legatum: secundò, si à testatore facta sit expressa, vel tacita legati revocatio; quia res, per quas causas nascitur per easdem dissolvitur. Tertiò si legatarius repudiet legatum. Quartò, si res legata perempta sit absque culpa hæredis, modò ei legata fuerit certa species, non aliquid in genere, vel in quantitate: videatur Bassæus ubi suprà num. 22. ratio nostræ assertionis est; quia propositio damnata loquitur generaliter, quòd annuum legatum pro anima relictum elapsis decem annis cesset; nos autem cum hac generalitate non dicimus, sed in casibus particularibus, & cum relatis circumstantiis: ergo &c.

PROPOSITIO XLIV. damnata.

Quo ad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

291. Suppono primò, quòd censura sit pœna spiritualis, & medicinalis inflicta ab Ecclesiastica potestate, privans hominem baptizatum usu aliquorum bonorum spiritualium, donec à contumacia recedat; & hæc dividitur in Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum, & Irregularitatem in sententia Thomistica, quæ irregularitatem ex delicto censuram esse astruit.

Suppono secundò, Censuram subdividi in eam, quæ est latæ sententiæ, & in eam, quæ est sententiæ ferendæ: censura latæ sententiæ dicitur, quæ *ipso facto* vel criminis admissione incurritur absque alia judicis sententia; censura sententiæ ferendæ dicitur, quæ solummodo est comminatoria, nec ipso facto incurritur ante sententiam Judicis.

292. Suppono tertiò, ad incurrendam censuram latam non requiri aliam contumaciam, quàm peccatum, cui ex annexa, sed ad censuram ferendam, quæ prævia canonica monitione imponitur, requiritur, ut homo se contumacem ostendat, non obediendo, nec se submittendo Ecclesiæ, tanquam piæ Matri eum admonenti, antequam velut rigorosus Judex hac pœna mulctet.

Suppono quartò, hanc propositionem damnatam non loqui de censura lata,

lata; quæ incurritur absque canonica monitione, & absque contumacia: quia cùm hæc non incurratur ob hujusmodi contumaciam, hac etiam seclusa, vel cessante, cessare non posset.

293. Suppono quintò, aliquem posse affici censura in foro externo, quin afficiatur in interno: v. g. is, qui ex primo motu iræ absque gravi culpa publicè percussit Clericum, in foro externo est excommunicatus, non autem in interno; & si ille, qui cum gravi culpa percussit Clericum, virtute Bullæ fuit absolutus in foro interno, non verò in externo, in hoc, non autem in interno censura irretitus manet. Potest pariter contingere, quòd homo in foro interno censurâ affectus sit, non verò in externo: v. g. si occultè patravit aliquod delictum, cui erat annexa censura.

294. Suppono sextò, posse verificari, quòd peccatum coram DEO sit remissum, ac anima ejus gratiam possideat, quin censura, ob tale peccatum incursa, deleta sit: v. g. si is, qui per peccatum aliquod incurrit censuram, eliceret actum contritionis perfectæ, vi hujus remitteretur ipsi peccatum, & nihilominus adhuc censurâ innodatus esset, usque dum ab habente facultatem absolveretur; & si hic cum vera contritione absque prævia absolutione censuræ decumberet, indubium est, quòd salvaretur, quamvis in foro externo ejus censura publicata fuisset, & ex ignorantia suæ contritionis, velut censurâ irretitus post mortem haberetur.

295. Dico primò, is, qui incurrit in aliquam censuram, quo ad forum conscientiæ eo correcto, ejúsque contumacia cessante, non cessat censura, adeóque opinio contraria in hac propositione 44. reprobatur; quia potestas ligandi, & solvendi sunt correlativa; atqui Ecclesiæ ejúsque Prælatis competit facultas, & potestas ligandi cum censuris: ergo iisdem competit facultas eas solvendi: ergo reo etiam correcto, ejusque contumacia cessante, non cessabit censura; verum est tamen, quòd ex ejus resipiscentia, ac obedientia absolutionis beneficium facilè subsequetur.

296. Dico secundò, non reprobatur opinio Covarruvias, Avilæ, Coninch, & Vasquez, quos citat, & sequitur Castropalaus part. 6. tract. 29. de cens. disp. 1. punct. 11. num. 4. dicentium, quòd censura lata sub conditione satisfactionis cesset, completa satisfactione v. g. *si Judex dicat: sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ: præcipio tibi, ut intra triduum solvas Petro debitum, adeóque usque ad satisfactionem excommunicatus eris:* Si hic intra triduum satisfaciat debitori, liberatur ab excommunicatione; ratio nostræ conclusionis est: quia sensus propositionis damnatæ fuit, quòd reo correcto, ejúsque contumacia cessante, censura quoque ce-

ſaret, nos autem dicimus, quòd excommunicatus ſub conditione ſatisfactionis, liberetur à cenſura ſatisfaciendo, quod valde differt à condemnatione.

Hinc eſt, non reprobari aſſertum quòd ſuſpenſio lata usque ad certum tempus. v. g. ſuſpendo te, ni ſolveris intra dies octo, vel dum in contumacia perſiſtas; ſola facta ſolutione tollatur, & ceſſante contumacia ceſſet: Ita Lumbier tom. 2. num. 819. Torrecilla in conſult. tract. 9. num. 3. & 4. ratio eſt; quia propoſitio condemnata loquitur generaliter de cenſura, ſive ſit lata cum vel absque conditione, aut limitatione: noſtra autem Concluſio ita generaliter non loquitur; ſed cum relatis limitationibus: ergo &c.

297. Dico tertiò, neque reprobatur opinio aſſerens, quòd in excommunicatione lata ad inſtantiam partis, ad exigendum pro tali tempore aliquid à debitore, poſſit protrahi tempus ab eodem creditore, in cujus favorem cenſura lata eſt: v. g. ad inſtantiam Petri creditoris 50. ducatorum, fertur cenſura in debitorem ad hoc, ut intra menſem eos ſolvat; ſi Petrus debitori ſuo ulterius tempus pro ſolutione concedat, probabile eſt, quòd elapso menſe à Judice aſſignato, debitor non incurrat protinus in cenſuram, quam nec incurreret, ſi creditor voluntariè 50. ducatos debitori remitteret. Torrecilla ubi ſuprà num. 11. quia cùm cenſura ſit lata in favorem creditoris, videtur mentem Judicis eſſe de ejus prorogatione, ſi creditor in eandem conſentiat. Sed præſcindendo etiam ab hoc, non damnari hanc opinionem (quod eſt noſtrum aſſumptum) evidens eſt, ſiquidem caſus propoſitionis condemnatæ valdè diſcrepat, ut ex dictis conſtat.

PROPOSITIO XLV. damnata.

Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

298. SUppono primò, librorum prohibitorum Authores, alios eſſe hæreticos, alios catholicos; libri hæreticorum continentes hæreſim, ſeu tractantes de Religione, prohibentur in Bulla Cœnæ excommunicatione majori reſervata Papæ, in quam incidunt eos legentes, tenentes, imprimentes, aut quoquo modo defendentes: Libri Catholicorum prohibiti illi ſunt, in quibus continetur aliqua propoſitio erronea, aut ſuſpecta in materia fidei, vel temeraria, aut contra bonos mores; contra hos pariter legentes, ſeu retinentes, lata eſt excommunicatio in Indice librorum prohibitorum *regul. 10.* ubi dicitur: *Quod ſi aliquis libros hæreticorum, vel cujusvis Authoris ſcripta ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem* dam-

damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat: ab hac tamen excommunicatione quivis Confessarius absolvere potest, cùm nemini sit reservata; ut notat Bonacina tom. 3. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 2.

299. Suppono secundò, propositionem damnatam non loqui de libris hæreticorum continentibus hæresim, aut de Religione tractantibus; quia loquitur de libris, quæ corriguntur, aut expurgantur: libri autem hæreticorum continentes hæresim; aut de Religione tractantes, nusquam expurgantur, aut corriguntur, nec conceditur, ut circumeant: ergo propositio damnata de iis non loquitur; nec fuit necesse hoc damnare, cùm evidentissimum sit, libros hæreticorum continentes hæresim, aut de Religione tractantes, nec posse legi, nec retineri, ratione gravissimæ censuræ in Bulla Cœnæ: solùm ergo de libris Authoris Catholicorum prohibitis loquebatur propositio damnata, dicebátque hujusmodi libros, donec expurgentur, posse retineri, usque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

300. Dico primò, libri Catholicorum prohibiti, ex eo, quòd contineant aliquid contra bonos mores, aut alia de causa, nequeunt retineri, donec expurgentur; cujus oppositum tanquam scandalosum improbabile, & practicè falsum reprobatur: Siquidem hujusmodi doctrina est manifestè contraria determinationi Sancti Tribunalis appositæ in Indice librorum prohibitorum, quæ dicit: Præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis &c. ne quis deinceps audeat tenere, aut legere aliquem ex libris prohibitis in hoc Indice, aut ex iis, quæ in regula generali ipsius comprehenduntur. Vide Moyam in select. tom. 1. tract. 5. quæst. 10. §. 1. n. 9. sed sic est, quòd in regula 10. dicti Indicis comprehendantur libri Authorum Catholicorum aliquam suspectam doctrinam continentes, ut dictum est in primo supposito; ergo falsissimum est assertum, quòd tales libri possint retineri, donec expurgentur.

Hinc sequitur, habentem libros prohibitos, teneri eos Inquisitioni tradere, si Edictum hoc præcipit, secùs, poterunt comburi, consultiùs, & satiùs tamen est eosdem Inquisitioni tradere. Et quantumvis verum sit, quòd in toto rigore librorum nomine manuscripta non veniant, quia tamen hæc materia, & retentio est valde periculosa, cùm prohibentur libri, in eadem prohibitione, seu condemnatione manuscripta etiam intelliguntur comprehensa: ita cum communi Lumbier num. 842.

301. Dico secundò, in hac condemnatione non solùm comprehendi libros prohibitos, continentes ali-

quam propositionem erroneam, aut in fide suspectam, vel temerariam, & bonis moribus contrariam, verùm etiam alios ideò prohibitos, quia tractant de Astrologia Judiciaria, sortilegiis, Divinationibus, necromantiis, aromantiis, ac hujusmodi abominationibus; quia hi libri prohibentur in Indice expurgationis, Regula 9. ergo nequeunt retineri, atque adeò Inquisitioni consignandi sunt. Idem est de libris prohibitis ob res amatorias, & provocantes ad luxuriam in iis contentas, & licèt hìc non reprobetur opinio Carenæ apud Dianam part. 10. tract. 12. resol. 48. dicens, legentem, aut retinentem libros causa luxuriæ, non esse Inquisitioni denunciandum, nisi hujusmodi retentor aliàs esset de hæresi suspectus, ego tamen puto, quòd stante prohibitione Inquisitioni denunciandus sit; quia edicta publicantur à Tribunali ad tollendos excessus in iis contentos: ergo si per edictum prohibentur hujusce libri, lector, & retentor denunciandus est.

Ubi advertendum est primò, neminem posse retinere, aut legere libros prohibitos eò præcisè, quòd cesset periculum perversionis, in quo sistit finis condemnationis; etenim quamquam probabile sit, quòd cessante fine legis, cesset quoque ejus obligatio, hoc tamen intelligitur, quando cessat finis totalis, & adæquatus, non quādo cessat finis partialis inadæquatus: sed finis prohibitionis librorum non tantùm est, ut impediatur perversio, sed etiam ut Author peccati justâ pœnâ mulctetur: uti tenet Diana part. 6. tract. 6. resol. 49. ergo quamvis in legente, aut retinente libros prohibitos, cessaret finis perversionis, non propterea posset eos legere, aut retinere, quia non cessat finis totalis, & adæquatus, sed tantùm partialis, & inadæquatus ipsius.

Advertendum secundò, non excusari à retentoris censura eum, qui librum utpote alterius idiomatis non intelligit; quia jam retinet, & quidem cum aliorum periculo, imminet enim semper periculum, ne per tot annorum intervallum, quo differri potest, & solet expurgatio, alii labantur, nec item excusatur, quamvis solùm retineat ad Bibliothecæ ornatum, aut ejus cum libris aliis permutationem faciendam: Ita Lumbier tom. 2. num. 843. quinimò aliqui Doctores, quos omisso nomine citat Lumbier *ibi.* dicunt, Mercatores, qui eos libros habent ad merces, in eorum rescissis foliis involvendas, esse Retentores incurrentes; quod mihi videtur verisimile; quia in aliquo ex illis volantibus, & solutis foliis potest contineri vel hæresis, vel propositio erronea, quæ ubi ad manum ignorantis pervenerit, scandalum, & ruinam inferet.

302. Dico tertiò, in hac retentione dari potest parvitas materiæ, nempe

pe si uno, alteróve die liber retineatur, & consequenter culpa levis: ita Torrecilla in suis Consult. tract. 9. num. 31. pag. ultim. ratio est; quia in lectione librorum hæreticorum datur parvitas materiæ, ut cum Alterio, & aliis dicit Bonacina tom. 3. disp. 1. §q. 2. punct. 4. num. 14. propterea qui legit tres, vel quatuor lineas excusatur à Reginaldo; qui legit decem: à Sayro, imò Duardus excusat legentem integram paginam, sed hoc mihi non probatur, inquit Bonacina, hos omnes citans, quia videtur materia gravis, si pagina grandior sit: ergo si in lectione librorum sub tam gravi censura prohibitorum datur parvitas materiæ, in eorum quoque retentione erit: nisi fortè hæc brevis retentio periculum eos legendi pariat.

TRACTATUS XVIII.

APPENDIX.

Summaria Notitia, & Compendiosa Explicatio viginti Excommunicationum, quæ continentur in Bulla Cœnæ.

§. I.

Advertentiæ generales circa hanc Bullam.

1. Omnibus Confessariis necessaria est notitia excommunicationum reservatarum in Bulla Cœnæ: primò, quia sic expressè præcepit textus Bullæ his verbis: ' Cæterum 'Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, 'aliique locorum Ordinarii, nec non 'Rectores, cæterique curam anima'rum exercentes, ac Presbyteri sæcu'lares, & quorumvis Ordinum Re'gulares, ad audiendas peccatorum 'Confessiones quavis authoritate de'putati, transumptum præsentium 'litterarum penes se habeant, easque 'diligenter legere, & percipere stu'deant, :secundò, quia cùm dictæ excommunicationes sint reservatæ Summo Pontifici, & Confessarii facultate absolvendi non polleant, earum notitia est necessaria, ne pœnitentem iis affectum ignoranter absolvant: & quamvis aliqui Doctores Confessarium, non habentem penes se transumptum dictæ Bullæ, à gravi culpa excusent, secùs tamen si in ea contenta ignorat; ut videri potest in Bonacina tom. 3. disp. 1. quæst. 22. punct. 7. num. 4. & 5. & hac de causa summariam earum Excommunicationum explicationem, hìc adjicere volui.

2. Hæc Bulla vocatur *Bulla Cœnæ*, seu *Bulla in Cœna Domini*, quia feria quinta hebdomadæ Sanctæ, in quo Christus Cœnam Discipulis fecit, editur, & promulgatur: ejus usus est antiquissimus, & de ipsius origine non constat: ita DD. ferè communiter, causa efficiens hujus Bullæ, est

Summus Pontifex; qui eam pro tempore edit; ratio est, quia ille dicitur causa efficiens Bullæ, à quo censuræ in ea contentæ imponuntur, censuræ autem in Bulla contentæ imponuntur à Summo Pontifice, ergo. Porrò Summus Pontifex Bullæ Conditor, variis nominibus appellari solet; aliquando enim vocatur Vicarius Christi, quia Christi vices in terris gerit, aliquando vocatur Petri successor, quia in locum B. Petri Principis Apostolorum suffectus est, appellatur etiam Sanctissimus duplici de causa. Prima est ratione muneris, & dignitatis, quia ad ipsum principaliter pertinet thesaurum Indulgentiarum, & suffragiorum Ecclesiæ distribuere, Censuras ferre, & absolvere, Christi gregem pascere, & instituere, juxta illa verba Christi: *pasce oves meas*. secunda est ratione Sanctitatis, qua cæteris antecellere & prælucere debet. Vocatur etiam Dominus Noster, quia supremam in hac militante Ecclesia potestatem habet, tum quia ipse judicat omnes, & à nemine judicatur, tum quia ipso præsente reliquæ dignitates etiam sæculares conquiescunt. Appellatur Papa, idest Pater Patrum, ipse enim principalem locum inter Patres, Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, aliósque Primates tenet. Appellatur Episcopus, quia illi maximè conveniunt munera, & onera Episcoporũ; & denique appellatur Servus Servorum Dei, cujus denominatio desumitur primò ex humili sui ipsius existimatione, & Christi exemplo, *qui se ipsum exinanivit formam servi accipiens*; aliisque hanc rationem præscripsit: *ut qui major est vestrûm, fiat sicut vester minister*, & juxta illud: *cùm omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus*, secundò, quia summus Pontifex vices gerit Apostolorum Petri, & Pauli, qui Servi Dei jure meritò vocari possunt.

Causa formalis hujus Bullæ Cœnæ sunt verba, & solemnitas, quæ in ferenda Bulla servatur; quibus autem verbis, & qua solemnitate hæc Bulla edatur, colligitur ex ipsius Bullæ contextu, & tenore.

Causa materialis proxima hujus Bullæ sunt actiones, quæ in ea vetantur, vel præscribuntur, ratio est, quia illa est causa materialis alicujus legis, circa quam amplexandam, vel dimittendam versatur lex; Bulla autem versatur circa actiões in ea expressas, ut circa hæresim, inobedientiam, &c.

Causa remota, seu subjectum censurarum Bullæ sunt omnes, & singulæ personæ, quæ actiones in hac Bulla prohibitas exercent, sive sint viri, sive fœminæ, sive Laici, sive Religiosi, vel Ecclesiastici, etiamsi Episcopatus, vel Cardinalatus dignitate fulgeant. Infideles autem nõ sunt subjectum hujus Bullæ, cùm non sint subditi Ecclesiæ; quia per Ostium Baptismi in eam non intrarunt, secùs Hæretici,

Schis-

Schiſmatici, aut Apoſtatæ, cùm ſint baptizati.

Cauſa finalis eſt triplex, quia triplici de cauſa ſummus Pontifex hanc Bullam edere ſolet. Prima eſt, ut pura, & integra ſervetur Fides Catholica, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo ad Hebr. 11. hæc autem Fides maximè ſervatur prohibitione hæreſis, ſchiſmatis, librorum errores contra Fidem Catholicam continentium, ut habetur in prima clauſula Canonis hujus Bullæ. Secunda eſt, ut ſervetur unio Fidelium cum Chriſto, ejuſque Vicario in terris, quæ unio violatur per ſchiſma, per receſſum ab obedientia Summi Pontificis, & per cætera in Bulla vetita. Tertia eſt, ut ſervetur ſocietas ſine offenſione inter ipſosmet Fideles, ita ut alter alteri offenſionis cauſam nõ præbeat. Hæc autem ſocietas læditur deprædatione, & latrociniis maritimis, violatione immunitatis Eccleſiaſticæ, & ſimilibus. Hæc Bulla vim habet, & perſeverat, donec alia de novo edatur, & promulgetur, ut perſpicuè conſtat ex illa ejuſdem Bullæ clauſula ſub fine: *Volentes præſentes noſtros proceſſus durare, quouſque alii publicentur*: nec ceſſat morte Summi Pontificis, nec cenſuræ viginti in ea contentæ multiplicantur iterata publicatione, & editione Bullæ Cœnæ; quia antecedentes ceſſant adveniente nova Bullæ publicatione.

3. Non incurrunt has cenſuras ii, qui laborant ignorantia juris, vel facti, juxta dicta 1. part. hujus prax. tract. 5. cap. 6. num. 40. pag. 101. ubi adnotavi cujuſmodi ignorantia eſſe debeat, ut à dicta pœna excuſet: eadem doctrina videri poteſt 1. part. tract. 6. cap. 8. part. 8. n. 98. pag. 160. & tract. 11. §. 1. num. 7. pag. 421. neque incurritur cenſura, ſi peccatum, cui eſt annexa, non eſt mortale ex defectu deliberationis, aut ob parvitatem materiæ, vel ſi peccatum eſſet merè internum: ratio primi eſt; quia culpa, & pœna ſunt correlativa, ac proinde proportiõem inter ſe habere debent: atqui quævis excommunicatio hujus Bullæ eſt pœna gravis: ergo ad eam incurrendam requiritur culpa gravis: ratio ſecundi eſt; quia Eccleſia non mulctat ſuis pœnis actus ſibi ignotos: atqui actus merè interni ſunt ſibi ignoti: ergo hos ſuis pœnis non mulctat.

4. Nullus Confeſſarius privatus abſque ſpeciali privilegio à caſu aliquo, vel cenſura in Bulla Cœnæ contenta abſolvere valet: & ſi ſecùs facere præſumeret, nulla eſſet abſolutio; quinimò ipſemet excommunicationis ſententia innodaretur; juxta phraſim Bullæ dicentis: 'quòd ſi fortè ali- 'qui contra tenorem præſentium tali- 'bus excommunicatione, & anathe- 'mate laqueatis, vel eorum alicui ab- 'ſolutionis beneficium impendere de- 'facto præſumſerint, eos excommu- 'nicationis ſententiâ innodamus:, at advertendum primò, quòd juxta ver-

bum præsumserint, positum in textu, Summus Pontifex excommunicatione quoscunque ligare non intendat, sed eos, qui præsumunt, idest, absolvunt scientes; se non posse absolvere: censura enim non ligat ultra mentem conditoris verbis expressam: adeóque ab ea excusatur, qui ex inadvertentia, oblivione, aut ex ignorantia etiam crassa, & supina absolvit; quamvis enim hujusmodi ignorantia non excuset à peccato, & à præcepti transgressione, excusat tamen ab excommunicatione contra præsumentes lata: ita cum Sanchez, Avila, & aliis docet Bonacina tom. 3. disp. 1. quæst. 22. punct. 3. n. 4. Advertendum secundò, excommunicationem, quam incurrit Confessarius, absque speciali privilegio absolvens ab aliqua censura Bullæ Cœnæ, non esse reservatam; ita cum Navarro, Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 17. dif. 21. num. 17.

5. Dixi quòd Confessarius absque speciali privilegio à dictis censuris absolutionis beneficium impendere præsumens excommunicationem incurrat; quia posito tali privilegio, nec peccatum, nec pœnam incurreret; unde per Bullam Sanctæ Cruciatæ conceditur facultas absolvendi semel in vita, & semel in morte, ab omnibus censuris contentis in Bulla Cœnæ, excepto peccato hæresis. Utrùm verò à censuris occultis Bullæ Cœnæ, possit quis absolvere *toties, quoties*, virtute cruciatæ, vel etiam absque ipsa per privilegia Regularium, alibi dictum est: sic pariter an vi Bullæ Sanctæ Cruciatæ possit eodem anno, & indistinctis confessionibus absolutio impetiri à diversis casibus, & censuris Bullæ Cœnæ dictum est tract. 1. primæ partis prax. num. 9. pag. 10. Cæterùm in articulo mortis quivis Confessarius potest absolvere à dictis Censuris, & ab omnibus aliis; an verò imponendum sit pœnitenti onus se præsentandi superiori, cui reservata est censura, recuperata salute, dictum est suprà 1. part. tract. 11. §. 1. num. 4. pag. 411. & in hac secunda parte tract. 13. cap. 5. part. 1. num. 69. pag. 123.

§. II.

De Prima Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

TExtus Bullæ: 'Excomunicamus' '& anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, '& Spiritus sancti: authoritate quo'que Beatorum Apostolorum Petri, & 'Pauli, ac nostra, quoscunque Husi'tas, Wiclephistas, Luteranos, Zvvin'glianos, Calvinistas, Ugonottos, A'nabaptistas, Trinitarios, & à Chri'stiana fide Apostatas, ac omnes, & 'singulos alios Hæreticos, quocunque 'nomine censeantur, & cujuscunque 'Sectæ existant, ac eorum credentes, 'receptores, fautores, & generaliter quos-

'quoslibet eorum defensores, ac eo-'rundem libros hæresim continentes, 'vel de Religione tractantes, si-'ne authoritate nostra, & Sedis A-'postolicæ scienter legentes, aut re-'tinentes, imprimentes, seu quomo-'dolibet defendentes, ex quavis cau-'sa publicè, vel occultè quovis inge-'nio, vel colore: necnon Schismati-'cos, & eos, qui se à nostra, & à 'Romani Pontificis, pro tempore 'existentis obedientia pertinaciter 'subtrahunt, vel recedunt.,

Notandum 1. in Excommunicatione sex personarum genera comprehendi: Primò, Hæreticos cujuscunque sectæ, existant: Secundò, à Christiana Fide Apostatas: Tertiò, eorundem Hæreticorum credentes, receptores, fautores, ac defensores secuto effectu: Quartò, legentes libros eorundem hæresim continentes, aut de Religione tractantes: Quintò, retinentes hujusmodi libros, ac imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa publicè vel occultè quovis ingenio, vel colore: Sextò Schismaticos, & inobedientes Summo Pontifici.

De hæresi, & Apostasia jam diximus 1. part. tract. 1. cap. 1. num. 2. pag. 18. & 2. part. tract. 17. num. 25. & sequent. & de receptoribus, & fautoribus hæreticorum egi, loco cit. 1. part. num. 4. pag. 18. Circa legentes eorum libros, si hæresim contineant, aut de Religione tractent; vetiti sunt in Bulla Cœnæ, quamvis in hoc detur parvitas materiæ, ut dictum est tract. 17. num. 301. videatur ibi de retentione librorum prohibitorum num. 298. & sequent. si ejusmodi libri hæresim non contineant, nec de Religione tractent, non sunt vetiti in Bulla Cœnæ, nec prohibetur eorum lectio, seclusa alia prohibitione; nomine imprimentium dictos libros comprehenduntur primò Impressores, qui communi modo loquendi dicuntur imprimere, & ad impressionem proximè concurrunt, qualis primò dicitur Author libri, vel alius tradens librum ad imprimendum: secundò Dominus Officinæ, de cujus mandato liber imprimitur: tertiò, illi omnes, qui concurrunt ad componendos simul characteres, qui chartam humectant, vel typis excutiunt, qui exemplar impressum, seu typos corrigunt, qui Hæreticorum libros scribit, ut imprimantur: ita Filiucius tom. 1. tract. 16. cap. 2. num. 46. Schismatici sunt ii, qui à Romani Pontificis obedientia, vel totaliter, vel partialiter, se pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

§. III.
De Secunda Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Item excommu-'nicamus, & anathematizamus 'omnes, & singulos cujuscunque sta-'tus, gradus, seu conditionis fuerint, 'Uni-

'Universitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus: ab ordinationibus, seu mandatis nostris, aut 'Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad universale futurum Concilium appellantes; necnon eos, quorum auxilio, consilio, 'vel favore appellatum fuerit.,

Notandum 2. Appellationem à mandatis, vel ordinationibus Summi Pontificis prohiberi ob injuriam, quæ Sedi Apostolicæ per hujusmodi appellationem irrogatur; cùm enim appellatio fiat à minori Judice ad majorem, appellans ab ordinationibus, vel mandatis Papæ ad futurum Concilium inducere videtur schisma, & rebellionem in Ecclesia. Duplex autem censura imponitur in hoc Canone; una est excommunicatio major, altera interdictum. Omnes, & cujuscunque status, gradus, & conditionis sint appellantes ab ordinationibus, seu mandatis Papæ ad futurum Concilium generale, aut favorem, vel auxilium præstantes, ligantur vinculo excommunicationis. Universitates verò, Collegia, & Capitula contra hunc Canonem delinquentia, ligantur interdicto, non excommunicatione; quia hæc non fertur contra Communitates *ex cap. Romana de sent. excommunic. in 6.* His censuris pariter ligantur illi, quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit, ita Leander à Sacram. tom 4. tr. 3. disp. 3. qu. 5.

§. IV.

De Tertia Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Item excommunicamus, & anathematizamus 'omnes Pyratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare 'nostrum, præcipuè à Monte Argentario, usque ad Taracinam, ac omnes eorum fautores, receptores, defensores.,

Notandum 3. Actiones in hoc Canone prohibitas, alias esse accessorias, & alias principales: principales sunt latrocinium maritimum, aut discursus per mare Pontificium animo deprædandi. Accessoriæ sunt favor, defensio, & receptio. Personæ principales, quæ excommunicatione feriuntur in hoc Canone sunt Pyratæ, cursarii, & latrunculi maritimi discurrentes per mare, vel immediatè subjectum Summo Pontifici, vel mediatè vi feudi v. g. Mare Neapolitanum, Siciliæ, Corsicæ, & Sardiniæ: non verò pyratæ deprædantes in alienis maribus. Ad incurrendam autem hanc censuram non requiritur, quòd Pyratæ actualiter prædas fecerint, sed sufficit, quòd bello non indicto ex officio nauticum latrocinium exerceant, seu animo deprædandi se negotiationi, & navigationi dederint, secundùm communiorem opinionem, quamvis contraria opinio probabilitate non careat: ut inquit Palaus

laus tom. 6. tr. 29. de censur. disp. 2. punct. 4. n. 5. cum Cajetano, Sayro, & aliis; quare Pyratæ non dicuntur, nec ligantur hac pœna ii, qui causa negotiationis, seu mercaturæ navigant, sed oblata opportunitate incidenter deprædantur; sic cū Navarro, Suarez, Toleto, & aliis Villalobos tom. 1. tract. 17. diffic. 20. num. 14. personæ accessoriæ, quæ hac excommunicatione ligantur, sunt Pyratarum fautores, receptores, defensores, eis opem præstantes, ut sunt Nautæ, Remigantes, Milites, & hujusmodi, ita docet Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 4. num. 76.

§. V.

De Quarta Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

TExtus Bullæ: 'Item excommunicamus, & anathematizamus 'omnes, & singulos qui Christianorum quorumcunque navibus tem'pestate, seu in transversum (ut dici 'solet) jactatis, vel quoquomodo nau'fragium passis, sive in ipsis navibus, si've ex eisdem ejecta in mari, vel in lit'tore inventa, cujuscunque generis 'bona, tam in nostris Tyrrheni, & 'Adriatici, quàm in cæteris cujuscun'que maris Regionibus, & Littori'bus surripuerint; ita ut nec ob quod'cunque privilegium, consuetudi'nem, aut longissimi, etiam imme'morabilis temporis possessionem seu 'alium quemcunque prætextum ex'cusari possint.,

Notandum 4. Omnes & singuli, qui bona Christianorum naufragantium in mari, aut in littoribus existentia surripiunt, contrahere pœnam excommunicationis in Bulla Cœnæ; quare simplex surreptio, id est injusta acceptio bonorum naufragantium in mari, vel in littore inventorum est materia hujus censuræ; hæc enim est actio sub excommunicatione hujus Bullæ prohibita, utrùm autem non solùm surripientes hujusmodi bona clàm, & occultè, verùm etiam rapientes per vim ligentur hac pœna: Respondeo non solùm ea clàm auferentes, verùm etiam per vim rapientes vinculo hujus censuræ obstringi. A qua tamen excusantur 1. surripientes bona infidelium; quia de Christianis tantummodo sermo est in Bulla. 2. rapientes naufragorum bona extra littus maris, e. g. in Civitatem vi ventorum transmissa; quia in Bulla sermo est de surripientibus naufragorum bona in mari, vel in littore inventa. 3. qui hujusmodi bona animo restituendi vero Domino accipiunt. 4. qui hanc surreptionem exercent in mari ex bonis navium, quæ jactatæ non sunt, vel quoquomodo naufragium passæ. 5. accipientes bona, quæ probabiliter credunt pro derelictis haberi: quænam autem bona pro derelictis habeantur, videri potest in

Bonacina tom. 3. disput. 1. q. 5. punct. 4. num. 7. 6. capientes bona hæreticorum non incidunt in hanc censuram, tum quia nomine Christianorum in favorabilibus non veniunt hæretici, tùm quia præsumendum non est per se loquendo, Ecclesiam velle eos qui totis viribus ipsam oppugnant, spiritualibus Ecclesiasticæ Jurisdictionis armis protegere, & tueri. 7. Consulentes, receptores, & fautores surripientium hujusmodi bona non incidunt in hanc excommunicationem; quia cùm versemur in materia pœnali, non est facienda extensio ultra propriam verborum Bullæ significationem. Sic Palaus ubi suprà punct. 5. num. 11.

§. VI.

De Quinta Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

TExtus Bullæ: 'Item excommunicamus, & anathematizamus 'omnes, qui in terris suis nova peda'gia, seu gabellas, præterquam in ca'sibus sibi à jure, sive ex speciali Se'dis Apostolicæ licentia permissis, im'ponunt, vel augent, seu imponi, vel 'augeri prohibita exigunt.'

Notandum 5. Nomen Gabellæ, seu vectigalis universaliter significare quodcunque tributum, adeóque extendi ad pensionem, censum, guidagium, pedagium, portorium, taleas, collectas, & similia. Pedagium verò, quod dicitur à pede, nihil est aliud, quàm quoddam tributum, quod pro transitu personæ per aliqua loca solvitur ad reparationem, vel constructionem pontium, viarum, navium, solet dici etiam guidagium, idest tributum, quod pro custodia, & securitate viarum à transeuntibus solvitur: materia hujus censuræ, seu actiones sub hac censura prohibitæ, sunt impositio novi pedagii, seu gabellæ, auctio, & exactio illius. Porrò ii solùm gabellas imponere possunt, qui in suis terris supremam habent potestatem, nullúmque superiorem in temporalibus agnoscunt, cujusmodi sunt Sum̃us Pontifex, Imperator, Reges, Respublicæ, Duces, cæteríque supremi Principes Superiorem non agnoscentes; ex quo sequitur Comites, Barones, Marchiones, Dominos, alióśque potestatem supremorum Principum non habentes, non posse gabellas imponere, consequenter vinculo hujus censuræ obstringi gabellas absque licentia Summi Pontificis, vel supremi Principis imponendo. Utrùm hanc censuram incurrant illi, qui cum authoritate imponendi gabellas injustas tamen imponunt, controvertunt authores, quorum aliqui negativam tenent, cùm hoc non sit tributa imponere extra casus sibi à jure permissos, sed extra causam permissam; affirmativa tamen est verior, & probabilior; ita cum Suarez, Tabiena, & aliis Leander à Sacramento tom. 4. tract. 3. disp.

3. disp. 5. quæst. 4. Ratio est, quia à Summo Pontifice simpliciter excommunicantur, qui gabellas imponunt in casibus sibi à jure non concessis, ut disertè constat ex verbis Bullæ, sed Principi concessum non est in jure, ut gabellas injustè imponat: Jus enim injustitiam fovere, & actus jure naturæ invalidos approbare, aut validare non potest: ergo Princeps injustè gabellas imponens excommunicatur. Cùm non solùm operetur extra causam permissam, verùm etiam extra casum à jure permissum. Idem dicendum de iis, qui vectigalia alioquin justa, injustè augent, secùs de iis, qui speciem aliquam tributi, in aliam æquivalentem mutant: v. g. si pro gabella solvenda fructibus, æquivalens in pecunia solvendum imponitur. Sic Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 5. num. 110.

§. VII.

De Sexta Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Item excommunicamus, & anathematizamus omnes 'falsarios litterarum Apostolicarum, 'etiam in forma Brevis, ac Supplica'tionem, gratiam, vel justitiam con'cernentium, per Romanum Ponti'ficem, vel S. R. E. Vicecancellarium, 'seu gerentes vices eorum, aut de 'mandato ejusdem Romani Pontifi'cis signatarum; nec non falsò fabri'cantes litteras Apostolicas, etiam in 'forma Brevis, & etiam falsò signan'tes supplicationes hujusmodi, sub 'nomine Romani Pontificis, seu Vi'cecancellarii, aut gerentium vices 'prædictorum.,

Notandum 6. materiam, seu actionem prohibitam sub hac censura esse falsam fabricationem, falsificationem, & signationem litterarum, seu supplicationem Summi Pontificis, aut Vicecancellarii, vel alterius Vices ipsorum gerentis. Nomen falsificationis in hoc loco intelligitur additio, mutatio, vel detractio aliqua à præfatis litteris, vel supplicationibus, nam falsa redditur scriptura, quoties aliquid additur, vel minuitur, quod antea positum seu concessum non erat: ergo illa dici debet falsificatio, qua aliquid additur, vel minuitur, quod antea non erat: subjectum hujus excommunicationis sunt omnes falsò fabricantes, signantes, & falsificantes litteras, vel supplicationes Summi Pontificis, aut Vicecancellarii, aut gerentium Vices ipsorum, hæc propositio perspicua est ex textu Bullæ. Ratio est, quia illud est subjectum hujus Censuræ, quod præstat actiones in hac Bulla prohibitas, qui autem falsò fabricant, falsò signant, vel falsificant litteras Summi Pontificis, aut Vicecancellarii, aut gerentium Vices ipsorum, præstant actiones in hac Bulla vetitas: ergo &c. Litteræ Apostolicæ dicuntur illæ, quæ nomine Summi

Pontificis expediuntur, sive sint Bullæ, sive Brevia; hæc autem differentia est inter Bullas, & Brevia, quòd Bullæ plumbeo sigillo expediantur, Brevia verò cera rubea annulo Piscatoris signentur. Supplicationes verò dicuntur illæ petitiones, quæ in scriptis Summo Pontifici, aut Vicecancellario, aut alteri Vicem ipsorum gerenti exhibentur ad obtinendam gratiam, e. g. dispensationem, Indulgentias, aut ad obtinendam justitiam, e. g. ut causa alicui mandetur detinenda. Hinc sequitur litteras Sacræ Congregationis Cardinalium, aut Pœnitentiariæ, aut Episcopi, aut Nuntii, aut Legati à latere, aut Datarii, non comprehendi sub nomine litterarum, vel supplicationum Apostolicarum, aut Vicecancellarii, aut gerentium Vices prædictorum; quia non expediuntur nomine Papæ, aut Vicecancellarii, sed nomine ipsorum Commissariorum, & consequenter hujusmodi litteras falsificantes huic censuræ non subjiciuntur, quamvis in aliquibus Episcopatibus hæc falsificatio soleat esse casus reservatus Ordinariis, & in aliquibus Religionibus, Prælatis. Ab hac censura probabiliter excusatur, qui litteras corrigit secundùm mentem Summi Pontificis: ut si scriptor aliquid aliter expressit, quàm in Supplicatione à Papa concessum sit; corrigens enim litteras juxta supplicationem à Papa signatam non videtur propriè litteras falsificare, sed potiùs falsitatem tollere: ut si in supplicatione exprimebatur quartus consanguinitatis gradus, & Notarius apposuit affinitatis, tunc enim corrigens juxta supplicationem, non incurrit excommunicationem; quia non falsificat, sed falsitatem tollit, & veritatem apponit, cavendum est tamen, ne hæc correctio fiat propria authoritate, sed facienda est per Officiales, seu Notarios ad hoc in Curia deputatos, nisi fortè difficilis ad ipsos aditus esset. Bonacina tom. 3. disp. 1. qu. 7. punct. 2. num. 7. Fautores, consulentes, aut mandantes falsificationem non comprehenduntur, in excommunicatione hujus Canonis; quia non est facienda extensio ultra propriam verborum Bullæ significationem, in qua de his nulla fit mentio.

§. VIII.

De Septima Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

TExtus Bullæ. 'Item excommunicamus, & anathematizamus 'omnes illos, qui ad Sacracenos, Turcas, & alios Christiani nominis ho'stes, & inimicos, vel hæreticos per 'nostras, sive hujus Sanctæ sedis Sen'tentias expresśe, vel nominatim de'claratos, deferunt, seu transmittunt 'equos, arma, ferrum, filum ferri, 'stannum, chalybem, omniaque alia 'metallorum genera, atque bellica in'strumenta, ligamina, cannabem, fu'nes, tam ex ipso cannabe, quàm ex 'qua-

'quacumque alia materia, & ipsam 'materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant; nec non illos, qui per se, 'vel alios de rebus statum Christianæ 'Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, 'ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos in 'damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, 'consilium, vel favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis, per 'Nos, & Sedem prædictam hactenus 'concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non 'facientibus.,

Notandum 7. Actiones, quæ sub excomunicatione, ipso facto in hoc cãone prohibētur, ad tria capita revocari.

Primum est, deferre, vel transmittere ad Saracenos, Turcas &c. equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, item ligamina, cannabem, funes ex cannabe, vel ex alia materia, & ipsam materiam funium, & alia hujusmodi, quibus Catholicæ Religionis hostes, Christianos, & Catholicos impugnant.

Secundum est, per se, vel per alios certiores facere Turcas, aliósque Christianæ Religionis inimicos, vel hæreticos de rebus statum Reipublicæ Christianæ concernentibus, in damnum Christianorum, & Catholicæ Religionis.

Tertium est auxilium, consilium, & favorem prædictis Christianæ Religionis hostibus in damnum Christianorum præstare; hæc propositio ex ipsius Bullæ verbis evidenter elucescit; adeóque subjectum hujus censuræ sunt omnes, qui deferunt, vel transmittunt prædicta ad Turcas, Saracenos, & alios Christiani nominis hostes, vel etiam ad hæreticos expresse vel nominatim à Summo Pontifice declaratos.

Circa primum hîc prohibitum, notandum est, quòd deferentes, vel transmittentes gladios, vestimenta, & similia ad Turcas, & Saracenos non comprehendantur in hac censura, nisi forte ea deferrent tempore, quo in eorum defensionem, & Christianorum offensionem deservirent. Neque gladio hujus censuræ feruntur, qui deferunt arma, aut metalla à terris infidelium ad alias eorumdem infidelium terras, nisi forte damnum Christianis inde sequeretur; quia hic interdicitur hujuscemodi delatio à terris Christianorum ad terras infideliũ; idem esto judicium, & cum eadem limitatione de iis, qui in terris Christianorum Turcis arma, metalla &c. vendunt. Nomine hostium Catholicæ Religionis veniunt Saraceni, Turcæ, Judæi, cæterique Infideles, & etiam Hæretici, qui nominatim, id est expresso nomine à Sede Apostolica de-

declarati, vel æquivalente nomini proprio indicati sunt. Hinc sequitur non comprehendi in hac Bulla eos, qui in genere hæretici declarati sunt, ut sunt Lutherani, Calvinistæ, Ugonottæ, Zvvingliani; adeóque hac censura non ligantur ad hos arma, metalla &c. deferentes: idem dicendum de ea deferentibus ad Infideles, Turcas, quando fœdere pacis cum Christianis conjuncti sunt: secus tempore belli, ita Villalobos tom. 1. sum. tract. 17. diffic. 20. num. 25. in fine.

Circa secundam actionem in hoc canone prohibitam, nempe certiores facere Infideles de statu Reipublicæ Christianæ in damnum Christianorum observandum est, statum, de quo certiores fieri non debent hostes infideles, esse statum temporalem, non solùm totius Christianitatis, sed etiam uniuscujusque particularis, Regni, Provinciæ, vel Civitatis in particulari: nam in Bulla non dicitur de rebus concernentibus statum Reipublicæ Christianæ, sed Christianæ Reipublicæ, hoc autem verificatur de quolibet oppido, & communitate, quamobrem, qui Infideles aliquos admonet, talem arcem non esse ritè munitam, faciléque capi posse &c. hac censura obstringitur, à qua tamen probabiliter excusatur Christianus alteri Catholico similia revelans, quamvis dubitet, quòd hic Infidelibus ea revelaturus sit; ita Palaus tom. 6. tract. 29. disput. 3. de Cens. punct. 8. num. 20.

Circa tertiam actionem, quæ est, prædictis hostibus, & Hæreticis auxilium, consilium, vel favorem in damnum Christianorum quomodolibet præstare. Advertendum est, subjici huic censuræ omnes præstantes auxilium, vel favorem infidelibus invadendi Catholicos, militantes in castris, vel navibus infidelium contra Christianos, Nautæ, Mulieres, & similes, arma, & alia hìc prohibita infidelibus deferentes vel transportantes ipsos infideles cum suis armis, aut accommodantes naves, equos, vel servos ad deferendum; consulentes infidelibus aliquid in damnum Christianorum. Christiani tamen in navibus Turcarum metu mortis navigantes laqueo istius Excommunicationis non suspenduntur. Villalobos suprà num. 27.

§. IX.

De Octava Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

TExtus Bullæ: 'Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, 'qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam 'adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu 'hæc facientes defendunt per se, vel 'alios cujuscumque fuerint Ordinis, 'præeminentiæ, Conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, 'aut

ſaut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Notandum 8. Materiam proximam hujus cenſuræ, eſſe actiones in hoc Canone ſub cenſura vetitas, ut ex præcedentibus liquidò conſtat. Harum autem actionum aliæ ſunt principales, aliæ acceſſoriæ. Principales ſunt primò, impedire, ſeu invadere eos, qui victualia, ſeu alia ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt. Secundò, prohibere, impedire, ſeu perturbare ne prædicta ad Romanam Curiam advehantur.

Acceſſoriæ ſunt per ſe, vel per alios defendere illos, qui prædicta faciunt, ut ſatis clarè in ipſamet Bulla declaratur. Ut autem ſingula clariùs, & diſtinctiùs intelligantur, ſingula verba in hac Bulla expreſsè explicabo. Primò, *impedire* ſignificat actionem, qua quis alteri obſtat, ſeu detinet, ſive hoc faciat per vim, ſive per metum, ſive alia ratione. Secundò, *invadere*, idem eſt, ac contra aliquem ire, id eſt, vim, ſeu impetum inferre, ſeu in aliquem irruere, ſeu aggredi, ut illum ſpoliet, interficiat, vel damnum, ſeu injuriam inferat. Tertiò, *prohibere*, idem eſt, ac verbis impedire, ſeu id fiat auctoritate publica, ſeu privata. Quartò, *perturbare* idem ſignificat, ac ſimpliciter impedire, ſeu quovis modo obſtare verbis, vel factis. Nomine *victualium*, intelliguntur ea, quibus ad eſum, potum, & veſtitum utimur; hujusmodi autem ſunt, triticum, farina, panis, legumina, oleum, olera, ova, caſeus, carnes, piſces, uva, juncus, medicinæ, & his ſimilia, item Sericum, lana, linum, & ſimilia, quibus veſtes confectæ ſunt, vel confici poſſunt. Alia verò ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria dicuntur primò, quæ pertinent ad neceſſarium, vel decentem Curialium ſtatum, ut pecunia, equi, muli, fœnum, hordeum, paleæ, candelæ, ligna, ac denique alia ſpectantia ad victum, veſtitum, habitationem, vel etiam ad honeſtam recreationem Curialium, vel familiæ. Secundò ea, quibus Curiales utuntur in ſuis muneribus obeundis, & negotiis exercendis, ut papyrus, cera, plumbum, ferrum, filum, & ſimilia, conſequenter ſubjectum hujus cenſuræ ſunt omnes injuſtè impedientes, vel invadens eos, qui victualia, vel alia ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt, vel ne præfata ad Romanam Curiam deferantur, impediunt, vel prohibent, ſaltem quatenus ea ad Romanam Curiam deferuntur, vel per ſe, vel per alios hæc facientes defendunt.

Ab hac Excommunicatione excuſatur is, qui res ſuas vendere non vult transferendas ad Romanam Curiam, etiamſi fortè deſint aliæ, nam hic non dicitur propriè impedire, cùm nullam actionem poſitivam exerceat, ſed potiùs negativè ſe habere videatur. Secundò emens victualia, ab

eo, qui ea ad Curiam deferebat, non solùm si ea emat in sui, & familiæ usum, verùm etiam si emat, ut vendat cũ lucro, hic enim utitur jure suo, sibi consulit, & per accidens dicitur impedire delationem victualium ad Romanam Curiam; secùs si emat hac intentione, ne ad Romanam Curiam deferantur. Tertiò, Princeps, qui victualia, quæ ex alieno territorio ad Romanam Curiam convehuntur, & per suum territorium, & Principatum transeunt, impedit, & detinet, ut ea, in usum suorum Subditorum impendat, & insumat, dum in suo Principatu gravis annonæ penuria urget: Palaus ubi supr. punct. 9. n. 8. Quartò, Excommunicationem hujus Canonis non incurrit impediens convehi ad Urbem non necessaria ad decorum, & ordinarium Curialium statum, & usum, horum nomine comprehenduntur canes, & Accipitres venationi inservientes: idem dic de simiis, psittacis, taxillis, aleis, & aliis hujusmodi; quia non videntur necessaria ad decentem Curialium statum: Leander à Sacram. tom. 4. tract. 3. disp. 8. q. 20.

§. X.

De Nona Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Item excommunicamus, & anathematizamus omnes 'illos, qui ad Sedem Apostolicam ve'nientes, & recedentes ad eadem, 'sua, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; 'nec non illos omnes, qui jurisdictio'nem ordinariam, vel delegatam à 'Nobis, vel nostris Judicibus non ha'bentes, illam sibi temerè vendican'tes, similia contra morantes in eadem 'Curia audent perpetrare.'

Notandum 9. Materiam hujus Censuræ esse Sacrilegium, quo Sedes Apostolica læditur interficiendo, per se, vel per alios, mutilando, spoliando, capiendo, vel detinendo eos, qui ad ipsam Sedem Apostolicam veniũt, vel ab ea recedunt.

Nomine Sedis Apostolicæ intelligitur Summus Pontifex, quatenus habet jurisdictionem, non solùm spiritualem, verùm etiam temporalem. Illi autem dicuntur veniẽtes ad Sedem Apostolicam, qui ratione Summi Pontificis, seu intuitu negotiorum in Curia tractandorum, iter inchoarunt animo accedendi ad Romanam Curiam, causâ negotiorum apud Summum Pontificem ut dictum est, si verò alia de causa Romam accedant, quàm ratione negotiorum in Curia gerendorum v. g. causâ amicorum, Consanguineorum, Stationum, & Indulgentiarum, aut causâ Urbis invisendæ, non appellantur venientes ad Sedem Apostolicam, ac proinde hos interficiens, mutilans &c. vinculo hujus excommunicationis non ligatur; neque is, qui lædit aliquem discedentem à Sede Apostolica, ad quam non venerat, ad negotia tractanda, sed in curia

curia morabatur. Leander à Sacram. ubi ſuprà diſp. 9. quæſt. 9.

Præterea materia hujus Cenſuræ non ſolùm eſt ſacrilegium, quo Sedes Apoſtolica læditur occidendo, mutilando &c. accedentes ad ipſam; verùm etiam eſt ſacrilegium, quo eademSedes offenditur,prædictas actiones exercendo auctoritativè, uſurpata temerè jurisdictione contra prædictas perſonas in Curia Sedis Apoſtolicæ morantes, cauſa negotiorum in ea expediendorum, dixi primò *auctoritativè*, quia ſi quis morantes in Curia ſpoliet, vel alia ex præfatis actionibus tanquam privata perſona vexet, non afficitur Cenſura hujus Canonis; quia Summus Pontifex loquitur de iis, qui hæc faciunt auctoritativè, vendicantes ſibi jurisdictionē Ordinariam, vel delegatam quam non habent. Dixi ſecundò *temerè*; quia ſi quis bona fide, vel etiam cum ignorantia vincibili, craſſa, vel affectata, putans ſe jurisdictionem habere, aliquam ex prædictis actionibus præſtet contra commorantes in Curia, non incidit in pœnam hujus Canonis, quia non temerè ſibi vendicat jurisdictionem: particula enim temerè includit ſcientiam, audaciam, fraudulentiam, ac dolum. Bonacina ubi ſuprà quæſt. 10. punct. 1. n. 38.

Subjectum hujusCenſuræ ſunt omnes, & ſinguli, qui per ſe, vel per alios interficiunt, vel mutilant, vel capiunt, vel detinent Catholicos accedentes ad Sedem Apoſtolicam, vel recedentes, aut qui uſurpata temerè auctoritate præfatas actiones per ſe, vel per alios contra moram trahentes in Curia audent perpetrare. Hæc propoſitio ſatis clarè in ipſamet Bulla exprimitur.

§. XI.

De Decima Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: ‘Item excommuni‘camus, & anathematizamus omnes ‘interficientes, mutilantes, vulneran‘tes, detinentes, capientes, ſeu de‘prædantes Romipetas, ſeu Peregri‘nos ad Urbem cauſa devotionis, ſeu ‘peregrinationis accedentes, & in ea ‘morantes, vel ab ipſa recedentes, ‘& in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.’

Notandum 1o. Materiam principalem hujus Cenſuræ, ſeu actionem principaliter prohibitam, eſſe Sacrilegium, quod committitur contra Romipetas, ſeu Peregrinos adUrbem cauſa devotionis, ſeu peregrinationis accedentes interficiendo, mutilando, vulnerando, detinendo, capiendo vel deprædando; adeóque qui præfatis actionibus vexaret Romipetam, ſeu Peregrinum, non cauſa devotionis, ſed aliorum negotiorum ad Urbem proficiſcentem, hanc cenſuram non incurreret. Ita cum communi docet Leander à Sacramento ubi ſuprà diſp. 10. quæſt. 2. dubium eſſe poteſt, utrùm qui Romam ve-

 nit,

nit, non solùm causa negotii, verùm etiam causa devotionis gaudeat privilegio hujus Canonis, ut si veniat Romam, ut Ecclesias visitet, & simul amici conspectu fruatur, vel ut chirothecas emat, vel ut appellationem prosequatur, vel ob alia negotia: Ad quod respondeo primò, si principaliter Romam adire intendit causa devotionis, & secundariò seu impulsivè alia de causa, vexans hujusmodi peregrinum incidit in excommunicationem; quia dicitur vexare Romipetam, seu Peregrinum ad Urbem causa devotionis accedentem, nam secundarii fines, seu causæ impulsivæ non tollunt rationem finis primarii, à quo actio specificatur, & pendet, idem sentiendum arbitror non solùm causa devotionis, verùm etiam si ob alias fines æquè principaliter, vel etiam minùs principaliter Romam adire intendit. Respondeo secundò, si Peregrinus Romam adire intendat, ut amici conspectu fruatur, vel ut appellationem prosequatur, vel ob alia negotia principaliter, seu tanquam ob causam finalem, secundariò verò causa devotionis, tanquam ob causam impulsivam, vexans hujusmodi peregrinum, non afficitur ista excommunicatione; quia non dicitur vexare Peregrinum ad Urbem causa devotionis proficiscentem; actio enim suam speciem sumit ab actu primario, non à secundario, & in qualibet actione inspicitur id, quod principaliter agitur. Leander ibidem quæst. 3. & 4.

Materia minùs principalis, seu actio in hoc Canone accessoriè prohibita, est sacrilegium, quod contra Romipetas, seu Peregrinos devotionis causa Romam pergentes committitur præbendo auxilium, favorem vel consilium, ad occidendum, mutilandum, vulnerandum, capiendum, detinendum, seu prædandum Romipetas ut clarè constat ex ipsa Bulla. Utrùm autem auxilium, favorem, vel consilium præstans ligetur excommunicatione, nondum secuto effectu mutilationis, vulnerationis &c. negativè concludit Bonacina tom. 3. disp. 1. quæst. 11. punct. 1. n. 15. Unde omnes & singuli, injustè interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causa devotionis, vel peregrinationis accedentes, vel in ea morantes, vel recedentes; vel in his dantes auxilium, consilium, vel favorem excommunicationem præsentis Canonis incurrunt. Hæc propositio innititur verbis à Summo Pontifice prolatis.

§. XII.

De Undecima Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Itē excomunicamus, '& anathematizamus omnes interfi'ciētes, mutilātes, vulnerantes, percu'tiētes, capientes, carcerantes, detinentes,

‘tes, vel hoſtiliter inſequentes S.R.E. ‘Cardinales , Patriarchas, Archie‘piſcopos,Epiſcopos,Sedisq; Apoſtoli‘cæ Legatos, vel Nuntios, aut eos à ‘ſuis Diœceſibus, Territoriis, Ter‘ris, ſeu Dominiis ejicientes: Necnon ‘ea mandantes, vel rata habentes, ſeu ‘præſtantes in eis auxilium,conſilium, ‘vel favorem.’

Notandum 11. Materiam primariam hujus Cenſuræ eſſe ſacrilegium, quo Cardinales, & alii Prælati in hoc Canone expreſſi offenduntur per actiones hic principaliter prohibitas, quæ ſunt; interficere, mutilare, vulnerare, percutere, carcerare, detinere, hoſtiliter inſequi & ejicere ex Diœceſibus, Terris, ſeu Dominiis, quorum juriſdictio in ſpiritualibus, & gubernatio ejusmodi Prælatis demandata eſt. Hac tamen cenſura non afficitur Princeps ejiciens aliquem ex prædictis Prælatis, è Territoriis, Terris ſeu Dominiis, in quo Dominium, & jurisdictionem non habet, neque qui non admittit, vel impedit ingredi Terras ipſi ſubjectas; quia Canonis excommunicatio lata eſt contra ejicientes, non verò contra non admittentes. De quibus Canon non loquitur.

Materia minùs principalis, ſeu acceſſoria hujus Cenſuræ eſt Sacrilegium, quo quis Cardinales, alióſque Prælatos in hoc Canone expreſſos, offendit, mandando, ratum habendo, auxilium, conſilium vel favorem præbendo in actionibus principaliter prohibitis, & paulò antè expreſſis. Quamobrem actiones minùs principales, ſeu acceſſoriæ ſunt, mandatum, ratihabitio, auxilium, conſilium vel favor circa actiones principaliter prohibitas. Unde omnes præfatas actiones, tam principales, quàm acceſſorias exercentes contra Cardinales, & alios Prælatos ſecuto effectu, vinculo hujus Cenſuræ obſtringuntur. Hic notandum ad ratihabitionem propriè acceptam requiri, ut approbetur actio, tanquam ſuo nomine facta: idcirco ſi quis approbet aliquam actionem, & de illa gaudeat, neſciens ſuo nomine factam, non dicitur propriè ratum habere, licèt graviter peccet ob conſenſum, & affectum ad peccatum: nam ad ratihabitionem, non ſolùm requiritur, ut approbetur materiale factum, ſed etiam ipſius qualitas, quòd ſcilicet factum ipſius nomine geſtum ſit: ita Palaus tom. 4. tract. 29. de Cenſuris diſp. 3. punct. 12. ſub. num. 5. in fine.

§ XIII.

De Duodecima Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: ‚Item excommuni‚camus, & anathematizamus omnes ‚illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas ‚Eccleſiaſticas quaſcumque, vel ſæcu‚lares ad Romanam Curiam ſuper eo‚rum cauſis, & negotiis recurrentes, ‚ac illa in eadem Curia proſequentes, ‚ac procurantes, negotiorumque Ge-

'stores, Advocatos, Procuratores, & 'Agentes, seu etiam Auditores, vel 'Judices super dictis causis, vel negotiis 'deputatos, occasiōe causarū, vel ne'gotiorū hujusmodi occidūt, seu quo'quomodo percutiunt, bonis spoliant, 'seu qui per se, vel per alios directè vel 'indirectè delicta hujusmodi comitte're, exequi, vel procurare, aut in eisdem 'auxiliū, consilium, vel favorem præ'stare non verentur, cujuscumque 'præeminentiæ, & dignitatis fuerint.,

Notandum 12. Quamvis Summus Pontifex Canone 9. excommunicationem tulerit contra eos, qui per se, vel per alios offendunt accedentes ad Romanam Curiam, vel in ea morantes, vel ab ea recedentes ut suprà dictum est, nihilominus hìc excommunicationem extendit, non solùm ad eos, qui occidunt, percutiunt, vel spoliant accedentes per se ipsos Romam causa negotiorum vel transmittentes, procurantes, negotiorum gestores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, verùm etiam ad eos, qui ad hæc facienda directè vel indirectè cooperantur, aut auxilium, consiliū, vel favorem præstare præsumunt. Quare

Materia principalis, & primaria hujus Canonis est sacrilegium, quod committitur occidendo, percutiendo, vel spoliando, confugientes per se, vel per alios causa negotiorum ad Sedem Apostolicam, vel ipsorum Procuratores, Actores, Advocatos, vel Judices. Huic tamen Censuræ non subjicitur occidens, vulnerans, spolians, accedentem ad Romanam Curiam, non occasione causarum, vel negotiorum, sed ex aliis motivis & occasionibus v. g. ex vindicta, causa lucri &c. quia occisio, vulneratio usurpatio, prohibetur in hoc canone sub excommunicatione, occasione, & intuitu causarum, idest ut recurrens occidatur, vulneretur, bonis spolietur, quia ad Sedem Apostolicam recurrit. Neque hac censura innodatur vi hujus canonis, sed 9. is, qui hujusmodi recurrentem occidit peractis, & terminatis negotiis, sive Romæ moretur, sive domum revertatur, quia non dicitur ampliùs recurrens: Bonacina tom. 3. disp. 1. de censur. q. 13. p. 2. n. 4. & 5.

Materia minùs principalis, & accessoria hujus censuræ est sacrilegiū, quod committitur ab iis, qui occisionem, percussionem, vel spolitationem prædictarum personarum præsumunt mandare, exequi, vel procurare, aut in eis auxilium consilium, vel favorem præstare: unde subjectū hujus censuræ sunt omnes, & singuli cujuscumque gradus & conditionis existāt, qui præfatas actiōes, sive principales, sive accessorias exercēt contra accedētes ad Sedem Apostolicam. Porrò, ille dicitur directè ad hæc concurrere, qui mandat exequi, vel auxilium, consilium in eas præstat, & indirectè

qui

qui mandat, consulit, aut auxilium dat ad aliquam actionem, ex qua damnum illud sequitur: v. g. qui accedenti ad Romanam Curiam consuleret, ut per viam latronibus obsitam pergeret ea intentione, ut in eorum manus incideret. Castropalaus ubi suprà punct. 13. num. 8. hæc tamen propositio intelligitur secuto effectu, quia quando aliquæ actiones principaliter, & aliquæ accessoriè prohibentur sub excommunicatione, excommunicatio non incurritur nondum secuto effectu principaliter sub censura prohibito, effectus autem principaliter prohibitus, est occisio, percussio, & spoliatio: mandatum verò, auxilium, consilium, & favor accessoriè tantùm prohibentur: tum quia verba intelligenda sunt cum effectu, præsertim in materia pœnali, nisi aliter de mente disponentis constet.

§. XIV.

De Decima Tertia Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Excommunicamus, & anathematizamus omnes tam 'Ecclesiasticos, quàm sæculares, cujuscumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quamdam appellationem à gravamine, vel futura executione, litterarum Apostolicarum, etiã in forma Brevis, tam gratiam, quàm 'justitiam concernentium: nec non 'citationem, inhibitionem, sequestrorum, monitoriorum, processuum, 'executorialium, & aliorum Decretorum, à Nobis, & à Sede prædicta, 'seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus 'Palatii nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs ad Curias sæculares, & laicam potestatem 'recurrunt, & ab ea, instante etiam 'Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac 'litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta 'capi, & retineri faciunt, quive illa 'simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii super hujusmodi litterarum, & processuum executione, 'instrumenta, vel acta conficere, aut 'confecta parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, 'familiares, Notarios, Executores, & 'Subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum 'prædictorum, capiunt, percutiunt, 'vulnerant, carcerant, detinent, ex 'Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, 'concutiunt, comminantur, per se 'vel alium seu alios, publicè, vel occultè, quive alias quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro

'qui-

'quibusvis eorũ negotiis prosequen-'dis, seu gratiis, vel litteris impetran-'dis, ad Romanam Curiam accedant, 'aut recursum habeant, seu gratias 'ipsas, vel litteras à dicta Sede impe-'trent, seu impetratis utantur, dire-'ctè, vel indirectè prohibere, statue-'re, seu mandare, vel eas apud se, aut 'Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs 'quomodolibet retinere præsumunt.'

Notandum 13. Ab Authoribus in tres partes canonem istum dividi. Materia primæ partis, est sacrilegium, quo Sedis Apostolicæ auctoritas violatur. Primò recurrendo ad Curias sæculares, & laicam potestatem, prætextu frivolæ appellationis à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum: Secundò, faciendo admitti hujusmodi appellationes à laica potestate, instante etiam Fisci Procurarore, & Advocato. Tertiò, faciendo capi, vel retineri prædictas litteras ab eadem laica potestate. Materia secundæ partis istius canonis est Sacrilegium, quod committitur. Primò simpliciter impediendo litterarum Apostolicarum executionem, id est, impediendo sine ulla conditione, vel clausula, ne præfatæ litteræ executioni tradantur. Secundò impediendo secundùm quid, ne scilicet prædictæ litteræ executioni mandentur sine beneplacito, consensu vel examine potestatis laicæ. Materia tertiæ partis hujus Canonis, est sacrilegium contra Sedem Apostolicam, quod committitur aliqua istarum actionum. Prima est præsumere directè, vel indirectè prohibere, statuere, aut mandare in genere, vel in specie, ne quis ad Romanam Curiam accedat, vel recursum habeat pro quibusvis ejus negotiis prosequendis, seu gratiis vel litteris impetrandis, seu ne gratias ipsas, vel litteras à Sede Apostolica impetret, seu ne impetratis utatur. Secunda est præsumere prædictas litteras apud se retinere vel apud Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet. Subjectum hujus censuræ sunt omnes illi, qui præfatas actiones præstant, amplia, sive eas præstent auctoritate publica, sive privata, sive per se, sive per alios, sive publicè, sive occultè.

Gravissima, ac agitatissima est hujus Canonis materia; quia in Hispania, & Gallia consilia aliquas litteras Apostolicas retinere solent, ac ab earum gravamine, & executione appellationem admittunt, vel faciunt admitti. Utrùm hoc liceat, vel ne, prolixæ disputationis materia est, ac proinde in compendioso hoc notando nequit restringi: quare Suarez de hoc puncto tractare intermisit, eúmque sequitur Leander à Sacramento tom. 4. tract. 3. disp. 13. quæst. unic. Videatur Bonacina tom. 3 disp. 1. de Censur. in Bulla Cœnæ Dñi quæst. 14. punct. 1. & seq. Filliucius tom. 1. tract. 16. & 6. de censur. in particulari

lari cap. 8. quæſt. 4. & ſequent. num. 192. Caſtropalaus tom. 6. tract. 29. de cenſur. diſp. 3. punct. 14. per totum.

§. XV.

De Decima Quarta Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, '& ſingulos, qui per ſe, vel alios auctoritate propria, ac de facto quarũcumque exemptionum, vel aliarum 'gratiarum, & litterarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, '& ſpiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliiſque Judicibus Eccleſiaſticis avocant, 'illorumve curſum, & audientiam, 'ac perſonas, Capitula, Conventus, 'Collegia, cauſas ipſas proſequi volentes, impediunt, ac ſe de illarum 'cognitione tanquam Judices interponunt. Quive partes Actrices, 'quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, '& ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi, per ſtatutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum Apoſtolicarum, 'ſeu executorialium, proceſſuum, & 'Decretorum prædictorum quomodolibet impediunt; vel ſuum ad id 'favorem, conſilium, aut aſſenſum 'præſtant, etiam prætextu violentiæ 'prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad Nos 'informandos, ut dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram Nobis, '& Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, etiamſi talia committentes 'fuerint Præſidentes Cancellariarum, 'Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Conſiliarii 'Ordinarii, vel Extraordinarii quorumcumque Principum ſæcularium; 'etiãſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia 'quacumque præfulgeant dignitate, 'aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, 'Cõmendatarii, ſeu Vicarii fuerint.'

Notandum 14. Materiam primariam, & principalem hujus Cenſuræ eſſe Sacrilegium, quo Sedes Apoſtolica in ſua Juriſdictione violatur per aliquas actiones in hoc canone expreſſas. Actiones autem in hoc canone expreſſæ ſunt iſtæ.

Prima auctoritate propria, ac de facto avocare cauſas ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commiſſariis Sedis Apoſtolicæ, Advocare autem cauſas idem eſt quod cognionem, ſeu definitionem cauſarum apud alios pendentium, ad ſe trahere, & revocare; unde hac cenſura non ligantur advocantes cauſas merè temporales.

Secunda actio eſt, impedire cauſarum

rum ſpiritualium, vel ſpiritualibus annexarum curſum, proſecutionem, audientiam, perſonas, Capitula, Conventus, vel Collegia, quæ prædictas cauſas proſequi vellent: ad incurrendam autem iſtam excommunicationem opus eſt, ut prædictæ cauſæ auctoritativè impediantur.

Tertia eſt, interponere ſe tanquam Judicem in prædictarum cauſarum cognitione. Secùs ſi tanquam Procurator, vel Advocatus ſe ingerat; nam Canon loquitur de interponente ſe tanquam Judicem.

Quarta eſt, compellere auctoritativè partes actrices, quæ prædictas cauſas committi fecerunt ad revocandum, vel revocari faciendum citationes, inhibitiones, aut alias litteras decretas ſuper hujusmodi cauſis.

Quinta eſt, compellere easdem partes actrices ad faciendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, abſolvi à cenſuris, & pœnis in illis contentis, aut ad conſentiendum eos abſolvi. Ex quo ſequitur p imò, eum qui via judiciaria, aut precibus, aut omiſſionibus, vel pecunia, inducit partes actrices ad præſtandum prædictum conſenſum, non incidere in excommunicationem: quia non dicitur compellere: is enim compelli dicitur, qui ad aliquid agendum contra ſuã voluntatẽ injuſtè inducitur. 2dò ſequitur eum non affici excommunicatione præſentis canonis, qui compellit Judicem, à quo excommunicatio, & aliæ pœnæ inflictæ ſunt, ut abſolutionem impendat. Ratio eſt, quia canon non loquitur de compellente judicem, ſed de compellente partes actrices. Hic tamen non eſt liber ab alia excommunicatione, quæ habetur in textu canonico *cap. abſolutionis unico de iis, quæ vi, mentúsque cauſa ſiunt in 6.*

Sexta actio eſt, auctoritate judiciaria impedire executionem litterarum Apoſtolicarum, executorialium, proceſſuum, & Decretorum, quomodolibet. Ubi notanda eſt illa particula quomodolibet, quæ omnem modum, quo litterarum Apoſtolicarum executio impediri poteſt, includit. Quamobrem qui litteras Apoſtolicas non permittit recipi, vel publicari, vel juxta ipſarum tenorem, vel alia ratione executioni tradi, gladio hujus cenſuræ feritur.

Materia quaſi ſecundaria, & acceſſoria hujus cenſuræ eſt Sacrilegium conſiſtens in actionibus acceſſoriis, actiones autem acceſſoriæ in hoc canone prohibitæ, ſunt favor, conſilium, & aſſenſus auctoritativè præſtitus in actionibus principaliter prohibitis quomodolibet. In hujus propoſitionis explicatione diutiùs non immorandum, ſed ſolùm obſervandum cenſeo, iſtam excomunicationẽ non incurri ob has actiones nondum ſecuto effectu: quia ob actiones acceſ-

ſorias

ſorias cenſura non incurritur nondum poſita actione principali.

Subjectum, ſeu Perſonæ, quæ vinculo hujus cenſuræ irretiuntur, ſunt omnes, & ſinguli, qui ſine ſpeciali Summi Pontificis facultate actiones prædictas per ſe, vel per alios auctoritativè faciunt. An verò prædictarum litterarum executionem aliquo prætextu impediens ab hac cenſura excuſetur? Villalobos ſuper diffic. 21. num. 3. opinatur, Reges, & Gubernatores Regni inſtante neceſſitate prohibendæ violentiæ, injuriæ, ſeu damni inter ſubditos, & ad bonum Regimen, & pacem inter ipſos, poſſe abſque hujus cenſuræ innodatione impedire cauſarum Eccleſiaſticarum curſum, aut litterarum Apoſtolicarum executionem prætextu informandi, aut ſupplicationem exhibendi Summo Pontifici, quatenus earum executionem ſuſpendere dignetur ad omnia inconvenientia inde obventura removenda. Ita colligitur *ex cap. Si quando de reſcriptis*: ubi dicit Decretum: *aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſit, rationabilem cauſam prætendas.*

§. XVI.

De Decima Quinta Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ 'Quive ex prætenſo 'eorum officio, vel ad inſtantiam par'tis, aut aliorum quorumcumque 'perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, 'Conventus, Collegia Eccleſiarum 'quarumcumque coram ſe ad ſuum 'Tribunal, Audientiam, Concella'riam, Conſilium, vel Parlamentum, 'præter Juris Canonici diſpoſitionem 'trahunt, vel trahi faciunt, vel pro'curant directè, vel indirectè, quovis 'quæſito colore: Necnon, qui ſta'tuta, Ordinationes, Conſtitutiones, 'pragmaticas, ſeu quævis alia decreta 'in genere, vel in ſpecie, ex quavis cau'ſa, & quovis quæſito colore, ac etiam 'prætextu cujusvis conſuetudinis, aut 'privilegii, vel aliàs quomodolibet fe'cerint, ordinaverint, & publicaverint, 'vel factis, & ordinatis uſi fuerint, unde 'libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in 'aliquo læditur, vel deprimitur, aut 'aliàs quovis modo reſtringitur, ſeu 'noſtris, & dictæ Sedis, ac quarum'cumque Eccleſiarum juribus quo'modolibet directè, vel indirectè, ta'citè, vel expreſsè præjudicatur.'

Notandum 15. Hunc canonem connecti cum antecedente, & cum tribus aliis ſubſequentibus; quia ſub una, & eadem verborum forma, excommunicationem continente, enunciatur, nam verba illa *excommunicamus, & anathematizamus* quæ initio cujuslibet canonis apponi ſolent, in hoc canone & tribus ſequentibus non teferuntur. Porrò canon iſte dividitur in duas partes, in quarum prima prohibentur actiones, quibus immunitas, ſeu libertas Eccleſiaſtica violatur,

tur, trahendo personas Ecclesiasticas ad sæcularia Tribunalia, præter juris Canonici dispositionem; quia Jure annuente id non prohibetur v. g. cùm Clericus fuerit degradatus, seu depositus realiter, tunc enim traditur brachio sæculari judicandus, & puniendus. In secunda interdicuntur actiones, quibus eadem libertas violatur per statuta, vel ipsorum usum; Quare Materia primæ partis hujus canonis est sacrilegium, quo auctoritas Sedis Apostolicæ offenditur exercendo aliquam actionem in eadem parte canonis expressam contra libertatem fori, qua personæ Ecclesiasticæ gaudent. Materia verò secundæ partis est sacrilegium, quo Sedes Apostolica, circa libertatem Ecclesiasticam offenditur per actiones in secunda parte canonis expressas. Quo ad primum in hoc canone vetitum, videantur suprà dicta tract. 15. cap. 1. §. 2. num. 11. pag. 206. ubi referuntur aliqui casus, in quibus personæ Ecclesiasticæ possunt trahi ad tribunalia sæcularia, & quo ad secundam partem canonis prohibentem statuta fieri idem cap. cit. num. 12. & sequent. pag. 207. & cap. 4. §. 3. n. 56. pag. 238.

Dubium esse potest an ad hanc censuram incurrendam opus sit, ut quis hujusmodi statutis auctoritativè utatur, id est, ut sit persona publica auctoritate publica gaudens, vel sufficiat, si privata auctoritate id faciat; ad quod respondetur non improbabile esse primum, ita docet citando Bonacinam Castropalaus tom. 6. tract. 29. disp. 3. punct. 16. n. 8. ex quo sequitur, subjectum hujus censuræ esse omnes, & singulos, qui statuta, vel Decreta quælibet in genere, vel in specie ex quavis causa faciunt, ordinant, vel publicant, vel factis, aut ordinatis authoritativè utuntur, quibus Ecclesiastica libertas læditur, vel juribus Sedis Apostolicæ, aut aliarum quarumlibet Ecclesiarum quovis quæsito colore, directè, vel indirectè, tacitè, vel expresè præjudicium infertur: Unde quilibet Superior, laica potestate fulgens afficitur excommunicatione hujus canonis, faciendo Statutum, vel Decretum, vel eo utendo, sive is sit Prætor, Princeps, vel Judex, sive sit Episcopus Cardinalis, vel alius: nam Summus Pontifex absolutè, & indistinctè loquitur, & hi omnes censuræ capaces sunt.

§. XVII.

De Decima Sexta Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Necnon qui Archi-'episcopos, Episcopos, aliosque su-'periores, & inferiores Prælatos, & 'omnes alios quoscunque Judices Ec-'clesiasticos ordinarios quomodoli-'bet hac de causa directè, vel indi-'rectè, carcerando, vel molestando 'eorum Agentes, Procuratores, Fa-'miliares, necnon Consanguineos,

&

'& Affines, aut aliàs impediunt, quo minùs sua jurisdictiõe Ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundùm quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum Generalium, & præsertim Tridentini, statuunt, ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque Sententias, & decreta, aut aliàs Fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & Delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.'

Notandum 16. Materiam præcipuam hujus censuræ esse Sacrilegium, quod committitur contra Ecclesiam, faciendo aliquam actionem principalem in hoc canone interdictam, qua Ecclesiastici impediuntur, ne sua jurisdictione utantur. Prima actio principalis est quomodlibet impedire Judices Ecclesiasticos Ordinarios hoc animo, ne sua jurisdictione Ecclesiâstica contra quoscumque utantur. Secunda actio est recurrere ad curias sæculares, seu potiùs judicium Fori Ecclesiastici eludere, recurrendo ad Cancellarias, & alias Curias sæculares animo impediendi sententias judicum Ecclesiasticorum Ordinariorum, vel Delegatorum. Circa primam actionem notandum est, illum dici impedire, qui vi, vel metu Ecclesiasticum Judicem prohibet, ne Judex faciat ea, quæ ad ipsius jurisdictionem spectant, vel ne facta executioni mittantur, vel ut executioni mandata revocentur; idcircò qui sine vi, & metu, sed precibus, litteris hortatoriis, præmio, amore, aliáve simili ratione, in causa est, ne Judex jurisdictione sua utatur, non afficitur excommunicatione; quia non dicitur propriè impedire, sed Judex volens desistit, & subornatus, vel non invitus ad aliquid injustè agendum movetur: Ita cum Alterio, Ugolino, Coriolano, & aliis docet Leander à Sacramento tom. 4. tract. 3. disp. 16. quæst. 2. Insuper ad hanc censuram incurrendam non sufficit privata auctoritate impedire, sed opus est publica, quia canon iste continuare videtur cum antecedenti: in antecedente autem est sermo de personis publicam auctoritatem laicam exercentibus: ita cum Navarro, Suarez, & aliis, Castropalaus ubi suprà punct. 16. num. 4.

Excommunicatio hujus canonis non incurritur impediendo usum jurisdictionis propriè delegatæ, sed ordinariæ, ut colligitur ex verbis textus: *impedientes Ordinarios, ne sua jurisdictione utantur*, neque impediendo Ordinarios Ecclesiasticos, ne jurisdictione profana, & laica, seu tempora-

porali utantur; quia canon loquitur de impediente usum jurisdictionis Ecclesiasticæ, seu spiritualis.

Circa secundam actionem in hoc canone interdictam, aliqui Doctores existimant, hanc censuram incurri, sive quis ad tribunalia Judicum sæcularium recurrat post Sententias, & Decreta ordinariorum, vel quorumcumque Delegatorum, sive quis recurrat ante hujusmodi Sententias, decreta, seu ordinationes. Ita Leander à Sacramento *super quæst. 10.* cum Reginaldo, Filliucio, Bonacina & aliis. Oppositum sequitur Ugolinus, Duardus, Alterius, & Castropalaus ibid. num. 8. quod videtur probabilius, & colligitur ex illis verbis textus: *post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcumque Sententias &c.* & quia hæc interpretatio, absque vi convenire potest iis verbis, non est cur non valeat, cùm hæc materia sit odiosa. Materia minùs præcipua, seu accessoria istius censuræ est, sacrilegium, quod committitur contra Ecclesiam faciendo aliquam actionem accessoriè hìc prohibitam, nempe dando auxilium, consilium, patrocinium, & favorem ad supradictas actiones principales, secuto tamen effectu, & hæ actiones accessoriè auxilium, consilium &c. non copulativè, sed disjunctivè accipiendæ sunt. Ex quo patet subjectum hujus censuræ, non solùm esse impedientes judices ordinarios, ne sua jurisdictione utantur; verùm etiam dantes consilium, auxilium, patrocinium & favorem.

§. XVIII.

De Decima septima Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad nos, & Sedem Apostolicam, '& quascumq; Ecclesiasticas personas, 'ratione Ecclesiarum, Monasteriorũ, & 'aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam 'quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressâ licentiâ sequestrant.

Notandum 17. Materiam hujus censuræ esse sacrilegium, quo Ecclesiasticæ personæ in suis bonis Ecclesiasticis, vel Ecclesiastica libertas, & auctoritas in præfatis bonis offenditur, & violatur. Quare materia hujus censuræ specialiter consistit. Primò in usurpatione jurisdictionis, aut fructuum, redditiuum, & proventuum pertinentium ad Sedem Apostolicam, vel ad alias quaslibet personas Ecclesiasticas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, vel beneficiorum Ecclasiasticorum. Secundò in præfatorum sequestratione, quavis occasione fiat sine legitima facultate. Quo ad primum notandum est, bona debere esse Ecclesiastica; quia usurpans bona patrimonialia Ecclesiastici, vel fructus, qui non competunt illi ratione

ne Ecclesiæ, vel beneficii Ecclesiastici, sed Patrimonii, vel hæreditatis &c non incurrit hanc censuram. Ita docet cum Cajetano Toletus in Sum. lib. 1. cap. 28. num. 3. & ego in simili casu dixi 1. part. hujus pra. tract. 11. § 2. n. 31. pag. 434.

Dubium est, quid significet *usurpare?* an scilicet significet simpliciter furari, seu rapere rem tanquam alienam, vel tanquam propriam? Leander à Sacramento cum Cajetano, Navarro, & aliis à se citatis tom. 4. tract. 3. disp. 17. quæst. 4. putat probabiliorem esse opinionem asserentem, hoc verbum usurpare accipi pro actione qua quis rem alienam sibi adscribit tanquam propriam, seu tanquam sibi debitam, licèt sciat ad alium pertinere, vel ut alii loquuntur pro actione, qua quis rem alienam, rapit, non tanquam alienam sed tanquam propriam, seu ac si ad se pertineret. Quamobrem juxta hos Authores, is dicitur usurpare bona in hoc canone expressa, qui ea tanquam sibi propria vendicat; quasi potestatem in his habens, seu quasi jure proprio utens. Contrariam sententiam tenet Sayrus lib. 3. cap. 21. n. 4. quam probabilem censet Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 8. quæst. 11. num. 223. eámque relicta cum sua probabilitate opinione Leandri, ego amplector; tum quia raro continget, quòd quis accipiat bona aliena tanquam propria, ac proinde videtur hujus censuræ finem fore frustratorium; tum quia, vel is, qui accipit ejusmodi bona, judicat esse propria vel aliena? Si propria, & bona fide tanquam propria accipit, non committit formaliter furtum: si judicat esse aliena quomodo poterit ea accipere tanquam propria? ergo per verbum *usurpare* in hoc canone expressum, non intelligitur actio, qua quis rapit bona aliena, tanquam propria, aut tanquam sibi debita: tum denique, quia nostra doctrina deducitur ex textu canonico *cap. pœnale* 14. *quæst.* 5. ubi dicitur: *furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ:* ergo &c. hoc idem docui *1. part. hujus praxis tract. 11. §. 2. num. 31. pag. 434.*

Quo ad secundam partem hujus Canonis, dubium est, quid significet verbum *sequestrare?* ad quod respondeo, in hoc loco idem esse, ac bona jurisdictionaliter deponere, seu impedire, ne ab Ecclesiasticis personis, ad quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum pertinent, percipiantur. Sic enim colligitur; tum ex subjecta materia, de qua in hoc Canone tractatur contra violatores Ecclesiasticæ immunitatis, & libertatis; tum ex ratione, & definitione sequestri in genere: *sequestrare* enim in genere loquendo, nihil aliud est, quàm rem aliquam, de qua inter duos controvertitur, tradere alicui certæ personæ custodiendam, vel etiam possidendam, donec lis dirimatur,

matur, & constet, cui de jure debeatur. Observa tamen, duplicem esse sequestrationem, alteram voluntariam, quæ fit de consensu utriusque partis, alteram necessariam, quæ fit de mandato judicis ad instantiam unius tantùm partis: vel *ex officio* Judicis: hoc in loco non erit sermo de sequestratione primo modo, sed secundo; nam Summus Pontifex cavere intendit damna, & injurias Ecclesiasticorum; nullus autem sciens, & volens damnum, & injuriam pati censetur: cùm scienti, & volenti non fiat injuria. Ex dictis patet, omnes usurpantes jurisdictiones, fructus, redditus, ad Ecclesiasticas personas pertinentes, vel prædicta sequestrantes, excommunicatione hujus canonis innodari.

§. XIX.

De Decima Octava Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Quive collectas 'decimas, taleas, præstantias, & alia 'onera Clericis, Prælatis, & aliis per-'sonis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ec-'clesiarum, Monasteriorum, & alio-'rum Beneficiorum Ecclesiasticorum 'bonis, illorúmque fructibus, redditi-'bus, & proventibus hújusmodi abs-'que simili Romani Pontificis speciali '& expressa licentia imponunt, & di-'versis etiam exquisitis modis exigūt, 'aut sic imposita, etiam à sponte danti-'bus, & concedentibus, recipiunt, 'Nec non qui per se, vel alios, directè, 'vel indirectè prædicta facere, exe-'qui, vel procurare, aut in eisdem au-'xilium, consilium, vel favorem præ-'stare non verentur, cujuscunque sint 'præeminentiæ, dignitatis, ordinis, 'conditionis, aut status; etiamsi Im-'periali, aut Regali præfulgeant di-'gnitate, seu Principes, Duces, Co-'mites, Barones, & alii Potentatus 'quicunque etiam Regnis, Provinciis, 'Civitatibus, & Terris, quoquomo-'do Præsidentes, Consiliarii, & Sena-'tores, aut quavis etiam Pontificiali 'dignitae insigniti. Innovantes De-'creta super his per sacros Canones, 'tam in Lateranensi novissimè cele-'brato, quàm aliis Conciliis generali-'bus edita, etiam cum censuris, & 'pœnis in eis contentis.,

Notandum 18. Actiones, quæ in hoc canone interdicuntur, alias esse principales, & alias accessorias. Principales sunt tres videlicet tributa, seu onera imponere, & exigere, & imposita recipere, etiam à spontè dantibus. Accessoriæ sunt, videlicet præfata per se, vel per alios, directè, vel indirectè facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem consulere, auxiliari, vel favere quæ singillatim explicabuntur.

Materia hujus censuræ est sacrilegium, quo immunitas Ecclesiastica offenditur aliqua actioue in hoc canone expressa. Prima autem actio in hoc canone expressa, & interdicta, est

est imponere collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera personis Ecclesiasticis, & eorum Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, fructibus, & proventibus, absque Summi Pontificis licentia, & eadem tributa, seu onera exigere. Hoc autem non intelligitur de bonis temporalibus pertinentibus ad Ecclesiasticos, de quibus tenentur absolvere tributa; iis enim prædicta onera imponi possunt absque violatione hujus canonis: ita Villalobos tom. 1. tract. 17. diffic. 21. n. 10. quod intellige, quando personæ Ecclesiasticæ negotiationibus sæcularibus se immiscent; tunc enim licet imponere illis gabellas, sicut etiam sæcularibus super tali negotiatione: ita cum Sylvestro Toletus in sum. lib. 1. cap. 29. num. 2. aliàs non possent imponi tributa bonis patrimonialibus, aut alio modo aquisitis Ecclesiasticorum, vel ex illis exigi: ita tanquam certum docet Leander à Sacramento tom. 4. tract. 3. disp. 18. quæst. 12. Licitum est tamen onera Ecclesiasticis imponere, dum id fit de consensu, & expressa Summi Pontificis licentia; ut colligitur ex ipsomet textu canonis; *Absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia.*

Secunda actio in hoc canone expressa, est tributa, seu onera Ecclesiasticis, vel eorum bonis imposita exigere; hæc tamen actio conjungitur cum antecedente, & cum ea connecti debet, ut imponens tributa, seu onera excommunicationi hujus canonis subjiciatur; utraque enim actio per copulam & exprimitur.

Tertia actio est, tributa, seu onera Ecclesiasticis, vel eorum bonis imposita recipere, etiamsi tradens sponte tractat, & concedat. Circa hanc actionem dubium esse potest, utrùm extorquens aliquam pecuniam ab Ecclesiasticis, in istam excommunicationem incurrat, quoties hoc onus non fuit Ecclesiasticis impositum, respondeo negativè, quia Summus Pontifex excommunicat recipientes tributa imposita Ecclesiasticis, & eorum bonis, & proventibus: ergo à contrario sensu extorquens aliquod tributum, non sic impositum, non afficitur excommunicatione hujus Canonis, argumentum enim à contrario sensu valet, præsertim in materia pœnali, in qua standum est propriæ, & strictæ verborum expositioni. Ex quo sequitur custodes portæ, Civitatis, aut fluminis, pontis, vel portus extorquentes pedagium, gabellum, seu tributum ab Ecclesiasticis, de quibus Princeps in impositione pedagii seu tributi nullam mentionem fecit, non affici excommunicatione hujus canonis, quia ad incurrendam, opus est recipere onera imposita Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, vel ipsorum bonis. Verum est tamen præfatos custodes peccare,

& afficij excommunicatione non reservata, *cap. quamquam de Censibus*: ita Filliucius tom. 1. quæst. 10. sub num. 42. §. *quartum notandum* cum Sylvestro, & Suarez, idem docet Palaus tom. 6. tract. 29. disp. 3. de cens. punct. 19. num. 12. & cum Sayro, Quaranta, Ugolino, Duardo, Vivaldo, Suarez, & communi, idem affirmat Bonacina tom. 3. disp. 1. quæst. 19. punct. 1. num. 6.

Quarta actio in hoc canone prohibita, est per se, vel per alios, directè, vel indirectè prædicta facere, id est, imponere, & exigere, vel sic imposita recipere, etiam à sponte dantibus, vel auxilium, consilium in supra dictis præstare. Dubium est, utrùm exigens minimum ab Ecclesiastico, contrahat excommunicationem, præsertim si accipiat cum intentione exigendi ab aliis Clericis, usque ad notabilem quantitatem? Bonacina ubi suprà num. 12. sentit non incidere, nisi postquam ad notabilem quantitatem pervenerit. Ratio est, quia parvitas materiæ, sicut excusat à peccato mortali, ita etiam excusat ab excommunicatione, quæ ob peccatum mortale incurritur; & quamvis recipiens cum præfata intentione mortaliter peccet, ratione pravæ intentionis recipiendi ab aliis usque ad notabilem quantitatem: nihilominus non afficitur excommunicatione; quia ista non incurritur ob peccatum internum, seu ob intentionem exigendi gabellas; sed ob ipsamet exactionem externam: illa autem externa exactio ob parvitatem materiæ, non sufficit ad excommunicationem contrahendam. Oppositum cum Alterio sentit Castropalaus loco citato num. 13. ubi affirmat, non dari in hoc casu parvitatem materiæ, & quòd gravitas hujus casus non sit desumenda ex quantitate exigita, sed ex injuria illata libertati Ecclesiasticæ, quæ gravis est, licèt levis sit quantitas, quæ exigitur: utramque opinionem censeo probabilem.

In hoc canone adduntur pœnæ à sacris Conciliis latæ contra imponentes gabellas, tributa, vel alia onera Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis; pro quarum pœnarum intelligentia, consule Palaum ibid. punct. 19. num. 2. & 16. & sequent. Bonacina super punct. 4. per tot. Filliucium ubi suprà tr. 16. cap. 11. quæst. 5. num. 303. cap. 11. quæst. 5. num. 303.

Ex dictis sequitur, omnes cujuscunque gradus, & conditionis in hujus canonis excommunicationem incidere, dum per se, vel per alios, directè, vel indirectè imponunt, & exigunt præfata tributa, vel onera, aut imposita recipiunt, aut ad illorum exactionem concurrunt suo consilio, auxilio, vel favore.

§. XX.

De Decima Nona Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ. 'Item excommuni-'ca-

'camus, & anathematizamus omnes, '& quoscunque Magistratus,& Judi-'ces,Notarios, Scribas, Executores, 'Subexecutores quomodolibet se in-'terponentes in causis capitalibus, seu 'criminalibus contra personas Eccle-'siasticas, illas processando, bannien-'do, capiendo, seu sententias contra 'illas proferendo, vel exequendo, sine 'speciali, specifica, & expressa hujus 'sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, 'quique ejusmodi licentiam ad perso-'nas,& casus non expressos extendūt, 'vel aliàs illâ perperam abutuntur, 'etiamsi talia commitentes fuerint 'Consiliarii, Senatores, Præsidentes, 'Cancellarii, Vicecancellarii,aut quo-'vis alio nomine nuncupati.,

Notandum 19. Excommunicationem hujus canonis suffragari immunitari personarum Ecclesiasticarum, à judicio tribunalium sæculariū in earū causis capitalibus, & criminalibus.

Porrò causa capitalis illa dicitur, in qua de crimine capitali, seu de capitis diminutione agitur; diminutio autem capitis dupliciter contingere potest: primò naturaliter, ut si pœna mortis naturalis, vel mutilationis membri imponenda sit: secundò civiliter, per omissionem civitatis, ut si agatur de crimine, cui pœna exilii, vel triremium adjuncta est; Reus enim per hujusmodi pœnam subtrahitur à civitate, & capitis diminutionem pati dicitur juxta jurisconsultos, de quo tractat Instit. tit. 16. de c. *diminut.* & hæc pœna alia est maxima, alia media, alia minima, cujus explicatio ad hunc locum non pertinet. Causa criminalis illa est, in qua agitur de pœna inferenda ut justitiæ vindicativæ satisfiat; cùm enim justitia vindicativa postulet delicta à Magistratu puniri, causa censetur criminalis, quoties in ea de hujusmodi pœna in satisfactionem Fisci, seu justitiæ vindicativæ tractatur; quando verò agitur de pœna applicanda parti, ut videlicet satisfactio parti præstetur, juxta regulas justitiæ commutativæ præscribentes jus suum cuique tribui, causa civilis nuncupatur. In canone 15. hujus Bullæ Cœnæ prohibetur violatio libertatis Ecclesiasticæ, per tractionem personarum Ecclesiasticarum ad laicale tribunal, & in hoc canone 19. per delationem causarum capitalium, aut criminalium, earumque personarum, ad præfatum Tribunal.

Materia istius excommunicationis est sacrilegium, quo Judices, & alii in hoc canone expressi libertatem Ecclesiasticam offendunt, interponendo se contra Ecclesiasticas personas in causis capitalibus, seu criminalibus contra præfatas personas, illas processando. Secunda, bannire personam Ecclesiasticam, seu quomodolibet interponere se banniendo. Tertia, eas capere, seu quomodolibet interponere se capiendo. Quarta, proferre sententiam contra Personas Ecle-

clesiasticas in causa criminali. Quinta, præfatam sententiam exequi, id est, executioni mandare id, quod Judex Laicus contra Personam Ecclesiasticam decrevit. Sexta actio est licentiam, quam quis habet à Sede Apostolica ad faciendas prædictas actiones, contra Ecclesiasticos, extendere ad personas, & causas in licentia non expressas, vel illâ licentiâ abuti. Plures percensentur casus, in quibus absque speciali, & specifica licentia Sedis Apostolicæ, seu sine excommunicatione possunt laici jure communi aliquas actiones in hoc canone expressas exercere: ut notavit Palaus ubi suprà punct. 20. num. 7. inter hos duo præcipuè enumerantur; primus est, dum Clericus in flagranti crimine reperitur, nec aliter à crimine removeri, aut impediri potest, quàm illũ capiẽdo, tunc enim *servato moderamine* capi potest hoc animo, ut Superiori Ecclesiastico consignetur: ita cum Alterio, Molina & aliis, Bonacina tom. 3. disp. 1. quæst. 20. punct. 3. num. 7. secundus est, cùm Judex Clericum, cum Matre, filia, sorore, vel uxore propria incontinenti capit; quia id facit ad sui defensionem: Clericus autem turpiter inventus dicitur, non solùm si inveniatur in actu carnalis copulæ, verùm etiam si inveniatur in alio quolibet turpiactu: ut in osculis, amplexibus, vel tactibus impudicis, vel signis actui propinquis in loco suspecto: ita cum Vivaldo, Susa, & aliis Bonacina ibid. n. 9. alios casus refert idem Bonacina ibi num. 1. & sequent. Filiucius tom. 1. tract. 16. cap. 11. quæst. 9. num. 314. Leander à Sacramento tom. 4. tract. 3. disp. 19. quæst. 7.

Subjectum hujus censuræ sunt omnes, & quicunque Magistratus, & Judices, Notarii, Scribæ, Executores, Subexecutores, Consiliarii, Senatores, Præsides, Cancellarii, Vicecancellarii, & alii hujusmodi, quomodolibet interponentes se, in quibuscunque causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas procesando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, & expressa Sedis Apostolicæ licentia, aut præfatam licentiam ad personas, & casus non expressos extendendo, vel aliàs perperam abutendo. Utrùm Imperatores, Reges, aliive Principes in hujus canonis censuram incidant, processando, vel faciendo aliquam actionem in hoc canone expressam. Respondeo non incidere; quia in Bulla nulla de his mentio fit. Præterea dum Summus Pontifex censuram ad hos extendere intendit, solet speciali, vel saltem generali nomine exprimere: ergo cùm eos non expresserit, non intelliguntur comprehensi. Bonacina supr. punct. 2. num. 7. Palaus punct. 20. num. 3. Leander loc. cit. quæst. 2.

§. XXI.

§ XXI.

De Vigesima & Ultima Excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Textus Bullæ: 'Item excommuni-'camus, & anathematizamus omnes 'illos, qui per se, seu alios, directè, 'vel indirectè sub quocunque titulo, 'vel colore invadere, destruere, oc-'cupare, & detinere præsumpserint 'in totum, vel in partem, Almam Ur-'bem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardi-'niæ, & Corsicæ, Terras citra Pha-'rum, Patrimonium Beati Petri in 'Thuscia, Ducatum Spoletanum, 'Comitatum Venaysinum, Sabinen-'sem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ 'Trebariæ, Romandiolæ, Campa-'niæ, & maritimas Provincias, illa-'rumque Terras, & loca, ac Terras 'specialis Commissionis Arnulphorum, 'Civitatesque nostras, Bononiam, 'Cæsenam, Ariminum, Beneventum, 'Perusium, Avenionem, Civitatem 'Castelli, Tudertum, Ferrariam, 'Comaclum, & alias Civitates, Ter-'ras & Loca, vel jura ad ipsam Ro-'manam Ecclesiam pertinentia, di-'ctæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, 'vel immediatè subjecta, nec non su-'premam jurisdictionem in illis Nobis, '& eidem Romanæ Ecclesiæ compe-'tentem, de facto usurpare, perturba-'re, retinere, & vexare variis modis 'præsumunt, necnon adhærentes, 'fautores, & defensores eorum, seu 'illis auxilium, consilium, vel favo-'rem quomodolibet præstantes.'

Notandum 20. Materiam istius excommunicationis esse sacrilegium, quo Ecclesia Romana offenditur in, vasione, & occupatione terrarum vel jurium temporalium ad ipsam pertinentium, aut usurpatione, vel perturbatione supremæ jurisdictionis, quam Romana Ecclesia in illis terris habet. Hæc propositio ex proximè dicendis perspicuè constabit. Actiones, in quibus præfatum sacrilegium consistit, & quibus Ecclesia Romana in præfatis bonis temporalibus offenditur, sunt octo principales, & quinque accessoriæ.

Prima actio principalis est per se, vel per alium, directè vel indirectè sub quocunque titulo, & colore invadere cum præsumptione terras & loca in totum, vel in partem, aut jura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, ipsique mediatè, vel immediatè subjecta. Invadere idem est, ac hostiliter aggredi, & ad intentum præsentis casus, idem est, ac injustè aggredi, etiamsi hostiliter id non fiat. Bonacina ubi supr. qu. 21. punct. 1. num. 3. Secunda actio principaliter prohibita, est *destruere*, quod idem est, ac corrumpere, seu extructum diruere, seu demoliri, & devastare, etiamsi hostilis actio non adsit; sufficit enim injusta demolitio, aut paulò antè dictum est. Tertia actio est *occupare*, aut

aut usurpare, vel ut alii loquuntur, captum vi tenere. Quarta actio est *detinere*: hoc autem significat rem injustè occupatam non restituere, vel ut alii DD. communiter loquuntur, nihil aliud est, quàm rem acquisitam sponte tenere; etiamsi ipse detinens non invaserit. Quinta actio est de facto *usurpare*: supremam jurisdictionem Romanæ Ecclesiæ. Quid significet usurpare, constat ex canone 19. Sexta est præfatam jurisdictionem de facto *perturbare*. Septima est eandem *retinere*. Octava est eandem *vexare*: quid autem sit perturbare, retinere, aut vexare, ex ipsa verborum significatione clarè constat. Sed modò dubium est primò, utrùm nomine jurisdictionis in hoc loco intelligatur spiritualis, an temporalis. Respondeo intelligi temporalem, tum quia Summus Pontifex de spirituali sufficienter egerat in præcedentibus, præsertim in excommunicatione secunda. Dubium est secundò, quid nomine *supremæ jurisdictionis* intelligatur. Respondeo, non intelligi dominium directum, & utile, quod Ecclesia in locis & urbibus in hoc canone expressis, habet; quia hoc satis, in præcedentibus verbis exprimitur saltem ibi *loca vel jura*, intelligitur ergo nomine *supremæ jurisdictionis* merum, & mixtum Imperium, quod est potestas gladii, quam Ecclesia habet ad puniendos in suo territorio facinorosos, & generaliter *suprema jurisdictio* nuncupatur ea, quæ competit Summo Pontifici, ut Princeps independens est, circa res magni præjudicii, ut sunt causæ status, causæ sanguinis, confiscationis bonorum, & similia: hæc enim in statu Ecclesiastico ad supremam Romanæ Ecclesiæ authoritatem pertinent, & in his de re magni momenti agitur. Sic Palaus supr. punct. 21. num. 7. Dubium est tertiò, utrùm usurpans supremam Romanæ Ecclesiæ jurisdictionem, Sede vacante in hujus canonis censuram incidat, ad quod Respondeo affirmativè: nam verbum illud Nobis intelligitur de Summo Pontifice, à quo Bulla edita est, vel de futuro; & ponitur loco dignitatis Pontificiæ, quæ nunquam perit, licèt persona pereat: ita Palaus ibid. num. 9. Bonacina loc. cit. num. 21. Leander à Sacramento tom. 4. tract. 3. disp. 20. quæst. 7.

Post actiones principales sequuntur accessoriæ, quarum prima est, adhærere delinquentibus prædicta facientibus. Is autem adhærere dicitur, qui alicujus factionem liberè sequitur absque prævio pacto, ad distinctionem confœderationis, quæ pactionem requirit. Secunda actio accessoria est favere. Tertia auxiliari. Quarta consulere. Quinta defendere. Ad incurrendam autem excommunicationem, quælibet actio accessoria per se non sufficit, nisi aliqua actio principalis sequatur; quia

cùm

cùm actiones accessoriæ intuitu principalium prohibeantur, excommunicatio non incurritur non-secuta aliqua principali actione, ut in præcedentibus dictum est.

Aliud dubium superest super verbum *præsumpserint*: utrùm qui usurpant, invadunt, detinent, aut vexant prædicta loca vel jurisdictionem ignorantes constitutionem istius Bullæ, aut prædicta bona ad Romanam Ecclesiam pertinere in excommunicationem istius canonis incidant: ad quod respondeo negativè, quia Summus Pontifex excommunicat præsumentes; præsumptio autem scientiam, aut ingentem temeritatem requirit. Idem à fortiori judicandum est, si prædicta fiant bona fide, & cum probabili titulo juxta prudentium hominum judicium; tunc enim cùm deficiat culpa, certum est non incurri pœnam, quæ gravem culpam supponit; ita Bonacina ubi suprà quæst. 21. num. 25. Palaus loc. cit. num. 11. & patet ex supradictis in hoc tract. num. 4. pag. 451. omnes ergo & singuli, qui aliquas ex actionibus hìc explicatis injustè faciunt, excommunicationem istius canonis incurrunt; quia Summus Pontifex generaliter, & indistinctè loquitur, nec quempiam excipit, ergo generaliter intelligendus est. Postremò Summus Pontifex concludit promulgationem hujus Bullæ Cœnæ, abrogando omnia privilegia, ne quis à casibus in ea contentis absolutionis beneficium impendere præsumat: quæ, & alia adnotata habentur in principio hujus tractatus §. 1. *per totum.*

Pro Coronide hujus operis: & quamvis ab initio primæ partis hujus praxis commendaverim PP. Confessariis zelum, diligentiam, & solicitudinem impendendam pro salute animarum; & ab initio secundæ partis ad eorum obligationis adimpletionem adhortatus fuerim, necnon in decursu operis particulares advertentias juxta materias occurrentes suggerere non prætermiserim: hìc tamen alias duas advertentias, alteram pro Confessariis, pro pœnitentibus alteram adjicere rectè judicavi.

Advertentia prima pro PP. Confessariis.

POstquam Patris spiritualis Zelus, tribus in Confessionali satisfecit muneribus, nimirum Judicis, Magistri, & Medici, satagere debet, ut anima quæ agra ad suos pedes procubuit, remedio aliquo præservante ab antiquo relapsu munita, & provisa recedat: ad hunc finem aliquas rationes proposui in tract. 9. cap. 3. n. 26. pag. 326. & nunc per Jesu Christi Domini nostri amorem rogo, & obsecro, ut pœnitentibus suadere studeant, quatenus quotidie aliquo tempore: v. g. per mediam horam, vel quadrantem, vel saltem tempore au-

auditionis Missæ, orationi mentali incumbant: Siquidem hoc Sanctum exercitium est ros, seu fons bonorum propositorum, plantæ ne exsiccentur, fœcundans est aqua, refrigerium salutare siti interiori præbens: est prosperus ventus, vi cujus animæ navis vitæ mortalis æquor periculosum transmeare valet: est fenestra, per quam lux ad animam ingredi debet, ne in horriditate culpæ sepulta vivat: est aura rorifica matutina, passionum ardorem attemperans: est ignis Divinus, cordis glaciati tepiditatem inflammans: est frænum, appetitus indomitos coërcens: est stimulus, animam à somno excitans: est officina, in qua pro singulis malis omnia remedia inveniuntur: ac denique est compendium, in quo omnia bona breviter adunantur. Hujus utilissimi exercitii materia, dolorosissima Redemptoris Passio crebrò esse debet, in cujus quovis puncto, hæc quinque attentè ponderanda sunt. *Quisnam patiatur?* Deus immensus, infinitus &c. *pro quo patiatur?* pro vili verme, pro me ingrata creatura &c. *quid patiatur?* tot, & talia tormenta, injurias &c. *quomodo patiatur?* maxima patientia, & præcipuè summo amore &c. *cur patiatur?* ad salvandam meam animam ab inferno eam liberandam, ad Cælum deferendam &c. ad exemplum mihi dandum: eja ergo anima mea hoc exemplum apprehende, te amantem ama, pro te patiente patere, pro tui amore languentem nullatenus offende &c. hi, & hujusmodi affectus, ab hac ter devota exercitatione capienda sunt. Quandoque pariter pro materia meditationis accipienda sunt novissima, nimirum tremendus mortis articulus, severum Tribunalis Divini examen, gloriæ æternæ sublimitas, pœnarum infernalium acerbitas, peccati horror, cum motivis adductus in fine tract. 16. cap. ult. pag. 305. & sequent. PP. Confessarii fidem præstent Sanctis, qui tam impensè hoc utilissimum Orationis exercitium commendant, tanquam efficacissimum medium ad evitanda peccata, in gratia Dei perseverandum, ac æternam salutem consequendam, finem, & terminum, ad quem unicè tendere debemus: quòd si fidem non præstant, negotium hoc paulisper experientiæ concredant, quæ propositæ veritatis infallibilis magistra erit.

Secunda Advertentia pro Pœnitentibus.

Duo pœnitentibus proponenda sunt: primum ut semper Confessarium magis idoneum sibi eligant: etenim, si pro salute corporis, peritior Medicus quæritur, non rationi consentaneum est, quòd oppositum pro animæ salute fiat: quinimò non tantùm reprehensibile est, Medicum spiritualem minùs idoneum quærere, verùm etiam confessio nulla, & irrita erit, si datâ operâ similis Confessarius quæratur, qui aut ex inscitia pecca-

torum

torum gravitatem, aut eorum circumſtantias, vel onus reſtitutionis rei, famæ, honoris non penetret, aut paſſione ductus abſolutionem ob pœnitentis incapacitatem non impertiendam elargiatur. Secundum neceſſariò proponendum pœnitentibus eſt, ut ſeriò ad ſuorum peccatorum dolorẽ ſe excitare enitantur; ad quod obtinendum, antequam ad pedes Confeſſarii accedant, perpendenda eſt maturè immenſa Dei magnitudo per peccatum offenſa, juxta ſuprà adducta tract. 16. cap. ult. §. 2. n. 3. & ſequent. pag. 305. pernicioſi effectus peccati eodẽ loc. cit. §. 3. 5. & 6. num. 9. & ſequent. pag. 308. quandoquidem ſi ad ipſum inſtans Confeſſionis actus contritionis differatur, facilè contingere poteſt, quòd intellectu, & memoria in recordatione, & manifeſtatione peccatorum occupatis, ac etiam potentiis ab erubeſcentia regulariter Confeſſionem comitante præpeditis, ad odium peccati, ac ſupernaturalem Dei offenſæ dolorem Sancta libertate non attendant. Quapropter ſe periculo nullitatis Confeſſionis, defectu doloris, exponere conſultum non eſt, cùm non facilè is eliciatur, niſi anima per aliquam ex prædictis conſiderationibus ſe diſponat, & præparet: Quamplures ſunt confeſſiones nullæ ex defectu veri doloris, irritæ, invalidæ, & ſacrilegæ; quod ne accidat, hanc advertentiam pro pœnitentibus primariò hìc inſerere volui, & ſecundariò, ſeu incidenter pro PP. Confeſſariis, ad hoc, ut ipſimet Zelo Chriſtiano pœnitentes adhortentur, ac eo deſiderio, ut à plagis curentur, remiſſionem peccatorum conſequantur, Divinam gratiam adipiſcantur, ac demum gloriæ æternæ Coronam, ad quam Deus nos creavit, promerantur. Amen.

DIVISIO CATEGORICA, ET PRÆDICAMENTALIS

Omnium Materiarum Moralium,

In qua ponuntur Definitiones, & Diviſiones totius Theologiæ Moralis.

AD rerum quidditatem, & eſſentiam magis individualiter explicandam, & facilem methodum pro ejus captu, ſtudio, & reminiſcentia ſubminiſtrandam, medium magis idoneum, diviſione, ordine, & diſtinctione non datur; & cùm ad ſingularitatem omniũ individuorum caſuum, qui poſſunt, & ſolent contingere, deſcendere fermè impoſſibile eſt: propterea hoc prædicamentum morale appoſui, in quo univerſalia totius ſcientiæ moralis principia, tanquam in compendio reſtringuntur: ordinatim diſponuntur, ut faciliùs capiantur, & diſtinctè explicantur, ut eorum notitia clarior appareat.

§. I.

Quid sit Prædicamentum, seu Categoria.

Prædicamentum juxta logicos: 'est recta dispositio, seu coordinatio 'prædicamentorum ab uno supremo 'genere, quo nihil est superius, usque 'ad individuum, quo nihil est inferius: v. g. Prædicamentum substantiæ, dispositio, & coordinatio quam dicunt inter se prædicata viventis, animalis, hominis, individui, usque ad prædicatum Supremum Substantiæ: & hæc, ordinatio, & subordinatio vocatur, & est Prædicamentum. Idem contingit in materia morali, in qua aliqua principia sunt subordinata superioribus, alia sunt intermedia, alia infima; adeóque ordo, quem inter se dicunt, vocatur Prædicamentum morale, quod modo sequenti disponitur.

Omnia prædicata, & rationes intrinsecæ, quæ inveniuntur in quovis individuo peccati, sunt; ratio voluntarii, ratio liberi, ratio oppositi alicui legi: adeò ut sicut de quolibet individuó hominis v.g. de Petro, prædicatur, & affirmatur, quòd sit rationalis, animal, vivens, corporeus, substantia; quia prædicata substantiæ, corporis, viventis, animalis, & rationalis, sunt de essentia Petri, ita de quolibet individuo peccati, v. g. De furto, prædicatur, & affirmatur, quòd sit oppositum alicui legi, liberum, voluntarium, quia voluntarium, liberum, & esse contra legem, sunt de essentia peccati.

§. II.

Divisio generica Prædicamenti Moralis.

Voluntarium, quod est ratio superior ad peccatum, dividitur in necessarium, & liberum: Voluntarium necessarium est, v. g. Processio Divina Spiritus Sancti: motus primò primi in homine, & actus, appetitus, in brutis. Voluntarium liberum dividitur in liberum bonum, ut est actus virtutis: in indifferens, quod nec bonum, nec malum est: & in liberum, aut prohibitum, ut homicidium, aut præceptum, ut amare Deum. Liberum prohibitum, aut præceptum dividitur in prohibitum, aut præceptum ex lege existimata, quæ nihil est aliud, quàm conscientia erronea; & in prohibitum, aut præceptum ex vera lege. Vera lex dividitur in Divinam, & humanam. Divina est, quæ præcipit actus Theologicos, receptionem Sacramentorum, Votorum adimpletionem. Lex humana dividitur in civilem, & Ecclesiasticam. Lex Civilis ortum habet à Principibus sæcularibus, ut pragmaticæ Regnorum; & Ecclesiastica ab Ecclesia, ut sunt quinque præcepta ejusdem Sanctæ Ecclesiæ. Lex Civilis, necnon Ecclesiastica, subdividitur in pœnalem, præceptivam & mixtam, pœnalis est illa, quæ imponit aliquam pœnam: præceptiva est, quæ aliquid præcipit, aut prohibet nulla imposita pœna; mixta est, quæ non tantùm præcipit, aut prohibet, verùm etiam adjungit trásgresso-

ſoribus pœnā. Ex his pœnis, aliæ ſunt civiles, ut exilium, pœna capitalis, triremes, &c. aliæ Eccleſiaſticæ, ut cenſuræ, excommunicationes, ſuſpenſio, interdictum.

§. III.

De Voluntario, & Libero.

Poſtquam Logici definitionem, & diviſionem prædicamenti in genere tradiderunt, ad cujuslibet Prædicamenti in particulari explicationem procedunt; ita nos pariter poſt definitionem, & diviſionem Prædicamenti Moralis in genere, quamlibet materiam in particulari definiemus, & devidemus.

1. Voluntarium: 'eſt quod procedit à voluntate prævia cognitione:, hoc Dividitur in voluntarium in ſe, & voluntarium in cauſa; in directum, & indirectum, expreſſum, & interpretativum, in virtuale, & formale. De hoc plura 1. part. Confer. moral tract. 2. ſect. 1. confer. 1.

2. Liberum eſt: 'quod poſitis omnibus requiſitis ad agendum poteſt 'adhuc non agere., Libertas dividitur in libertatem contrarietatis, & contradictionis; illa eſt indifferentia ad duos actus contrarios, v. g. ad amorem, & odium; hæc eſt indifferentia ad actum, vel ejus omiſſionem: v. g. ad amorem, vel omiſſionem amoris, ad odium, vel omiſſionem odii. Liberum poteſt eſſe, vel circa rem bonam v. g. orationem, Eleemoſynam &c. vel circa rem indiffenentem, ex objecto, ut ſunt comedere, bibere, dormire, deambulare &c. vel circa rem malam, ut ſunt furari, murmurare, maledicere, &c. ad hoc ut actio ſit peccaminoſa, ſeu peccatum, neceſſariò debet eſſe de re mala oppoſita alicui legi etiam exiſtimatæ per dictamen conſcientiæ, quæ erroneè putet eſſe peccatum, quod revera non eſt; de qua in §. ſequenti loquar.

§. IV.

De Lege exiſtimata, aut conſcientia, ejúſque ſpeciebus.

3. Conſcientia: 'eſt judicium rationis practicum, dictans, quid faciendum ſit, tanquam bonum, vel honeſtum; vel quid omittendum tanquam malum vel inhoneſtum., Dividitur in practicam, & ſpeculativam, rectam, & erroneam, probabilem, dubiam, & ſcrupuloſam; erronea ſubdividitur in vincibilem, & invincibilem.

4. Conſcientia ſpeculativa: 'Eſt judicium, quod univerſaliter docet 'quid faciendum, vel omittendum ſit.

5. Conſcientia practica: 'Eſt judicium, quod ſingulariter docet, quod 'hìc, & nunc faciendum, vel omittendum eſt.

6. Conſcientia recta: 'Eſt judicium 'dictans rem veram.

7. Conſcientia erronea: 'Eſt judicium dictans rem falſam.

8. Conſcientia probabilis: 'Eſt 'judicium, quod innititur ratio-

'nabili fundamento cum formidine.,

9. Conscientia dubia: 'Est suspen-'sio judicii circa bonitatem, vel mali-'tiam actus.

10. Conscientia scrupulosa: 'Est le-'vis suspicio ex inanibus fundamentis 'putans peccatum esse, quod tale non 'est.

11. Conscientia invincibilis: 'Est 'illa, quæ vinci non potest.

12. Conscientia vincibilis: 'Est il-'la, quæ vinci potest.

§. V.

De vera Lege, ejúsque speciebus.

13. Lex: 'Est ordinatio rationis ad 'bonum commune ab eo, qui curam 'habet communitatis, promulgata.,

14. Dividitur in affirmativam, & negativam.

Affirmativa: 'Est illa, quæ bonum 'præcipit.

Negativa: 'Est illa, quæ malum 'prohibet.

15. Tam affirmativa, quàm negativa subdividitur in naturalem, & positivam.

Lex naturalis: 'Est judicium no-'stræ rationis, quod per lumen nobis 'ab Auctore naturæ impressum statui-'mus, quid agere, vel evitare debea-'mus.

Lex positiva: 'Est, quæ à libera 'Legislatoris voluntate imposita est.

16. Lex positiva subdividitur in Divinam, & humanam.

Lex positiva Divina: 'Est, quæ à 'libera Dei voluntate imposita est.

Humana: 'quæ imposita est ab ho-'minum voluntate.

17. Lex positiva humana subdividitur in Ecclesiasticam, & Civilem.

Ecclesiastica: 'Est, quæ à volunta-'te Ecclesiastici Superioris imposita 'est.

Civilis: 'quæ imposita est à volun-'tate sæcularis Superioris.

18. Lex Civilis, & Ecclesiastica dividitur in pœnalem, præceptivam, & mixtam.

Lex pœnalis: 'Est, quæ imponit 'aliquam pœnam.,

Lex præceptiva: 'quæ aliquid 'præcipit, aut prohibet nulla imposi-'ta pœna.

Lex mixta: 'quæ non tantùm præ-'cipit, aut prohibet, verùm etiam ad-'jungit transgressoribus pœnam.

19. Pœna est duplex, Civilis una, Ecclesiastica altera.

Pœna Civilis: 'Est, quæ homines 'punit in temporalibus.

Pœna Ecclesiastica: 'quæ homines 'punit in spiritualibus.

§. VI.

De Lege naturali contenta in Decalogo.

Omnia præcepta Decalogi sunt de jure, seu lege naturæ, & Divina: De lege quidem naturæ, quoniam omnia, quæ in ipso prohibentur, contraria sunt ipsimet lumini rationis naturalis, & omne quod in ipso præci-

cipitur, est conforme dictamini rationis naturalis. Præterea sunt de jure, seu Lege Divina positiva, quoniam omne id, quod opponitur, aut conformatur legi naturali, prohibitum fuit aut præceptum à Deo, quando ministerio Angelorum in duabus tabulis lapideis descripta fuerunt hæc decem præcepta, & Moysi tradita. Quare ad majorem claritatem, definitiones Decalogi secundùm ordinem suorum præceptorum dividemus.

§. VII.

Definitiones primi Præcepti.

In hoc primo Decalogi præcepto verus erga Deum honor, & amor præscribitur, quod adimpletur per actus virtutum Theologalium, nempe Fidem, Spem, & Charitatem, & per virtutem Religionis.

20. Fides: 'est virtus supernaturalis, qua credimus veritates à Deo revelatas.

21. Hæresis (vitium contrarium): 'est error pertinax hominis baptizati rebus fidei ex parte contrarius.,

22. Apostasia: 'est error hominis baptizati rebus fidei ad totum contrarius.

23. Spes: 'est virtus supernaturalis, 'qua à Deo gratiam, & æternam gloriam habere præsumimus.

24. Spes habet duo vitia extremè opposita, nempe desperationem, & præsumptionem.

Desperatio: 'est actus voluntatis, 'qua homo de promissa Beatitudine 'diffidit.

Præsumptio: 'est, qua homo nimis de Divina misericordia confisus 'opera pœnitentiæ non curat.

25. Charitas: 'est actus voluntatis, 'quo diligitur Deus propter se, & 'proximus propter Deum.

26. Eleemosyna: 'est actus Charitatis, quo miseria proximi sublevatur.

27. Charitati opponitur scandalum. Scandalum: 'est peccatum occasionatum.

28. Scandalum est duplex, activum & passivum; activum: 'est dictum vel 'factum minùs rectum, præbens proximo occasionem ruinæ.

29. Scandalum passivum: 'est ipsa 'ruina proximi ex scandalo activo 'causata.

30. Scandalum activum dividitur in directum, & indirectum: Directum: 'est quando primò, & per se intenditur ruina proximi, quod solet appellari peccatum dæmoniorum.,

Scandalum indirectum: 'est quando primò, & per se intenditur aliquod bonum utile, & delectabile, '& secundariò sequitur ruina proximi.

31. Subdividitur etiam scandalum passivum: in datum, seu pusillorum, & in acceptum, seu Pharisaicum.

Scandalum Pusillorum: 'est, quod 'proximi ignorantia, seu infirmitas patitur ex dicto, vel facto minùs recto.

Scandalum acceptum, ſeu Phariſaicum: 'eſt, quando proximus ob 'ſui malitiam ſcandalizatur ex dicto, 'vel facto, non malo, nec mali ſpe'ciem habente.

32. Religio: 'eſt virtus debitum 'cultum Deo exhibens.

33. Virtuti Religionis opponitur peccatum Sacrilegii, quod ſic definitur.

'Sacrilegium eſt violatio alicujus 'Sacri.

34. Sacrilegium dividitur in reale, perſonale & locale; Sacrilegium reale: 'eſt violatio rei Sacræ.

Sacrilegium perſonale: 'eſt viola'tio perſonæ ſacræ.

Sacrilegium locale: 'eſt violatio 'loci ſacri.

Superſtitio ejúſque ſpecies.

35. Opponitur inſuper virtuti Religionis ſuperſtitio.

Superſtitio: 'eſt falsa Religio inde'bitum cultum exhibens.

36. Superſtitio dividitur in Divinationem, vanam Obſervantiam, Magiam, Idololatriam, tentationem Dei, & Maleficium.

37. Divinatio: 'eſt prædictio ope dæ'monis facta circa res humano modo 'non cognoſcibiles.

38. Vana Obſervatio: 'eſt tacita 'dæmonis invocatio, dum aliqua me'dia aſſumuntur ad intentum finem in'efficacia.

39. Magia: 'eſt poteſtas inordina'ta faciendi id, quod vires naturæ ſu'perat.

40. Idololatria: 'eſt quando cul'tus ſoli Deo debitus exhibetur crea'turæ. Et duplex eſt, materialis una, formalis altera.

Idololatria materialis: 'eſt, quan'do honor ſoli Deo debitus, tribuitur 'creaturæ, credens in ea nihil Divi'num eſſe.

Idololatria formalis: 'eſt, quando 'cultus ſoli Deo debitus, tribuitur 'creaturæ, credens in ea quid Divi'num eſſe.

41. Tentatio Dei: 'eſt dictum, vel 'factum, quo quis explorat, num 'Deus ſit potens, ſapiens, miſericors, 'vel habeat talem perfectionem.

42. Maleficium: 'eſt ars nocendi 'aliis ope dæmonis.

43. Opponitur etiam virtuti Reli'gionis ſimonia, quæ ſic definitur:

'Simonia eſt ſtudioſa voluntas e'mendi, vel vendendi pretio tempo'rali rem ſpiritualem, vel ſpirituali an'nexam.

44. Simonia dividitur in mentalem, conventionalem, & realem.

Mentalis: 'eſt, quando intenditur 'pretio temporali aliquid ſpirituale: 'id tamen nondum in pactum eſt ad'ductum.

Conventionalis: 'eſt contractus, 'quo paciſcitur de re ſpirituali pro 'temporali, ſine reali traditione alte'rutrius.

Realis: 'eſt traditio rei temporalis 'pro ſpirituali, vi anterioris pacti facta.

45. Simonia mentalis dividitur in

purè mentalem, & in mixtam ex mentali, & conventionali. Purè mentalis: 'est, quando interiùs pro pretio temporali intenditur aliquid spirituale, 'quin pro aliqua parte aliquid conventionis expressum sit.

Mixta ex mentali, & conventionali: 'est quando ex una parte expressum est pactum dandi spirituale pro 'temporali, & ex altera parte nihil est 'dictum, nec factum.

46. Simonia conventionalis est etiam duplex: purè conventionalis, & mixta ex conventionali, & reali: purè conventionalis: 'est quando solùm 'præcessit pactum reddendi spirituale 'pro temporali, quin ex aliqua parte 'aliquid sit datum.

Mixta: est, quando ex una parte 'est acceptum spirituale, & ex alia 'non est datum temporale, vel econ'tra.

§. VIII.

Definitiones Secundi Præcepti.

In hoc Præcepto prohibentur blasphemiæ, juramenta, & maledictiones, & votorum adimpletio præcipitur.

47. Blasphemia: 'Est verbum con'vitii in Deum, vel Sanctos.

48. Blasphemia alia est hæreticalis, alia non hæreticalis: 'hæreticalis 'est verbum convitii in Deum, vel 'Sanctos, continens aliquem erro'rem in fide.

Non hæreticalis: 'Est verbum con'vitii in Deum, vel Sanctos, nullum 'in fide errorem continens.

49. Juramentum: 'Est invocatio 'divini testimonii in confirmationem 'alicujus rei.

Dividitur in Juramentum assertorium, promissorium, execratorium, & comminatorium.

50. Juramentum assertorium, seu contestatorium: 'Est invocatio Divi'ni Testimonii in confirmationem 'alicujus rei præteritæ, vel præsentis 'v. g. juro per Deum.

51. Juramentum promissorium: 'Est invocatio Divini Testimonii in 'confirmationem alicujus rei futuræ, 'v. g. juro per Deum me Eleemosy'nam elargiturum.

52. Juramentum execratorium: 'Est quando Deus invocatur, ut Ju'dex, in confirmationem alicujus rei,, v. g. diabolus me rapiat, si hoc verum non est: non movear hinc: non revertar domum vivus; nunquam mihi aliquid boni eveniat, si non faciam hanc rem, per animam meam, per vitam meam.

53. Juramentum comminatorium: 'est invocatio Divini Testimonii, qua 'promittitur aliquod malum,, v. g. juro per Deum me contra Petrum vindicaturum.

Juramentum execratorium potest esse mixtum ex assertorio, aut promissorio, aut comminatorio.

54. Juramentum execratorium mixtum ex assertorio: 'Est quando 'Deus invocatur ut Judex, in confir'ma-

'mationem rei præteritæ vel præsen-'tis: v. g. diabolus me rapiat, si heri 'non audivi Sacrum, nunquam Cœ-'lum ingrediar, si habeo illud, quod 'à me petit.

55. Juramentum mixtum ex execratorio & promissorio: 'est quando 'Deus invocatur ut Judex, in confir-'mationem alicujus rei futuræ, , v. g. propitia nõ sit mihi fortũa in meis negotiis, si non faciam tale eleemosynã.

56. Juramentum mixtum ex execratorio, & comminatorio: 'Est 'quando Deus invocatur, ut Judex, 'ad promittendum aliquod malum, , v. g. diabolus me rapiat, si Petrum non interficiam.

57. Maledictio: 'Est verbum exe-'crativum, quo proximo imprecatur 'aliquod malum, v. g. diabolus te re-'piat, moriaris.

58. Maledictio dividitur in materialem, & formalem: maledictio materialis: 'est verbum execrativum, quo 'proximo imprecatur aliquod malũ, 'non desiderando ejus effectum.

59. Maledictio formalis: 'est ver-'bum execrativum, quo intentione 'vera nocendi, imprecatur proximo 'aliquod malum.

60. Votum: ,Est promissio delibe-'ra Deo facta de meliori bono.

61. Votum dividitur in absolutum, & conditionatum; Votum absolutum: 'est quod fit sine ulla conditione, Votum conditionatum: 'Quod fit 'dependenter ab aliqua conditione:, v. g. voveo me Eleemosynam facturum, si Pater meus ab ista infirmitate evadet.

62. Dividitur etiam in solemne & simplex; solemne: 'est promissio Deo 'facta & ab Ecclesia acceptata, & in 'persona Prælati alicujus recepta.

63. Votum simplex: 'est promissio 'Deo facta de meliori bono sine ex-'terna Ecclesiæ acceptatione.

64. Iterum dividitur in reale, personale & mixtum; votum reale: 'est 'promissio deliberata Deo facta de 'aliqua re pretio æstimabili, , v. g. de eleemosyna facienda.

65. Votum personale; 'est promis-'sio deliberata Deo facta de aliqua 'hominis actione. v. g. de peregrina-'tione instituenda: vel de cessatione 'ab aliquo commodo naturæ, v. g. votum jejunii, abstinentiæ, castitatis, &c.

66. Votum mixtum: 'est promis-'sio deliberata Deo facta de re, & 'actione hominis. , v. g. votum visitandi aliquod Sanctuarium, ibique eleemosynam erogandi.

67. Vota alia sunt temporalia, alia perpetua: votum perpetuum: 'est 'promissio Deo facta de meliori bono pro toto vitæ spatio. Votũ temporale: 'est promissio deliberata Deo facta de 'meliori bono ad tempus determinatũ implenda., v. g. voveo me jejunare omnibus diebus veneris totius anni.

68. Postremò dividitur in totale, & in partiale: Totale: 'est promissio delibe-

'liberata Deo facta de omni meliori 'bono contento in aliqua materia: , v. g. votum totale castitatis per quod prohibetur omnis actus venereus illicitus, cogitatiõe, verbo & opere completus, ut fornicatio, pollutio, &c. aut licitus, ut matrimonium contrahere.

69. Votum partiale: 'est promissio 'deliberata Deo facta de aliqua parte 'materiæ melioris boni. , v. g. votum non contrahendi matrimonium, votum non polluendi.

Quot modis tollatur obligatio voti. Quatuor modis tollitur obligatio voti, nempe per dispensationem, per commutationem, per irritationem, per cessationem aut mutationem materiæ.

70. Dispensatio: 'est absoluta ob'ligationis voti condonatio, nomine 'Dei facta à legitimo Superiore.,

71. Commutatio: 'est substitutio 'alicujus operis honesti, loco illius, 'quod voto promissum erat, sub ea'dem obligatione.,

72. Irritatio: 'est obligationis voti 'relaxatio., Et hæc duplex est, directa, & indirecta: Directa: 'est obligatio'nis voti relaxatio facta à Superiore 'virtute Dominii in voluntatem sub'diti., v. g. Pater vota filiorum emissa ante pubertatem irritat, & maritus vota uxoris constante matrimonio emissa, & implenda irritat, ratione Dominii quod habet super ipsam, tutor in pupillos, Prælatus in subditos.

Irritatio indirecta: 'est obligatio'nis voti relaxatio, quia ejus materia 'est in præjudicium partis:, v. g. Dominus irritat votum, quod servus emisit de peregrinatione facienda, quia per hanc ab obsequio Domini subtrahitur. Mulier, quæ irritat votum mariti longæ peregrinationis, quia juri suo præjudicat.

73. Cessatio materiæ: 'est, quando 'voti materia, vel finita, vel consump'ta est: 'quemadmodum si quis vovit dare calicem pro eleemosyna, & hic furto aufertur; cessat obligatio voti, quia cessat voti materia. Ita ille, qui emisit votum jejunandi omnibus sextis feriis unius anni: transacto anno cessat obligatio voti, quia cessat materia ejusdem.

74. Mutatio materiæ: 'est quando 'materia voti facta est impossibilis, 'mala, vel minùs bona., v. g. si quis emisit votum pedester peregrinandi Romam, superveniente paralysi cessat obligatio, quia voti materia facta est impossibilis. Item si quis emisit votum visitandi aliquod Sanctuariũ, penes quod habitant mulieres, & quandocumque illuc pergit, labitur in aliquod peccatum, in hoc casu cessat obligatio voti, quia voti materia effecta est mala.

75. Ad hoc præceptũ spectat etiam perjurium, quod sic definitur: 'est 'invocatio rei Sacræ, cujus interven'tu, & reverentia intendimus cogere 'aliquem ad aliquid faciendum

'vel dicendum, : Sicut quando Caiphas dixit Christo Domino : 'Adjuro 'te per Deum vivum, ut dicas nobis 'si tu es Christus., Matth. c.2.. 16. sic etiam quando dicitur : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas mihi hanc, vel aliam rem.

§. IX.

Definitiones Tertii Præcepti.

76. In hoc præcepto præcipitur observantia Festorum, quæ definitur hoc modo. Observantia Festorum : 'est cultus Deo exhibitus per auditio-'nem Missæ, & abstinentiam ab om-'ni opere servili.

77. Missa: 'est sacrificium solemne, 'quo sub speciebus panis, & vini 'offertur Deo Corpus, & Sanguis 'Domini nostri Jesu Christi.

78. Opus servile (quod prohibetur diebus Festivis) 'est ille labor, qui à 'servis communiter fieri solet, v. g. 'consuere, arare, ferrare, &c.

79. Opus liberale (quod non est vetitum diebus Festivis) 'est ille labor, 'qui à liberis, non à servis fieri solet, 'vel aliter : est ille labor, qui potiùs 'mentis fatigatione quàm corporis 'exercetur, v. g. studere &c.

80. Audire Missam : 'est assistere 'præsentialiter ad Missæ celebratio-'nem interna animæ intentione, & 'corporis externa circumspectione.

§. X.

Definitiones Quarti Præcepti.

In hoc præcepto præcipitur obedientia, reverentia, & amor erga Parentes, & Superiores.

81. Obedientia : 'est virtus, quæ 'promptum facit hominem ad im-'plendum mandatum Superioris ut 'tale est.

82. Reverentia, seu respectus : 'est 'cultus externus, quo profitemur Su-'perioris excellentiam, seu dignita-'tem.

83. Amor : 'est actus pietatis, quo 'Genitores, aliósque Superiores spe-'ciali affectu prosequimur.

§. XI.

Definitiones Quinti Præcepti.

In hoc præcepto prohibetur odium, homicidium, duellum, & bellum injustum.

84. Odium : 'est velle alicui ma-'lum, quia malum illi est.

85. Homicidium : 'est injusta ho-'minis occisio.

86. Duellum : 'est duorum, vel 'plurium certamen ex condicto, seu 'ex conventione susceptum.

87. Bellum : 'est publica pugna 'Principis imperio ad offensionem, 'vel defensionem suscepta.

§. XII.

Definitiones Sexti Præcepti.

In hoc præcepto inhibetur omnis actus luxuriæ.

88. Luxuria : 'est inordinatus appe-'titus venereorum.

89. Simplex Fornicatio : 'est acces-'sus soluti ad solutam.

90. Stuprum: 'est violatio Virginis 'ipsa renuente.

91. Raptus: 'est abductio fœminæ '(virginis, vel corruptæ) per vim de 'uno loco in alium, causa libidinis 'captandæ.

92. Incestus: 'est accessus inter 'consanguineos, vel affines intra quar-'tum gradum.

93. Adulterium: 'est alieni Thori 'violatio, vel est accessus ad alienam.

94. Sacrilegium: 'est quilibet actus 'luxuriæ, quo violatur votum castita-'tis.

95. Peccatum contra naturam: 'est 'innaturalis usus concupiscentiæ.

96. Pollutio: 'est humani seminis 'effusio extra vas aptum generationi.,

97. Sodomia: 'est coitus inter per-'sonas ejusdem sexus.

98. Bestialitas: 'est coitus cum in-'dividuo alterius speciei.

99. Occasio proxima: 'est illa, in 'qua homo est in morali periculo pec-'candi.

§. XIII.

Definitiones Septimi Præcepti.

In hoc præcepto prohibetur quodlibet furtum, injusta damnificatio, & contractus iniquus, & præcipitur restitutio, hocque totum à justitia.

100. Justitia: 'est virtus moralis jus 'suum unicuique tribuens., Dividitur in commutativam, legalem, & distributivam.

101. Justitia commutativa: 'est, 'qua pars parti tribuit, quod suum est, 'secundùm æqualitatem rei ad rem.

102. Justitia legalis: 'est, qua par-'tes reddunt Communitati, quod ei 'debetur.

103. Justitia distributiva: 'est, qua 'Superior dat inferioribus, quæ ipsis 'juxta merita sua debentur.

104. Furtum: 'est occulta rei alie-'næ ablatio invito rationabiliter Do-'mino.

105. Rapina: 'est injusta rei alienæ 'ablatio vidente, & renitente Domi-'no.

106. Injusta damnificatio: 'est in 'proximi bonis Læsio, ex nostra 'actione, vel omissione secuta.

107. Contractus: 'est pactum, ex 'quo ultrò, citróque oritur obligatio: id est, 'est pactum, ex quo duæ par-'tes obligatæ manent ad implendam 'rem promissam., Contractus alii sunt innominati, alii nominati.

108. Contractus innominatus: 'est, 'qui non habet proprium nomen, 'quo ab aliis distinguatur:, Et quatuor nominantur: 'do, ut des; facio, ut fa-'cias; do, ut facias; facio, ut des.

109. Contractus nominatus: 'est, 'qui habet speciale nomen quo ab 'aliis distinguitur;, Ut venditio, emptio &c. Contractus nominatus dividitur in lucrativum, & onerosum.

110. Contractus lucrativus: 'est, 'in quo ex una parte aliquid fit, altera 'nihil præstante., Ut donatio, promissio, commodatum, & precarium.

111. Contractus onerosus: 'est, in

'quo ex ambabus partibus aliquid 'præstatur;, ut emptio, venditio, mutuum. Locatio, Depositum, Societas, Census, Emphyteusis, & Ludus.

112. Donatio: 'est datio liberalis.'

113. Promissio: 'est gratuita rei 'oblatio in futurum.

114. Commodatum: 'est liberalis 'concessio usus rei ad tempus deter'minatum, sine translatione Dominii.

115. Precarium: 'est liberalis con'cessio usus rei, quo ad usque Domi'no placuerit, sine translatione Do'minii.

116. Emptio: 'est traditio pretii 'pro merce.

117. Venditio: 'est traditio mer'cis pro pretio.

118. Mutuum: 'est, quod ex meo 'fit tuum, vel est traditio rei cum 'translatione dominii, cum onere re'stituendi ad tempus in æquivalenti'bus.

119. Locatio: 'est contractus, quo 'res, vel persona conceditur ad usum, 'vel fructum pro pretio., v. g. Locatio personarum, domuum, agrorum, & animalium.

120. Depositum: 'est traditio rei 'ad custodiam absque usu, vel pro 'pretio, vel sine illo.

121. Societas: 'est duorum, vel 'plurium conventio honestè contra'cta ob uberiorem quæstum, & com'modiorem usum.

122. Census: 'est jus percipiendi 'annuam pensionem ex re, vel per'sona alterius.

123. Emphyteusis: 'est contractus, 'quo res immobilis traditur alteri, quo 'ad dominium tantùm utile, cum o'nere solvendi annuam, & determi'natam pensionem.

124. Cambium: 'est traditio pecu'niæ pro pecunia, cum certo lucro 'ultra sortem.

125. Assecuratio: 'est contractus 'quo quis alienæ rei periculum in se 'suscipit, cum onere eam compen'sandi, si pereat.

126. Ludus: 'est contractus, quo 'ludentes pasciscuntur, ut victori ce'dat, quod uterque deposuit.

127. Pignus. 'est contractus, quo 'debitor dat creditori rem mobilem, 'vel immobilem, ut sit pro debito ob'ligata.

128. Fidejussio: 'est contractus, 'quo quis alienam obligationem sus'cipit implendam, si debitor princi'palis non solverit.

129. Monopolium: 'est conventio 'Mercatorum emendi, vel abscon'dendi merces, ut augeatur pretium.

130. Usura: 'est lucrum ex mutuo; & est duplex, palliata, & manifesta.

131. Usura palliata: 'est lucrum 'proveniens ex formali, sed ex alio 'contractu, in quo virtualiter includi'tur mutuum.

132. Usura manifesta: 'est lucrum 'proveniens ex formali, & expresso

'contractu mutui! Subdividitur in 'mentalem, & realem.

133. Usura mentalis: 'est quando 'datur mutuum sine pacto exteriori 'lucri, sed retenta spe ipsius lucri in 'animo.

134. Usura realis: 'est quando intervenit in mutuo pactum expressum, 'vel tacitum, signis, vel verbis manifestum.

§. XIV.

Definitiones Octavi Præcepti.

In hoc præcepto inhibentur suspiciones, judicia temeraria, detractiones, susurrationes, irrisiones, & contumeliæ, mendacia, & variæ curiositates.

135. Suspicio: 'est assensus inchoa'tus cum formidine contrariæ partis.

136. Judicium temerarium: 'est 'firmus assensus de aliqua re mala ex 'levibus fundamentis assumptus.

137. Detractio, vel murmuratio: 'est injusta famæ denigratio.

138. Contumelia: 'est injusta ho'noris diminutio.

139. Fama: 'est opinio, seu bona 'existimatio de proximi excellentia.]

140. Honor: 'est exterior testifica'tio alterius excellentiæ verbis, vel si'gnis honorificis facta.

141. Susurratio: 'est occulta oblo'cutio contra proximum, eo animo 'dicta, ut oriatur discordia inter ami'cos.

142. Subsannatio: 'est irrisio de 'proximo motibus, alterόve signo fa'cta.

143. Decisiu, 'est, quando proxi'mus rubore, & verecundia suffundi'tur, paceque & serenitate conscien'tiæ privatur.

144. Mendacium: 'est verbum fal'sum seu locutio contra mentem.

145. Curiositas: 'est superflua dili'gentia circa res inutiles, vel illius cir'cumstantias.

Definitiones spectantes ad nonum, & decimum præceptum invenientur in sexto, & septimo.

§. XV.

De Lege positiva Divina.

Explicata jam parte Categorica, quæ ad legem Divinam naturalem pertinet, explicandum remanet illud, quod ad legem Divinam positivam spectat; de qua in §. sequenti.

Lex Divina positiva tria præcipit; Primò, actus virtutum Theologicarum, de quibus actum est in primo præcepto. Secundò, executionem votorum, quod pariter tractatum est in secundo præcepto. Tertiò administrationem, & perceptionem Sacramentorum, & celebrationem Sacrificii Missæ, de quibus in præsenti.

§. XVI.

Definitio Sacramentorum.

146. Sacramentum in communi: 'est signum sensibile, & practicum rei 'sacræ sanctificantis. Dantur res, quæ sunt Sacramentum tantùm, aliæ, quæ sunt res, & Sacramentum simul.

147. Sacramentum tantùm: 'est, 'quod significat, & non significatur, ut sunt verba, & formæ Sacramentorum, quæ significant gratiam, ipsæ verò ab alia re non significantur.

148. Res tantùm: 'est quod significatur, & non significat, : ut gratia Sacramentorum, quæ per eorum formas significatur, & illa nullam rem significat.

149. Res, & Sacramentum simul: 'est, quod significat & significatur, : ut character, qui per Sacramentum significatur, tanquam per suam causam, & ille significat irreiteratione ipsiusmet Sacramenti, tanquam suum effectum.

Sacramentum in communi dividitur in Sacramentum vivorum, & mortuorum.

150. Sacramentum mortuorum: 'est quod per se causat primam gratiam, & per accidens potest causare 'secundam, ut Baptismus & Pœnitentia.

151. Sacramentum vivorum: est, 'quod causat per se secundam gratiam, & per accidens potest causare ,primam, ; ut Eucharistia, Ordo, Extrema Unctio, Confirmatio, & Matrimonium.

Quodlibet Sacramentum habet duas definitiones, Physicam unam, Metaphysicam alteram.

152. Definitio Physica: 'est oratio 'explicans essentiam rei per partes 'Physicas.

153. Definitio Metaphysica: 'est 'oratio explicans essentialia, seu metaphysica.

Aliqua Sacramenta imprimunt characterem, aliqua verò non.

Quæ imprimunt characterem, iterari non possunt v. g. Baptismus, Confirmatio, & Ordo, secùs verò de non 'imprimentibus characterem; ut sunt Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, Matrimonium.

154. Character: 'est signum indelebile in anima impressum in receptione Baptismi, Confirmationis, & 'Ordinis.

155. Baptismi definitio Physica: 'est ablutio corporis exterior facta 'sub forma præscripta verborum., Definitio metaphysica: 'est Sacramentum novæ legis institutum à Christo 'Domino, causativum gratiæ regenerativæ., Ejus materia est aqua naturalis; forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

156. Confirmatio (Physicè) 'est signatio hominis baptizati facta in 'fronte ab Episcopo sub forma præ'scripta verborum;, (metaphysicè) 'est Sacramentum novæ legis institutum à Christo Domino causativum 'gratiæ corroborativæ., Ejus materia, est Chrisma confectum ex oleo, & balsamo, & ab Episcopo consecratum; ejus forma: Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis; in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.

ſancti. Amen. Ejus Miniſter eſt Epiſcopus.

157 Pœnitentia (quatenus virtus) 'eſt virtus, qua præterita mala plangimus,ut plangendo iterum non committamus., Quatenus Sacramentum (Phyſicè,) 'ſunt actus pœnitentis ſubpræſcripta forma verborum à Sacerdote jurisdictionem habente prolata, (metaphyſicè)'eſt Sacramentum novæ legis inſtitutum à Chriſto Domino, cauſativum gratiæ remiſſivæ peccatorum poſtBaptiſmum commiſſorum (& ſecundùm aliquos) vel in ipſius receptione.

Ejus materia remota neceſſaria ſunt peccata mortalia, nondum legitimè confeſſa;voluntaria,aut ſufficiens ſunt peccata venialia, confeſſa, aut non confeſſa & mortalia jam legitimè confeſſa. Ejus materia proxima ſunt actus pœnitentis; Oris confeſſio,cordis contritio, & operis ſatisfactio.

158. Confeſſio: 'eſt exterior peccati manifeſtatio verbis, vel ſignis 'facta,coram legitimo Miniſtro.,

Dolor eſt duplex, contritio perfecta & Attritio, quæ eſt contritio quædam imperfecta.

159. Contritio perfecta: 'eſt dolor 'de peccatis propter Deum ſummè 'dilectum cum propoſito non peccandi de cætero.,

160. Attritio: 'eſt dolor de peccatis propter timorem inferni, vel horrorem peccati, cum propoſito non 'peccandi de cætero.

161. Satisfactio: 'eſt operis à Confeſſario injuncti in pœnam peccatorum juſta impletio.

162. Jurisdictio; 'eſt poteſtas,quam 'habent Sacerdotes ligandi, atque 'ſolvendi;,& duplex eſt, ordinaria, & delegata.

163. Jurisdictio ordinaria: 'eſt illa, 'quæ eſt annexa officio curam animarum habenti.

164. Jurisdictio delegata: 'eſt quæ 'committitur ab eo,qui jurisdictionem ordinariam habet.,Forma:'Ego 'te abſolvo à peccatis tuis.

165. Reſervatio caſuum: 'eſt ſubtractio jurisdictionis circa abſolutionem alicujus caſus.

166. Indulgentia: 'eſt gratia qua 'certo aliquo opere injuncto pœna 'temporalis, pro peccato debita, remittitur.

167. Jubilæum: 'eſt remiſſio pœnæ temporalis pro peccato debitæ, '& privilegium diſpenſandi, commutandi, vel abſolvendi à Cenſuris, 'juxta ipſius reſcripti tenorem.

168. Sigillum; 'eſt indiſpenſabilis, '& ſtrictiſſima obligatio tacendi, quæ 'in confeſſione audiuntur circa abſolutionem Sacramentalem.

169. Euchariſtia (Phyſicè) ſunt 'ſpecies panis & vini conſecrati, ſub 'præſcripta forma verborum;,(Metaphyſicè) 'eſt Sacramentum novæ Legis, inſtitutum à Chriſto Domino, 'cauſativum gratiæ cibativæ., Mate-

ria remota, seu ex qua, est panis frumenti, & vinum vitis. Proxima, seu quæ, sunt species seu accidentia panis, & vini. Forma: 'Hoc est corpus meũ. 'Hic est calix sanguinis mei., Minister quo ad consecrationem est solus Sacerdos; quo ad dispensationem verò Diaconus esse potest, in casu tamen necessitatis, & cum licentia Parochi. Eucharistia considerari etiam potest ut Sacrificium.

170. Sacrificium: 'est mutatio alicujus rei facta in honorem supremæ 'excellentiæ cũ debita solemnitate.,

171. Missa: 'est Sacrificium consistens in consecratione panis, & vini.,

172. Stipendium: 'est onerosa eleemosyna errogata Ministro, propter 'officium ad ejus congruam sustentationem.,

173. Extrema Unctio (Physicè) 'est unctio hominis infirmi, facta à 'Sacerdote sub præscripta forma verborum. (Metaphysicè) 'est Sacramentum novæ legis institutum à 'Christo Domino, causativum gratiæ 'remissivæ reliquorum peccatorum., Materia remota est oleum benedictum ab Episcopo; proxima est ipsamet unctio: forma sunt verba: 'Per 'istam sanctam unctionem, &c. Minister est solus Sacerdos.

174. Ordo (physicè) 'est signaculum quoddam, quo spiritualis potestas traditur circa Eucharistiam ritè 'administrandam., (Metaphysicè) 'est 'Sacramentum novæ legis institutum 'à Christo Domino causativum gratiæ potestativæ.,

Materia remota Sacramenti Ordinis, est instrumentum aliquod, quod Ordinibus initiãdis traditur in signum potestatis spiritualis, quam recipiunt, ut instrumẽto suo Ordinem exequantur: proxima, est ejusmodi instrumenti traditio ab ordinante, & ejusmodi acceptatio ab ordinando. Forma sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur imperativo modo, cum expressione potestatis, quæ confertur, adhibetur autem forma hujus Sacramenti modo imperativo, ut ostendatur ordinatum debere fungi munere suscepto: ne videatur illud inutiliter suscepisse. Minister est solus Episcopus.

Ordinis sunt septem, quatuor non Sacri, & tres Sacri. Non Sacri sunt: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus. Sacri verò sunt Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.

175. Prima Tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines, & sic definitur: 'est dispositio ad Ordines, quã 'tonsuratus fit Clericus, capax beneficii Ecclesiastici, & gaudet privilegio fori, & Canonis.,

176. Ostiariatus: 'est Ordo, in quo 'ordinato traduntur claves ad excludendum indignos, & admittendum 'dignos in Ecclesiam ad audiendum 'Missæ Sacrificium., Ejus materia remota sunt claves: proxima est traditio

tio earum: Forma, sunt verba Episcopi ad traditionem materiæ prolata.

177. Lectoratus: 'est potestas, qua 'ordinatus in Lectorem potest legere 'Prophetias, & Lectiones in Choro. Ejus materia remota est liber Prophetiæ. Proxima est traditio ejusdem. Forma sunt verba Episcopi ad traditionem materiæ prolata.

178. Exorcistatus: 'est potestas, 'qua ordinatus in Exorcistam potest 'expellere dæmones à corporibus 'hominum., Ejus materia remota est liber exorcismorum, proxima est ejusdem libri traditio. Forma sunt verba Episcopi ad traditionem materiæ prolata.

179. Acolythatus: 'est potestas, qua 'ordinatus in Acolythũ potest porta-'re candelabrum cum cereo, & ur-'ceolos vacuos., Ejus materia remota est candelabrum, cum cereo extincto, & urceoli vacui. Proxima est eorundem traditio. Forma sunt verba Episcopi ad traditionem materiarum prolata.

180. Subdiaconatus: 'est potestas, 'per quam ordinatus in Subdiaconum 'potest publicè cantare Epistolas, & 'ministrare in Altari calicem vacuum, 'cum patena etiam vacua. , Ejus materia remota, est liber Epistolarum, calix vacuus cum patena superposita. Proxima eorundem traditio. Forma sunt verba Episcopi ad traditionem materiæ prolata.

181. Diaconatus: 'est potestas, qua 'ordinatus in Diaconum potest publi-'cè cantare Evangelium, ministrare 'in Altari calicem cum vino, & pate-'nam cum pane., Ejus materia remota est liber Evangeliorum, calix cum vino, & patena cum pane. Proxima est traditio eorumdem. Forma sunt verba Episcopi ad traditionem materiæ prolata.

182. Presbyteratus: 'est potestas, 'per quam ordinatus in Sacerdotem 'potest consecrare Corpus, & San-'guinem Christi Domini, & absolve-'re à peccatis., Ejus materia remota est calix præparatus cum vino, & aqua, & patena cum hostia. Proxima est eorundem traditio. Forma sunt verba Episcopi ad traditionem materiæ prolata. Minister omnium Ordinum est Episcopus.

183. Matrimonium (quatenus contractus) 'est conjunctio viri, & 'fœminæ inter legitimas personas in-'dividuum vitæ ordinem retinens. Quatenus Sacramentum (Metaphysicè) 'est Sacramentum novæ legis 'institutum à Christo Domino causa-'tivum gratiæ unitivæ., (Physicè) 'est 'mutuus consensus contrahentium 'sub præscripta forma verborum ta-'lem consensum exprimentium., Minister sunt ipsimet contrahentes; materia remota sunt corpora contrahentium, proxima est consensus mutuus, forma verò est acceptatio eorundem expressa per verba, vel signa.

184. Sponsalia: 'sunt mutua promissio de futuro matrimonio inter 'personas jure habiles.

185. Impedimentum impediens: 'est illud, cum quo, si matrimonium 'contrahatur, est validum, sed illicitum.

186. Impedimentum dirimens: 'est 'illud, quo matrimonium, si contrahitur, nec validum, nec licitum est.

187. Divortium, 'est legitima con'jugum separatio quo ad thorum, & 'habitationem auctoritate Judicis fa'cta.

Tria requiruntur ad valorem Sacramentorum, nempe materia, forma, & intentio.

188. Materia, 'est illa, supra quam 'cadit forma., Et triplex est, nulla, certa, & dubia.

189. Materia nulla, 'est illa, qua 'posita, non fit validum Sacramen'tum, Ut si quis v. g. baptizaret cum vino, vel consecraret cum aqua.

190. Materia certa: 'est illa, qua 'posita fit validum Sacramentum. v. g. Baptismus, administratus cum aqua, & Eucharistia cum pane frumenti.

191. Materia dubia: 'est illa, qua 'posita fit dubium Sacramentum., Ut Baptismus administratus cum lixivia, aut cum aqua artificiali, & Confessio cum peccato dubio.

Forma, & Materia mutari potest, vel substantialiter, vel accidentaliter, si substantialiter, non fit validum Sacramentum, secùs si mutatio est solùm accidentalis.

192. Mutatio substantialis: 'est, 'quando evertitur sensus verborum 'omninò., Ut si quis v. g. in Baptismo diceret: Ego te absolvo in nomine Patris, aut in Confessione, ego te baptizo, aut in Eucharistia, hoc est corpus tuum.

193. Mutatio accidentalis: 'est, 'quando retento eodem substantiali 'sensu, variatur in aliquo accidenti: Ut formam proferre idiomate Latino, Græco, aut Italico; ut in Baptismo aqua frigida, aut calida &c.

194. Intentio: 'est animus efficien'di Sacramentum, juxta ritum San'ctæ Romanæ Ecclesiæ., Et hæc triplex est, actualis, virtualis, & habitualis.

195. Intentio actualis: 'est illa, quæ 'habetur, dum efficitur ipsum Sacra'mentum.

196. Virtualis: 'est, quæ præcessit 'effectionem Sacramenti, continua'túrque in mediis ad illud efficiendum 'ordinatis.

197. Habitualis: 'quæ præcessit ef'fectionem Sacramenti, interrupta'que est alio medio ad Sacramentum 'non ordinato.

§. XVII.

De Lege humana Ecclesiastica.

Lex humana dividitur in Ecclesiasticam, & Civilem, & quia ad Juri-

stas,

stas, non ad Theologos de Civili tractare spectat, ideò de Ecclesiastica tantummodo loquemur quæ à judicibus Ecclesiasticis, & à nostra Sancta Matre Ecclesia, in suis quinque præceptis imponitur. De pertinentibus ad præceptum Confessionis jam superiùs explicuimus, quando de Sacramento Pœnitentiæ egimus à n. 157. usque ad num. 168. De Spectantibus ad præceptum de Communione annua, jam dictum fuit, cùm de Sacramento Eucharistiæ disseruimus num. 169. & demùm de concernentibus præceptum audiendi Missam, diximus pariter in §. 9. in tertio præcepto Decalogi, à num. 76. usque ad num 80. Nunc explicandæ remanent Definitiones præceptorũ, quæ de jejunio, decimis, & Primitiis loquuntur. Jejunium est duplex naturale, & Ecclesiasticum.

198. Jejunium naturale: 'est perfe'ctissima, & totalis abstinentia ab om'ni cibo, & potu, & medicina.

199. Jejunium Ecclesiasticum: 'est 'abstinentia à carnibus, & unica co'mestio; JejuniumEcclesiasticum dividitur in quadragesimale, & comune

200. Jejunium Quadragesimale, 'est abstinentia à carnibus, & lactici'niis, & unica comestio.

201. Jejunium commune: 'est in 'quo licet vesci lacticiniis, & aliis, 'quæ non sunt carnes, in unica come'stione.

202. Collatiuncula: 'est serotina & 'levis refectiuncula, ne potus noceat, 'permissa. Per privilegium Bullæ Cruciatæ vesci possunt lacticinia in Quadragesima, & Bulla sic definitur:

203. Bulla: 'est diploma Pontifi'cium, quo multæ gratiæ concedũtur 'sub onere certæ eleemosynæ in sub'sidiũ belli, contra infideles erogatæ.

204. Decima: 'est pars decima fru'ctuum Ministris Ecclesiæ ob spiri'tuale Ministerium oblata.

205. Decima prædialis: 'est deci'ma pars fructuum, quos terra pro'ducit, Ministris Ecclesiæ oblata.

206. Decima personalis: 'est deci'ma pars fructuum, qui ex hominis in'dustria aquiruntur, Ministris Eccle'siæ oblata.

207. Decima mixta: 'est decima 'pars fructuum, partim ex industria 'humana, partim à natura provenien'tium, Ministris Ecclesiæ oblata.

208. Primitia: 'est certa pars fructu'um Ecclesiæ oblata pro suis sumpti'bus, juxta locorum consuetudinem, '& Canonum dispositionem.

209. Oblatio: 'est quoddam stipen'dium Ministris ad Altare oblatum ad 'suam congruam sustentationem.

§. XVIII.

Definitiones Censurarum.

Lex humana duplex est, pœnalis, & præceptiva, de præceptiva jam locuti fuimus §. antecedenti. Pœnalis dividitur in Civilem, & Eccle asticam. Civilis spectat ad Juristas. Nunc tan-

tùm de Ecclesiastica agemus, quæ consistit in Censuris.

210. Censura: 'est pœna spiritualis, '& medicinalis, qua Judex Ecclesia-'sticus punit Baptizatos, privando 'eos bonis spiritualibus., Censuræ aliæ sunt à jure, aliæ ab homine.

211. Censura à jure: 'quæ lata est 'per legem, seu statutum generale.

212. Censura ab homine: 'quæ lata 'est per sententiam, seu statutum ge-'nerale., Censuræ aliæ sunt latæ, aliæ 'ferendæ.

213. Censura lata: 'est illa, quæ 'ipso facto per commissionem crimi-'nis incurritur, nulla spectata poste-'riori sententia.

214. Censura ferenda: 'est, quæ 'non incurritur ipso facto per criminis 'commissionem, sed spectari debet 'sententia Judicis.

Censura dividitur in excommunicationem, suspensionem, interdictum, & etiam secundùm opinionem probabilem in irregularitatem. Cessatio à divinis, & degradatio non sunt censuræ. Excommunicatio dividitur in majorem, & minorem.

215. Excommunicatio major: 'est 'censura Ecclesiastica, privans com-'munione fidelium & participatione 'activa & passiva Sacramentorum.

216. Excommunicatio minor: 'est 'censura Ecclesiastica, privans parti-'cipatione passiva Sacramentorum.

217. Suspensio: 'est censura Eccle-'siastica, privans receptione Ordinis, 'vel Beneficii, vel Officii Ecclesiastici, 'vel eorum usu., Aliquæ suspensiones sunt ab ordine, aliæ ab Officio Ecclesiastico, aliæ à Beneficio, & aliæ universaliter ab omnibus.

218. Suspensio ab Ordine: est, 'quæ privat receptione, vel usu illius.

219. Suspensio ab Officio: 'est quæ 'privat receptione, vel usu Officii Ec-'clesiastici.

220. Suspensio à Beneficio: 'quæ 'privat susceptione, vel usu, vel fru-'ctibus Beneficii.

221. Suspensio totalis: 'quæ privat 'ab Ordine, Officio & Beneficio.

222. Interdictum: 'est censura Ec-'clesiastica, privans Divinis Officiis, 'aliquibus Sacramentis, & Ecclesiasti-'ca sepultura, quatenus talis est. Dividitur in locale, personale, & mixtum.

223. Interdictum locale: 'est illud, 'quod immediatè afficit locum.

Interdictum personale: 'quod im-'mediatè afficit personas.

Interdictum mixtum: 'quod & 'personas, & locum afficit.

224. Interdictum locale, aut personale potest esse generale, vel particulare.

Interdictum generale: 'quod om-'nes Ecclesias, seu personas compre-'hendit.

Interdictum particulare: 'quod ali-'quas tantùm personas, sive loca affi-'cit., alio etiam modo Interdictum potest esse generale, aut particulare,

ratio-

ratione ſui effectus, & in hac ſententia: Interdictum generale: 'eſt, quod 'imponitur quo ad omnes ſuos effe-'ctus:, & Interdictum particulare: 'quod imponitur quo ad aliquem, vel 'aliquos determinatos effectus.

225. Irregularitas: 'eſt impedimen-'tum Canonicum, ſuſceptionem Or-'dinum Sacrorum, & ſuſceptorum 'uſum impediens.

Irregularitas una eſt ex delicto, altera ex defectu.

226. Irregularitas ex delicto: 'eſt, 'quæ in peccati alicujus pœnam im-'ponitur.

227. Irregularitas ex defectu: eſt, 'quæ provenit ab aliqua deformitate 'naturæ, vel operationis minùs hone-'ſtæ., Irregularitas dividitur in totalem, & partialem.

228. Totalis: 'eſt impedimentum 'Canonicum, privans ſuſceptione 'omnium Ordinum, & omnium ſuſ-'ceptorum uſu., Partialis: 'eſt impe-'dimentum Canonicnm alicujus Or-'dinis ſuſceptionem prohibens, vel 'alicujus ſuſcepti uſum.

229. Defectus, ex quibus irregularitas procedit ſunt ſeptem: Defectus natalium, originis, ætatis, honeſtæ famæ, Animæ, Corporis, & Sacramenti.

230. Delicta, ex quibus irregularitas procedit, ſunt ſex: Iteratio Baptiſmi; ſi quis cenſuratus actum Ordinis ſolemniter exercet; miniſtrare ſolemniter in Ordine non ſuſcepto; mala Ordinum ſuſceptio; injuſta mutilatio, vel homicidium; quodlibet enorme crimen publicum.

231. Ceſſatio à Divinis: 'eſt pœna 'impoſita in Eccleſiæ mœrorem ob 'enorme crimen, qua Divina Officia, '& Miſſæ celebratio prohibetur.

232. Degradatio, ſeu Depoſitio: 'eſt privatio executionis Officiorum, '& Beneficiorum totaliter, & ſine ſpe 'reſtitutionis., Degradatio poteſt eſſe verbalis, vel realis. Verbalis: 'eſt pri-'vatio executionis Officiorum, & Be-'neficiorum ſine ſolemnitate, & re-'tento privilegio Fori, & Canonis., Realis: 'eſt privatio executionis Offi-'ciorum, & Beneficiorum, & Fori, '& Canonis ſolemniter facta.

§. XIX.

Definitiones peccatorum.

Peccatum eſt illud individuum, quod in Categoria morali includit formalitatem generum, & ſpecierum intermediarum voluntarii, liberi, & contra legem Divinam, vel humanam. Et cùm jam explicatæ ſint rationes ſuperiores, nunc de individuo tractandum ſupereſt.

233. Peccatum: 'eſt transgreſſio 'legis, vel receſſus à Regula Divina: vel ſecundùm Auguſtinum: 'eſt di-'ctum, factum, vel concupitum con-'tra legem Dei æternam. Peccatum dividitur in Originale, & Actuale.

234. Peccatum Originale: 'eſt pri-'vatio juſtitiæ, ac ſanctitatis, ex pacto 'cum

'cum Adamo facto, omnibus ejus po'steris in sua conceptione transmissa.

235. Peccatum actuale, 'est vo'luntarius recessus à regula Divina, ab 'individuo homine personaliter ad'missus., Peccatū actuale subdividitur in peccatum omissionis, & commissionis.

236. Peccatum omissionis: 'est 'transgressio legis affirmativæ.

237. Peccatum Commissionis: 'est 'transgressio legis negativæ.

Peccatum omissionis, & commissionis subdividitur in veniale, & mortale.

238. Peccatum mortale: 'est, quod 'occidit animam, privans vita super'naturali, quæ est gratia.

239. Peccatum veniale: 'est di'spositio ad mortale; non tamen oc'cidit animam, Insuper tam veniale, quàm mortale subdividitur in habituale, & actuale.

240. Peccatum habituale: 'est ma'cula in anima relicta ex præterita 'commissione peccati.

241. Peccatum actuale: 'est ipsa 'formalis commissio peccati., Esto omnia peccata sint contra Deum, nihilominus aliqua specialiter contra Deum, alia specialiter contra proximum, alia specialiter contra ipsum peccatorum nuncupantur.

242. Peccata specialiter contra Deum: 'sunt illa, quæ immediatè Di'vinam Charitatem lædunt, : omnia nempe, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, vel Religioni. Ut sunt hæresis, desperatio, odium Dei, Sacrilegium &c.

243. Peccata specialiter contra proximum: 'sunt illa, quæ immediatè 'proximi charitatem lædunt., Ut illa quæ sunt contra charitatem v. g. odium, vindicta, furtum, homicidium, detractio &c.

244. Peccata specialiter contra ipsum peccante: 'sunt illa, quæ im'mediatè propriam charitatem læ'dunt, v.g. Gula, luxuria &c.

Peccatum, & vitium distinguuntur, sicut actus, & habitus; & sic vitium est quasi quidam habitus, seu consuetudo peccandi, & sic definitur.

245. Vitium: 'est promptitudo, seu 'facilitas ad peccandum ex consuetu'dine repetitionis peccatorum proce'dens.

Ex quolibet peccato veniali, & mortali Reatus pœnæ procedit: à peccato mortali reatus pœnæ æternæ, à veniali verò reatus pœnæ temporalis: & Reatus sic definitur.

246. Reatus: 'est effectus ex pec'cato relictus, quo peccator manet 'ligatus apud Deum solvendi delicti 'sui pœnam.

247. Peccata capitalia: 'sunt 'illa, ex quibus tanquam ex radice 'procedunt alia peccata actualia. Peccata capitalia dividuntur in spiritualia, & carnalia.

248. Peccata spiritualia: 'sunt illa', 'quæ mentis potiùs delectatione 'complentur, quàm corporis;, ut Superbia, Avaritia, Ira, Invidia, & Accedia.

249. Peccata carnalia: 'sunt illa, 'quæ corporis potiùs, quàm mentis 'delectatione complentur;ut Luxuria, & Gula.

250. Superbia: 'est appetitus inor-'dinatus propriæ excellentiæ., Superbia habet tres filias, nempe præsumptionem, ambitionem, & vanam gloriam.

251. Præsumptio: 'est appetitus 'aggrediendi aliquid supra proprias 'vires.

252. Ambitio: 'est inordinatus ap-'petitus honoris & dignitatis.

253. Vana gloria: 'est cupiditas 'inanis existimationis., Quæ excitari potest per opera indifferentia ex se v. g. Fortitudinis, habilitatis &c. vel per opera bona, & tunc hypocrisis vocatur, quæ sic definitur:

254. Hypocrisis: 'est simulatio vir-'tutis ad inanem gloriam captandam.

255. Præsumptioni opponitur Pusillanimitas, quæ: 'est imbecillitas ani-'mi ad aggrediendum opus debitum.

256. Avaritia: 'est inordinatus ap-'petitus divitiarum, vel bonorum 'temporalium.

257. Avaritiæ opponitur Prodigalitas, quæ: 'est immoderatus, seu ex-'cessivus usus bonorum temporalium.

258. Luxuria: 'est inordinatus ap-'petitus venereorum., Ejus species explicatæ fuerunt in sexto præcepto Decalogi §. 12. Luxuriæ opponitur continentia, quæ: 'est moderatio ap-'petitus venerei., Continentia dividitur in Virginalem, Conjugalem & Vidualem.

259. Continentia Virginalis: 'est 'abstinentia ab omni venereo appeti-'tu licito, & illicito, præterito, & 'præsenti.

260. Continentia Conjugalis: 'est 'abstinentia ab actu venereo illicito, 'sed non à licito.

261. Continentia vidualis: 'est ab-'stinentia ab omni actu venereo lici-'to, & illicito de præsenti, sed non de 'præterito.

262. Invidia: 'est tristitia de alterius 'bono., Ex invidia procedunt odium, detractio, & susurratio. De odio actum jam fuit in 5. præcepto Decalogi §. 11. & de detractione, & susurratione in 8. §. 14.

263. Gula: 'est inordinatus appeti-'tus cibi, & potus., Ex gula procedunt multiloquium, & scurrilitas in anima, & in corpore vomitus, pollutio & ebrietas.

264. Multiloquium: 'est excessivus 'usus verborum.

265. Scurrilitas: 'est verborum, seu 'gestorum minùs honestus usus ad ri-'sum excitandum., De pollutione jam diximus in 6. Decalogi præcepto.

266. Vomitus: 'est ejectio cibi, aut 'potus ex stomacho.

267. Ebrietas: 'est mentis hebetu-'do ex potu excessivo causata, qua 'homo ratione ad tempus privatur: ex natura sua peccatum mortale est.

268. Ira: 'est inordinatus appetitus 'vindictæ., Ex ira procedunt in anima indignatio, & alteratio cordis. In ore maledictio, contumelia, blasphemia, & in opere rixæ, duella, seditiones & mortes.

269. Accedia: 'est animi tædium 'in exercitio virtutum., Ex accedia procedunt desperatio, & pusillanimitas, ignavia, vel gravamen in operando, fastidium, & mentis evagatio.

§. XX.

Definitiones Virtutum.

Pro Complemento totali definitionum adjungere, in hoc loco non prætermittam, illas virtutum; quoniã si opposita juxta se posita magis elucescunt, positis in hoc loco virtutibus, juxta peccata absque dubio egregie elucescent.

270. Virtus (secundùm Aristotelem 4. Ethic.) 'est habitus electivus 'in mediocritate consistens., Et secundùm S. Augustinum lib. 2. de lib. arb. 'Est qualitas mentis, qua rectè 'vivitur., Virtutes aliæ sunt naturales, aliæ supernaturales.

371. Virtus naturalis: 'est quæ per-'ficit hominem in suo esse naturali;, ut scientia, fortitudo, ingenium.

272. Virtus supernaturalis: 'est quæ 'perficit hominem in ordine ad gra-'tiam acquirendam., Virtutes supernaturales dividuntur in infusas & acquisitas.

273. Virtus infusa: 'est, quæ à Deo 'animæ hominis communicatur.

274. Virtus acquisita: 'est quæ ex 'repetitione actuum bonorum in ani-'ma generatur., Dividitur insuper in 'Theologicam & Moralem.

275. Virtus Theologica: 'est 'quæ tendit in Deum, & eum 'habet pro immediato objecto;, ut sunt Fides, Spes, Charitas, de quibus tractavimus in definitionibus primi præcepti §. 7. num. 20. & seq.

276. Virtus moralis: 'est, quæ or-'dinatur ad mores hominis rectè 'componendos.

277. Fundamentum, & basis omnium virtutum moralium sunt Cardinales, quæ in communi sic definiuntur: Virtutes Cardinales: 'sunt illæ, 'in quibus, quasi in cardine, & ful-'cimento stabiliuntur morales.

278. Virtutes Cardinales sunt 4. Prudentia, Justitia, Fortitudo & Temperantia.

279. Prudentia definitur à Philosopho 6. Ethic. cap. 5. 'Recta ratio agibilium;, & dividitur in Monarchicam, & Poliarchicam.

280. Prudentia Monarchica: 'est 'illa, qua homo regit se ipsum.

281. Prudentia Poliarchica: 'est 'illa, qua multitudo gubernatur., Hæc di-

dividitur in negativam, politicam, oeconomicam, & militarem. Videatur S. Thom. 2. 2. quæst. 50.

282. Justitia: 'est perpetua, & constans voluntas jus suum unicuique 'tribuendi., Dividitur justitia quasi in partes subjectivas, in commutativam, distributivam, & legalem, de quibus suprà dictum fuit in 7. Decalogi præcepto §. 13. n. 100. & seq. & quasi in partes potentiales (nimirum in virtutes minùs principales, quæ justitiæ innituntur tanquam magis principali virtuti) prætereà subdividitur in novẽ virtutes, quæ sunt Religio, Pœnitentia, Pietas, Observantia, Gratitudo, Vindicta judicialis, Veritas, Amicitia, & Liberalitas.

283. Religio: 'est virtus moralis 'debitum cultum Deo exhibens., De hac virtute, & de vitiis ipsi oppositis jam suprà diximus in primo Decalogi Præcepto §. 7. num. 32. Religio duos habet actus internos, & sex externos. Interni sunt devotio, & oratio.

284. Devotio: 'est voluntaria ani- 'mi promptitudo ad Dei cultum, & 'famulatum.

285. Oratio: 'est petitio decentium 'à Deo., Externi sunt, Adoratio, Votum, Juramentum, Perjurium, Sacrificium, & Oblatio. Videatur S. Thomas 2. 2. qu. 84. Adoratio: 'est actus 'latriæ, qua Deo exhibetur cultus ei 'soli debitus., De juramento, voto, & perjurio, dictum fuit in secundo præcepto §. 8. num. 49.

286. Sacrificium: 'est oblatio rei 'sensibilis à legitimo Ministro Deo 'facta per realem mutationem ad te- 'standum supremum illius Dominium, '& nostram subjectionem.

287. Oblatio: 'est actus, quo res 'externas Deo offerimus, sine earum 'mutatione., De Pœnitentia, quæ est secunda pars potentialis justitiæ jam suprà diximus.

288. Pietas: 'est virtus moralis, 'qua parentibus cultus, & officium 'exhibetur.

289. Observantia: 'est virtus, qua 'homines, aliqua ratione anteceden- 'tes, honore quodam prosequimur.

290. Obedientia (comes observantiæ) 'est virtus moralis, qua præ- 'cepta Superiorum adimplentur.

291. Gratitudo: 'est virtus moralis, 'qua beneficia accepta recolimus, & 'pro eis aliquid Benefactori rependi- 'mus.

292. Vindicta judicialis: 'est virtus 'moralis, qua Judex servato Justitiæ 'ordine, mala culpæ punit malis pœ- 'næ.

293. Veritas, seu veracitas: 'est vir- 'tus moralis, qua verbis exprimimus 'id ipsum, quod mente conceptum 'habemus.

294. Amicitia: 'est virtus moralis 'qua convenientes nos habemus ad 'alios homines in dictis, & factis.

295. Liberalitas: 'est virtus mora-'lis, qua divitiæ expenduntur, non 'transgrediendo regulas rationis. Liberalitas distinguitur à beneficentia, & eleemosyna per hoc, quòd beneficentia elargiatur bona proximo ob amorem erga ipsum: Eleemosyna eadem tradat animo sublevandi ejus miseriam; sed liberalitas id facit ad impediendum affectum pecuniæ, & cupidinem comprimendam. Videatur definitio eleemosynæ in §. 7. num. 26.

296. Fortitudo: 'est animi audacia 'ad aggredienda difficilia, & pericula 'superanda., Quatuor sunt virtutes annexæ fortitudini, ut partes potentiales ipsius, id est; Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, & Perseverantia. Videatur S. Thom. 2. 2. quæst. 128. artic. unic.

297. Magnanimitas: 'est animi generositas ad fortiter aggredienda dif-'ficilia.

298. Magnificentia: 'est virtus ma-'gnorum operum factiva., Magnificentia, & Magnanimitas distinguuntur per hoc, quòd magnanimitas assumat, & magnificentia prosequatur difficile jam assumptum.

299. Patientia: 'est animi toleran-'tia, qua in sustinendis malis non tri-'stamur.,

300. Perseverantia: 'est operis in-'cepti felix usque in finem consum-'matio.

301. Temperantia: 'est virtus, quæ 'moderat appetitum circa delectabi-'lia secundùm tactum', & gustum, 'prout recta ratio dictat., S. Thom. 2. 2. quæst. 145. assignat quatuor species temperantiæ, nempe Abstinentiam, Sobrietatem, Castitatem, & Pudicitiam.

302. Abstinentia: 'est virtus, cupi-'ditates, & delectationes inordinatas 'ciborum refrænans.

303. Sobrietas: 'est virtus exces-'sum vini corrigens, ne præ ejus ni-'mietate rationis usus turbetur., Abstinentia corrigit omnem excessum in cibo, & potu, in quantum est species gulæ: Sobrietas verò corrigit solùm excessum inducens ad ebrietatem.

304. Castitas: 'est virtus, quæ af-'fectum, & inordinatum usum mode-'ratur circa delectationes venereas. Castitas dividitur in vidualem, conjugalem, juvenilem, virginalem, videatur suprà num. 259. 260. & 261.

305. Pudicitia: 'est virtus, vene-'reas delectationes refrænans in oscu-'lis, tactibus, & amplexibus., Partes potentiales temperantiæ sunt quatuor: Continentia, Mansuetudo, Clementia, & Modestia.

306. Continentia (in gradu communiori Castitatis) 'est habitus virtu-'tis, quo voluntas resistit passionibus 'concupiscibilibus.

307. Mansuetudo: 'est virtus, quæ 'passiones iræ ita moderatur, ut inor-'dinatè non insurgant.

308. Clementia: 'est virtus, qua

Judex

'Judex ex ratione aliquid de pœna 'remittit, & infra meritum punit.

309. Modestia: 'est virtus excessum in vestitu, gressu, gestibus, & 'cultu moderans., Tres species modestiæ assignantur à S. Thom. 2. 2. quæst. 160. art. 2. nempe Humilitas, Studiositas, Modestia morum, ad quam reducitur Eutrapelia.

310. Humilitas, secundùm Angelicum Doctorem: 'est virtus, qua 'quis considerat suum defectum, & 'tenet se in infimis secundùm mo-'dum suum.

311. Studiositas: 'est virtus, qua 'aufugata pigritia res necessariæ ad-'discuntur, & nimia, seu inordinata 'sciendi cupiditas reprimitur.

312. Modestia morum: 'est virtus, 'qua exteriores corporis actiones jux-'ta rationis præscriptum temperantur.

313. Eutrapelia: 'est virtus, quæ 'jocis & ludis modum rationis imponit.

INDEX ALPHABETICUS

Omnium Definitionum, quæ in Categoria præcedenti continentur.

Ut Lectores faciliùs invenire queant,

Numerus, qui citatur in margine assignatur.

In-

Usura.

CATEGORIA SPIRITUALIS.

Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Isaias c. 1. v. 5. & 6.

1.

CHristiana Respublica est bene ordinata Categoria, Ecclesia Catholica est rectè dispositum prædicamentum. In temporalibus prædicatum supremum hujus moralis unitatis est Rex: Subjectum infimum sunt plebei: genera & species intermediæ sunt Judices Superiores, & Ministri inferiores. In spiritualibus prædicatum supremum hanc Categoriam coronans, est Summus Pontifex. Individua infima sunt Christiani populi, genera & species intermediæ sunt Parochi, Episcopi, Archiepiscopi, & Cardinales. Prædicatum supremum (inquit Hugo Cardinalis de S. Charo in cap. Isai. super) huic prædicamento pro capite inservit: omne caput id est omnes Reges, & Principes: Individua sunt pedes: *A planta pedis.* Hugo *pedes ejus plebecula*: & intermedia sunt cor: omne cor mœrens. Hugo cor ejus cœtus Doctorum.

2. Ægrotant pedes: A planta pedis, quia caput languet: omne caput languidum; & quando caput dolet omnia membra languent. Isaias Propheta cap. 19. Ægypti pœnas declarat dicens, Deum vertiginis accidentia illuc introduxisse: *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis*, quia quando caput vertiginibus est obnoxium, pedes prolabuntur, corpus incurvatur, & membra ad extremum reducuntur. Si caput Prælatorum circuit, quomodo pedes subditorum sistent; Si inconstans est caput, nullatenus tuti sunt pedes; & si Prælatus, Superior, Judex, Minister, & Sacerdos, capite laborant, quid de membris inferioribus erit: *Secundùm judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea*, Eccles. cap. 10. Piscis corruptio à capite incipit: *Piscis à capite putrescit.*

3. Grande, & execrabile fuit scelus populi, quando in deserto aureum vitulum adoravit; & tamen Moyses soli Aaroni id imputavit: *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?* Exodi cap. 32. Nónne populus peccaverat, & turbæ idolatriam commiserant? Quomodo ergo culpa Aaroni tribuitur? *Notandum*, ait magnus Pater Augustinus, quæst. 146. in Exod. *quemadmodum id totum, quod facit Populus, Aaroni tribuatur.* Culpa populi imputatur Aaroni, quia cùm esset Minister, & ejusdem Sacerdos, adeò grave delictum

ctum impedire tenebatur, idcirco ab Aarone tanquam à supremo capite damna tam ingentia in Populum redundarunt. Si Saul cor suum gladio transfigit, *Arripuit gladium, & irruit super eum. 1. Reg. cap.* 31. mirum non est, quòd famulus idem perpetraverit. *Quod cùm vidisset armiger ejus, irruit etiam ipse super gladium suum.* Si Prælatus est dissolutus, quomodo compositi erunt subditi? si Judex non nisi injustitiis est addictus, quomodo subditi æquitatem custodient? Quomodo mundæ erunt vasallorum manus, si Minister aliena surripit? Quæ devotio erit in populo, si Sacerdos Ecclesiæ, ac Divinis officiis modicùm affectus cernitur? si Parochus incontinens est, quomodo ejus subditi casti erunt? & si pastor est vorax, qualis temperanria erit in oviculis? hoc Propheta Oseas cap. 5. effatus est. *Audite hoc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auscultate: quia vobis judicium est: quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor. Et victimas declinastis in profundum.*

Claudianus ad Theodosium.

Tunc omnia jure tenebis
Cùm poteris rex esse tui; proclivior usus
In pejora datur, suadetque licentia luxum.

4. Magnum sanè discrimen est inter Individua plebis, & superiora, ac intermedia prædicata: Illis personalium suarum operationum in Dei Tribunali rationem reddere sat erit: *Referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. ad Cor. cap. 5.* At hoc nequaquam Ministro sufficiet, cùm Deus interrogabit: *Ubi est Abel frater tuus? Gen. 4.* Quidnam factum fuit de subdito? Quæ ratio redditur de ovicula? *Ubi est Abel?* Fortè responderi poterit: *Num custos fratris mei sum ego?* Ubi adinvenitur subditus? in domo conversationis, in ludis prohibitis, in profanis recreationibus, in illicitis mercaturis, in rixis, & contentionibus, *Ubi est Abel?* Ubi moratur ovicula? in culpæ præcipitiis, in occasionis proximæ periculis, in lasciviæ nemoribus, inter lupi infernalis fauces. *Quid ego infelix* (exclamabat S. Bernardus *serm. de tripl. Adven.*) *quò me vertam, si tantum depositum contigerit negligentiùs custodire: non est mihi dicere cum Cain: Num custos fratris mei ego sum?* Si zelans Bernardus tali timore oviculas sibi concreditas considerabat, qualis esse debet eorum tremor, qui adeò eximii Prælati virtute, & vigilantia carentes, notabilibus omissionibus in eorũ officio, & Ministerio obnoxii sunt, animas perire ex incuria, & tepiditate sinentes.

5. Illud idem munus, quod in hac vita ambitionis esca fuit, rationem in altera magis formidabilem reddet. *Ad pœnam nostram Episcopi vocamur* (ajebat magnus Gregorius

rius *homil. 17. in Evangel.*) *Qui honoris nomen, non virtutis tenemus. Ponamus ante oculos nostros illum tantæ strictionis diem, quo Judex veniet, & rationem cum servis suis, quibus talenta tradidit, ponet. In illo tanto examine, quid sit unusquisque operatus, ostendetur. Ibi Petrus, cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achajam, Ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectu sui Judicis conversam ducet. Cùm igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri, quid dicturi sumus, quid ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus? Quid Pastorum nomen habuimus, & oves, quas nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus.* Divus Gregorius Summus Pontifex, & Supremus Episcopus erat, & adeò quãvis eximia Sanctitate præditus esset, loquebatur, & vitam cum timore, & tremore gerebat: indubiũ ergo est, quòd majori affici deberet, qui consimili obligatione, & onere ĩnodati sunt?

6. Ut igitur Christianæ Reipublicæ Categoria rectè ordinetur, necesse est, ut prædicata superiora magno zelo, & bonis moribus polleant. Logici in suo prædicamento docent, quòd: *quidquid negatur de superioei prædicato negetur de inferiori*, seu ut docent: *Dici de nullo.* v. g. quia accidens negatur de substantia, negatur etiam de corpore, de vivente, de animali, de homine, de Petro, & ex hoc antecedenti, substantia non est accidens: infertur necessariò hoc consequens, ergo nec corpus erit accidens, nec viveus erit accidens &c. eadem consequentia est moralibus; Prælatus non est virtute præditus, ergo neque erit subditus; Minister non est bonus, ergo neque erit Vasallus; Parochus non est sanctus, ergo nec Parochianus: Item subditus est bonus, ergo etiam erit Prælatus; inferior virtutibus est addictus, ergo pariter superior: Parochianus est sanctus, ergo sic Curatus: sicut valet dicere, homo est sensitivus, ergo animal &c. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate &c. ad Titum cap. 2.* ut virtus superior dimetur in subditos; categoria militans inter æquitatis limites se contineat, ut Hierarchiæ triumphantis gaudia consequatur, Amen.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

At modò sileat calamus; Et secundæ Praxis parti terminum ponat: Utinam feliciter! Ita sanè credam, si (ut opto) in unius, Triníque Dei Maximi honorem scripta cuncta cedant; síntque (ut precor) in Christiferæ MARIÆ, & signiferi FRANCISCI mei perdilecti Parentis, Sanctorúmque omnium laudem. Omnia nullo excepto apice, quæ mea permulta incuria commiserit, seu reprehensibiliter omiserit, Catholicæ Ecclesiæ firmissimo judicio, méque ipsum substerno, Doctorúmque piorum censuræ submitto.

INDEX RERUM NOTABILIUM,
Quæ in Prima, & Secunda Parte hujus libri continentur.

Littera N. designat numerum marginalem, P. verò Partem hujus libri, & F. folium.

C.

Caſus Reſervati.

Quid

Ec-

Non

F.

Falsificatio.

Fama.

Famuli.

me-

dirimens.

Jussio.

legis

Oratorium.

Ordo.

An


Residentia.

Restitutio.

FINIS.

O. A. M. D. G.







[illegible]
[illegible]
CONFESS[illegible]ALIS

PARS I & II







